R.B.
5. 3. 298
Digitized by Google

Digitized by Google

Google

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ
SYNOPSIS
SIVE
De Origine, & Progreſſu Philoſophiæ:
De Vitis, Sectis, & Syſtematis
omnium Philoſophorum
LIBRI IV.

JOHANNI V.
LUSITANIÆ REGI, &c.
DICATI

AB JOH. BAPTISTA CAPASSO
Phil. & Med. Doct. Neapolitano.



NEAPOLI,
Typis Felicis Muſcæ, An. MDCCXXVIII.

SUPERIORUM CONCESSU.

Digitized by Google

Quidquid de re bona dilucide dicitur, mihi præclare dici videtur: iſtiuſmodi autem res dicere ornate velle, puerile eſt: plane autem, & perſpicue expedire poſſe, docti, & intelligentis viri.

Cic. 3. de Fin.

Digitized by Google

tui Mathematici honore inſignitum, bene

a a gra

Digitized by Google


terminat

JOHANNI V.

SERENISSIMO, POTENTISSIMOQUE

LUSITANIÆ REGI, &c.

CHRISTIANÆ FIDEI PROPAGATORI AUGUSTO

SCIENTIIS, ET VIRTUTIBUS INCLYTO

BONARUM ARTIUM, LITERARUMQUE OMNIUM

IN ALMO LUSITANIÆ REGNO

REDUCTORI, ET REFORMATORI

LITERATORUM PATRONO GENEROSISSIMO

MECOENATI SUO OPTIME MERITO

JOH. BAPTISTA CAPASSUS

HISTORIAM PHILOSOPHIÆ

PERPETUUM GRATI ANIMI TESTEM

D. D. D.

QUID Tibi, REX AUGUSTISSIME, pro immortalibus tuis in me, fratremque meum P. Dominicum Capaſſum Soc. J. tui Mathematici honore inſignitum, beneficiis,

Digitized by Google

grati animi, atque obſervantiæ teſtem offerrem, diu, multumque mecum cogitavi. Cum ecce mihi in mentem venit, omnemque incerti animi ſolicitudinem abſtulit, Platonis, præſtantiſſimi Philoſophorum effatum illud, Optimam eſſe Remp. in qua Philoſophi regnent, vel Reges philoſophentur. Quapropter pergratum quid me Tibi facturum duxi, ſi pro tot, tantiſque tuis in nos promeritis SERENISSIMUM BRASILIENSIUM PRINCIPEM, Filium natu maximum, in Philoſophicis inſtituerem; ut ad Regnorum regimen (quod ſerius contingat) omnibus, quæ perfectiſſimum Regem deceant, virtutibus inſtructus valeat pervenire. Philoſophiæ tamen præcepta non ex unius Philoſophi, ſive ex veteribus, ſive ex recentioribus, fonte Sibi haurienda exiſtimavi, ſed ex omnibus, ut quidquid boni, & rationi, Religionique conſonum in ipſorum ſingulis perpenderit, ſeligens, ex omnibus Philoſophiæ Syſtematis unum, optimumque Sibi propoſitum habeat. Verum cum duo ad optimum quemque Principem conſtituendum neceſſaria ſint, Philoſophia, quæ præceptis ſuis mores componat, ac ſapientem efficiat; Reges enim, & Principes non ſunt ii, qui ſceptra tenent, ſed qui imperare ſciunt: & Hiſtoria, quæ virtute præſtantium actiones imi-

imitandas proponens, Prudentiam, quæ omni Principi, ut anima corpori, neceſſaria eſt, doceat; Hiſtoria enim ſi adſit, ex pueris facit ſenes; ſin abſit, ex ſenibus pueros; operæ precium me facturum eſſe exiſtimavi, ſi uno hoc Libro utrumque Optimo Principi, qui Tibi præ Regnis omnibus & naturæ lege, & præclaris ſuis moribus, cariſſimus eſt, præſtarem. Hanc igitur Univerſalem Philoſophiæ, & Philoſophorum Hiſtoriam compendiariam, à me plurium annorum ſpatio, & labore non parvo ea tantum mente concinnatam, ut Serenissimo Principi, ceteriſque Regiis Filiis, quantum mihi pro viribus licuit, erudiendis prodeſſem, oro, Rex Maxime, ut benignus accipias, ac futurum confido, ut ſicut Lucius Lucullus, alios plurimos ut omittam, præſtantiſſimus Imperator Hiſtoriarum lectione, & Philoſophiæ præceptis factus eſt; ita præclarus tuus iſte Princeps, tua cura, & ſolicitudine in optimis quibuſque liberalibus artibus eruditus, per hanc Philoſophiæ Hiſtoriam, quæ in tuo Nomine, à me ſemper plurimumque honorando, lucem videt, Tibique pro grata beneficiorum memoria ſiſtitur, ac dicatur, in eum Regem evadat, quem omnes admirari poſſint, & imitari. Neque inficias ibo, Regium tuum optimumque Filium domeſticum exemplum habere ad imitandum:

dum:

Digitized by Google

dum: in Te enim uno Numæ Pompilii, ſecundi Romanorum Regis, Pietatem, & Religionem, ac penitus averſum ab omni bello animum, pacis, tranquillitatiſque amiciſſimum poſſet ediſcere. Enim vero eximium tuum, ac ſingularem ad noſtram veram, Sanctam, Catholicamque Religionem propagandam amorem, quo præ ceteris præclaris dotibus animus tuus, in hoc vere Regius, decoratur, ſæpius oſtendiſti. Teſtes ſunt magnifica Templa, à Te ſummis ſumtibus erecta, & ſplendidiſſime ornata; quorum unum, vel alterum memorem: quod ſcil. Divo Antonio, Thaumaturgo Luſitano, vulgo Patavino dicto, ingenti mole, mirabilique architectura erexiſti, ſelectiſsimo marmore ornatum precioſis donis cumulaſti, ac pro ſuſcepta Prole dicaſti, quod nulli ex præcipuis in Europa ſecundum uno ore fatentur omnes: & Patriarchale in Regia tua Ulyſſiponenſi Aula extructum, ampliſſimo cenſu ditatum, plurima, precioſaque ſacra ſupellectili ornatum, maximis, ac ſingularibus Pontificiis Privilegiis inſignitum, & undique tam mirum, ut non ultra pia, Regaliſque munificentia aſcendere poſſe videatur. Sacri etiam Ritus, ac Cæremoniæ, quorum Tu amantiſſimus, ut recte iſthic adminiſtrarentur, ne dum à Summo nunc Regnante Pontifice, tunc vero Beneventi Archiepiſcopo Cardi-

nali

nali Urſino, expetiſti, ut quales illic, ubi optime quam alibi, fierent, exſcriptos ad Te mittendos curaret; verum etiam vel primum de illis magiſtrum, qui Romæ degeret, accitum Ulyſſiponem adduxiſti; & ampliſſimo ſtipendio donatum iſthic detines. Atqui non ultima eximiæ Pietatis, Religioniſque tuæ hæc laus eſt; omnium enim maximam eam duco, quod ad Chriſtianam Fidem longe lateque ad extremum uſque Sinarum Imperium propagandam, nec curis, nec laboribus, nec maximis etiam ſumtibus pepercisti. Quare, ut præclara tua alia ad id facta prætercam, non ita pridem nobilem virum tuo Nomine Legatum ad magnum Sinarum Imperatorem miſiſti, ac inſigne donum, quale & danti, & accipienti par eſſet, Arma ſcilicet, Argentea Vaſa, ſplendidiſsimas Veſtes, odorum Magmata, Telas Aureas, & ut verbo rem abſolvam, omnigena precioſa: quibus, & Legato duæ cohortes nitido amictu, novemque Divini verbi Præcones, ac noſtræ in ea Regna Fidei reductores, ex inclyta Soc. J. doctiſsimi, comites acceſſerunt. Hæc autem omnia eo tantum conſilio pie illacrymans mittere dixiſti, ut his donis, ac legatione, Sancta Chriſti Fides in ea Regna, unde extorris jam fuerat, glorioſa rediret, radiceſque in eis figeret validiores. Quam ſingularem in Chriſtia-

nam

nam Religionem Pietatem à Joh. III. progenitore Tuo, immortali memoria digno, una cum ſanguine in Te traductam fateor, cujus nomen, doctrinam, & ſanctimoniam ſortitus es. Hic enim anno 1540. Pauli III. Pont. Max. conceſſu Divum Franciſcum Xaverium cum Socio ad novas Indorum gentes mittendum curavit, ut Chriſti Fide imbuerentur. Altera etiam Numæ Regis præclara animi dos in Te, Rex Optime, refulget; quod ſcil. ille belli oſor acerrimus, Romanam gentem pugnaciſsimam, bellique cupidiſsimam ad pacem reflecteret, acceptumque Imperium Religione, atque juſtitia gubernaret. Tuus enim animus, quia liberalium artium ſtudiis deditiſsimus, quàm pacis cupidus ſit, vel tui dicant populi, qui jure merito hoc ſemper de Te prædicant:

Ducere Tu nobis das læta per ocia vitam.

Quod ſi quandoque bellum, Te Regnante, tuis armis ſuſceptum vidimus, hoc nonniſi ad immanem Turcarum gentem debellandam, ac Chriſti Religionem ſartam, tectamque ſervandam indictum fuit. Qua perfida hoſtium gente, tua potiſſimum claſſe, debellata, ſumtu vero infinito, Italiæ quies per Te parta eſt. In Te etiam uno, nec ignoro, M. Antonini Philoſophi, Lycurgi, Solonis, M. Catonis majoris, Ciceronis, & his ſimi-

ſimilium, doctrinam, juſtitiam, integritatemque mirari poſſe SERENISSIMUM PRINCIPEM, alioſque ſecum fratres, in hoc plurimum fortunatos, quod tanto ſint Genitore prognati. Ex Te ediſcere poterunt Regiam Academiam Hiſtoriarum fovere: cujus primam inſtitutionem, quæ in Regnis aliis ad hujus inſtar conditæ ſunt, Tibi referunt acceptam. Ex Te denique eos, ut paucis me expediam, liberales artes, Matheſin præcipue, quam Tu ſummopere colis, tueri, & ad tuæ gentis utilitatem in tuis Regnis promovere; nam

Te Regnante tuis redierunt Palladis artes: literatos viros complecti; & tandem omnes omnium Philoſophorum, optimorumque Regum virtutes habere poſſe, ultro quidem verum fateor cum reliquis. Sed ut optima quæque remedia continuo uſu recepta, ſegnius inſuetis in corpus agere novimus; ita pari ratione domeſticum quodque exemplum, noſtris oculis jugiter objectum, minorem quandoque vim habere ad animum commovendum, quam quod rarum ex aliis, non ſemel adnotavimus. Si vero domeſticis, atque continuis, aliena, & inſueta accedant exempla, fortiori ſtimulo animus ad virtutem concitatur. Hinc perutile Tuis, REX INCLYTE, me facturum exiſtimavi, ſi ſcientias, virtuteſque omnes, quas Ipſi in Te uno junctas

contemplantur, eas & in aliis, ſparſim tamen, ac diviſim, in hoc Libro legant extitiſſe. Sparſim extitiſſe dixi; nam

- - - - - quæ ſparguntur in omnes,
In Te miſta fluunt; & quæ diviſa beatos
Efficiunt, collecta tenes - - - - - Claud.

Verùm id unum præ aliis in Te omnes admiramur, quod cum Imperium tuum in quatuor Orbis plagas tam late pateat; Sol enim

Exoritur Regnis, occidit atque tuis;

Tibi tamen, tot, ac tanta negocia ſuſtinenti, Aſtronomicis obſervationibus, aliiſque Matheſeos ſtudiis vacandi ocium ſit, ut totus in Regnorum regimine, & totus in Palladis artibus eſſe videaris. Jure igitur merito inclytum, & immortale Nomen tuum

Imperium, Famam terminat Oceano.

Atqui ne tempus, Tibi vel in gravioribus negociis, vel in ſeverioribus ſtudiis inſumendum, in prolixa harum literarum lectione fruſtra teras, finem faciam iiſdem plane verbis, quibus Stiliconis laudes exorſus eſt Claudianus:

Continuent Superi pleno ſic veſtra favore
Gaudia, ſucceſſuſq; novis ſucceſſibus addant.

Sic Deus Opt. Max. Filiorum tuorum Connubia, felici omine inchoata, plurima Virili Prole reddat feliciora: *Dies ſuper dies Regis adjiciat, &*

annos

annos ejus uſque in diem generationis, & generationis. Tandem Te, REX GENEROSISSIME, oro, obteſtorque, ut pro gratiis, quas Tibi pares nec referre, nec agere ego, fraterque meus poſſumus, hoc Hiſtoriæ Philoſophiæ munus, ſpecie quidem tenuiſſimum, ſed grati animi, noſtræque in Te obſervantiæ omni ævo teſtem futurum locupletiſſimum, Regia, qua ſoles, humanitate accipias; ac nos, noſtroſque in potentiſsimum patrocinium tuum peramanter adſciſcas.

Neapoli Parthenopes 8. Kal. Aprilis 1728.

JOHANNI V.
LUSITANIÆ REGI
Potenti, Magnanimo, Pio, Felici.

QVæ tibi non olim licuit tentare Vetuſtas;
Quo ſtaret nomen tempus in omne tuum!
Molibus impoſitas, ageſis, juvet addere moles,
Quas mirata ætas cernat, & obſtupeat.
Nec Rhodii parcant operique auroque, Coloſsus
Immanis nomen conſecret ut patriæ.
Mauſolo exurgat poſt ultima fata ſepulcrum,
Ulla dies ævo ne memori eximeret.
Attollas non ante unquam conſpecta theatra
Unius impenſa, Scaure ſuperbe, tua.
Quo tandem tanto miracula reddita ſumtu?
Aggeſtave adeo quid potuiſtis opes?
Ultra non equidem quam fictilis una lucerna
Aut Stoici, aut Cynici pallia Diogenis.
Hem qui non oboli unius domini, tibi Mida
Inſultantque opibus, Cræſe beate, tuis.
At Tu, quem colit & Tellus, atque inclyta ab ortu
Solis ad Heſperium fama cubile canit;
Miratuſque tuis longe ſtupet Indus uterque
Parere inſanum claſſibus Oceanum:
Et quibus in terris populos nox atra tegebat
Tartareo preſſos triſtia colla jugo;
Æthereum affulſiſſe jubar lætantur, & Orco
Erepti jajam triſte onus excutiunt.
Hinc Tibi læta fides merito gratulatur, & optat
Terras imperio quaque patere tuo.
Tu quoque poſthabitis opibus, Regnoque potenti,
Queis ſatis, atque ſuper, Rex generoſe, nites;
Indulges ſophiæ ſtudiis, & moribus æquis,
Parta quibus ſceptro gloria magna tuo eſt.
Cur tua miremur poſthac florentia Regna,
Quæ complexa ſinu Pallas amica fovet?
Et quos Sancta Themis ſtabili cum pace revincit,
Cur non quiſque tuis invideat populis?
Ut rediiſſe Orbis jam ſentiat Antoninos,
Nec priſcos nobis deeſſe patres patriæ.
In Te igitur noſtri ſtat maxima gloria Secli,
Quodque futura canant, quodque imitentur, habent.

Digitized by Google

LECTORI PHILOSOPHO.

PAucis quidem, Benevole Lector, Philoſophicæ Hiſtoriæ hiſtoriam enarrabo, ne longa, inutilique Præfatione, te ad Libri lectionem properantem in ipſo limine intempeſtivus videar remorari. Cum viginti ab hinc annis Philoſophicas Inſtitutiones hîc Neapoli ſtudioſos juvenes docerem; æquum mihi viſum fuit, Prœmii loco quædam de Origine, & Progreſſu Philoſophiæ, clarioribuſque Philoſophis, Inſtitutionum initio præfigere. Quapropter quotquot in celebrioribus noſtræ urbis Bibliothecis, maxima præcipue Vallettiana exſtabant, libros de Philoſophiæ Hiſtoria tractantes legi, ſperans, me in ipſorum aliquo perfectam, omnibuſque numeris abſolutam Hiſtoriam inventurum; eam ſcilicet, quæ ab Origine initium ſumens, per varias Mundi gentes, ætates, & ſectas, Philoſophiæ progreſſum, & Philoſophorum ad noſtra uſque tempora Syſtemata demonſtraret. Sed cum omnes ſpem fallerent; quidam enim de Origine pauca delibabant, alii de Barbarica Philoſophia, vel de ejus parte aliqua, tractabant, plurimi denique de Græcanica prolixius agebant; cumque, neque ex Magnis Lexicis Hiſtoricis, neque ex familiaribus eruditorum colloquiis aliquem noverim, qui ſecundum hanc ideam Hiſtoriam Philoſophiæ confecerit; Tractatum ipſe concinnavi, in quo ſecundum prædictum ordinem, omnibus adhuc intentatum, Philoſophicæ Hiſtoriæ veluti embryonem tradidi diſcipulis. Hunc autem imperfectum (non enim ultra Græcos erat) relinquere coëgit tum mea infirma corporis valetudo, tum doctiſſimi Thomæ Stanley edita, Anglica tamen lingua, Hiſtoria Philoſophiæ; verebar enim, ne ſecundum eandem ideam ipſe ſuam Hiſtoriam contexuiſſet. Sed ut ipſam latine jam ab eruditiſſimo Joh. Clerico verſam ſtatim habere curavi, Stanlejum (ſicut & alios, qui ſpecioſum hunc Hiſtoriæ Philoſophiæ titulum libris ſuis præfigunt) non Univerſalem, ſed Particularem Philoſophiæ Hiſtoriam, de Græcis ſcilicet tantum, prolixe tamen, & erudite nimis tractantem vidi, additis in calce quibuſdam de Chaldæorum, Perſarum, & Sabæorum Philoſophia, & Philoſophis; quibus ſpecioſiſſimæ Joh. Clerici Notæ, & Index Philologicus acceſſerunt. Quare imperfectum Opus ſtatim perficere decrevi. Hoc igitur meum qualecumque Opus antea mancum, nunc vero quinque annorum ſpatio, & non

cur-

Digitized by Google

curta librorum ſupellectili expletum, & tuo uſui, ut potui, elaboratum, benignius accipe, Amice Lector. Si autem non ſatis, quod volui, ſim aſſecutus; voluntas interea egregiam laudem meretur. Enim vero ut mihi ſumma eſſent omnia, ut Ciceronis phraſi utar, temporis tamen vix ſatis habui ad Opus tam grande innumerorum pene librorum, longi, quietique temporis, ſanæ mentis, firmæque corporis valetudinis indigum, abſolutiſſime, ut par erat, perficiendum. Sed

Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.

Ovid. 3. de Pont. Eleg. 4.

Si quis igitur feliciori, ὡς λόγος ἐςι, ovo natus omnia ſimul hæc à Cœlo dona nactus ſit, quod incompletum meum eſt, compleat: mea enim mens ea tantum in hujus Hiſtoriæ elaboratione fuit, ut doctioribus ideam tantum perfecti Operis, quod adhuc in literaria Republica non exſtat, indicarem. Atque hac quidem de cauſſa Sýnopſis, *ſive Compendii verbum inſcriptioni addidi, ut quidquid ad abſolutiſſimam hujus Hiſtoriæ perfectionem deſit, ſupplere quis valeat. Atqui ſi ad me hæc omnia præfatum, propteréaque benignius reſpiciendum, Zoile quiſquis es, non commoveris; ſed conviciari ulterius, & proſcindere, pergis, ſcias, te & facillimam Provinciam ſuſcepiſſe,*

Nam facilis cuivis rigidi cenſura cachinni;

atque illud porro agere, quod voluptati eſt pluribus. Qua in re, quod ad me attinet, nihil eſt quod tibi opportunius reponam, quam ut te cum pluribus relinquam.

EM

EMINENTISS. SIGNORE

IL Dottor Fiſico Giambattiſta Capaſſi ſupplicando eſpone à V. E. come deſidera dare alle ſtampe una ſua Opera intitolata *Hiſtoriæ Philoſophiæ Synopſis*. Intanto priega V.E. degnarſi di commetterne la reviſione à chi meglio le parerà, e l'averà dall'E.V. à gratia ut Deus.

R. D. Joſeph Buonocore Prælector Philoſophiæ in Seminario Archiepiſcopali videat, & in ſcriptis referat. Neap. 3. Januarii 1728.

D. ANTONIUS CAN. CASTELLI VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOMINE

IN legenda hac juſſu E. T. *Hiſtoriæ Philoſophiæ Synopſi* quantopere delectatus ſim, nemo ignorare poteſt, quicumque ſcit, non modo quam ſit jucundiſſimum Originem noſſe ejus præ cæteris eximiæ diſciplinæ, a quibus videlicet primum exculta, quibuſque profecta initiis ad noſtra uſque tempora paulatim creverit, ſed facta etiam dictaque memoranda omnium, qui à mundi primordiis hactenus in ea floruerunt, Sapientum, quorum certe cœtibus atque Academiis veluti intereſſe viderbar, audire Sermonem, Virtutes intueri, tanta nempe ſolertia diligentiaque collecta, tantaque elegantia, nitore & gratia ab auctore eruditiſſimo & ſapientiſſimo conſcripta eſt. Nihil autem in ea offendi, quod vel Catholicæ Religioni, vel bonis moribus eſſet adverſum: quin potius multa tum Veterum, tum Recentiorum egregia facta, ſententias, reſponſa, digna profecto quæ & memoria teneant omnes, atque imitentur. Cum igitur non mediocrem ex hujus digniſſimi Operis lectione utilitatem capere poſſint, e re publica futurum cenſeo, ſi typis edatur, ubi tamen ita quoque E. T. viſum fuerit. Neapoli ex ædibus Seminarii xv. Kalendas Majas. MDCCXXVIII.

Addictiſſ. atque Obſequentiſſ. Servus
Joſeph Buonocore.

Attenta ſupradicta relatione Imprimatur. Neap. 20. Aprilis 1728.

D. ANTONIUS CAN. CASTELLI VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMI-

EMINENTISS. SIGNORE

IL Dottor Fiſico Giambattiſta Capaſſi ſupplicando eſpone à V. E. come deſidera dare alle ſtampe una ſua Opera intitolata *Hiſtoriæ Philoſophiæ Synopſis*. Intanto priega V. E. degnarſi di commetterne la reviſione à chi meglio le parerà, e l'averà dall'E.V. à gratia ut Deus.

Dom. Nicolaus Cyrillus Primarius Medicinæ Profeſſor Regius videat, & in ſcriptis referat.

MAZZACCARA REG. PISACANE REG. VENTURA REG.

Proviſum per S. Em. Neap. 9. *Aprilis* 1728.

Maſtellonus.

EMINENTISS. DOMINE

EMinentiæ Tuæ imperio obtemperaturus, intentiſſimè legi *Hiſtoriæ Philoſophiæ Synopſim* à *Cl. V. Jo: Baptiſta Capaſſo* conſcriptam, atque in eâ tantum abeſt ut quid occurrerit, quod Regiæ Juriſdictioni adverſaretur, ut potiùs quæ ex quamplurimorum tum veterum tum recentiorum Autorum monumentis diligentiſſimè excerpſit, atque in breve veluti Encheiridion contraxit, talia reputem, ut tot tantorumque Philoſophorum exemplis propoſitis, omnium animi ad eam ſcientiam comparandam totidem igniculis accendi facilè poſſint, quod, nî fallax Platonis ſententia, ad Reipublicæ beatitudinem quammaximè facturum confido. Librum igitur, ad publicam commoditatem & ſapientiam comparatum, publicâ luce publicoque encomio digniſſimum cenſeo, ſi tamen ad meum judicium Tua graviſſima acceſſerit autoritas. Neapoli. Nonis Aprilis, MDCCXXVIII.

Addictiſſ. & Obſequentiſſ. Famulus
Nicolaus Cyrillus Profeſsor Regius.

Viſa ſupradicta relatione Imprimatur, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.

MAZZACCARA REG. PISACANE REG. VENTURA REG.

Proviſum per S. Em. Neap. 5. *Aprilis* 1728.

Maſtellonus.

HISTO-

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ SYNOPSIS.

SIVE

De Origine, & Progreſſu Philoſophiæ: De Vitis, Sectis, & Syſtematis omnium Philoſophorum.

PROOEMIUM.

Philoſophia, cujus bono, ut Plato in Tim. ait, nullum optabilius, nullum præſtantius, neque datum eſt mortalium generi Deorum conceſſu, atque munere, neque dabitur; quamque Macrobius poſt Ariſtotelem Artem Artium, & Scientiam Scientiarum, & alibi idem Ariſtoteles Scientiam virtutis, & Cic. Virtutum Principem, appellavit; ut ab origine ad noſtra uſque tempora pervenerit, Hiſtorica Synopſi pertractare, ne dum omnibus perutile, ſed & neceſſarium ſemper eſſe exiſtimavi. Fateor quidem, Philoſophiæ Hiſtoriam complures ſcripſiſſe; ſed qui de ipſa opus omnibus numeris abſolutum confecerit, inveni profectò neminem. Plures quidem de Philoſophiæ Origine, & Inventoribus agunt: complures Philoſophorum Vitas, & Syſtemata exponunt: quamplurimi denique Philoſophorum Sectas conſiderant; ſed nemo profectò (quantum mihi id curioſiùs indaganti innoteſcere potuit) adhuc eſt, qui à Philoſophiæ Origine initium ſumens, ejus Progreſſum per varias Philoſophorum Sectas; & denique quicquid ad nos uſque de ea actum, vel dictum ſit, methodicè demonſtraverit. Magnum igitur operæ pretium me facturum eſſe exiſtimavi, ſi quicquid hac de re à quamplurimis Hiſtoricis ſparſim dictum inveni, uno hoc brevi quidem, ſed perquàm utili Tractatu cunctis ob oculos ponerem. Quem Hiſtoricum Philoſophiæ Tractatum in quatuor libros dividere placuit, in quorum primo Philoſophiæ Definitionem, & Diviſionem; Philoſophiæ, ejuſque Nominis Originem, & Finem, & ea, quæ ad ipſum conducunt; & qui primi Sapientes habiti ſint, explicabimus. In ſecundo de Philoſophia Barbarorum, ejuſque Sectis agemus. In tertio Græcanicam Philoſophiam, Græcorumque Philoſophorum Vitas, & Sectas conſiderabimus. In quarto denique Recentiorum omnium Philoſophorum Syſtemata, & novam philoſophandi rationem oſtendemus.

Digitized by Google

LIBER I.

De Ortu Philoſophiæ, & de Primis Sapientibus.

ANtequam Hiſtoricum hunc Philoſophiæ Tractatum aggrediamur, ſciendum vel in ipſo limine eſt, quid illud ſit, quod pertractandum ſuſcipimus; quot ejus partes; quis finis, & ſimilia. Quamobrem de his primum nobis agendum eſt.

CAPUT I.

De Philoſophiæ Definitione, & Diviſione.

PHiloſophia multifariam à Philoſophis definita eſt. Pythag. eam ab univerſali ſubjecto vocavit Γνῶσιν τῶν ὄντων, ᾗ ὄντα ἐςίν, *Cognitionem entium, quæ entia ſunt*. Et alibi: Γνῶσιν θείων τε, καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, καὶ τῶν ἐν τούτοις αἰτιῶν, *Cognitionem Divinarum, humanarumque rerum, & cauſſarum, quæ in ipſis ſunt*. Quam definitionem ſequitur etiam Cic. 2. de Offic. Aliàs etiam ab ultimo fine à Pythagora, quem Socrates, & Plato ſecutus eſt, definitur: Ὁμοίωσις τῷ Θεῷ, κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ, *Aſſimilatio Deo, quatenus homini poſſibile eſt*. Hinc Seneca Ep. 48. ait: *Hoc eſt, quod mihi Philoſophia promittit, ut parem Deo faciat*. Sed hic Philoſophiæ finis potius, quam definitio eſt.

Platoni definitur, quod ſit Ὄρεξις τῆς θείας σοφίας *Appetitus Divinæ Sapientiæ*. In Phæd. tamen ait pag. 378. Philoſophiam eſſe Μελέτην τοῦ θανάτου, *Meditationem mortis*: Ejus verba ſunt: *Quicunque Philoſophiam recte tractant, videntur latuiſſe cæteros homines, quod nihil aliud ſic commentarentur, quàm mori. Nonne maxime apparet, Philoſophum præter cæteros homines animum, quammaxime poteſt, à commercio corporis ſeparare?* Hanc verò definitionem ex Pythagora Platonem hauſiſſe præter Porphyrium in vita Pythagoræ Divus Hieron. quoque contra Rufin. teſtatur his verbis: *Primus Pithagoras dixit, Philoſophiam Meditationem eſſe mortis, quotidie de carcere corporis educere nitentem animæ libertatem*. Hoc quoque eleganter expreſſit Apulejus lib. de Philoſophia inquiens: *Philoſophum oportet nihil ſic agere, quàm ut ſemper ſtudeat animam à corporis conſortio ſeparare: & ideo exiſtimandum, Philoſophiam eſse corporis affectionem, conſuetudinemque moriendi*. Et Cic. l. 1. Tuſcul. Diſput. hoc idem confirmat his verbis: *Tota enim Philoſophorum vita commentatio mortis eſt*. Et paullò poſt: *Quare hoc commentemur, mihi crede, disjungamuſque nos à corporibus, hoc eſt, conſueſcamus mori*.

Per mortem autem non naturalem intellige, ſed voluntariam, ſeu, ut Pſellus ait: θάνατον δὲ τὴν νέκρωσιν τῶν παθῶν ἐκληπτέον, *mortem autem mortificationem affectuum accipiendam*. Perperam igitur Platonem intellexit Cleombrotus Ambraciota, qui lecto ipſius de Anima tractatu, ſe de alto muro præcipitem dedit; de quo Callimachus jucundè nimis luſit hoc Epigrammate, quod legitur apud Euripid.

Εἴπας Ἥλιε χαῖρε, Κλεόμβροτος Ἀμβρακιώτης
Ἥλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς Ἀΐδην.
Ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακόν, ἀλλὰ Πλάτωνος
Ἕν, τὸ περὶ ψυχῆς, γράμμ' ἀναλεξάμενος.

Di-

Dictum ubi, Phœbe valeto, Cleombrotus Ambraciota
Ad Ditem ex alto pariete deſilitt.
Non in morte malum cernens quid, ſed quia lecta
Una ipſi de Anima charta Platonis erat.

Clem. Alex. Pædag. l. 1. *Philoſophiam ipſam definiunt: Studium rectæ rationis*. Et Strom. 1. *Eſt Philoſophia quidem exercitatio; Sapientia autem Scientia divinarum, & humanarum rerum, ipſarumque cauſſarum*. Et paullò poſt Philoſophiam exponit per inquiſitionem veritatis, & naturæ eorum omnium, quæ ſunt. Et 2. Strom. ita: *Philoſophia eſt ejus, quod vere eſt, appetitio, & earum, quæ ad id tendunt, diſciplinarum*. S. Juſtinus adv. Judæos p. 3. Philoſophiam definit. *Philoſophia ejus, quod eſt, ſcientia, & veri cognitio eſt*. Ex quibus deducunt aliqui, Philoſophiam eſſe deſiderium, & appetitum ſapientiæ; ut Sophia ſit habitus mentis, Philoſophia voluntatis. Sed hæ voces promiſcue uſurpantur.

Nos verò cum Cic. Senec. Clem. aliiſque Philoſophiam definimus, eſſe *Cognitionem omnium rerum per cauſſas, quatenùs homo eas naturæ lumine conſequi poteſt*. Et quidem rectiùs; veri namque Philoſophi illud eſt, ut eorum omnium, quæ fiunt, vel facta ſunt, cauſſas, philoſophicamque rationem reddere ſatis ſit.

Philoſophiæ partes Homerus omnium primus duas agnovit, Phyſicam ſcil., ſeu eam, quæ Deum, & quæ à Deo fiunt, conſiderat; & Ethicam, ſeu illam, quæ tractat de iis, quæ ab hominibus non efficiuntur, ſed aguntur, hoc eſt, res homini contingentes. Idque vel ex hoc Homeri loco Iliad. 3. verſ. 127. veteres Critici arguunt, in quo Pallas, ſeu Sapientia Diomedi omnem caliginem, quæ mortales hebetat viſus, ita abſtergit, ut Deos, & homines noſcat, dicens:

Ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν,
Ὄφρ' εὖ γινώσκῃς ἠμὲν Θεὸν, ἠδὲ καὶ ἄνδρα.
Caliginem verò tibi ab oculis abſtuli, quæ prius inerat,
Ut bene dignoſcas tùm Deum, tùm etiam homines.

Et Marius Victorinus l. 1. Rhet. Cic. idem ſentire videtur, dum ait: *Plena Philoſophia eſt, quæ conſtat ex duabus, Phyſica, & Ethica. Phyſica eſt, quæ de divinis, Ethica, quæ de humanis agit, in quarum prima Metaphyſica, in ſecunda Politica etiam continetur.*

Apulejus Philoſophiam dividit in Intellectualem, Naturalem, Rationalem, & Moralem, ſive in Metaphyſicam, Phyſicam, Logicam, & Ethicam; in quibus omnibus Platonem excelluiſſe dicit; ſic enim lib. de Dogmate Platonis: *Naturalem ab Heracliticis, Intellectualem à Pythagoricis, Rationalem, atque Moralem ab ipſo Socratis fonte, &c.*

Macrob. l. 2. in Somnium Scip. ſic ait: *Cùm ſint totius Philoſophiæ tres partes, Moralis, Rationalis, & Naturalis*. Ubi videtur nomine Naturalis Phyſicam ſimul, & Metaphyſicam intellexiſſe; nam mox ſubdit: *Naturalis, quæ de Divinis corporibus diſputat*. Idem cum Seneca Stoici omnes ſentire videntur. Neque mirum, quod Macrobius Naturalem Philoſophiam de Divinis corporibus diſputare dixerit; nam non ſolùm Ariſtoteles 10. Met. 6. & alibi, Metaphyſicam Θεολογικὴν Ἐπιστήμην, *Theologicam Scientiam* appellavit; ſed Phyſicam quoque appellatam fuiſſe Theologiam teſtatur Divus Aug. 8. de Civ. Dei c. 1. Veteres enim putabant, Naturam nihil aliud eſſe, quàm Deum; qui alio etiam nomine Mundus, & Πᾶν appellatus eſt. Et Baſil. res naturales eleganter vocat Παιδευτήριον τῆς Θεογνωσίας, καὶ ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον, *Scholam cognitionis Dei, & animarum rationalium Cathedram*. Et Clem. Alex. in ſuo Protreptico:

Philoſophia autem, ut dicunt veteres, eſt diuturnum Sapientiæ conſilium, quod æternum ambit amorem.

Salomon tandem, qui à Divino Spiritu Sapientiam accepit, tres tantum Philoſophiæ partes agnovit, Moralem, Naturalem, & Contemplativam; quarum primam per proverbia, ſecundam per Eccleſiaſten, tertiam per Canticum Canticorum tractavit.

Sunt & hæ partes in plures adhuc diviſæ, ut in Phyſicam Speculativam, ſub qua Matheſis, & Medicina continentur; & in Practicam, quæ Agriculturam, Chirurgiam, &c. complectitur. Sed nos de his parum ſolliciti, utpotè de iis, quæ non ſunt hujus loci; communem Philoſophiæ diviſionem retinentes, illam in Phyſicam, quæ Naturalia, in Metaphyſicam, quæ Tranſnaturalia, vel Naturalia in abſtracto conſiderat, & Ethicam, quæ hominum mores componit, dividimus, ſub qua Politicam contentam conſideramus.

CAPUT II.

De Philoſophiæ Etymo, Origine, & Fine.

CUncti jam norunt, Philoſophiam ἀπὸ τȣ̃ φίλȣ, ϗ σοφία dictam eſſe: unde idem ſonat, ac Amor, Studium, & Appetitus Sapientiæ. Hinc Cic. 1. de Leg. ait: *Philoſophia dicta eſt ab amore, quo cuncti eam proſequuntur*. Ex Laërt. aliiſque habemus, primum Pythagoram Sapientiam Philoſophiam appellaſſe, quam nos deindè Sapientiæ Amorem diximus; ſeque, ut aliorum faſtum, arrogantiamque confunderet, qui Sophi, & Sophiſtæ, hoc eſt, Sapientes dici affectabant, Philoſophum, ſeu Sapientiæ ſtudioſum dixiſſe, cujus occaſionem hanc refert Cic. 5. Tuſcul. inquiens: *Pythagoram Phliuntem veniſſe ferunt, eumque cum Leonte Principe Phliaſiorum doctè, & copiosè diſſeruiſſe quædam; cujus ingenium, & eloquentiam cum admiratus eſſet Leon, quæſiviſſe ex eo, qua maxime arte confideret: at illum, artem ſe quidem ſcire nullam, ſed eſſe Philoſophum*; hoc eſt, Sapientiæ Amatorem, vel, ut Lactant. interpretatur, quæſitorem; quod Sapientis nomen ſoli Deo conveniret. Idem confirmat cit. Laërt. qui addit, Philoſophiam ante Pythagoram Σοφίαν, hoc eſt, Sapientiam dictam eſſe.

Hoc etiam confirmatur ex eo, quod Laërt. præ cæteris narrat de aureo illo Tripode, quod cum Oraculum juſſiſſet, Sapientum præcipuo tradendum, Thales oblatum ſibi remiſit ad alium, & ille rurſus ad alium, donec in ſe reverſus Thales conſecravit Didymæo Apollini, Sapientis nomen ſoli Deo tribuens.

Philoſophia, qua, ut Cic. 2. de Leg. inquit, nihil à Diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præſtabilius hominum vitæ datum eſt, omnium ſcientiarum antiquiſſimam, omnes teſtati ſunt. Ipſam tamen ex Admiratione ortam Plato, & Ariſtoteles dixerunt. Et primus quidem in Theæteto ait. Μάλα φιλοσόφȣ τȣ̃το τὸ πάθος τὸ θαυμάζειν. Οὐ γὰρ ἄλλη ἡ ἀρχὴ φιλοσοφίας, ἢ αὕτη. *Valde Philoſophi illa affectio eſt admirari. Non enim alia Origo eſt Philoſophiæ, quàm iſta.* Secundus vero 1 1. Metaphyſices 2. inquit. Διὰ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν, ϗ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφȣ̃ν. *Propter Admirationem homines & nunc, & olim philoſophari cœperunt*. Ex quibus appoſitè nimis Cic. 1 de Nat. Deor. inquit. *Magno argumento eſſe debet, cauſſam, ideſt principium Philoſophiæ eſſe Inſcientiam*. Galenus in Hiſt. Philoſ. ait. *Xenocrates ideò repertam Philoſophiam aſſerit,*

aſſerit, quia cum turbulenta ſit activa vita, ſe ad contemplationis ſtudium prudentes homines contulerunt.

Enim verò cùm Deus rerum omnium cauſſas jam ſciat, muta verò animantia nec ſciant, nec ſcire poſſint; homo medius inter Deum, & beſtias conſtitutus & neſcit, & ſcire cupit. Quod autem homo naturaliter ſcire appetat, clariſſime nobis oſtendit Cic. 2. de Fin. ubi ait: *Sic ad intelligendum natus eſt homo, quaſi mortalis Deus, &c.* Et Quintil. 1. Inſtit. Orat. 1. *Sicut aves ad volandum, equi ad curſum, ad ſævitiem feræ gignuntur; ità nobis propria eſt mentis agitatio, atque ſolertia, unde origo animi cœleſtis creditur.* Ariſtoteles 1. Rhet. c. de Jucundit. ait: *Diſcendo venitur ad eum ſtatum, qui animo noſtro eſt naturalis.* Hoc autem clarius ex Lactantio Firm. de Falſa Sapientia l. 3. c. 6. habetur, ubi: *Alii putaverunt ſciri poſſe omnia: hi ſapientes utique non fuerunt. Alii nihil: ne hi quidem ſapientes fuerunt; illi, quia plus homini dederunt, hi quia minus: utriſque in utramque partem modus defuit. Ubi ergo Sapientia eſt? Ut neque te omnia ſcire putes, quod Dei eſt; neque omnia neſcire, quod pecudis. Eſt enim aliquid medium, quod ſit hominis, ideſt ſcientia cum ignorantia conjuncta, & temperata. Scientia in nobis ex animo eſt, quæ oritur à Cœlo; ignoratio à corpore, quod eſt è terra. Unde nobis cum Deo, & animalibus eſt aliqua communitas.*

Ex Admiratione igitur, quæ nihil aliud eſt, quàm *Animi in rem propoſitam intuitio cum cupiditate cognoſcendi cauſſam*, homines in mirabilium naturæ effectuum cauſſis inveniendis animum defixerunt; & prima quidem in facilioribus, deinde verò paullatim ad difficiliora contenderunt. Quare multi præſentis vitæ felicitatem in cauſſarum cognitione ponentes, ſolos felices dixerunt, qui eò non admirantur, quòd rerum omnium cauſſas jam didicerint. Sic Horat.

Nil admirari prope res eſt una Numici,
Solaque, quæ poſſit facere, & ſervare beatum.

Et Virg.

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſſas.

Hinc Plutarchus l. περὶ τοῦ Α'κύειν de Auditu refert, Pythagoram finem Philoſophiæ Α'θαυμασίαν ſtatuiſſe. Sic enim de ipſo ibi loquitur Ε'κεῖνος μὲν γὰρ ἐκ Φιλοσοφίας ἔφησεν περιγεγονέναι τὸ μηδὲν θαυμάζειν. Ο' γὰρ φιλόσοφος λόγος, τὸ μὲν ἐξ ἀπορίας, καὶ ἀγνοίας θαῦμα ἐξαίρει, γνώσει, καὶ ἱστορίᾳ τῆς περὶ ἕκαστον αἰτίας; *Is enim id ſe lucri à Philoſophia retuliſſe dixit, ut nihil admiraretur. Nam Philoſophica ratio admirationem, atque ſtuporem ab hæſitatione, atque ignoratione profectum eximit, ſingularum rerum cognitione, atque enarratione per cauſſas ſuas exhibita.* Atque hæc Origo Philoſophiæ, ſive Originis cauſſa fuit.

Ut autem Athaumaſiam hanc facilius adſequamur, primo opus eſt non menſibus, ſed annis, iiſque compluribus. Quod enim à Præceptoribus traditur Philoſophiæ compendium, non integer Philoſophiæ curſus eſt, ſed potius Elementa, quibus ad Philoſophiæ ſtudia faciliùs quis poſſit accedere. Et jure quidem Chio Platonis auditor urgentibus ſuis, ne nimium vellet in Philoſophia addiſcenda occupari, reſpondit, minimum ſibi decennio opus eſſe, priuſquam abſolvat. Ariſtoteles Platonem 20. annos audivit: Theophraſtus, Eudemus, atque alii Peripatetici Ariſtotelem annis minimum 12. audivere: Zeno Stoicæ ſectæ conditor, & Epicurus annis 18. Philoſophiæ operam dedere: Amelius Plotinum audivit annis 24. ut Porphyrius ait in vita Plotini; adeò operoſum Philoſophiæ ſtudium eſt.

Secundò opus eſt, ut ad Philoſophiæ inſtitutionem bonus dux obtingat, qui ſcil. ſpinoſis, & inutilibus quæſtionibus auditorem non remoretur. Solemnis & hodiè, & olim tricis iſtis peccandi mos. Cujus notæ Philoſophos Lucianus in

Digitized by Google

in Hermotimo irridet, inquiens: Πάντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν, περὶ ὄνου σκιᾶς μάχονται οἱ φιλοσοφοῦντες, *omnes, ut dici ſolet, de umbra aſini contendunt Philoſophi*.

Tertiò, ut auditor Philoſophiæ Ariſtotelem, Platonem, alioſque Philoſophos intelligat, græcè ſciat opus eſt propter multa in iis non tam converſa, quàm perverſa: cum enim in latino ſermone ſæpè nulla ſit vox, quæ appoſitè græcam exprimat, ad græcum fontem recurrendum eſt. Quod & S. Thomas Aquinas monet in l. 1. de Cœlo lect. 11.

Quartò, quò optimis diſciplinis inſtructiores, & veritatis amore flagrantes magis erimus, eò citiùs, & facilius Philoſophiæ curſum peragemus. Hinc jure quidem optimo Lactantius l. 3. c. 25. ait: *Multis artibus opus eſt, ut ad Philoſophiam poſſit accedi*.

Non autem putetis velim, Philoſophiam nonniſi ab altioris mentis viris addiſci poſſe; nam omnibus vel infimæ notæ philoſophandum. Hinc optimè Clem. Alex. 4. Strom. *Eſt ergo philoſophandum omnibus, mulieribus æque, ac viris*. Et paullò poſt: *Philoſophatur ſervus, & mulier*. Quin etiam Epicurus ſcribens ad Menæceum, referente eodem Alexandrino ibidem, pulchre nimis ait, omne tempus, & ætatem ad philoſophandum eſſe accommodata. Ejus verba ſunt: *Nec ſi ſit aliquis juvenis differat philoſophari, neque ſi ſit ſenex defatigetur philoſophando; nam nec eſt aliquis immaturus, neque nimis provectæ, & exhauſtæ ætatis ad adipiſcendam animi ſanitatem. Qui autem dicit, non dum eſſe, vel præteriiſſe tempus philoſophandi, ſimilis eſt ei, qui dicit, ad beatitudinem vel non dum adeſſe tempus, vel præteriiſſe. Quare juniori philoſophandum eſt, & ſeni: huic quidem, ut ſeneſcens juveneſcat bonis per gratiam eorum, quæ facta fuerint; illi autem, ut ſit ſimul juvenis, & ſenex per futurorum metus vacuitatem*.

Philoſophiæ verò Finem Pythagoras, Socrates, Plato, Seneca, aliique dixerunt, eſſe Ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ, Aſſimilationem Deo; & alibi idem Plato, & Cic. Meditationem mortis, ſeu Segregationem à corpore, affectuumque mortificationem, ut ſupra dictum eſt; vel, ut idem Cic. 1. de Leg. *Ut homo per Philoſophiam cultum Deorum, & veram religionem ſuſciperet*. S. Juſtinus adv. Judæos p. 3. Philoſophiæ Finem Vitæ Beatitudinem poſuit, dum ait de ipſa loquens. *Beata autem vita hujus ſcientiæ, ac ſapientiæ eſt præmium*.

CAPUT III.

De Philoſophiæ Inventoribus, ſeu de Primis Sapientibus.

INgenuè quidem fateor, nihil apud Hiſtoricos controverſum magis eſſe, quàm Philoſophiæ Inventores. Quæque enim gens ſuos jactat, quibus inventionis gloriam tribuat, primoſque Sapientes appellet. Et Babylonii quidem, & Aſſyrii Chaldæos: Perſæ Magos, quorum primum Zoroaſtren fuiſſe memorant: Indi Gymnoſophiſtas: Celtæ, ſeu Galli Druidas: Phœnices Ochum: Thraces Zamolxin, & Orpheum: Libyci Atlantem: Ægyptii Vulcanum Nili filium, Philoſophiæ faciunt Inventores. Et

Hoc certant alii, ſed adhuc ſub judice lis eſt.

In hoc tamen omnes ferè Hiſtorici conveniunt, Philoſophiam à Barbaris initium ſumſiſſe, etſi inter ipſos non conſtet, quis eorum primus fuerit. Sed de his fuſiùs infra.

Laërtius verò non Barbaros, ſed Græcos Philoſophiæ Inventores facit, dum inquit: *Itaque Philoſophia non à Barbaris, ſed à Græcis initium ſumſit*,

cujus

cujus & ipſum nomen barbaram omnino abhorret appellationem. Et quidem Muſæum Athenienſem Eumolpi filium Deorum Generationem omnium primo tradidiſſe, ſphæram inveniſſe, atque ex uno fieri, & in unum reſolvi omnia dixiſſe, aſſerunt: Linum verò Thebanum Mundi Generationem primum ſcripſiſſe, ferunt; cui tale initium fecit:

Ἤν ποτέ τοι χρόνος οὗτος, ἐν ᾧ ἅμα πάντ' ἀπεφύκει.

Tempus erat, quo cuncta ſimul ſunt condita quondam.

Nemo quidem eſt, qui ignoret, Græcos omnium primos dictos eſſe Sapientes, inter quos præcipuè ſeptem illi fuere, Thales, Solon, Periander, Cleobulus, Chilon, Bias, & Pittacus; quibus plerique adnumerant Anacharſim Scytham, Myſonem Cheneum, Pherecydem Syrum, Epimenidem Cretenſem, & Piſiſtratum Tyrannum. De quibus ſic Cic. 5. Tuſcul. *Itaque & illos ſeptem, qui à Græcis Σοφοὶ, Sapientes à noſtris & habebantur, & nominabantur; & multis ante ſæculis Lycurgum, cujus temporibus Homerus quoque fuiſſe ante hanc Urbem Conditam, traditur; etiam heroicis ætatibus Ulyſſem, & Neſtorem accepimus, & fuiſſe, & habitos eſſe Sapientes.*

Nobis verò, *qui ex Fide vivimus*, id certo certius conſtat, Adam ſicut & primum Parentem, ita & primum Sapientem extitiſſe. Hinc Suidas ex quodam antiquo inquit: *Adam jure optimo primus Sophus, ſive Sapiens dici poteſt, &c.* Et paullò poſt: *Hic enim eſt, qui invenit ſingula, & omnibus canones, & regulas, fineſque, ultra quos non tranſirent, adaptavit. Hujus ſunt Artes, & Literæ, hujus Scientiæ Rationales, & non Rationales.* Ipſi enim Deus, Sapientiæ Fons, & Origo, in ipſa ſui creatione Sapientiam indidit, quam ipſe deinde filios ſuos docuit. Idque vel ex hoc manifeſtum eſſe poteſt, quod nomina rebus impoſuerit, quod, ut Plato ait, proprium Sapientis eſt. Idem quoque innuit Pythagoras, dum ait: *Μὴ μόνον λογιώτατον, ἀλλὰ καὶ πρεσβύτατον ἡγεῖσθαι τῶν σοφῶν τὸν θέμενον τὰ ὀνόματα τοῖς πράγμασι, Non ſolum diſertiſſimum, ſed antiquiſſimum ſapientum putari eum, qui poſuit nomina rebus*; Ex Clem. Alex. in Epitome τῶν Θεοδότου. Non enim caſu, & ad placitum, ut ajunt, ſed per ſe ſignificantia nomina rebus impoſuit: ſic enim tantum Sapientem decebat, qui Deum ipſum & Creatorem habuerat, & Præceptorem. Imo Bochardus, aliique clare demonſtrant, Hebraica animalium nomina (qua lingua Adamum locutum fuiſſe, omnes Sacræ Scripturæ Interpretes cum Auguſt. teſtantur) eorum naturam, & proprietates exprimere. Adam igitur primus Sapiens, deinde verò ejus filii, Hebræi ſcilicet illi Veteris Teſtamenti Patriarchæ, & Prophetæ, & Doctores ante omnes nationes veri Sapientes & habendi, & dicendi ſunt. Sed quis Philoſophiæ ab Adamo ortæ, per Adami filios uſque ad Abraham Progreſſus fuerit, videamus.

CAPUT IV.

De Philoſophiæ ab Adam uſque ad Abraham Progreſſu.

QUamvis Adam per peccatum Dei Gratiam, & Caritatem amiſiſſet; non tamen ſcientias, quas à Deo acceperat: peccatum enim ex ſui natura plus voluntati, quàm intellectui officit, ut patet in omnibus, qui per peccatum Gratiam quidem, & Caritatem, ſcientias verò, quas notas habent, non amittunt. Adam igitur poſt peccatum plura de ſiderum ſcientia, aliiſque rebus filios ſuos docuit; quæ ut facilius ad poſteros ſuos tranſirent, ejus Nepotes in duabus columnis, lapidea una, lateritia altera inſcripſerunt; quarum lapideam

ſuis

ſuis adhuc temporibus in Syria ſuperfuiſſe, Joſephus de Nepotibus Seth 1. Antiqu. 5. ſcribit, dicens: *Sideralem ſcientiam, ac Cœleſtium rerum cognitionem excogitaverunt. Ne autem inventa ſua ex hominum notitia dilaberentur, & prius perirent, quàm prænoſcerentur, ſcientes, Adamum univerſalem rerum interitum præceciniſſe, unum incendio, diluvio alterum, excitatis duabus columnis, utrique ſua inventa inſcripſerunt, &c.*

Inter hos Adami Nepotes primum ſibi vindicat locum Enoch, ab Adamo per lineam Seth ſeptimus, Noë verò proavus, qui libros compoſuit, in quibus, ut cit. Joſeph tradit, quicquid de Aſtronomia à majoribus acceperat, vel ipſe invenerat, ſcripſit, quæ præter Tertullianum Origenes quoque Homil. 28. in Num. memorat, dicens: *De quibus quidem nominibus (ſtellarum) plurima in libellis, qui appellantur Enoch, ſecreta, & arcana continentur; ſed libelli illi non videntur apud Hebræos in autoritate haberi*. Apoſtolus etiam Judas in Epiſt. Canonica verba quædam citat Prophetiæ Enoch de die Judicii univerſalis, quæ ſunt: *Prophetavit etiam & de his ſeptimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes*. De Enoch ita Sulp. Sever. Hiſt. Sacr. l. 1. *Jared Enoch genuit, qui ob juſtitiam translatus à Deo traditur*. Et Samaritanus: *Accepit eum Angelus ejus*. Onkelos: *Non occidit eum Dominus*; ideſt, non paſſus eſt mori. Jonathan: *Sublatus fuit, & adſcendit in Cœlum ex mandato coram Domino*. Arabs ad Hebræos. *Translatus eſt in Paradiſum*. Joſephus denique: Ἀνεχώρησε πρὸς τὸν Θεόν. De hujus libris quæſtio eſt inter autores. Auguſtinus de C. D. l. 15. c. 21. ait, ex duobus Enochi libris, olim circumlatis, unum apocryphum plane, & fabuloſum; alterum eum fuiſſe, quem Judas Apoſt. citat, & quem Judæi approbantes olim legebant. Hunc fabulæ Græcorum Ἄνακον, Annacum indigitarunt.

Fuere quoque nonnulli ex deſcendentibus ex Cain, qui Philoſophi nomen meruere; quorum multi quidem in paſcendis ovibus, & colendis agris, plures verò in Mechanicis artibus inveniendis operam navabant, quæ Practica Phyſices pars eſt. *Nam Cain*, ut Moſes in Gen. ait, *ædificavit Civitatem; Jabel fuit pater habitantium in tentoriis, atque paſtorum; Jubal fuit pater canentium in cithara, & organo; Tubalcain fuit malleator in cuncta opera æris, & ferri*.

Deinde anno Mundi 1656. perdito jam per Diluvium, quod annum unum & dies decem duravit, omni hominum, & animantium genere, Noë Dei juſſu ex Arca, quam ſpatio centum annorum extruxerat, una cum incluſis filiis, & animantibus exiens, Terram inhabitavit, quæ iterum per ipſum hominibus, & animalibus omnibus repleta eſt. Noë igitur novi orbis veluti pater extitit: quare oportebat, ut Deus eandem illi Sapientiam impertiretur, quam olim Adæ in prima Mundi Creatione tradiderat. Vixit Noë poſt Diluvium annos 350. ut Scientias, & Artes, quas ſecum in Arca ſervaverat, poſteros ſuos docere potuiſſet.

Hinc Noë à quamplurimis Paganorum habitus eſt pro Saturno, hoc eſt pro Deorum primo, & Sapientiſſimo, & à profanis, novi Mundi Geneſim ignorantibus, Cœlum, Janus, & Deorum Pater appellatus eſt. Hic eſt Poëtarum Deucalion, & Ogyges; & Perſarum *Adam Aſſani, ſecundus Adam*. Et Janus fortaſſe dictus eſt, quòd primus Vinum, quod Hebraice Jain dicitur, invenerit: Sunt tamen, qui aſſerunt, Noë non eſſe vini repertorem, quod jam ante diluvium vini uſus, & viticultura, quæ agriculturæ pars eſt, extiterit. Hic plantas terræ reſtituit ex ſeminibus, vel tenellis plantis, quas in Arca ſervaverat. Primus terram cum animalibus aravit. Mechanicas artes à Cain inventas, & Mathematicas diſciplinas ab Adamo, Seth, ejuſque ſucceſſoribus

exco-

excogitatas, filios ſuos docuit. Navigationis uſum, & inſtrumentum, præceptore Deo, hominibus monſtravit: unde ejus poſteri, duce Japhet Noë filio, facile deinde mari ſe commiſerunt, occidentaleſque inſulas repleverunt. Leges filiis ſuis tradidit, quibus naſcens Mundus multiplicari potuiſſet; præſertim verò legem Conjugii renovavit: legem dixit contra occiſores: carnium, & piſcium eſum antea intentatum conceſſit, excepit tamen animalium ſanguinem, & carnes ſuffocati, vel morticini, à quibus ſanguis effuſus non erat: quam deinde legem Moſes quoque confirmavit.

Tandem ex Arca exiens, in Aſſyria, Arabia, & tota Ægypto Gymnaſia celeberrima inſtituit, quibus & ipſe, & filii ejus Scientias, & Artes omnes poſteris ſuis propagarunt, ac per Mundum diſſeminarunt. Annos demum natus 940. miſſis ſortibus, filiis ſuis Orbem diſtribuit, cujus diviſioni ſupervixit annos decem, & mortuus eſt.

Noë ſucceſſerunt tres ejus filii Japhet, Sem, & Cham, quorum ultimus, quia Patrem ebrium, & denudatum ſimul cum Chanaan ejus filio irriſerat, &, ut Doctores Hebræi ſcribunt, referente Levi in Gen. c. 9. teſticulos Patri exſecuerat, à Patre maledictionibus oneratus una cum poſteris ſuis, & fratrum dominio ſubjectus, Babyloniam, & Ægyptum habitavit. Itaque Cham (cujus etiam profani ſub nomine Cameſis meminere) quia paterna benedictione deſtitutus, non parvam plagam poſteritati ſuæ attulit: nam ex ipſo deſcendentes Ægyptii nigri, & deformes, Mauri nigri, & ſimi nati ſunt. Certiſſimum enim eſt, originem nigredinis non à regione, ut hactenus creditum eſt, ob ſolis ardorem, ſed à ſtirpe, & ſanguine Chus, procedentis à Chanaan, oriri. Nota hîc ex Gen. c. 9. tantum conſtare, à Noë maledictione affectum fuiſſe Chanaan ejus Nepotem, non Cham ejus filium; unde ajunt, reliquos tres filios Cham, Chus, Meſraim, & Phuth, ejuſque poſteros ſervitutis pœnam non incurriſſe, ſed tantum Chananæos, qui ſoli ab Iſraëlitis vel penitus extincti, vel in alienas terras ejecti.

Japhet primus Noë filius, ab Heſiodo, aliiſque Poëtis Japetus appellatus, exemplo Arcæ à Patre conſtructæ, naves primus formavit, & audacter ſe mari commiſit, unde *Audax Japeti genus* dictum eſt. Hic Græciam, Mediterraneaſque Provincias à Patre obtinuit, quas ipſe cum filiis ſuis ſequentibus ſæculis Gymnaſiis illuſtravit, ex quibus Sapientia in Europam omnem, Septentrionemque derivavit. Hinc non immeritò Europæorum, & Septentrionalium Pater appellatur. Etſi autem filii Japhet initio pauciores fuerint reliquis gentibus; deindè tamen vi paternæ benedictionis, *Dilatet Dominus Japhet*, hoc eſt, ejus ſobolem, numero omnes ſuperarunt: unde ex Septentrione in Aſiam, Africam, & omnes Orbis partes effuſi ſunt, & ſic etiam filiis Sem, ſecundum quod Pater prædixerat, commiſti.

Sem cognomento, ut omnes fere Hebræi volunt, Melchiſedech, tertius Noë filius, dignitate autem primus, quia ex eo pii homines geniti ſunt, qui in Dei cognitione permanſerunt; ex fratribus verò ſuis ii ſunt procreati, qui ſe ad falſa numina converterunt. Sem, & Japhet pallium humeris imponentes, & retrorſum incedentes, Patris nuditatem, & virilia, quibus Cham, & Chanaan illudebant, operuerunt. Hinc Noë à vino evigilans, cum didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor, & quòd filii ſui Sem, & Japhet averſis faciebus incedentes, ne ejus verenda viderent, ipſum operuiſſent, benedixit utrique dicens: *Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſervus ejus: Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem, ſitque Chanaan ſervus ejus*. Filii Sem habitaverunt Aſiam.

Dum verò anno Diluvii 131. Mundi verò 1788. *erat terra*, ut Moſes Gen.

c.11. ait, *labii unius*, & *ſermonum eorundem*, Noë Nepotes Civitatem, & Turrim Babel ædificarunt, invicem dicentes: *Venite faciamus nobis Civitatem, & Turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum, & celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras*; ſive, ut Genebrardus interpretatur, quæ non poſſet poſthac ullo Diluvio perire. Deus verò cum vidiſſet hoc, dixit: *Confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque linguam proximi ſui*. Civitas igitur, & Turris ſimul nomen acceperunt à confuſione linguarum. Babel enim, quaſi Balbel, ideſt σύγχυσις, confuſio, redditur. Atque ita diviſit eos Dominus in univerſas terras, atque ceſſaverunt ædificare Turrim. Ex una igitur lingua Hebræa omnium matre, & Mundo coæva, 70. linguæ, ut Hebræis placet, factæ ſunt.

CAPUT V.

De Abraham, ejuſque Philoſophia, aliiſque uſque ad Moſen.

Abraham, à quo tertia Mundi ætas incipit, ex Thare, quem ſtatuarium fuiſſe tradunt Rabbini, per lineam Sem naſcitur in Ur Chaldæorum anno Mundi 1950. Ur autem Urbs, ſeu Regio juxta 70. dicitur ab ignis cultu. Chaldæi enim, Aſſyrii, & Perſæ ignem colebant, ut notat præ cæteris Seldenus de Dîs Syris; atque hinc Zoroaſtres, Zarates, Zaraduſt dictus eſt, ut notat Salmaſius. Nomen loco huic Ur manſit uſque ad Ammiani ævum, quem vide l.25. Sed Judæi Ur Chaldæorum pro Igne accipiunt, & de vivicomburio Haranis mira narrant, ut notat Hornius. Tarich Regum Perſæ tradit, Chaldæos Abrahamum in Ur, ſive Orſa comburere voluiſſe, quod Deum ſuum adoraret. Idem prolixius Rambam ex monumentis, & Annalibus Zabæorum in More Nebuchim 3. Ab Euſebio Ur Chaldæorum Camarina dicitur à Chaldæorum Philoſophorum nomine. Hic, qui Pater Credentium, & Fidei noſtræ Initium audit, quia ex ipſo oriunda erat benedicta Progenies multiplicanda tanquam arena maris, ob quam appellatus eſt Abraham, hoc eſt, Pater multorum populorum, ante enim dicebatur Abram, ut habemus Gen.17. hic, inquam, vixit tempore confuſionis linguarum; ipſe tamen cum tota ſua familia in lingua Heber permanſit. Huet. tamen Demonſtr. Evangel. t.2. p.244. & 245. Hebraicam linguam non ab Heber, ſed ab Abrahamo nomen accepiſſe putat, quem nonnullis hujus linguæ inventorem creditum refert; quia ſcilicet linguam hanc primus poſteris ſuis tradidit, cum aliam à majoribus accepiſſet: Abraham enim Chaldæus cum eſſet, Chaldæa lingua primum uſus, Hebraicam à Chananæis didicit, poſteriſque tradidit, ut notant Scaliger, Voſſius, Grotius, & Seldenus.

Joſeph 3. Antiqu. c.8. de Abrahami tempore, & virtutibus hæc Beroſi verba citat: *Poſt Diluvium verò decima ætate erat quidam juſtitiæ cultor, Vir Sapiens, & ſideralis ſcientiæ peritus*. Et Divus Ambroſius l.1. de Abraham c.1. & 2. ait, Sacram Scripturam in unius Abrahami perſona melius, quàm Plato Princeps Græcorum Sapientum, qualis optima Reſpublica eſſe debeat, non qualis unquam extiterit; & Xenophon in ficta Cyri vita, non qualis hic Princeps fuerit, ſed qualis ſapientiſſimus, & undique perfectus Princeps eſſe debeat, demonſtraverit; in uno, inquam, Abraham non fictum, ſed verum optimi, ſapientiſſimique Philoſophi exemplar oſtendere.

Et de

Digitized by Google

Et de ipſo quidem per divinum magiſterium edocto hæc ſubdit: *Magnus planè vir, & multarum virtutum clarus inſignibus, quem vatis ſuis Philoſophia non potuit æquare. Denique minus eſt, quod illa finxit, quàm quod ille geſſit, &c.* Cujus rei hanc ſubdit rationem: *Hoc autem, quod pro magno inter ſeptem Sapientum dicta celebratur*, Θεῷ ἕπου, *Deum ſequi, perfecit Abraham, factoque Sapientum dicta prævenit, & ſecutus Deum exivit de Terra ſua.* Et quidem nonne veri Philoſophi character eſt, quod Abraham primo Dei juſſu Bona, Parentes, & Patriam relinquens, Ægyptum petierit? Quod ſolus, & perpetuus Dei cultor una cum tota ſua familia ſemper extiterit, aras Deo erigens, & ſacra offerens in terra aliena? Quòd nihil bonorum poſſidens in ſola ſpe divinæ promiſſionis ſemper vixerit? Quòd eò obedientiæ devenerit, ut Filium ſuum Deo immolare non dubitaverit?

Sed, ne longum faciam, à ſummo moralium virtutum hujus ſapientiſſimi Juſtorum Patris, ipſiuſque Meſſiæ Progenitoris, ad Phyſicas, & Mathematicas ejus diſciplinas gradum facio. Et quidem *Aſtrologiam, & Chaldaicam*, ut Euſebius apud Eupolemum ait, *inveniſſe fertur*. Rudis enim ante Abraham Aſtrorum ſcientia apud Chaldæos, & Babylonios erat. Hanc tamen ſcientiam, quam ſoli Abrahamo acceptam Babylonii referre debent, quadringenta ſeptuaginta millia annorum à majoribus traditam poſſediſſe Babylonii jactant; quos ideo ſtultitiæ, vanitatis, aut imprudentiæ Cic. l. 1. & 2. de Divin. condemnat. Verum tamen eſt, ut ex Cic. ibidem educitur, Chaldæos primos Aſtrologiæ fuiſſe inventores, ut Ægyptii Geometriæ autores habiti ſunt, & Phœnices Arithmeticæ, cujus etiam lineas ab eodem Patriarcha in Palæſtinam profecto acceperant. Philon etiam lib. de Nobilit. affirmat, quòd *Primus Pater Judæorum Chaldæus erat natione, patre prognatus ſiderali ſcientiæ dedito, uno ex eis, qui circa Matheſim verſarentur.* Imo & primus Matheſeos apud Chaldæos præceptor quibuſdam habitus eſt. Quod Joſephus etiam confirmat, qui ex Beroſo oſtendit, Abrahamum Ægyptiis Numerorum, & Siderum ſcientiam tradidiſſe. Inſtituit enim Sacerdotes Heliopolitanos, referente Alexandro Polyhiſtore apud Euſeb. 9. πρπ. c. 4. & 10. 2. Et per hanc quidem ſcientiam perveniſſe Abrahamum ad inveſtigationem Dei, ſcribit Philo Judæus. Nam ex cœlis, atque elementis, & ex ſempiternis motibus, ex ordine invariabili, ex ſtata ratione annorum, ac temporum aſſecutus eſt profecto, eſſe ſapientiam aliquam, à qua iſta omnia tam certa, & conſtantia regerentur. Ergo illam ipſam quæſivit, & coluit, abjectis, ſpretiſque Deorum inſaniis, quos ipſe ſibi homo erat fabricatus, ut opus ſuum adoraret ipſe autor.

Illud præterea certo certius ex Joſephi teſtimonio 1. Antiquit. c. 8. conſtat, quòd Abraham à Palæſtina in Ægyptum veniens, Mathematicas diſciplinas Ægyptios docuerit; cujus verba ſunt: *Numerorum ſcientiam, Siderumque benignè illis communicavit. Nam ante Abrahami ad ſe adventum Ægyptii ignorabant has diſciplinas. A Chaldæis enim profectæ ad Ægyptios, inde ad Græcos devenerunt.* Hinc Ægyptii illum Diis adſcripſerunt, & grati animi teſtimonium præbentes, quòd omnium fere ſcientiarum ſemina ipſis attulerit, ſub Saturni nomine coluerunt. Alia porro memoratu digna, ſub Saturni nomine, ex Sanchoniathone Berytio, qui antiquiſſimus Phœniciarum rerum ſcriptor, Trojano tempore antiquior, & Moſe uno, alterove ſæculo recentior extitit, ex Sanchoniathone, inquam, refert Philo Byblius, qui ejus opus è lingua Phœnicum, vel, ut Genebr. mavult, Syriaca, Græcè reddidit. Talia ſunt: Quòd Cœlo Patri unigenam filium totum flammis abſumtum ſacrificaverit; quod ex eo deductum eſt, quòd Abraham filium ſuum unigenitum Iſaac ſuper accenſo igne Deo ſacrificare paraverit. Sic etiam Saturnum ſibi virilia circumcidiſſe,

B 2 & com-

Digitized by Google

& commilitones omnes, idem ut facerent, adegiſſe, fabulantur ex eo, quod Abraham ſe, & ſuæ familiæ mares, ut habetur Gen. 17. circumciderit; & his ſimilia. Videatur fuſius Divus Ambroſ. de Abraham. Abrahami quoque vitam deſcripſit Hecateus Abderita, qui erat in comitatu Alex. Magni, Philo Byblius, Artapanus, Eupolemus, Demetrius apud Euſebium, & Beroſus apud Joſephum.

Abrahamo non ſolum in hæreditate, ſed in Sapientia quoque, & Pietate ſucceſſit Iſaac ejus filius, in quo benedictionem acceperunt omnes gentes Terræ, ex quo omnes Prophetæ, & Viri juſti, & ipſe tandem Meſſias, cujus figura ipſe fuerat, geniti ſunt; & cujus familia continua Pietatis, & Sapientiæ Schola fuit. Iſaac ſucceſſit Jacob ejus filius, cui Deus ipſe Sapientiam, & arcana ſua per ſomnium communicavit.

Jacobi Sapientiam, & Pietatem veluti in hæreditatem obtinuit Joſeph ejus filius, qui ſpeciali Dei dono ex avium volatu, & voce, ex aſtrorum curſu, & adſpectu futura prædicere, & ſomnia interpretari jam noverat. Et quidem poſtquam biennium in carceribus innocens Joſephus exegerat, Pharao ex pincernæ ſui conſilio, cui Joſeph ex ſomnio futuram felicitatem prædixerat, è carceribus eum educi juſſit, ut ipſi ſomnium ſeptem vaccarum pinguium, totidemque grandium ſpicarum, & contra aliarum ſiccarum ſeptem, ac totidem exilium interpretaretur. Ita Joſeph ſolvitur, regique ſomnium interpretatus eſt, ſeptem annis proximis maximam frugum ubertatem futuram, conſequentibus ſeptem inopiam. Videns igitur Pharao divinum in Joſeph ſpiritum, ipſum Magnum Ægypti Ædilem, & Σιταρχὸν, hoc eſt, rei annonariæ Præfectum fecit, æquato ſecum Imperio, ſi ſolium, & primatum excipias. Tum Joſeph, abundantibus per totam Ægyptum frumentis, magnam copiam congeſſit, multiplicatiſque horreis, adverſus futuram famem conſuluit. Atque hinc colligunt Ruffinus, Julius Firmicus, Pierius, & Baronius, Joſephum ſub nomine Serapidis, & Oſiridis ab Ægyptiis cultum fuiſſe; idque tum ex nominibus, tum ex Hieroglyphicis, quibus Oſiridem deſignabant, deducunt: quibus ſubſcribunt Clem. Alex. Auguſtin. A Lapide, & Bonfrerius. Jam omnes norunt, fertilitatem, & ſterilitatem Ægypti ex Nilo pendere; ſed quæ fluminis altitudo ad fertilitatem requiratur, hic adnotandum. Plin. 5. 9. *Duodecim cubitis ſi Nilus exundet, famem ſentit Ægyptus; ſi tredecim, etiamnum eſurit. Quatuordecim cubiti hilaritatem afferunt: quindecim ſecuritatem: ſexdecim delicias: maximum incrementum ad hoc ævi fuit cubitorum octodecim*. Hinc Rex Pharao, ex cujus ſomniis, quæ Ægypto futura erant, prædixerat, eum ſpiritu Dei plenum, & omnium ſapientiſſimum dixit, ut habetur Gen. 1. 41. his verbis. *Num invenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit? Quia oſtendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, numquid ſapientiorem, & conſimilem tui invenire potero?* Quare eum Pharao conſtituit ſuper univerſam terram Ægypti, & Dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ, ut erudiret Principes ejus, ſicut ſemetipſum, & ſenes ejus prudentiam doceret. Inde tunc temporis Ægypti Regnum verè Philoſophicum à Joſeph, omnium eo tempore ſapientiſſimo, in ſapientia ſua gubernatum, & edoctum dici potuit. Ex Artapano quoque arguit Euſeb. in Præp. Evangel. quod Joſeph Ægyptum ingreſſus ſenes Pharaonis, hoc eſt, Ægyptios Sacerdotes artes, & ſcientias docuerit; atque hinc factum eſt, ut ejus familia in Ægypto permanens Hermiuthii, hoc eſt, Hermetis nomen obtinuerit, eo quod Joſepho, quem Mercurium quoque Τρισμέγιστον Termaximum appellabant, ſcientias, arteſque omnes Ægyptii acceptas referebant. Joſeph tandem, qui Ægyptum venerat, venundatus an. æt. 17. & regnare cœperat an. 30. mortuus eſt an. 110.

Job

Job quoque Princeps Idumæus de Terra Hus, de ſtirpe Eſau, quamvis in Populo Dei nec natus, nec edoctus, inter primos tamen Mundi Sapientes connumerari meretur; is enim fuit, qui non ſolum in Ethica, in qua omnium maxime & verbo, & exemplo excelluit; ſed & in Phyſicis quoque, & Theologicis ſumme eruditus Præceptor extitit. In ſuis enim libris, ſivè de Deo, ſivè de Angelis, & Anima, ſivè de Naturalibus rebus ſermonem inſtituit, mirum quàm doctè, & eruditè omnium naturas, cauſſas, & effectus inveſtigat. Hic omnium moralium virtutum, Patientiæ in primis non ſolum magiſter fuit, ſed etiam exemplar. Jobi hiſtoriam ita breviter, & eleganter deſcripſit Sulp. Sever. Hiſt. Sacr. l. 1. n. 23. *Hoc tractu temporum Job fuit, legem naturæ, & agnitionem Dei, & omnem juſtitiam complexus, prædives opibus: atque eò illuſtrior, quod his neque integris corruptus, neque amiſſis depravatus eſt. Nam cum per diabolum exutus bonis, filiis etiam eſſet orbatus, ad extremum diris ulceribus affectus, non potuit vinci, ut præ doloris impatientia aliqua in parte peccaret. Mercedem denique divini teſtimonii conſecutus, ſanitati redditus, omnia, quæ amiſerat, in duplum recepit.*

Et talis quidem virtutis fuit Job; ut Deus ipſe eum proprio ore laudaverit, cùm dixerit ad Satan: *Numquid conſideraſti ſervum meum Job, quòd non ſit ei ſimilis in Terra, homo ſimplex, ac rectus, & timens Deum, & recedens à malo?* Præterquam quod ejus eruditiſſimus liber (quicquid dicant, qui librum hunc Moſi tribuunt, ac Jobum hunc nunquam extitiſſe contendunt, ſed librum Jobo adſcriptum ſub ficta Jobi perſona à Moſe confectum volunt ad tolerantiam in Iſraëlitis excitandam, qua ſuæ peregrinationis labores in Arabiæ deſertis perferre potuiſſent. Hæc enim ſententia ab Eccleſia Catholica damnata jure eſt, ac Jobi liber Canonicis adnumeratus) ejus, inquam, liber Moralis, Naturalis, & Theologicæ ſcientiæ refertiſſimus eſt. Sic enim ipſe de Metallis, & Lapidibus c. 28. diſputat: *Habet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt, ubi conflatur. Ferrum de terra tollitur, &c. Locus Sapphiri lapides ejus.* Et mox de Sapientia diſputans ait, eam nec in Abyſſo, nec in mari, nec apud homines, nec apud Cœlorum aves inveniri, ſed in ſolo Deo ipſam eſſe, eamque ſolum ipſum intelligere. Unde Deum hominibus dixiſſe ſubdit: *Ecce Timor Domini ipſa eſt Sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Philoſophandi modus brevis, & elegans; ſicut Hebræorum, & antiquorum omnium fuiſſe, notat Clem. Alex. 1. Strom. his verbis: *Modus priſcis philoſophandi velut Hebraicus, & ænigmaticus; nam breviloquentiam amplectebantur, quæ admonitioni apta eſt, & eſt utiliſſima.*

Porro Daniel Huet. Demonſtr. Evang. Propoſ. 4. pag. 322. & ſequentibus putat, Jobi Principis Arabis caſus toleratos à Moſe adhuc juvene, inter Arabes degente apud Socerum ſuum Jethro, ad populares ſuos ſcriptos eſſe, ut eos ad tolerandas diuturnæ ſervitutis miſerias, & meliora à Deo petenda, & ſperanda, propoſito Jobi exemplo, inſtitueret. Jobum verò ipſum revera extitiſſe, eumque diro, ac tetro ulcere eroſum in acerbiſſimas calamitates incidiſſe, atque ad eum uxorem, & amicos conveniſſe, jam ſatis ex multorum teſtimoniis probat cit. Autor ibidem. Vera igitur Jobi hiſtoria eſt, ſed à Moſe poëtice digeſta ad ſolatium Iſraëlitarum, ex cit. Huet. ſententia.

Fuit Jobus Moſe vetuſtior: Salomonem ſexcentum circiter annos præceſſit. Natus eſt ſæculo ab O. C. 23. in Terra Hus, quam Ariſtæus inter Arabiam, & Idumæam collocat: ſecundum quam ſententiam & Arabs cum Huet. & Idumæus cum Thomaſino, aliiſque dici poterit. Multi ejus hiſtoriam non à Moſe, ſed ab ipſomet Jobo, vel ejus amicis, ut alii putant, ſcriptam, à Moſe ex Arabico, ut Hebræi volunt, vel è Syro, ut Origenes contendit, tantùm

con-

Digitized by Google

converſam exiſtimarunt. Philo, Jobum Jacobi tempore vixiſſe putat, & Dinam uxorem accepiſſe: Hieronymus, Moſis: Gregorius, Judicum: Alii, Davidis: alii denique ipſum ex ſapientibus Babylonis fuiſſe, autumant, teſte Rambam. Communis opinio eſt, vixiſſe tempore ſervitutis Iſraëlitarum in Ægypto. Denique mortuus eſt an. æt. 211. vel, ſecundum alios, 217. cujus opinionis differentia ex eo orta eſt, quod quidam volunt, Jobi calamitates annum unum, alii annos ſeptem duraſſe. An autem idem fuerit cum Jobab Rege Edom, de quo Gen. 36. v. 33. an alter, quæſtio eſt apud autores, atque ipſos etiam Catholicæ Eccleſiæ Patres. Vide, præter Sacra Biblia, Huet. Bellarm. alioſque. Extat etiam Hiſtoria Jobi Frid. Spanhemii. Tradunt Hebræi, Jobum eo tempore, quo Iſraëlitæ promiſſæ terræ exploratores venerant, mortuum in Chanaan eſſe; ejuſque, dum viveret, precibus Deum Chananæis peperciſſe. Domus, & Sepulcrum ejus fuit in Trachonitide. Hieronymus, Abulenſis, Voſſius.

CAPUT VI.

De Moſe, Salomone, eorumque Philoſophia.

MOſes filius Amram de Tribu Levi, cui ab eventu, ut ſcribit Joſephus, nomen impoſitum fuit, quod ſcilicet à filia Pharaonis è flumine ſit ſervatus; *Moy* enim aquam vocant Ægyptii: itaut Moyſes vocetur, qui ex aqua emerſus reſpiraverit, hoc ſibi nomine à filia Pharaonis aptiſſime impoſito, ut notat Philo in Vita Moſis, & Clem. Alex. 1. Strom. in quo fuſiùs oſtendit, quæ ejus vita, quæ facta, quæ Philoſophia, omnigenaque doctrina, à qua, tanquam ex fonte, omnis ad Græcos doctrina promanavit. Eandem Etymologiam nominis Moſis ſuis carminibus expreſſit Ezechielus in Judaic. Tragœd. Actu, qui inſcribitur Ἐξαγωγὴ, Eductio, ſic:

Ὄνομα δὲ Μωσῆν ὠνόμαζε τοῦ χάριν
Ὑγρᾶς ἀνεῖλε ποταμίας ἀπ' ᾐόνος.
Nomenque Moſes indidit, quod ſcilicet
Ripa repertum ſuſtulit me fluminis.

In Circumciſione autem Joachim, & poſt aſſumtionem Melchi, ſive Melchil nominatum Myſtæ volunt. Moſes Arithmeticam, & Geometriam, Rhythmeticam, & Harmonicam, Medicinam, & Muſicam, Philoſophiam, quæ ſymbolis traditur, & Hieroglyphicis, omnemque ſcientiam à Chaldæis, & Ægyptiis, ſicuti Regium Puerum decebat, edoctus eſt. Natus eſt an. 37. poſt obitum Levi, hoc eſt, anno Mundi conditi 2368. ut ſcribit R. Abraham filius Hija Hiſpanus. Septimus fuit à Patriarcha Abrahamo. Quod ſignificat Salmaticenſis in libro Johaſin per hæc verba: *Moſes doctor noſter (ſuper eum pax) fuit ſeptimus Sanctorum Patrum, itidem ut Sabbathum* Baſilius Magnus tradit, Moſen à cognitione Ægyptiarum diſciplinarum ita mentem exercuiſſe, ut perveneric ad contemplationem τοῦ ὄντος.

Hic κατ' ἐξοχὴν Vir Dei Deuteron. 33. appellatur. Ejus Vitam, Virtutes, & illuſtria facta, quia ex ſacris libris omnibus nota, opus non eſt, ut hîc repetam. Tantùm addam, quod ſcribit Eupolemus l. de Jud. Reg. *Moſen primum fuiſſe Sapientem, & Grammaticam primum tradidiſſe Judæis, & Phœnices accepiſſe à Judæis, Græcos autem à Phœnicibus.*

Moſes à Clem. loc. cit. & alibi, Propheta, Legiſlator, ordinandæ, inſtruendæque aciei gnarus, exercitus ducendi artem tenens, Politicus, & Philoſophus

ſophus dicitur. Et ipſum quidem ſapientiſſimum Philoſophum oſtendunt illi Veteris Teſtamenti libri, quos Moſis germanos, & genuinos eſſe, innumerorum pene ſcriptorum tùm ſacrorum, tùm profanorum teſtimoniis probat Daniel Huet. Demonſtr. Evang. Prop. 4. c. 1. & 2. præcipuè verò Sanchoniathonis, Homeri, Heſiodi, Thaletis, Solonis, Pythagoræ, Anaxagoræ, Socratis, Platonis, Ægyptiacarum Mercurii Columnarum, Taciti, Plinii, Apuleji, aliorumque; imo ex ſolis ejus libris Homerum, Heſiodum, Solonem, Pythagoram, omneſque Græcos, quicquid in eorum libris vel fabuloſæ hiſtoriæ, vel Philoſophicæ ſcientiæ, vel legalis diſciplinæ eſt, hauſiſſe oſtendit. Idem ſentire videtur Porphyrius, qui Moſen de Judæis veriſſima ſcripſiſſe agnoſcit. *At Moſaica quidem Philoſophia*, ſubdit Clem. Alex. 1. Strom. *quadripartitò dividitur, & in partem Hiſtoricam; & eam, quæ propriè vocatur Legitima, quæ quidem eſſet Moralis actionis propria; tertiam autem eam, quæ pertinet ad Sacrificia, quod quidem eſt naturæ contemplationis; & poſtremò quartam ſpeciem Theologicam, quæ eſt ſuprema contemplatio, quam, dicit Plato, eſſe revera magnorum Myſteriorum*. Et 2. Strom. *Clarum eſt ergo, omnes alias virtutes, quæ ſcriptæ ſunt apud Moſen, Græcis principium totius Moralis præbuiſſe: magni, inquam, animi virtutem, & temperantiam, & prudentiam, &c.*

Et à Mercurii quidem (ſecundi tamen, quem eundem cum Moſe eſſe infra dicemus) Columnis Philoſophiam ſuam hauſerunt Eudoxus Cnidius, Conuphidis Ægyptii diſcipulus, Plato, & Pythagoras; quorum ultimus, ut ſcribit Jamblicus in ejus vita, Sidone cum Mochi ſucceſſoribus congreſſus fuit: qui Mochus Laërtio, & Suidæ Ochus appellatur. Sed quia is, quem Jamblicus commemorat, de rerum natura diſſeruit; facilè nos indè deducimus, Jamblici Mochum, ſeù Laërtii Ochum eundem eſſe cum illo, quem Strabo Moſchum Sidonium appellat, quemque Phyſica tractaſſe ait, & Trojano excidio fuiſſe antiquiorem. Quare hic emendandus videtur Jamblicus, & loco *Mochi*, *Moſchi* legendum eſt. Meminit ejuſdem Sext. Emp. qui à Moſcho doctrinam ſuam Democritum ſumſiſſe ſtatuit, Poſidonio id teſtante.

Facilè autem probatu eſt, Moſen cum Moſcho eundem eſſe, tum ex nominis affinitate, tum quod uterque & Trojano bello antiquior, & Phyſica tractaſſe fertur, undè & Phyſiologi dicti ſunt. Sidonius autem credi potuit ab iis, qui patriam ſuam ignorabant; vel quod potiſſimum Sidone doctrina ſua propagata fuerit, vel propter Judææ viciniam: nonnunquam enim Judæos cum Phoenicibus confundi certum eſt.

Ariſtobulus Judæus apertè oſtendit, Peripateticam Philoſophiam ex Moſe manaſſe. Notandum tamen hic eſt primò, Columnas Mercurii, unde Plato, Pythagoras, omniumque fere nationum ſapientes edocti ſunt, non confundendas eſſe cum Columnis illis, quas filii Seth fecerunt, ut perperàm egiſſe videtur Euſebius. Secundò, Mercurium hunc (quem ſecundum vocat, & Moſen eſſe evincit Huetius) autorem Columnarum, non confundendum eſſe cum Primo Mercurio, ſeù Triſmegiſto illo, quem Joſephum, Jacobi filium, eſſe, ſupra oſtendimus.

Validiſſimis quoque veterum ſcriptorum teſtimoniis eruditiſſimus Huet. ibidem c. 3. & 4. probat, Moſen non ſolum eundem eſſe cum Moſcho, & Mercurio Secundo, ſive Theuth, & Taauto, quem Ægyptii utpote literarum, multarumque ſcientiarum inventorem inter Deos retulerunt; ſed eundem quoque cum Oſiri, ſive Baccho, Api, Mnevi, Serapide, Oro, Anubi, Vulcano, Typhone, omniumque fere nationum Diis. Et Oſiris quidem idem eſt apud Ægyptios, ac Sol, ſeu Apollo, quem Orph. in Hymnis Bacchium appellat, imo cum Baccho à pleriſque confunditur: & ſicuti Bacchus, ita & Moſes

Bi-

Bimater. Qui autem Ægyptiaca lingua dicitur Apis, Græca verò Μόσχος, Vitulus ſcilicet, Oſiris eſt, quem ſub Vituli forma Ægyptii adorabant, ex quo Bos in Oſiridis tumulo apparuit; quem Apim Tibullus l. 1. Bovem Memphitem vocat:

Te canit, atque ſuum pubes miratur Oſirim
Barbara, Memphitem plangere docta Bovem.

Voſſius verò 1. Idol. 29. de Apide Ægypti differens ait: *Facile adducor, ut credam, Apis nomen fuiſſe illud, quo Joſephus in ſacris nuncupatus. Nempe ut exprimat Hebræum Ab, Pater*. Jam verò quæ appellatio Joſepho accommodatior, quam *Ab*, ſive *Patris*? quippe qui nutricius totius fuerit Ægypti; quales κατὰ μεταφορὰν patres dicti: ut nutrix Plauto altera mater. Ipſe etiam Joſeph Gen. 45. v. 8. fratribus ſuis ait, ſe conſtitutum eſſe in *Patrem Pharaonis*. Imo fortaſſe eodem pertinet, quod Pharaonis juſſu acclamatum ſit ante eum *Abrech*, quod ſignificat *Pater Rex*, *&c.* Mnevis Bos erat alter Oſiridi ſacer, ſive ipſemet Oſiris, qui ſub forma bovis Heliopoli colebatur; unde Bos Heliopolitanus dictus eſt. Philo Byblius, & Macrobius Serapim eundem cum Oſiride, ſeu Api faciunt. Orus, quem multi Oſiridis filium faciunt, à Macrobio, & Euſebio idem cum Oſiride cenſetur. Anubis tandem Ægyptiaca lingua dicitur Canis, ſub cujus forma colebatur Mercurius, ut ait Servius in 8. Æn. vel filius ipſe Oſiridis, qui, ut ſcribit Diodorus, ex eo quod canem geſtabat, Ægyptii Canem venerantur, & Anubim Deum canino capite effingunt.

Neque verò hoc mirum videri debet; clarè enim Huet. ib. c. 10. oſtendit, Fabulares omnes Deos unum, eundemque eſſe, Moſen ſcilicet, ac Fabulares omnes Deas unam, eandemque eſſe, nempe Sephoram Moſis Uxorem; quarum Dearum pleræque Mariam Moſis Sororem referunt. Et quidem non immerito, nam univerſa propemodum, ut cit. Autor oſtendit, Ethnicorum Theologia ex Moſe, Moſiſque actis, vel ſcriptis manavit; veluti Theologia eſt Phœnicum, Græcorum, &c.

Non ſolum autem Fabulares omnes Dii Græcanici ex ipſa Moſis perſona larvata, & adſcititio habitu contecta provenerunt; ſed & magna Græcorum Mythologiæ, ſeu Fabularis Hiſtoriæ pars ex Moſis ſcriptionibus, verbis, doctrina, & inſtitutis provenit. Poſtquam enim à vero deflexerunt homines, & in multiplices errorum anfractus delapſi, fabulas fabulis congeſſerunt; plurimùm illis placuit, uni eidemque fictitiæ perſonæ plures adjungere ſignificationes, & alias quidem phyſicas, alias verò hiſtoricas. Undè variæ à Græcis Deorum, & Heroum perſonæ Moſi impoſitæ fuerunt; Moſaicamque doctrinam innumeris fabulis obduxerunt. Sic ex. gr. pro ædificatione Turris Babel, cujus culmen Cœlum pertingeret, fabulam de Gigantibus, bellum Jovi inferre volentibus, commenti ſunt. Moſes è Nili undis à Pharaonis filia eductus locum dedit Ægyptiorum fabulæ, quòd Mercurius Nili filius ſit; & ſimilia. Quod, quia à Joſepho, Juſtino, Clem. Alex. Euſeb. Huet. aliiſque ſatis ſuperque probatum eſt, non eſt, ut hîc repetam.

Moſen Heliopolitanum fuiſſe volunt Ægyptii. Hic plura ſcripſit ſtylo utplurimum hiſtorico, ſimplici, & humili, qualis ſcilicet rudem populum ſibi ſubditum decebat; præſertim verò Pentateuchum, ſivè volumen quinque librorum, quod Moſes Iſraëlitis ſcripſit in deſerto, ut per beneficiorum memoriam, & legum cognitionem, ſolitudinis, & peregrinationis incommoda facilius ſuſtinerent. Quæ ſententia eſt Theodoreti, Bedæ, Toſtati, & Euſebii. Verùm Geneſim in Ægypto ſcriptam ad conſolationem Hebræorum, dum ibi opprimebantur, Perer. affirmat. Præclara, & ex ſacris Codicibus jam nota Moſis miracula magicis artibus Ægyptii, & Græci tribuere. Hinc Moſen inter præ-

cipuos

cipuos Magos collocant Plin.l.30.c.1.Juſtin.36.Apul.Apol.& Strabo 16. Tandem annum agens 120. jubente Domino, mortuus eſt in Terra Moab; cujus cadaver integrum ſemper manſit, Iſraëlitis tamen incognitum ſemper, ne Moſen, ut Deum adorarent. Refert Trabellius Pollio, Moſen morientem queſtum eſſe, quod juvenis moreretur. Et de Moſe hæc breviter.

Moſi in ſanctitate, & ſapientia ſeptuaginta illi de ſenibus Iſraël ſucceſſerunt, quos Moſes ipſe juſſu Domini ſibi diſcipulos congregaverat, & quibus Deus dedit de Spiritu Moſis, ut habetur Num. 11. ut. ſuſtentarent ſecum onus populi, ne ſolus gravaretur. Horum præcipui fuere Joſue, & Samuel; quorum primus in Iſraëlitarum gubernatione ſuccedens librum confecit, ipſius nomine inſcriptum. Samuel quoque librum compoſuit, quem quorundam Græcorum rituum, & fabularum fontem omnes faciunt.

Cæteris tamen Hebræis ſapientibus prætermiſſis, ad Salomonem, omnium, qui præceſſerant, & qui futuri erant, ſapientiſſimum Davidis filium, accedamus. Poſtquam Rex Salomon ſolemne ſacrificium Deo obtulerat, ex 3. Reg. 3. apparuit ei Dominus per ſomnium nocte dicens: *Poſtula quodvis, ut dem tibi*. Cui reſpondens Salomon ait: *Dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut populum tuum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum, & malum*. Cui Dominus: *Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit*. Sapientiam igitur, quam diutiùs optaverat, ab ipſo Domino accepit Salomon; quod de ſe pluries ipſe teſtatur, ut Sap. c.7. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus; & invocavi, & venit in me ſpiritus Sapientiæ*. Et mox omnium rerum ſcientiam ſe à Deo accepiſſe aſſerit his verbis: *Dedit mihi Deus eorum, quæ ſunt, ſcientiam veram, ut ſciam diſpoſitionem Orbis terrarum, & virtutes Elementorum, &c. & quæcumque ſunt abſcondita, & improviſa: omnium enim artifex docuit me Sapientia*. Et ib. c.9. Sapientiam petit à Domino dicens: *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam*. Tandem ex 3. Reg. 4. & 5. *Præcedebat igitur Sapientia Salomonis Sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum; & erat Sapientior cunctis hominibus*. Sulp. Sever. Hiſt. Sacr. l.1. n.70. de Salomonis ſapientia hæc habet: *Ita in admirationem ingenii, prudentiæque ejus reges vicinarum gentium amicitiam ab eo, fœduſque petiere, parati imperata facere*.

Quæ hucuſque de Salomonis Sapientia verba attulimus, confirmantur ex ejus ſcriptis, in quibus univerſam Philoſophiam contineri volunt Hebræi: ex communi enim omnium S. Scripturæ Interpretum, etiam Rabbinorum, ſententia, Salomon Moralem per Proverbia, ut ſupra quoque dictum, Naturalem per Eccleſiaſten, & Contemplativam, ſive Theologicam per Cantica Canticorum tractavit. Atque hinc factum puto, ut plerique Græcorum, & Ægyptiorum Sapientum, qui Salomonis inventa ſibi vendicarunt, tres quoque Philoſophiæ partes agnoverint, quas per tres colligatos circulos, qui à majori Theologiæ circulo complecterentur, ſub Encyclopædiæ nomine exhibebant, ut docet Joh. Pier. Valerian. Hieroglyph. l.38. c.8. Logicam quoque in his libris à Salomone traditam fuiſſe Origenes demonſtravit.

Scripſit prætereà Salomon tria millia Parabolarum; Carminum quinque millia; Pſalmorum numerum auxit; Phyſiologiam, ſive Naturalium rerum ſcientiam tractavit, ſcribens *à cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quod prodit de pariete; & diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. Et veniebant ad eum de cunctis populis ad audiendam Sapientiam Salomonis*, ut ex cit. 3 Reg. 4. & 5. Ejus tamen libri plurimi interciderunt: nam tria millia Parabolarum, quinque millia Canticorum, Phyſiologiam, libros Legis, alioſque Sacros Salomonis libros, ut narrat Genebr. in ſua Chronograph.

combuſſit Nabuzardan Princeps militiæ Nabucdonozoris Regis Babyloniorum. Conſcripſit volumina de abſtruſiſſimis naturæ ſecretis. Quæ omnia Dei providentia interierunt. Abul. Gloſſa cenſet; combuſta fuiſſe à Chaldæis; Euſebius vero, & ex eo Glycas, ab Ezechia Rege. In monte Sion ipſe docuit, conſtituta ibi celeberrima Academia. Prov. 9. 1. Ab eoque doctrinam ſuam hauſerunt Pythagoras, Socrates, Plato, & Ariſtoteles, teſte Euſebio, Ambroſio, Clem. Alex. & aliis.

Qui poſt Salomonem fuere in populo Dei Sapientes, ut plurimum Sanctitate, vitæ aſperitate, continentia, & miraculis clari celebrantur. Tales fuere Elias, Eliſæus, Daniel cum tribus ſuis amicis Chaldæis, Zorobabel, Eſdras, & omnes denique Hebræorum Prophetæ, quos Græci deindè in vitæ moribus Philoſophi quidam imitati ſunt. Sed eorum vitam, dogmata, & facta, quia minoris momenti, & jam ex Sacris Bibliis cunctis obvia, prætermitto. Atque hæc de Philoſophiæ Natura, Fine, & Origine, & de primis Sapientibus breviter dixiſſe ſit ſatis.

Digitized by Google

LIBER II.

De Philoſophia Barbarica, ejuſque Sectis.

HActenus egimus de Philoſophiæ, ipſiuſque Sapientiæ Origine, & Progreſſu ſub primis illis Dei populi Sapientibus; obſervantes ut ab Adamo, primo omnium parente ſapientiſſimo, per Seth, & Enoch ad Noë; à Noë verò, ejuſque filiis ad Abraham; ab Abrahamo denique, ejuſque nepotibus Joſepho, Jobo, Moſe, & Salomone ad Chaldæos primum, & Hebræos omnes; ac tandem, poſtquam Abraham Dei juſſu Ægyptum petiit, ad Ægyptios pervenerit, quos ſcientias ferè omnes ipſe docuit. Videndum nunc eſt, qualis, quantuſque per varias Philoſophorum ſectas Philoſophiæ Progreſſus fuerit. Et primo quidem de Barbarorum ſectis agemus, quum id Græcorum etiam plerique, ut Laërtius, Sotion, Hermodorus Platonicus, aliique fateantur, Philoſophiam apud Barbaros primùm floruiſſe, deinde verò apud Græcos. Imò non ſolius Philoſophiæ, ſed etiam omnium ferè artium Barbari fuere inventores, ex Clem. Alex. I. Stromat.

Barbaros autem eos omnes voco, qui extra Græciam, & Italiam ortum habuere, ut Africani, & Aſiatici omnes, & ex Europæis Thraces, Galli, &c. Græcos verò, qui in aliqua ex vetuſtiſſimis Græciæ Provinciis nati ſunt. Omnis igitur Philoſophia dividetur in eam, quæ extra Græciam, & Italiam floruit, quam Barbaricam, & in eam, quæ in Græcia, quam Græcanicam appellabo. Inter Barbaros verò Hebræos primo loco placuit numerare, quorum originem omnium novimus vetuſtiſſimam. Et rationi quidem conſonum videtur, ut, poſtquam ſuperiori libro Hebræos primos Sapientiæ inventores, & excultores vidimus, in hoc ſecundo Hebræorum ſectas omnium primo enumeremus, quorum Philoſophiam Græca longè antiquiorem Caſſianus etiam Exegeticon primo, multis evincit; & Clem. Alex. I. Strom. generationibus multis etiam ait fuiſſe antiquiorem his verbis: Δι' ὧν δειχθήσεται ἀναμφηρίστως πάσης σοφίας ἀρχαιοτάτη ἡ καθ' Ἑβραίους Φιλοσοφία: *Quibus oſtenditur citra ullam controverſiam, Hebræorum Philoſophiam eſſe quavis Philoſophia longè antiquiorem*. Imo idem loc. cit. Platonem ipſum τὸν ἐξ Ἑβραίων Φιλόσοφον vocat.

CAPUT I.

De Hebræis, eorumque Sectis.

POpuli, qui ſub veri Dei cultu vivebant, vario ſæpè nomine appellabantur. Et quidem Hebræi ab Heber ſecundæ ætatis Patriarcha, & Sem pronepote, à quo originem ſuam ducebant, & cujus lingua utebantur, dicti ſunt: vel,

ut alii malunt, ſic dicti quaſi advenæ à verbo Hebræo *Havar*, *Tranſivit*, eo quod Abraham à Deo vocatus à terra Chaldæorum tranſivit flumen Euphratem, & venit in terram Chanaan. Unde Rabbinorum multi cum R. Seb. Gen. 10. putant, Abraham omnium primò Hebræum dictum, & ex eo deinde ejus poſteros Hebræos appellatos fuiſſe.

Iidem Iſraëlitæ etiam dicti ſunt à Jacob tertiæ ætatis Patriarcha, qui poſt Angelicam luctam Iſraël vocatus eſt, quod nomen *Prævalentem Deo* ſignificat. Hoc deinde nomine filii Jacob diſtincti ſunt à filiis Eſau, qui Idumæi, hoc eſt, Ruſi à patre, qui rufus erat, vocabantur.

Tandem Judæi nominati ſunt à Tribu Juda tres ob cauſſas. Et primo quia omnium maximè florens, & integra hæc erat, ita ut cæteris ſub captivitate Babylonica quaſi evaneſcentibus, hæc ſola, Duce Zorobabele, ex omni Hebræa gente redierit, ſolique ex Hebræa natione Judæi ſuperfuerint. Secundo quia Reges ex ea fuerunt. Tertio quia ex ea Meſſias naſci debebat. Sed his de Hebræis breviter adnotatis, eorum ſectas inquiramus.

SCRIBÆ, RABBINI.

UBi in Iſraël Prophetæ eſſe deſierunt, hoc eſt ſub poſteriori Templo, poſt exilium Babylonienſe, quum divina Numinis vis, afflatuſque eos non ageret, penes quos tantùm recta Legis, divinæque voluntatis ſententia ſervabatur, vivendique norma; Doctores eſſe cœperunt, qui ante Chriſtum natum nullis utebantur titulis ſpecioſis; nam dudum ante tempora Chriſti omnes Doctores, Prophetæ, Interpretes, Legis Expoſitores, & in genere omnes Literati dicebantur *Sopherim* à verbo *Sophar*, ſive *Saphar*, ut placet Lamy, *numerare*, *narrare*; quæ vox Græcis vertitur Γραμματικοὶ, Νομικοὶ, Νομοδιδάσκαλοι. Hinc & Latini eos à Græca voce Γραμματικοὶ, quæ ἀπὸ τοῦ γράφειν *Scribere* eſt, *Scribas* dixerunt, licet potiùs *Narratores*, & *Expoſitores Legis* vertendi eſſent. Atque hinc forſan factum putamus, ut Græci Hebraicæ voci alludentes, ſuæ gentis Sapientes Σοφοὺς dixerint.

Scribæ ergo dicebantur, qui Scripturas exponebant, & à corruptelis vindicabant: Legem populo in Templo, & Synagogis prælegebant, in qua omnes erudiebant: dubia, & obſcura quæque interpretabantur: Tribuum, Regiæque ſtirpis Genealogias aſſervabant; atque alia id genus ſacra munia exercebant; ut præter alios notat eruditiſs. Lamy in Appar. Bibl. pag. 192. Itaque, ut Prophetæ voluntatem Dei pronunciabant, ita Scribæ Legem ejus interpretabantur. Quorum utrumque munus omnium optimè obivit Moſes, qui voluntatem Dei, Prophetarum more, populo aperiebat, & Scribam agens Dei Legem ſæpius exponebat. Hinc utriuſque muneris primordia ab ipſo Moſe videntur deducenda.

Sunt inter autores, qui volunt, Scribas ortos eſſe circa captivitatem Babylonicam, circa tempus ſcilicet, quo Prophetiæ donum in Malachia exſpiravit, & Sacerdotes plus negociis, & regimini, quàm plebis inſtitutioni vacare videbantur: quæ miniſterii pars certo hominum generi, qui Sopherim, hoc eſt Scribæ, ſive potiùs Legis expoſitores dicebantur, reſervata eſt. Et Eſdras quidem, Zachariæ, Aggæo, & Malachiæ coætaneus, ſæpe vocatur Sophar, Scriba; & in 3. lib. apocrypho, qui Eſdræ nomine inſignitur, Ἀναγνώστης τοῦ Νόμου, Doctor Legis ordinariè vocatur. Hinc educit Lamy Appar. Bibl. l. 1. c. 9. Scribarum nomen antiquiſſimum eſſe.

Deinde verò circa Chriſti tempora Doctores, & Principes Legis doctrina excellentes, Rabban, & Rabbi dicti ſunt à radice *Rabbab*, *multiplicatus fuit*, ut

Digitized by Google

ut illi dicerentur Rabbi, qui multiplici doctrina præditi erant: niſi malis ſic dictos à voce *Rab*, quæ *Magnum* ſignificat; ſoli enim Rabbini ſupra omnes Judæorum ordines Magni æſtimabantur; itaut Regi ipſi eſſent præferendi. Qui autem Hebræorum lingua Rabbini, & Sopherim dicebantur, Latinis Scribæ dicti ſunt.

Hi ſingulis ſabbatis in Scholis, ſeu Synagogis docebant. Vide Joſeph. 2. adverſus Appionem, & Philon. l. 3. de Vita Moſis. Diſtinctis ipſi Cathedris ſedebant, primas ſemper affectantes; quod & exprobrat eis Dominus Jeſus Matth. 23. 6. dicens: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi*. Nam quia Scribarum ſecta erat Orthodoxa, una cum Phariſæis ſuper Cathedram Moſis ſediſſe dicuntur, ut qui eam vacuam invaſiſſent, dum Sacerdotes divitiis abutentes Eccleſiaſticis ſuum munus delererent. Sed neque ipſi, neque Phariſæi erant neceſſariò de genere Sacerdotum, quorum proprium ſuper Cathedram illam ſedere erat: Scribæ enim ferè de paupere Simeonis Tribu erant; Phariſæi verò, quibus hodie Rabbini ſucceſſerunt, de qualibet. Cozri, & Cab. Hiſtorica.

Summæ autoritatis erant, iique ab Ezra inſtituti. Scribarum munus erat, ut de Lege conſulti ex ſacris libris reſponderent, itaut divinarum Scripturarum eſſent interpretes, unde & Scribarum nomen ſortiti ſunt. Epiphanius l. 1. Panarii Phariſæos Theologis noſtris, Scribas Canoniſtis aſſimilat, quòd illi Scripturarum Myſteria penitiùs ſerutabantur, hi Leges Civiles, & Moſaicas ſecundum Legis corticem curabant; itaut non ſecus ac apud Romanos in rebus dubiis ex Sibyllarum voluminibus Aruſpices, apud Hebræos ex ſcriptis legibus Scribæ conſulerent; unde in Evangelio Legiſperiti etiam vocati ſunt.

Notat Lamy in Appar. Bibl. l. 1. c. 9. Doctores Judæorum occupari ſolitos circa hæc tria, nempe circa *Miſchna*, hoc eſt circa Traditiones; circa *Midras*, hoc eſt circa ſtudium Scripturarum, ut eas vel myſticè, vel allegoricè explicarent; & circa *Mitra*, hoc eſt circa textum Bibliorum. Qui verò legem ſcriptam profundiùs interpretabantur, *Agadici* dicebantur à verbo *Nagad*, *narrare*.

Præter hanc literariam Judæorum Doctorum occupationem, manibus quoque elaborationem ipſis tribuit Lamy ibid. ubi celebre illud Gamalielis effatum refert, quod eſt in lib. Pirke Avot. *Pulcrum eſt ſtudium Legis una cum opificio aliquo: hæc enim duo juncta peccati oblivionem inducunt; at ſtudium Legis abſque opere manuario & ceſſare ſolet, & eſſe cauſſa peccatorum*. Atque hinc factum, quod Divus Paulus, qui Gamaliele præceptore uſus paternam legem diligenter didicerat, Scenofactoriam artem exercebat.

Quoad Scribarum Scholas, refert Divus Hieronymus in c. 8. Eſaiæ, duas fuiſſe nobiles familias, ſeu Collegia, Scammai, & Hillel, ex quibus orti ſunt, vel potius incrementa ſumſerunt Scribæ, & Phariſæi, quorum ſcholam ſuſcepit Rabbi Akibas; poſt Akibam Meir, cui ſucceſſit Johanan filius Zacchei, cui Eliezer, cui Delphon, cui Joſeph Galilæus, cui tandem uſque ad captivitatem Jeruſalem, Joſue. Optat. l. 3. ait, in monte Sion ſeptem fuiſſe Collegia, ſeu Scholas Judæorum, in quibus divinæ literæ præcipuè legebantur. Sed etſi multæ Judæorum Scholæ, omnes tamen ex diſcipulis Hillelis, & Scammai ortæ traduntur. Prima Schola, cujus caput Hillel, non multo ante Chriſtum floruit. Huic ſe oppoſuit Scammai doctrinâ pariter celebris, contrarias plane Hilleli opiniones ſequens, qui & multos ſibi aſſeclas doctrinæ fama comparavit. Divus Hieron. l. cit. nomen *Hillel Diſſipator*, *Scammai* verò *Profanus* interpretatur, eo quod per Traditiones, & δευτερώσεις ſuas, Legis præcepta diſſipaverint, & profanaverint. Utriuſque tamen Scholas non multò prius, quàm

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus naſceretur, in Judæa ortas idem tradit, earumque opiniones apud Talmudicos perpetuò recenſeri. Petrus Cunæus de Rep. Hebr. l. 1. c. 12. *Is autem (Hillel) magni Concilii princeps erat, & alterum ſub ſe præſidem babuit Sameam, hominem truculentum, ambitioſumque, cujus ſectatores, cum paulò poſt contra diſcipulos Hillelis inſurrexiſſent, tantis ſtudiis animos hominum concivere, pene uti totus populus pertractus in partes ſit.* Et l. 2. c. 17. *Talmudicorum illud eſt, octodecim res eſſe, de quibus contentio fuit inter familiam Hillelis, & Samei, quas nec Elias quidem expedire poſſit. Profectò hoc eſt ad deſperationem deſipere. Adeo enim nodoſa, & intricata commenti ſunt duo illi diſſidentium Sectarum duces, ut nec vates quidem, aut cœleſte oraculum ferre opem potuiſſe autument.* Idem Cunæus l. c. aſſerens, omnes Sectas, & Hæreſes ortas poſt exilium Babylonenſe fuiſſe, addit: *Scio equidem, ante Babylonenſe exilium fuiſſe quoſdam, qui Naziræi, Kenæique, & Rechabitæ dicerentur: ſed ii certâ quadam vitæ diſciplinâ, non opinionibus, ſententiiſque, diverſi à reliquo populo erant.*

Johanan Ben Zacchai etſi inter diſcipulos Hillelis eruditione minimus fuiſſe dicatur; ipſum tamen univerſum Cabbalæ, ac Scripturarum corpus, cunctas etiam Philoſophiæ partes exactiſſimè tenuiſſe, ac Scholæ Scribarum, & Phariſæorum magna cum laude præfuiſſe, aſſeverat in Chronol. Genebr. p. 205.

Inter 80. Hillelis Doctoris inſignis diſcipulos clariores memorantur Jonathan filius Uziel, cujus paraphraſis Chaldaica in vet. Teſtam. magna ex parte exſtat; & Simeon Juſtus filius Hillelis, pater autem Gamalielis, & avus Simeonis junioris. Hic Simeon Juſtus Chriſtum ulnis excepit, & in ipſo ſpiritum Synagogæ magnæ (qui erat Prophetico minor, communi major) defeciſſe, autores ſunt Talmudici in Tract. Pirke Avot. Idem ſentit Rabbi Moſes Ægyptius, qui non tantùm Hillelis diſcipulum Simeonem hunc Juſtum fecit, ſed etiam filium, & Gamalielis patrem, & præceptorem. Genebr. p. 200. De Judæorum Doctorum Scholis vide Lamy pag. 194. Hieron. & Genebr. locis cit. atque alios.

Verùm, ut poſt Præceptorum doctrinam de Judæorum diſcipulis etiam verba faciamus: ſciendum, quod poſtquam quis eorum profectuum ſuorum ſpecimen aliquod dediſſet, & gradu aliquo dignus inventus eſſet, fiebat conſors, ſive ſocius alicujus Rabbi per manuum impoſitionem, ſicut & Moſes olim ſocium ſibi ſumpſit Joſuam, ſicut habemus Num. c. 27. v. 18. Quando verò Rabbi ſuo *Talmid* (ſic enim diſcipulus hebraicè dicitur) manus imponebat, hæc loquebatur: *Ego tibi impono manum, & manus tibi impoſita eſto.* Idem verò Talmid ubi aliis docendis aptus erat, Rabbi vocabatur, & in Cathedra ſedebat: nam uſque dum Talmid erat, in ſcamno, ſive depreſſiori ſubſellio ad pedes ſui Rabbi conſidebat.

RECHABITÆ.

POſtquam Joſaphat Rex Juda Iſraëlitarum Regi Achab fædere junctus eſt, congregati ſunt cum Rechab, & filio ejus Jonadab Judæi quidam Prophetæ contra Sacerdotes Baal; quæ Rechabitarum Secta ab inſtitutore Rechab dicta eſt, duravitque uſque ad tempus Jeremiæ, ad obſidionem ſcilicet Jeruſalem, quo ſe contulerunt poſt deſtructionem eorum ſolitudinis factam à Chaldæis.

Rechabitas natione facit Madianitas eruditiſſimus Witſius in diſſertat. de Rechabitis, quos ex diſtributione terræ Chanaan olim Chananæos vocatos ait; eoſque Moſi in deſerto ſe junxiſſe, & in Tribu Juda adnumeratos eſſe refert.

Hos

Digitized by Google

Hos Sanedrin aſſeſſores Rabbinorum plerique crediderunt : ſed eos refellit cl. Witſius, nec putat, hoc magnum Judæorum Conſilium in captivitate duraſſe.

Rechabitarum vitæ auſteritatem narrat, & celebrat Petrus Martyr, & Jeremias c. 35. qui eos juſſu Domini in domum Dei introducens, eis vinum ad bibendum tradidit, qui reſponderunt : *Non bibemus vinum, quia Jonadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis dicens : Non bibetis vinum vos, & filii veſtri uſque in ſempiternum; & domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineam non plantabitis, nec habebitis; ſed in tabernaculis habitabitis, cunctis diebus veſtris, ut vivatis diebus multis ſuper terram, in qua vos peregrinamini. Obedivimus ergo, &c.* Quam reſiſtentiam, & à vino abſtinentiam à Deo remuneratam refert Witſius. Petrus Martyr refert, eos in Mundi peregrinatione illas ſemper regiones quæſiviſſe, ubi pax, & abundantia vigebant, paſtoralemque vitam, quam à patribus ſuis acceperant, retinuiſſe.

Hujus Sectæ, præter alios, fuiſſe Daniel traditur, qui leguminibus, & aqua etiam in Chaldæorum Regis palatio veſcebatur. Unde placuit hic Dario, qui eum fecit unum ex tribus Principibus, quos ſuper 120. Satrapas Regni conſtituerat. Vide Joſeph. 2. de Bell. Jud. 7. alioſque. Dicti ſunt Scribæ, ſeu Doctores 1. Paralipom. 2. verſu ult. & in Chronicis paſſim.

ESSÆI, SIVE ESSENI.

CElebres quoque fuere inter populi Dei philoſophos Eſſæi, quos Plinius l. 5. c. 17. Eſſenos vocat, eorumque vitam ſic nobis deſcribit : *Gens ſola, & in toto Orbe præter cæteras mira, ſine ulla fœmina, omni venere abdicata, ſine pecunia, ſocia palmarum.* Et mox ſubdit : *Ita per ſeculorum millia, incredibile dictu, gens æterna eſt, in qua nemo naſcitur. Tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia eſt.* Porphyrius fuſius eorum mores, & inſtituta perſequitur occaſione Ἀποχῆς Abſtinentiæ eorum inſignis : ſed ex Joſepho omnia mutuatur. Vide etiam Euſeb. in Præpar. Evangel. & Phil. Jud. De his ita Petr. Cun. de Rep. Hebr. l. 2. c. 17. *Ex quibus dehinc Eſſæi tertium genus orti, religionum ſanctimoniam omnem paulò magis ſcrupulatim ad anxias quaſdam ſuperſtitiones exegerunt.*

Eſſæos Rechabitarum ſucceſſores quidam faciunt, eo quod eis in moribus, & doctrinis ſimiles erant. Eorum autem originem quidam ducendam cenſent ab iis, qui, ut Legem faciliùs adimplerent, ſub Juda Machabæo in deſertis locis ſe abdiderunt. Lamy verò in ſuo Appar. Bibl. putat, Eſſæos, ſive Eſſenos ſic dictos quaſi Haſſidæos, quæ vox idem Hebraicè ſonat, ac Pius, Sanctus. Et in Scriptura Haſſidæi quidem appellantur, qui Judæ Machabæo adhæſerunt. Notandum tamen hìc eſt, Eſſenorum ſectam à Joſepho inter hæreticas, & ſchiſmaticas ideo adnumerari, quòd cauſſantes, ſe ſanctioribus ceremoniis uti; in Templo Jeroſolymitano ſacrificare nollent; hinc à reliquis ſchiſmate erant diviſi, & ſuperſtitionibus quibuſdam tenebantur, etſi eorum ſectam orthodoxam multi crediderunt. Saducæis, Samaritis, & Bajethoſæis (quæ tres ſectæ in unam jam coaluerant) adverſabantur, quod hæ ſectæ cupiditatibus, & impietatibus vacabant. Fato multa tribuebant, & Aſtrologiæ operam dabant, ex Epiphanio. Σοφοὶ ſapientes à multis vocabantur.

Philo in lib. *Omnes probos eſſe liberos*, ſic præclarè Eſſæos deſcribit : *In Syria, & Palæſtina, quæ partes ſunt Judæorum haud modicæ, dicuntur quidam nomine Eſſæi numero ultra quatuor millia, à voce græca ὅσιοι, Sancti ſic appellati, quia ſumma religione Deo ſerviunt, non mactando victimas, ſed*

ſuaſme-

ſuaſmetipſorum mentes componendo ad ſanctimoniam. Hi vicatim habitant, urbes fugiunt propter familiaria civibus earum vitia. Alii Agriculturæ ſtudent, alii artes exercent, quæ pacis ſociæ ſunt. Neque aurum, neque argentum ſibi condunt, neque agros latos parant cupiditate redituum, ſed neceſſitate victus. Nemo bellicorum armorum apud eos eſt opifex, ſed neque in pace ullum mercaturæ genus attingunt. Servos non habent, ſed liberi omnes ſunt, mutua miniſteria ſibi exhibentes. Rationalem, & Naturalem Philoſophiam reſpuunt, Divinam amplectuntur. Morali maximè ſtudent, patriarum legum auxilio uſi, quas præcipuè ſeptima die docent. Imbuuntur autem Sanctitate, Juſtitia, cæteriſque virtutibus tres regulas adhibentes, Dei, Virtutis, Hominumque amorem. Deum illos diligere, illud eſt indicio, quòd perpetuam caſtitatem ſervent, jusjurandum, & mendacium non dicant, & quod bonorum omnium, nullius verò mali autorem eſſe Deum arbitrentur. Virtutis ſtudioſos eſſe ex eo perſpici poteſt, quòd pecuniam, & gloriam negligant, voluptates reſpuant. Hominum verò caritate flagrare indicat amor, & ſocietas inter eos. Una eſt enim omnibus domus, una veſtis, unum ærarium, unus ſumtus, communis victus, & vita. Quin etiam quæſtus in commune conferunt, ægrotantes communiter curant, & ſeniores loco parentum habent.

Sed Eſſæorum vitam, & inſtituta fuſius hìc ex Joſepho 18. Antiquit. 2. & 2. de Bello Jud. 7. tradere animus eſt: eorum namque ſecta probitate, fama, & religione Phariſæorum, & Saducæorum ſectas ſuperabat. Erant igitur Eſſæi ſummè continentes, divitias, luxum, & voluptates contemtui habentes, omnia in communi poſſidebant: juvenes, & pueros, qui ſe illis committebant, nonniſi poſt longas preces, & poſt annum probationis, ſuo cætui adnumerabant. Ubi verò ipſis adnumerati erant, omnia eorum bona communi cætui adſcribebant. Cùm verò juvenes poſt annum probationis in ſuos recipiebant, eos hæc ſolemniter vovere faciebant: Deum ſcilicet ſupremo cultu adorare: Principes, & Magiſtratus venerari: nulli nocere: Juſtitiam facere; & omnibus æquè prodeſſe. Si verò quis eorum eo quod malè viveret, ab eorum cætu abſcindebatur, vel ultrò diſcedebat, nonniſi poſt longam, & aſperrimam pœnitentiam, & preces, in integrùm reſtituebatur. Ab hominum commercio, & civitatum tumultu remoti, & ſimplici victu contenti vivebant. Diem inchoantem ſilentio, & precibus ſuſcipiebant. Deinde quiſque eorum proprio muneri exercendo, vel libris tùm ſacris, tùm profanis, hoc eſt qui de herbarum, lapidum, & metallorum natura, & viribus tractabant, evolvendis, vacabat. Omnes una congregati menſæ aſſidebant, quæ à precibus inchoabat, ſummo ſilentio perficiebatur, & gratiarum actione deſinebat. Horis quoque pomeridianis ad cœleſtes contemplationes, & librorum lectionem incumbebant. Eorum doctrinæ à doctrinis Phariſæorum in hoc ſolùm diſcrepabant, quòd Phariſæi multa fato tribuebant. Eſſæorum vita propter ſingularem animi tranquillitatem, & frugalitatem ultra centum annos erat. Eorum mores, & vivendi conſuetudo Prophetis, & Rechabitis in omnibus ſimiles erant; adeo ut à quibuſdam Eccleſiæ Patribus pro Chriſtianis habiti ſint, quos Philo Therapeutarum nomine nobis deſcripſit; & Joſeph l. 10. c. 13. Pythagoreis affines, & 2. de Bell. c. 12. Religioſis noſtris ſimiles fecit, eorumque ſectam Orthodoxam dixit. Quæ credebant, non ſolùm tormentorum tolerantia, ſed morte etiam confirmabant. Animam, quam immortalem credebant, è Cœlo in corpus per tractionem quamdam deſcendiſſe affirmabant; quæ deinde anima è corpore tanquam è carcere læta egrederetur, ut ad Paradiſum voluptatis, quem ultra Oceanum pro animabus juſtis locabant, reverteretur; contrà verò antra obſcura ad æternam impiorum pœnam agnoſcebant. Vid. Joſeph loc. cit.

PHA-

PHARISÆI.

ERat quoque Phariſæorum ſecta (qui ab Hebræo *Phares*, quod eſt *dividere*, dicti ſunt; erant namque moribus, dignitate, & habitu à reliquis diviſi) quæ etiam Orthodoxa Joſepho dicitur. Rigidi legum obſervatores erant: hominem liberum ponebant, & animam immortalem credebant, quæ poſt mortem in alia corpora tranſiret, ſi benè viveret, vel æterno ſupplicio ſepulta foret, ſi male ſe gereret. Omnia Deo, & Fato tribuebant. Phariſæorum ſecta propter excellentem doctrinam, & morum (apparentem tamen) probitatem populo venerationi habebatur. In medio populorum habitabant, omnes fere ambitioſi, & lucro ſummè dediti. Decimas vel minimarum etiam rerum perſolvebant, Matth. 23. 33. Ad ſeipſos, vaſa, & omnia mobilia lavanda, & purificanda nimis intenti, Marc. 7. 4. Admodum quoque ſuperſtitioſè ſabbata obſervabant, Johan. 9. 16. & Matth. 12. 2. Sæpius jejunabant; plures adhuc bis in hebdomada, die ſcilicet Lunæ, & Jovis, Luc. 18. 12. Phylacteria, & fimbrias ampliores, quàm vulgò, geſtabant, Matth. 23. 6.

Erant autem Phylacteria Scripturæ quædam, quibus aliqua legis dicta aſſervabantur, ἀπὸ τῦ φυλάσσειν, *cuſtodire*; quæ Phylacteria fronti, & lævo brachio alligata portabant ad ſignificandum, ſe quotidiè legem ante oculos, & præ manibus habere, juxta præceptum Deuteron. 6. 8. Fimbriæ verò erant flocci varii coloris, quos palliorum angulis alligabant, ut ſenſibile, & continuum legis monumentum ipſis eſſet, ex Num. 15. 38. Quæ externa legis inſignia Judæi etiam nunc Synagogam ingredientes portant. Vid. Buxtorf. Synag.

Eleemoſynam Phariſæi palàm dabant; & faciem ſuam flavo colore tingebant, ut viderentur frequenter jejunantes, Matth. 6. 2. & 5. 16. Magnam ab eo injuriam ſibi fieri putabant, qui impurus exiſtens ipſos tangere auſus eſſet: impuros autem ipſi habebant non ſolùm gentiles, & publicos peccantes, ſed omnes etiam ſibi odioſa exercentes. Tandem eorum ſanctitas non erat niſi ſuperbia, ambitio, & lucri cupiditas. Dulcibus ſuis diſcurſibus populum, & præcipuè feminas ſeducebant, ut ſe propriis divitiis privantes, eas ipſis darent ſub prætextu, quod ipſi populus Dei eſſent, & Legis Depoſitarii, Matth. 2. 14. Phariſæorum ſectam Act. c. 26. v. 5. accuratiſſimam Apoſtolus vocat, eo quod cæteris ſectis autoritate, & doctrina præſtaret.

Phariſæorum ordo natus eſt ſub Alexandro, & Demetrio Syriæ Regibus, an. ſcilicet Mundi 3944. Urbis cond. 585. Jonathan an. 18. ex Joſepho l. 13. Antiquit. c. 9. 18. & l. 18. c. 2. & 2. de Bell. c. 7. Ben Gorion Hiſt. Judaic. l. 4. c. 25. refert, illorum ſectas ſeptem fuiſse; & contra Saducæos docuiſſe, Traditiones religioſè ſervandas. Apud plebem, quæ ipſis maximè adhærebat, plurimum poterant; & à multis Σοφοὶ, Sapientes dicebantur.

SADUCÆI, BAJETHUSÆI, ET KARRÆI.

SAducæorum ſectam principem ſectam appellat Petrus Cunæus de Rep. Hebr. l. 2. c. 17. inquiens: *Diximus, principes ſectas tres fuiſſe, Phariſæorum, Saducæorum, Eſſæorumque*. De nomine Autorum Sadoc, & Bajethos ſic dicti ſunt. Hi namque Antigoni Sochæi boni præceptoris mali diſcipuli, Saducæorum, & Bajethuſæorum ſectas condiderunt: quas duas ſectas in unam deinde coaluiſſe, & ſuo etiam tempore Conſtantinopoli, alibique perſeveraſſe, refert Genebr. Chronol. l. 2. Sunt inter Judæos, qui ſcribunt, hunc Antigonum Sochæum claruiſſe an. Mundi 3460. ex Lamy Appar. Bibl. l. 1. c. 9. Hæ ſectæ negabant

omnem legem ore traditam, nec ulli rei fidem habebant, quæ quinque Moſaicis libris non contineretur: unde Karaim, Biblici, & Legiſtæ dicti ſunt. Hanc autem Saducæorum ſectæ opinionem ortam dicunt ex quodam Antigoni dicto aliter accepto, quàm ipſe intellexerat. Dicebat enim Antigonus: *Ne ſitis ſicut ſervi, qui Domino ſerviunt pro pretio, & mercede, ſed ſicut ſervi, qui ſerviunt gratis citra ſpem ullius mercedis; ſitque timor cœli ſuper vos*. Quam Antigoni ſententiam ſic perperam ejus diſcipuli interpretati ſunt, quaſi inde ſequeretur, à Deo nihil præmii eſſe expectandum.

Hæc deinde Saducæorum ſecta Samaritam ſub Alex. Magno à quodam Manaſſe excitatam ſibi addixit, multoſque ob naturalis ſenſus libertatem habuit ſectatores ad Romanam uſque captivitatem; quo tempore ita debilitata eſt, ut nonniſi 700. poſt annos efferre ſe cœperit, autore quodam Anan, & Saule ejus filio, qui eam in Judæorum populo, quantumvis exiliis afflicto, renovaſſe dicuntur, eò quod Anan Talmudici doctoratus inſignia, hoc eſt, eſſe Gaon non potuerit conſequi. Unde docuit in ſuis libris, fabulam eſſe quicquid Talmudici dicerent, vel quicquid per Traditiones, & ritus à ſanctis viris per ordinem deduxerint. Hæc eadem ſecta, quam Joh. Leo ſuis etiam temporibus in Africa extare dixit, magiſtratibus non obtemperandum docebat.

Alexandra, & Ariſtobulus favebant Saducæis, Hircanus Phariſæis: unde & civilia bella, & Romanum denique jugum, Pompejo ambas partes mulctante. Genebr. Chronol. l. 2. ex Joſippo, & aliis. Saducæorum quoque ſecta ex Joſepho lib. 13. Antiquitatum c. 9. 18. & lib. 18. c. 2. & lib. 2. de Bell. c. 7. orta dicitur ſub Demetrio, & Alexandro Syriæ Regibus an. Mundi 3944. Urbis cond. 585. Jonathan an. 18. Sed Lamy in Appar. Bibl. tempus, quo Saducæi cœperint, ignorari fatetur.

Saducæi interpretantur *Juſti*, non quod tales fuerint, ſed ſpecioſum hoc juſtitiæ nomen ſibi vendicabant. Hæc ſecta divitibus, & magnatibus ut plurimum componebatur, quibuſdam etiam Sacerdotibus, quibus ob ſenſus libertatem arridebat. Sacrum Codicem ſecundum literam tantum recipiebant Saducæi; unde nec Prædeſtinationem, nec Reſurrectionem, nec Animæ Immortalitatem, nec Angelos, nec Spiritum Sanctum credebant. Prophetas, Hagiographos, Maſoreth, & omne Perus, hoc eſt, Traditiones Patrum, & omnem Legis expoſitionem rejiciebant. Et id ferè in Judæa Saducæi erant, quod Samaritani in Samaria. Tanti denique inter Phariſæos, ſive Catholicos, & Saducæos tumultus in gubernatione exorti ſunt, ut Judæam tandem perdiderint. Voluptatibus dediti nonniſi ob temporalem bonorum retributionem Deo ſerviebant. Vide Fleury de Morib. Iſraël. c. 6. & Genebr. Chronol. l. 2. Sacrificabant in Templo, & inter Judices Synedrii ſedebant, ut ex Act. Apoſt.

Karræos, quia cum Saducæis in omnibus conveniebant, itaut eoſdem cum illis quidam fecerint, meritò hìc ponimus. Hi numero in oriente non pauci. Kartæi per contemtum vocabantur à Judæis Manſeim, hoc eſt, Spurii, & pro peſſimis hæreticis habebantur. Contrà verò hi odio habebant Judæos, eoſque appellabant Rabbanitas, quòd Rabbinorum traditionibus uterentur. De Karræis, quos Karraitas vocat, ita Petr. Cunæus de Rep. Hebr. l. 3. c. 8. *Eſt factio eorum quædam cordatior. Ii ſunt Karraitæ, qui ſpretis hominum placitis Talmudica præcepta pro nugamentis habent, & nihil admittunt, niſi Sacri Codicis contextum. Sed id hominum genus cæteris Judæis inviſiſſimum eſt. Itaque cum ſint oppido pauci, ſed ad unum omnes ditiſſimi, filias ſuas cum dote ſumma vix dare nuptum queunt.*

SAMA-

SAMARITANI.

INter ſectas Judæorum Schiſmaticas primo loco ponenda Samaritanorum ſecta eſt, quæ originem habuit à Jeroboam filio Nabath, qui prætextu jugi, quod Roboam Rex populo volebat imponere, decem ſibi Tribus allexit, & in Tribum Ephraim, ex qua erat, ſe recepit, ibique novum Regnum inſtituit, quod dictum eſt Iſraël, quia major pars Tribuum Jeroboam adhæſerat. Judæis verò in contemtum Ephraëmitæ à Tribu Ephraim appellati ſunt. Samaritani autem dicti ſunt à monte, & Urbe Samariæ; nam, ſtante primo Templo, quod erat nomen Urbis, deinde fuit nomen Regionis, cujus Metropolis erat Sichem, quæ & Neapolis dicta eſt.

Hi cum Gentilibus, hoc eſt cum Chutæis ſub Salmanaſar, decem Tribus captivas abducente, commixti ſunt, rituſque pariter Religionis permixtus. Sed Ethniciſmum dediſcere cœperunt Samaritani poſt extructum Templum in Monte Garizim; cujus conſtitutus fuit Pontifex Manaſſe filius Jaddi Judæorum Pontificis. Cæteris Scripturæ libris rejectis hi ſolum Pentateuchum retinuerunt, in Schiſmate permanentes, eo quod crederent, ſe non teneri ire Jeruſalem ad Deum adorandum, quòd Dei cultus priùs viguiſſet in Ephraim, quàm Jeruſalem; Arca enim Domini diu fuerat in Silo juxta Ephraim.

Notandum hîc eſt, odium illud, quod Samaritanos inter, & Judæos exarſerat, eò deveniſſe, ut Judæis non liceret cum Samaritanis edere, nec bibere. Unde notatur etiam in Johan. c.4. v.9. Samaritanam illam mulierem miratam nimis eſſe, quod Jeſus, qui Judæus erat, aquam ab ipſa peteret. Diſpar autem Religio, & vicinia tanti cauſſa odii fuerat. Samaritani etſi in quatuor ſectas contra legem Moſis diſciſſi; in hoc tamen cum Saducæis præcipuè conveniebant, quòd Prophetas minimè reciperent.

ZELOTÆ, SEU GAULONITÆ.

JOſephus Antiqu. l.18. c.1. aliam Judæorum ſectam recenſet, eorum ſcilicet, qui ſectati ſunt Judam Gaulonitem ex Urbe Gamala, quos doctiſs. Lamy in Appar. Bibl. l.1. c.9. eoſdem putat cum iis, qui in Hiſt. Judaica Zelotæ appellantur. Hujus autem Judæ doctrinam, & novæ ſectæ condendæ occaſionem talem Joſephus refert. Pulſo Archelao in exilium, Judæa redacta eſt in Provinciam, & à Romanis cenſa, ut vectigalibus ſubjaceret. Tum Judas Gaulonites ex Urbe Gamala ſollicitavit populos ad defectionem, cenſum nihil aliud eſſe dictitans, quàm manifeſtam ſervitutis profeſſionem. Multi præbuere aures ſermonibus ejus, & quaſi alteri, quàm Deo ſervire illicitum fuiſſet, jugum Romanorum excuſſere. Sic de ipſis Petrus Cunæus de Rep. Hebr. l.2. c.17. *Utique Gaulonitæ pervicaciſſimæ pietatis homines, ut Cæſarem de cervicibus ſuis depellerent, ſolum Deum tenere terrarum regna jactabant*. Et omnes quidem Judæi in genere putabant, indignam ſanè rem eſſe, ſe peregrino populo vectigalia pendere; Deus enim Deuteron. c.17. prohibuerat, ne Rex alienigena, ſed unus de fratribus eligeretur. Hinc Judæi pro exitialibus fere hominibus habebant Publicanos, quia ſcilicet publica vectigalia ipſis à Rom. Pop. impoſita erant.

Ita factum eſt, ut cùm omnes Judæi Romanos odio haberent, aliqui tamen zelo magis exarſerint, ut ſecta peculiaris eorum, qui Judam ſectabantur, inſti-

inſtituta ſit. Hi ſe juſtos dicebant, credentes, ſolum Deum Dominum habendum, ac principem, ſeque faciliùs exquiſitiſſima pœnarum genera cum cognatis, ac cariſſimis ſuis laturos jurabant, quàm mortalem aliquem appellaturos Dominum.

HERODIANI.

JUdæorum ſectis adjungit Epiphanius Herodianos, quorum etiam mentio ſit in Evangelio, ſic dictos, vel quia crederent, Herodem Aſcalonitam eſſe verum Meſſiam, ut vulgaris fert opinio; vel quòd Herodis domeſtici eſſent, ut aliis placet. Erant enim inter Judæos, qui Herodi, tanquam Regni uſurpatori, fortiter reſiſtebant: unde qui pro eo erant, & ipſi palam ſuffragabantur, Herodiani dicti ſunt.

NAZARÆI.

IDem Epiphanius reliquis Judæorum ſectis adnumerat Nazaræos. Sic autem à Judæis Chriſtianos appellatos novimus etiam ex Divo Hieronymo, qui citat Evangelium Nazaræorum Hebraico idiomate ſcriptum. Et quidem Chriſti ſectatores Antiochiæ primùm Chriſtiani appellari cœperunt; à Judæis verò in Judæa per deſpectum dicti ſunt Nazaræi, eo quod crederent, Dominum Jeſum in Nazareth oppidulo natum: hinc ſub hoc nomine ter de die Chriſtianis in Synagogis maledicebant.

HELLENISTÆ.

SIc dicti quaſi Græciſſantes, eo quod Græca Sacrorum Bibliorum verſione, non Hebræa in Synagogis uterentur. Hinc Hebræis, quia Schiſmatici, odio habiti, etſi nulla doctrinarum ἑτεροδοξία ab ipſis dividerentur. Odii etiam cauſſa erat, quòd Hebræi Græcorum ſtudia ita abominabantur, ut Rabbini illi maledicerent, qui porcos aleret, & Græcorum ſtudia filios ſuos edoceret.

Hujus autem ſectæ occaſio fuit, quòd poſtquam Hebræa lingua vernacula eſſe deſiit, Sacra Biblia græcè primùm reddita ſunt Alexandriæ: unde Helleniſtarum origo à Græcis Alexandrinis ducenda videtur. Notat doctiſs. Lamy Appar. Bibl. l. 1. c. 9. Græcos (quos inter, & Hebræos etiam Chriſtianam Religionem amplexatos diſſidia viguiſſe in Act. Apoſt. legimus) non Græcos idololatras reputandos, ſed Helleniſtas, cùm Græci idololatræ eo temporis nondum albo Chriſtianorum adſcripti fuiſſent, uti erant jam Helleniſtæ. Hi Pythagoram in doctrina ſectati ſunt.

ALEXANDRINI.

SChiſmatica quoque hæc ſecta Alexandrinorum erat, ut notat Philo; hi enim, contra expreſſum Dei præceptum, Templum, quod Onias in Ægypto extruxerat, adeuntes, ibi, & non in Jeruſalem, ſacrificabant. Schiſmate autem tantum à Judæis Hieroſolymitanis divulſi erant, doctrina in omnibus conſentientes, & Jeruſalem Judaicæ gentis caput agnoſcentes.

Sunt & aliæ ſectæ minoris notæ, ut EFNBI, qui dicunt ipſum eſſe Chriſtum, qui docuit eos omnem abſtinentiam. MORBONEI, qui ipſum etiam Chriſtum eſſe, qui docuit eos in omni re ſabbatizare. MERISTEI, qui Scripturis ex parte credunt. GENISTEI, qui de genere Abrahæ ſe eſſe gloriabantur.

Et tan-

Et tandem Hemerobaptistæ ſic dicti, eo quod quotidie veſtimenta, & corpora ſua lavarent.

Verbum hic addam de ſecta Ranatitarum, Judæorum ſcilicet ranas venerantium, quam memorat Philaſtrius in Biblioth. Patr. Sup. Verùm licet Judæi venerationem aliquam pro ranis omnes habuerint, quod Deus per ipſas Ægyptios afflixerit; nullibi tamen invenitur, fuiſſe apud Judæos gentem, quæ peculiari cultu ranas veneraretur. Plura de Hebræorum ſectis qui cupit, adeat Iſidor. 8. Orig. 4. Joſephum, Philonem, Fleury de Mor. Iſraël. Lamy App. Bibl. atque alios.

CAPUT II.

De Chaldæis, eorumque ſectis.

Chaldæi, qui, ut teſtis eſt Ariſtoteles in Magico, ſi Ariſtotelis hoc opus eſt, & Sotion de Succeſſione, referente Laërtio, Babylonios, & Aſſyrios Philoſophiam docuere, antiquiſſimum Doctorum genus ſunt, ut ait Cic. l. 1. de Divinat. Sed Chaldæorum nomen gentis, an artis fuerit, dubium eſt apud autores. Herodotus, Cicero, & alii, hoc gentis, non artis nomen eſſe, opinantur. Chaldæi enim, ut ait Diodorus, diſciplinas non more Græcorum propagabant, qui omnes auditores eas promiſcue docebant, ſed per generis, & familiæ traditionem eas in natione conſervabant. Imò & inter ipſos familiæ quædam peculiares erant ſtudiis addictæ, quæ propria ſibi ſede conceſſa, immunem publicorum onerum, & vectigalium vitam ducebant. Hinc Cic. l. cit. ait, quòd *non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nominati ſunt*.

Doctiſs. Stanlejus habet, Chaldææ regionis accolas dictos eſſe Chaſdim quaſi Chuſdim à Chuſo Chami filio. Et Heſychius Χαλδαίους interpretatur γένος Μάγων πάντα γινωσκόντων, genus Magorum, qui omnia noſcunt. Sed Dicæarchus, in Vita Græciæ, citatus à Stephano in voce Χαλδαῖοι, ait à Nino *decimum quartum Regem, qui appellabatur Chaldæus, Babylonem celeberrimam Urbem ad Euphratem fluvium ædificaſſe, omnibus in eundem locum collectis, qui Chaldæi dicuntur, & dici regionem Chaldæam*. Sic & eruditiſs. Joh. Cleric. à Rege ejuſdem nominis potiùs Chaldæam dictam putat. Ex Marcellin. etiam habemus, dictos fuiſſe Chaldæos non ab Arphachſad, ut Joſephus vult; nec à Chaſed filio Nachor, ſed ſectæ nomen fuiſſe, quæ poſtea in gentem excrevit.

Zoroastrem Chaldaicæ Philoſophiæ, omniumque artium inventorem fuiſſe, omnibus in confeſſo eſt. Sed etſi multi numerentur Zoroaſtres fuiſſe, de quibus fusè laudatus Stanlejus; nulli tamen dubium eſt, quin primus Zoroaſtres, Chaldæus ſcilicet, ſive Aſſyrius, artium, & ſcientiarum apud Chaldæos inventor extiterit. Quo autem tempore vixerit, magna inter autores diſſentio eſt.

Scripſit hic, ut refert Plin. l. 30. c. 1. vicies centena millia verſuum, quos Hermippus indicibus, & commentariis illuſtravit. Oracula, quæ forte antecedentium verſuum partem aliquam faciunt, & in quæ Syrianus duodecim libros interpretationum ſcripſit; ſummo labore ex pluribus collegit, & typis edidit Franciſcus Patricius aucta ad 320. verſus; quos, ex Patricio, in ſua Philoſophiæ Hiſt. græce, & lat. habet cit. Stanlejus, cum notis ad ipſos τοῦ πάνυ Johannis Clerici, de literaria Rep. viri optimè meriti. Zoroaſtri etiam tribuitur liber *de Magia, quem laudant Arabes. Autorem etiam ipſum quidam faciunt libri de Agricultura, & Mechanicis, Revelationum, de Somniis, eorumque interpretationibus*: ſed hæc alius Zoroaſtris recentioris, vel apocrypha cenſent eruditi.

Be-

Belus ſecundum inter Chaldæos Philoſophos locum ſibi vendicat, cui Aſtronomiæ inventionem quidam tribuunt. Huic Semiramis filia Templum præcelſæ altitudinis media Babylone erexit, ex quo Chaldæi aſtra contemplabantur. De Belo hiſtoriam lege apud Ælianum Var. Hiſt. l. 13. c. 3. Sed aliis minoris notæ Chaldææ gentis Philoſophis prætermiſſis, ad Beroſum veniamus.

Berosus, Græcis Βήρωσος circa Ptolemæi Philadelphi tempora vixit. Chaldæorum Philoſophiam, & Aſtronomiam tribus libris à ſe ſcriptam Græciæ intulit; hinc, ut autor eſt Plin. l. 7. c. 37. *Ob divinas prædictiones ei ab Athenienſibus publicè in Gymnaſio ſtatua, inaurata lingua, poſita eſt*. Horum librorum meminere præter alios Tertullianus, Athenæus, & Clem. Alexandr. Hujus operis præclara nobis fragmenta conſervavit Joſephus l. 1. contra Apion. & l. 5. Antiqu. Jud. Vitruvius l. 9. c. 6. 7. teſtatur, hunc Beroſum in inſula, & Civitate Coo conſediſſe, ibique aperuiſſe diſciplinam.

Beroſi filiæ meminit Juſtinus Martyr in Paræn. quam Babylonicam Sibyllam vocat, eamque Cumis vaticinatam cum cæteris Cumanis Sibyllis voluit. Atque hæc de Beroſo, & Chaldæis Philoſophis.

Chaldæorum Sectæ, vel à ſedibus, quas in ſua regione tenebant, vel à diſciplinis, quas profitebantur, nomen ſortitæ ſunt. Et à locis quidem alii Orcheni ab Orchoë Chaldææ; alii Borſippeni à Borſippe Babyloniæ; alii aliis nominibus inſigniti, & diſtincti erant à locis, ubi degebant: atque hi, ut in ſectis fieri ſolet, aliter atque aliter de rebus ſtatuebant. Qua de re præter alios vide Strabon. lib. 16. ex quo id præcipue habemus, quod quædam fuit Babyloniorum Philoſophorum ſecta, quæ ex naturalibus hominum iis eventura ſe prædicere profitebatur. Sed hæc à cæteris non probabatur.

Potiſſimum autem Chaldæorum Philoſophorum Sectæ nomen à diſciplinis, quibus ſe addixerant, ſortiebantur. Harum vero Sectarum præcipuas quatuor fuiſſe multi ex Daniele Propheta colligunt, qui accerſitos à Nabuchodonoſor omnes Doctos ad ſui ſomnii interpretationem in quatuor claſſes diſtinguit, Hhartumim ſcilicet, Aſchaphim, Mechaſchephim, & Chaſchdim.

Hhartumim, ſecundùm Abarbanelem, dicebantur Magi rerum naturalium periti; ſive, ſecundùm Jachiadem, Magi, qui Theoreticam ſcientiam colebant. Et quidem hi cognoſcendæ rerum naturæ operam dabant: quæ contemplatio Theologiam, & Phyſicam, ſeu cognitionem Dei, rerumque naturalium complectitur.

Aſchaphim à cit. Jachiade dicuntur Magi, qui ſcientiam activam colebant; & quamvis vulgo exponantur Aſtrologi, potiùs tamen convenire videntur cum Magis Perſarum, qui Sacerdotes, & rituum, quos magicos appellabant, erant Magiſtri.

Mechaſchephim dicebantur Revelatores rerum abſconditarum; unde Moſes Machmanides, Abarbanel, aliique putant, eos diabolicis artibus uſos, non ſecus ac ii nunc, quos Sortiarios vocamus.

Chaſchdim, quos Strabo Chaldæos Aſtronomicos vocat, quamvis omnibus Chaldæis eruditioni addictis peculiariter attributum nomen fuerit; inter eos tamen potiſſimum ſic vocabantur, qui Aſtrologiæ, qua præ cæteris nationibus excellebant, operam dabant. Ab his Pythagoram aſtrorum ſcientiam hauſiſſe teſtatur Porphyrius in Vit. Pythag. Et Gell. 14. 1. ait, primos Chaldæos in patentibus campis ſtellas obſervaſſe: quare Eudoxus, referente Petron. & eodem Gell. 17. 21. in excelſiſſimi montis cacumine conſenuiſſe creditur, ut aſtrorum, Cœlique motus obſervaret. Chaldæos etiam, & Babylonios magiſtros habuit Democritus, ut refert Ælian. Var. Hiſt. l. 4. c. 20. ſub quibus multum profecit; unde & librum ſcripſiſſe meminit Laërt. *De Sacris in Babylone lite-*

Digitized by Google

literis, *& Orationem de Chaldæis*. Imò & Ariſtoteles, magnus ille naturæ indagator, Calliſtheni conſobrino ſuo, & diſcipulo cum Alexandro in Aſiam eunti in mandatis dedit, ut earum rerum, quas Chaldæi in Cœleſtibus obſervaſſent, commentarios ad ſe mitteret; cui Calliſthenes bis mille circiter annorum obſervationes miſit, ùt eſt apud Simplic. in Ariſtotelem l.11. de Cœlo.

Ex modò dictis colligitur, omnem Chaldaicam doctrinam in quatuor partes fuiſſe diſtributam, in contemplationem ſcilicet Divinarum, humanarumque naturarum, hoc eſt, in Theologiam, & Phyſicam, quam partem utramque exercebant Hhartumim: in Ritus Religionis, quam ſecundam partem Aſchaphim tenebant: in Divinationem ope Aſtrologiæ, quæ tertia pars propria erat Chaſchdim: & in Divinationem ope aliarum artium, quam ultimam Mechaſchephim faciebant. Ex quibus duas poſteriores Diodor. Aſtrologorum nomine, duas vero priores ſub Phyſicorum, & Sacerdotum nomine complecti viſus eſt, dum ait, Chaldæos imitari Sacerdotes Ægyptios, adhuc autem Phyſicos, & Aſtrologos.

Et ut ad Chaldæorum doctrinam propiùs conſiderandam accedamus, ſciendum primò eſt, Zoroaſtrem omnem naturam diviſiſſe in Æternam, quæ principio, & fine caret; in eam, quæ principium habuit, ſed non habet finem; & in eam, quæ finem æque habet, & principium; ſive in Deum, Spiritus, & Corpora.

De Deo quàm optimè ſenſerint Chaldæi, teſtis eſt præter alios Euſeb. Præp. l.9. c.10. & ſequens Oraculum à Porphyrio laudatum:

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι
Αὐτογένεθλον ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν ἁγνῶς.

Chaldæis ſolis Sapientia ceſſit, Hebræiſque,
Æternum caſto venerati Numen honore.

Deum enim rerum omnium Principium unicum, cunctorum parentem, ac regem agnoſcebant, ac rebus omnibus præſidere dicebant. Et Zoroaſtres paſſim in oraculis ipſum vocat Πῦρ, Ignis, Φάος, Lux, Αὐγαὶ, Radii, & Φέγγος, Splendor.

Ex hoc Igne, ſive Lumine diffunduntur radii ad infinitum lucidum ſpatium, Ὑπερκόσμιον φῶς Supramundanum Lumen, ſedem ſcilicet Beatorum; & ex hoc illuminatur mundus corporeus, ſeu Cœlum Empyreum; ex quo æthereus illuſtratur; & ab hoc demum lumen ad ſublunarem mundum procedit.

Quoad ſecundam naturam, eam ſcilicet, quæ Æviterna à ſcholis vulgò dicitur, quia principium habet, ſed non finem, Chaldæi ſub hac ponebant Deorum genus, quod ſub Deo patre, & rege collocatum teſtatur Euſebius, Mentes hominum, & intelligibiles, & intellectuales omnes naturas, ſeu Νοητὰς, & Νοερὰς, Dæmones bonos, & malos; quorum primos Lucem, ſecundos Tenebras vocabant.

Non ſolùm autem Veri, Æterni, Summi, omnium Principii, & Finis, & in ſua eſſentia Unius Dei ſcientiam, & cultum Chaldæi habebant, ſed ejuſdem Triadis myſterium agnoviſſe, ne dum ex Pſello colligitur, qui ait: *Venerantur etiam fontanam Triadem fidei, veritatis, & amoris*; ſed ex ipſis Zoroaſtris Oraculis v.5. clarum fit, ubi ait:

Παντὶ γὰρ ἐν κόσμῳ λάμπει Τριάς, ἧς Μονὰς ἀρχή.

Toto enim in Mundo lucet Trinitas, cujus Unitas initium eſt.

Quam Trinitatis ſcientiam Chaldæi, ut & cæteras Divinas, humanaſque ſcientias, nonniſi ab Hebræis per Traditionem edocti ſunt.

Tertia natura eorum eſt, quæ principium, & finem habent. Sub hoc genere primò ponit mundos corporeos Zoroaſtres quos ſeptem numerat, Empyreum ſcili-

ſcilicet; tres Æthereos, ſphæram nempe Fixarum, & Sphæram Erraticarum, & Ætherem inter Empyreum, & Sphæram Fixarum; & denique tres Mundos materiales dictos, Aërem ſcilicet, Terram, & Aquam; ſic enim in Oraculo. *Terram in medio poſuit, Aquam vero in ſinu Terræ, & Aërem ſupra hæc.*

Dæmonum genera ſex ponebant, Igneum ſcilicet, quod per aërem, qui ſupra nos eſt, ſed infra Lunam, volitat; Aëreum, quod per aërem nos ambientem vagatur; Terreſtre; Aqueum; Subterraneum, & Lucifugum. Omnia tamen hæc Dæmonum genera Dei odio flagrare, atque hominibus adverſari docebant; eſſe tamen alia aliis pejora. Atque hæc breviter de doctrina Hhartumim.

Secunda Chaldaicæ doctrinæ pars in divinandi artibus ſita, præcipue in Aſtrologia verſabatur, cujus Chaldæi inventores, vel ſaltem inſtauratores habiti ſunt. Aſtrologiæ partes duas excolebant, Meteorologicen ſcilicet unam; quæ ſtellarum motus conſiderabat, Apoteleſmaticen alteram, quæ ad Divinationem proprie pertinebat: harum primam deinde Græci Aſtronomiam, ſecundam Aſtrologiam dixerunt.

Aſtronomia docebat, omnium vitas, & actiones pendere à ſtellis fixis, & erraticis, earumque multiplici curſu humanum genus gubernari; ex ipſis autem ſeptem ſtellas, ſeu planetas habere rationem cauſſarum agentium in unumquodque eorum, quæ in vita accidunt; partes verò Zodiaci adjuvare. Deos etiam, auctore Diodoro, duodecim ſtatuebant, quos Principes appellabant, eorumque ſingulis menſem unum, & Zodiaci ſignum unum tribuebant. Ex Planetis autem alios Beneficos, Jovem ſcilicet, & Venerem; alios maleficos, Martem ſcilicet, & Saturnum; communem autem Mercurium ſtatuebant, eoquod cum Beneficis ſit beneficus, cum Maleficis maleficus.

Planetarum vim non ſemper eandem, Zodiaci ſigna, & Stellas, earumque numerum, quomodo ſingulas humani corporis partes ſingulis Zodiaci ſignis per mutuam ſympathiam tribuerint; Planetarum domos, adſpectus; exaltationes ſtellarum, & depreſſiones; &, ut uno verbo rem abſolvam, quæ de Aſtrologiæ Theoria, & Praxi Chaldaica ſcripta ſunt, ſi quis ſcire cupiat, adeat Stanlejum, qui ex Sext. Empir. Pſello, Patricio, aliiſque cuncta deſcripſit.

Ne dum autem Aſtrologiam in Divinatione uſurpabant Chaldæi, ſed alias præter hanc divinandi artes invenere, ut ex Diodor. l. 1. Maimon. & Deuteron. 18. habemus. Et quidem per Auſpicia, per Somniorum interpretationem (quam Philo Judæus Abrahamo inventam refert, & ex Chaldæorum ad Nabuchodonoſorem reſponſo Daniel. 2. habemus maximo apud eos uſu fuiſſe) per Interpretationem Prodigiorum, per Extiſpicium, ut apparet ex Ezechiel. 21. & tandem per Necromantiam.

Chaldaicæ doctrinæ pars tertia, quam Aſchaphim exercebant, Magice dicitur; eamque à Zoroaſtre Chaldæo inventam ait Plin. l. 30. c. 1. Hujus duo ſunt genera, Naturale ſcilicet, & Theurgicum. Naturalis Magice omnium rerum naturalium tam cœleſtium, quàm ſublunarium virtutes, ſympathias, & effectus conſiderat. Per hanc Aſchaphim mirabilia in rerum natura tùm in hominibus ſingulis, tum in Provinciis integris ſe facere poſſe, dicebant; ut animalia omnia noxia à plantis, vineis, & civitatibus fugare; grandinem cohibere; plantarum folia perennare &c. Quæ omnia per plantas, metalla, animalia, verborum pronunciationem, humanos geſtus, fumum, & ſimilia fieri putabant, ſiderum ope ad id primariò concurrente. Quæ ſuperſtitioſa Naturalis Magice ad nos uſque pervenit. Unde Clem. Alex. in Protrept. ait: *Magi autem ſuæ impietatis gloriantur, jam ſe miniſtros habere Dæmonas, ut qui eos in ſuorum famulorum numerum adſcripſerint, & neceſſitate adactos ſervos fecerint ſuis carminibus &c.* Ima-

Digitized by Google

Imagines etiam quaſdam, ſive Figuras, & Signa, Græcis Στοιχεῖα dicta, ſive ad averruncandum, ſive ad prædicendum, ſub certis conſtellationibus confecta, uſurpabant, eaque inſtar Amuletorum erant.

Altera Naturalis Magiæ pars Theurgica, & ùt Græcis dicitur Teleſtica, ex qua, ùt Pſellus ait in Orac. mens perficitur, quantum poteſt, per potentiam materialium, quæ hìc ſunt. Hæc etiam dicitur Diſciplina rituum, & opus pietatis: Θεουργικὴ enim θεῦ ἔργον, Dei opus, hoc eſt opus ad Dei cultum ſpectans, ſonat. Atque ad hanc Magiæ partem peculiariter alluſiſſe videtur Plato in Alcibiad. 1. cùm ait, Magiam Zoroaſtris fuiſſe cultum Deorum.

Theurgicis his ritibus putabant Chaldæi, Dæmonas in hominum colloquium venire; & bonos quidem elici, malos autem averruncari. Hi autem ritus in Sacrificio potiſſimum conſiſtebant.

Tandem notandum eſt, Chaldæos Theurgico ritu coluiſſe quidem Deum Verum, quem omnium parentem, & regem, unum, bonum, rerum omnium Principium, & Finem &c. dicebant, ritu tamen, ex multorum ſententia, idololatrico; ipſi namque nomen, & imaginem Beli (qui idem eſt cum Bahal Phœnicum, qua voce Hebræi Dominum vocant) tribuebant. Hinc eſt, quod Deus Oſeæ 2.16. Hebræo populo dixit: *Non vocabis me amplius Bahali*. Huic Summo Numini magnificum, & mirabile templum dicatum à ſe obſervatum deſcribit Herodotus. Secundo loco Spiritus, quos Deos, Angelos, Dæmonas, & Animos appellabant. Animos enim partem divinæ naturæ dicebant, & immortales credebant; unde Pauſan. Meſſeniacor. 4. p. 277. ait: *Ego Chaldæos, & Indorum Magos primos ſcio dixiſſe, immortalem eſſe hominum mentem. Illis autem aſſenſerunt tum alii Græci, tum potiſſimum Plato Ariſtonis filius*. Tertio tandem loco Cœleſtia Corpora, & Elementa.

Pro Coronide addam, quod Græci Chaldæorum dogmatum plurima, præcipuè Ariſtoteles, & Plato, ſuſceperunt; & Plotinus, Porphyrius, Jamblicus, & Proclus ea ferè omnia ſunt ſecuti, atque ipſa tanquam divinas voces amplexati ſunt. Plura de Chaldæorum doctrina qui cupit, adeat Michaëlem Pſellum, qui præter Oracula Chaldaica, ſcripſit etiam brevem dogmatum Chaldaicorum declarationem; quæ omnia Græcè & Latinè edidit Franciſcus Patricius in nova edit. de Philoſophia &c. & Th. Stanleium, qui ex ipſis, aliiſque ſua mutuavit in Tract. de Philoſophia Chaldæorum.

CAPUT III.

De Perſarum Philoſophia, & Sectis; & de Sabæis.

Maximum Aſiæ Regnum Perſis ſuos etiam habuit Sapientes, quos Magos appellabant Perſæ æquè, ac Arabes, qui vicinis Chaldæis, ſicut & hi Hebræis omnem ſuam eruditionem acceptam ferebant. Perſarum Magi ſic nominati dicuntur Herodoto l. 1. c. 107. quaſi ſomniorum conjectores; quam vocem à Medis mutuatam refert, qui ante conditam Perſicam Monarchiam ſic etiam ſuos Ὀνειροπόλους vocabant. Alii putant, hoc nomen Meagîm Hebraicum eſſe, & Meditabundos ſignificare. Doctiſſ. tamen Joh. Cler. putat, Magos dictos potius fuiſse Mahgim, Murmuratores, quod ſacra facerent, murmurando preces neſcio quas. Notat cit. Cler. ex Ægid. Menagio in Præfat. Diog. Laërt. *Magos oportuiſſe ex matris cum filio concubitu progenitos eſſe, ſi Græcorum, & Latinorum quamplurimis ſcriptoribus credimus*. Scriptorum loca videſis apud cit. Ægid. Porphyrius quoque de Magis hæc habet: *Apud Perſas ſanè divinarum*

 rerum

verum Sapientes, *& Numinis magiſtri Magi appellantur*. *Id enim ſignificat Magus lingua Perſica*. *Tam auguſtum vero apud Perſas*, *& venerandum habetur hoc hominum genus*, *ut Darius &c.* Notandum hic ex Lucian. de Longævis, non ſolùm Perſas, ſed etiam Parthos, Medos, Sacas, aliaſque vicinas nationes ſuos Magos habuiſſe; unde Plinius Arabum Sapientes Magos appellat. cap.30. 1. Subtiliſſimus Joh. Clericus in Indice ad Hiſt. Pnilosoph. Orient. verbo *Magus*, notat, Stanlejum male confundere Magos, qui proprie Perſarum erant, cum Chaldæis; aitque, eos diſerte diſtinctos fuiſſe à Curtio l.5. c.1. ubi deſcribit eos, qui obviam proceſſere Alexandro in Perſidem eunti: *Magi deinde ſuo more patrium carmen canentes. Poſt hos Chaldæi &c.* Et diſtinctos etiam à Celſo l.1. ubi reprehendit Antagoniſtam, qui pro Magis Chaldæos dixerat. Putat igitur nunquam ſatis laudatus Clericus, Chaldæos primis ſaltem temporibus Aſtrologos tantum putatos fuiſſe, Magos vero Sacrorum Antiſtites, ſeu Rituum Præſides. Apul. Apologia 1. *Nam ſi, quod ego apud plurimos lego, Perſarum lingua Magus eſt*, *qui noſtra Sacerdos &c.* Suidas: Μάγοι, παρὰ Πέρσαις, οἱ φιλόσοφοι, καὶ φιλόθεοι; *Magi*, *apud Perſas*, *vocantur Philoſophi*, *& Philothei*. Heſych. Magum appellat τὸν θεοσεβῆ, καὶ θεολόγον, καὶ ἱερέα, *Dei cultorem*, *Theologum*, *& Sacerdotem*. Et Divus Hieron. in c.11. Danielis: *Magos Philoſophos fuiſſe Chaldæorum*, *& ad artis eorum ſcientiam Reges*, *& Principes ejuſdem gentis omnia facere*.

Zaradem, Zaraduiſſit, ſive Zoroaſtrem Perſicæ Philoſophiæ primum inſtitutorem omnes faciunt; quem Laërtius Perſam, Clem. Alex. Medum, Suidas Medo-Perſam voluit. Zoroaſtrem Perſica lingua ἀστροθύτην ſignificare, Laërt. in Proœm. notat. Clem. Alex. l.4. Recognitionum ait, Perſas genus ſuum ducere ab uno ex filiis Cham, qui Meſraim appellabatur, quem poſt obitum Zoroaſtrem, hoc eſt, vivum ſidus nominavere. Eum autem igne à Dæmone immiſſo crematum tradit: cineres lectos, & ad Perſas delatos, ut ab iis tanquam à cœlo in terram delapſus ignis perpetuis ſervaretur excubiis, & pro Deo coleretur. Notant tamen hic quidam, hoc Zoroaſtris nomen eximiæ eruditionis viris apud Barbaros commune fuiſſe. De tempore, quo vixit, nil certi ex autoribus. Hic, ex Juſtino, cui omnes ferè veteres conſentiunt, primus magicas artes inveniſſe, & Mundi principia, ſiderumque motus diligenter obſervaſſe, dicitur. Elmanicus tamen Arabs hiſtoricus contendit, Magicam Philoſophiam à Zoroaſtre non inſtitutam, ſed adauctam, vel reſtitutam. Scripſit hic, ex Suida, De Natura libros quatuor, de Gemmis unum, Aſtroſcopia Apoteleſmata quinque; &, ex Euſebio, Perſicorum ſacram collectionem, cujus fragmenta laudata ab eodem, & recenſita ſunt.

Hyſtaſpes ex Achæmenia Perſidis regione, teſte Herodoto, oriundus, Arſamenis, ſive Arſacis filius, qui tempore Cyri vixit, Magorum eruditionem multum adauxit. *Prudentiſſimus fuit*, verba ſunt Ammiani Marcellini l.23. c.6. *qui*, *cum ſuperioris Indiæ ſecreta fidentius penetraret*, *ad nemoroſam quandam venerat ſolitudinem*, *cujus tranquillis ſcientiis præcelſa Brachmanorum ingenia potiuntur*; *eorumque monitu rationes mundani motus*, *& ſiderum*, *puroſque ſacrorum ritus*, *quantum colligere potuit*, *eruditus*, *ex his quæ didicit*, *aliqua Magorum ſenſibus infudit*.

Oſthanes, qui Perſarum eruditionem in Græciam invexit, Magus quoque fuit inſignis, de quo ſic Plin. l.30. c.1. *Hic maximè Oſthanes ad rabiem*, *non aviditatem modo ſcientiæ ejus Græcorum populos egit*. Et Minucius Felix in Octavio ait: *Magorum eloquio*, *& negocio primum*, *verum Deum merita majeſtate proſecutum*, *& Angelos veri Dei aſſiſtere noviſſe*, *&c.* Perſarum etiam Philoſophus Ochus dicitur à Suida in Ὦχος; à Laërtio vero Phœnix memoratur in Præfat. Ma-

Magorum ſumma erat apud Perſas exiſtimatio, itaut Cic. de Divinat. l. 1. c. 41. neget, *Perſarum Regem quempiam potuiſſe eſſe, qui non ante Magorum diſciplinam, ſcientiamque percepiſſet*. Quomodo autem puer futurus Rex à Magis inſtitueretur, docet Plato in Alcibiad. 1. Dion Chryſoſtomus ait, *Magos in Regis conſilia admiſſos, eique in jure dicendo aſſeſſores fuiſſe, quippe qui naturæ rerum eſſent periti, & noſſent qua ratione Dii eſſent colendi*. Et Dion teſtatur, Cambyſem, expeditione Ægyptiaca ſuſcepta, Regni expeditionem Magis commiſiſſe. Clearchus Solenſis apud Laërt. Gymnoſophiſtis ipſos facit antiquiores. Magi Chaldæorum Aſtrologiæ, & quæ ex ipſa manabat, futurorum prædictioni non credebant.

Divus Hieron. l. 2. contr. Jovin. ait, quòd Eubulus *narrat apud Perſas tria genera Magorum, quorum primos, qui ſint doctiſſimi, & eloquentiſſimi, excepta farina, & olere, nihil amplius in cibo ſumere*. Dinon, & Auctor τῦ Μαγικῦ docent, Magos ſibi exteriorem cultum, & auri uſum interdixiſſe; habuiſſe veſtem candidam, lectum humum, eſcam olus, caſeum, & panem: arundine pro baculo uſos, qua ſumma præfixum caſeum ori applicantes comediſſe. Et Sozomenus Hiſt. Eccl. l. 2. c. 13. ait, Magos Societatis ſuæ Præfectum habuiſſe, quem Μέγαν Α'ρχιμάγον, Magnum Archimagum ipſe vocat. Et Clem. Alex. 3. Strom. *Certe Magis curæ eſt à vino, animatis, & rebus venereis abſtinere*. Strabo l. 15. eos σεμνῦ τινὸς βίυ ζηλωτὰς, *venerabilis cujuſdam vitæ Æmulatores* appellat. Hæc autem à venereis perpetua abſtinentia etiam mulieribus, quæ in Sacerdotium Solis, ut ait Juſtinus l. 10. ſive Dianæ, ut Plutarchus in Artaxerxe ſcribit, legebantur, imperabatur. Ob quam certe ſobrietatem, & caſtitatem, vitam in longos annos Magos produxiſſe, affirmat Lucianus in Macrobiis. Tantum in Perſide ortos Magi in ſua doctrina inſtituebant; alios vero nonniſi jubente Rege, ut notat Philoſtr. in Protagora; *Non ſolent Perſarum Magi inſtituere eos, qui Perſæ non ſunt, niſi Rex juſſerit*.

Quod ad Magorum occupationem, notat Laërt. in Proæm. primum cultum erga Deos habuiſſe, quibus ſacrificia, quaſi ſoli ab ipſis audirentur, offerebant. De juſtitia item verba faciebant, iniquumque arbitrabantur, atque impium igni ſepelire: juſtum matri, & filiæ commiſceri, ut in l. 23. docebat à Diogene laudatus Sotion. Moribus autem à reliquis hominibus, & præcipuè à Sacerdotibus Ægyptiis, (quibus antiquiores omnes faciunt, ſicut & Gymnoſophiſtis) diſcrepaiſſe, aſſerit Herodotus l. 1. c. 140. Hi namque nullius animantis occiſione ſe polluebant, exceptis iis, quæ Diis mactabant; Magi verò ſuis manibus, excepto homine, & cane, omne animal occidebant; imò inter ſe certabant, quis eorum plures formicas, ſerpentes, reptilia, & volucria plura occiderit. Notari hîc dignum eſt, quod habet Plutarch. l. de Invidia, & Odio; propria cujus verba hæc ſunt: *Perſarum Magi Mures occiderunt, quos & odio habebant, dicebantque eſſe Dei indignantis animal: ſimiliter omnes Arabes, & Æthiopes eos execrantur*. Et Cic. Tuſcul. Quæſt. l. 1. c. 45. Perſarum in ſepeliendo morem deſcribens ait: *Perſæ cera circumlitos condunt, ut quammaxime permaneant diuturna corpora. Magorum mos eſt non humare corpora ſuorum, niſi à feris ſint antea laniata*.

Magorum Doctrina circa hæc omnis erat: primò Theologiam, & Phyſicam conſiderabat: Secundò, Divinationem: Tertiò, Cultum Deorum, & Sacros ritus, potiſſimum vero Magicos. Et Suidas quidem ipſos Theologiæ, & Phyſices peritos vocat: Laërt. eos de Eſſentia, & Generatione Deorum verba feciſſe: & tandem Dion Chryſoſtom. eos naturarum peritos dixit.

Zoroaſtres Magus in ſacro Perſicorum rituum Commentario ſic de Deo locutus eſt: *Hic eſt primus incorruptibilis, æternus, ingenitus, ſine partibus,*

omnibus aliis diſſimillimus , *moderator omnis boni* , *donis non capiendus*, *bonorum optimus* , *prudentium prudentiſſimus* , *legum* , *æquitatis*, & *juſtitiæ parens* , *ipſe ſui doctor* , *phyſicus* , & *perfectus* & *ſapiens* , & *ſacri Phyſici unicus inventor* : Idem Zoroaſtres, quem ſecutus eſt Plato, omnia in tria genera diviſit, ut Pletho ex Plutarcho colligit , in Æterna ſcilicet , Æviæterna , & Corruptibilia,ſive in Deum, Spiritus, & Corpora. Duos autem Deos ex Zoroaſtre Magos cognoviſſe, notat idem Plutarchus; unum bonorum opificem, quem verè Deum Horomazen vocabant; alterum vero malorum autorem , quem Dæmonem, & Arimanium appellabant: & illum quidem luci, hunc autem tenebris, & ignorantiæ ſimilem dicebant; medium vero inter eos Mithram,quem veluti mediatorem credebant,cui votivas,& euchariſticas victimas immolabant, & Jovi quidem tauros integros, Mithræ vero , ſive Soli, equos .

Divinandi , prædicendique ars , quæ Magos omnibus claros fecit, notatur præ cæteris à Laërt. ubi ait , eos περὶ πρόῤῥησιν ἀσχολεῖσθαι , circa prædictionem occupari . Et Strabo l.16. ait , magno in pretio habitos eſſe *apud Indos Gymnoſophiſtas*, *apud Perſas Magos*, & *qui Necyomantici*, *Lecanomantici*,& *Hydromantici dicuntur* . Ælianus Var. Hiſt. l. 2. c. 17. *Perſicorum Magorum ſapientiam tum alia complexam eſſe*, *quæ ipſis ſcire fas eſſet*, *tum etiam vaticinandi ſcientiam*, teſtatur . Et Lucianus in Macrobiis Magos vocat Γένος Μαντικὸν καὶ Θεοῖς ἀνακείμενον , *Genus Fatidicum* , & *Diis conſecratum*. Eos autem ex notis corporis vaticinaſſe, notat Velleius Paterculus l.2. 17. & ex portentis etiam, ut de Xerſe narrat Valer. Max. l.1. c.6. Et Suidas: Μαγικὴν ταύτην εὑρεῖν Μῆδοι , καὶ Πέρσαι· διαφέρειν τῆς γοητείας, καὶ φαρμακείας αὐτῆς; *Magicam hanc artem invenere Medi*, & *Perſæ: differt autem à Goëtia* , & *Pharmacia ipſa:* Goëtia eſt ſpecies Magiæ, quæ fit per invocationem dæmonum maleficorum juxta ſepulcra factam: Pharmacia vero per aſſumtum medicamentum .

Tertia Magorum diſciplinæ pars , quæ circa ſacros magicos ritus verſabatur, unde à Platone Magia Θεῶν Θεραπεία, Deorum Cultus vocabatur , conſtat ex Herodoto l.1.c.131. & Strab. l.15. qui Magos , neque Templa , neque Aras, neque Statuas habuiſſe , teſtantur. Verùm cùm ex iiſdem variis in locis conſtet, hæc omnia Magos habuiſſe , dicendum , Perſas initio his omnibus caruiſſe; poſteriores verò Perſas hæc à Græcis , quibus commercio juncti erant, accepiſſe . Cujus ſententiæ videtur Clem. Alex. in Admonit. ad Gentes, ubi de Magis ait; *Hos ſub dio ſacra facere* , *ait Dinon* , *ſola Deorum ſimulacra ignem*, & *aquam putantes*. Et mox : *Non exiſtimant* , *ligna*, & *lapides Statuas eſſe Deorum*, *ut Græci* &c. *ſed ignem*, & *aquam* , *ut Philoſophi* ; *attamen per multos annorum circuitus* , *humanæ formæ ſimulacra ab iis coli oſtendit Beroſus in* 3. *Chaldaicorum* , *cum hoc introduxiſſet Artaxerſes Darii filius* , *Ochi nepos* , *qui primus Veneris Tanaidis ſimulacrum Babylone ſtatuit* . Thomas Hyde contrà negat , Perſas Igni divinum cultum tribuiſſe ; ut videre eſt in ſua Hiſt. Perſarum. Theodoretus vero Hiſt. Eccl. l.5. c.39. dicit , Magos à Perſis vocari τὰς τὰ στοιχεῖα θεοποιοῦντας , *Elementis divinitatem tribuentes* . Hic tamen Elementorum nomine Theodoretum Stellas intellexiſse, notat Valeſius ad cit. locum.

Subdit idem Herodotus , quod Perſæ ſacra facienti non licebat ſibi privatim precari bona, ſed communiter univerſis Perſis bene precari,imprimis autem Regi . Sacrificanti Magus adſtans (nullum enim Perſis ſine Mago legitimum erat ſacrificium; publica enim, privataque ſacra omnia Magi obibant; Hinc cit. Herodot. l.1. ἄνευ γὰρ δὴ τοῦ Μάγου οὔ σφι νόμος ἐστὶ θυσίας ποιέεσθαι ; *abſque Mago ſacrificia peragere apud eos nefas eſt*) Theogoniam , quam incantationem eſſe dicunt, accinebat . Hæc vox Θεογονία Carmen ſignificat , in quo Deorum Genealogia continebatur . Apud Chaldæos tale , vel ſimile fuit Carmen in uſu

Peracto

Peracto ſacrificio, ac carnibus adſtantibus diſtributis, omenti partem flammis ad liquandum dabant in Deorum honorem, carmen interea accinentes. Quem Perſicum in ſacrificando ritum confirmat Catullus Epigrammate de Magis:

Gnatus ut accepto veneretur carmine Divos,
Omentum in flammis pingue liqueſaciens.

Aliquando vero cæſas hoſtias totas igne abſumebant; quod ſacrificii genus *Holocauſtum*, hoc eſt, *totum igne abſumptum* Hebræis etiam in uſu fuit. Varios Perſarum ſacrificandi ritus vide apud Herodotum, Xenophontem, Suidam, Apulejum, & ex his Briſſonium de Regno Perſ. l. 2. In locis editis ſacrificia fiebant; quibus abſolutis, nullas Diis victimæ carnes relinquebant; dicebant enim, Deum nihil velle præter hoſtiæ animam. Plura de Sacrif. Perſ. vide apud cit. Herodotum, Briſſonium de Regn. Perſ. l. 2. & alibi; & Ammian. Marcell. l. 23.

Perſarum Deos hos faciunt Herodotus, & Strabo, Jovem ſcilicet, per quem, iiſdem teſtibus, omnem Cœli circuitum intelligebant; quem etiam Jovem ſub nomine Beli, ut à Chaldæis acceperant, coluerunt; Solem, Lunam, Venerem, Ignem, Terram, Ventos, & Aquam: Laërt. vero Ignem, Terram, & Aquam tantum refert eos habuiſſe. Soli, teſtibus iiſdem Herodot. & Strab. ſacra faciebant, quem etiam Mithram ab ipſis Perſis dictum fatetur idem Strabo, & Deorum maximum, ut ait etiam Cyrus apud Xenophontem, ubi per eum jurat; & Heſychius addit, ſanctiſſimum apud Perſas Reges fuiſſe jusjurandum *per Solem*. Quod confirmat Claudianus l. 1. de Laud. Stilicon. ubi & vinum in ſacrificiis Diis oblatum à Regibus Perſarum, eorumque per Mithrem jusjurandum memorat his verſibus:

- - - - - - - Rex ipſe micantem
Inclinat dextra Pateram, ſecretaque belli,
Et vaga teſtatur volventem ſidera Mithrem.

Quam Pateram patria lingua Condy vocatam ſcribit Athenæus l. 11. Quæ autem, & qualia fuerint reliquorum Deorum Sacrificia, vide apud cit. auctores, Suidam, aliosque. Perſæ ſuos etiam Reges ut Deos habebant, & venerabantur, Xenoph. Strab. 10. atque alii. Mos autem adorandi talis erat: Genu flexo, proni procumbentes in terram, fronte humum feriebant, ac terram oſculabantur. Curt. 5. & 8. Val. Max. 7. 3. Joſeph. 20. 3. Martial. 10. Epigr. 72.

Notandum denique, Perſidem ad Magorum diſciplinam addiſcendam præter alios Græcorum adiviſſe Pythagoram, Democritum, Pyrrhum Scepticorum parentem, & Apollonium Thyanæum, qui à Magis quæ pertinent ad Deorum cultum, Animæ immortalitatem, & Μετεμψύχωσιν, per quam homines reviviſcerent, cæteraque ſtudia, quæ vitam reſpiciunt, didicerunt. Addam, quod habet P. Jovius l. 13. Hiſt. Reges Perſarum hodiernos Σοφοὺς, Sapientes vocari, Deorumque interpretes.

Aſiæ pars Arabia, quam etiam Sabæam dicunt à Saba filio Chuſi, & Chami nepote, ſuos habuit populos ab antiquis temporibus eruditos, quos Cic. 1. de Divin. c. 41. & 42. auguriorum, & auſpiciorum peritiſſimos vocat, & cauſſam hanc addit: *Arabes autem, & Phryges, & Cilices, quod paſtu pecudum maxime utuntur, campos, & montes hyeme, & æſtate peragrantes, propterea facilius cantus avium, & volatus notaverunt.*

Quis verò Sabæorum religionis, & diſciplinæ autor fuerit, non bene conſtat apud autores. Multi cum Lactant. putant, Sabæorum religionem, ſive potiùs ſuperſtitionem, originem duxiſſe à Chamo Noachi filio, qui maledictus à patre, & expulſus, in Arabia conſedit: Lactantii verba ſunt de Sabæa gente: *Hæc prima fuit gens, quæ Deum ignoravit, quoniam princeps ejus, & conditor cultum Dei à patre non accepit, maledictus ab eo.*

In

Digitized by Google

In hoc, quod rationi conſonum eſt, fere omnes conveniunt, Theologiam, cum reliquis diſciplinis, à Chaldæis, penes quos utpote ab Hebræis accepta ſanior erat, ad Perſas, & ex his ad Sabæos populos ſibi finitimos, corruptam tamen, promanaſſe. Hinc mirum non eſt, ſi Plinius in Arabia Magos memorat, & Ptolemæus in Arabia Magorum ſedem collocet. Porphyrius quoque in Vit. Pythag. ipſum præter alias regiones, quas diſcendi cauſſa luſtravit, in Arabiam quoque iviſſe, & cum Rege vixiſſe teſtatur.

De Sabæorum Θεουργία pauca quidem, & forſan à ſcriptoribus corrupta haberi poſſunt. Narrat Maimonides, eos Stellas pro Diis habuiſſe, Solemque Deorum principem ſummum Dominum, & Dominum Boni appellaſſe; Deoſque duplici ritu, diurno ſcilicet, & menſtruo coluiſſe. Atque hinc factum eſt, ut primum diem Soli, ſecundum Lunæ, tertium Marti, quartum Mercurio, quintum Jovi, ſextum Veneri, & ſeptimum Saturno dicaverint. Verùm Joh. Seldenus teſtatur, primos Chaldæos tempus in dierum hebdomadas pro Planetarum numero diviſiſſe. Quis autem cultus menſium Diis dicatorum, & qualis fuerit, lege apud Rabbinos, qui de his ſcripſerunt; potiſſimum verò doctiſs. Joh. Spencerum, qui de Sabæis fusè, ac docte nuper egit l. 2. de Legib. Moſaicis.

CAPUT IV.

De Sectis Indorum.

OMnis Chaldæorum, Perſarum, & Aſſyriorum ſapientia, quam à Noë, ejuſque filiis, orientalem terræ plagam peragrantibus, profectam probavimus, hinc inde per univerſos terræ populos propagata, Indos quidem ad Orientem, Ægyptios verò, Phœnices, aliaſque nationes ad Occidentem erudivit. Unde ex una hac Chaldæorum doctrina variæ apud diverſas nationes Philoſophantium ſectæ ortæ ſunt.

Et primo Indos Philoſophiam docuerunt GYMNOSOPHISTÆ, ut tradit autor Magici, Sotion apud Laërt. Strabo, Clemens Alex. Apulejus, Solinus, Auguſt. aliique. *Gymnoſophiſtæ* autem dicti ſunt quaſi *Nudi Sapientes*. Horum duplex genus præter alios, Strabo l. 15. & Clem. Alex. 1. Strom. faciunt, BRACHMANES ſcilicet, & GERMANES, ſive, ut Alex. ait, Sarmanas, inter quos HYLOBII etiam ſic dicti quaſi Sylvicolæ, quòd in Sylvis viverent, numerantur.

BRACHMANES apud Indos maximo honore habiti, quia eorum doctrina meliori ordine tradebatur. Hi infantibus in cunis, imo antequam naſcerentur, eorum matribus, Præceptores dabant, ut optime erudirentur. In Sylvis prope urbem habitabant, ubi nimia frugalitate, ſumma continentia, continua mortis meditatione, ſeria ſemper, & de virtutibus meditantes, & colloquentes vivebant; quare eorum vita continua mortis meditatio, & ad ipſam præparatio erat. Eorum doctrina parum, aut nihil à Græcorum doctrina diſcrepabat; hi namque ab illis multa mutuati ſunt. Mundum non ab æterno fuiſſe, ſed in tempore, qui tamen aliquando finem habiturus eſſet, eumque figuræ rotundæ, putabant. Deum Mundi Creatorem, & Gubernatorem ſua Majeſtate Univerſum replere credebant. Animas immortales, eaſque vel æternum felices, vel æternum infelices ponebant. Aquam rerum omnium principium eſſe dicebant; & præter quatuor illa communia Mundi Elementa, quintum corpus eſſe quoddam, ex quo Cœlum, & Aſtra formata ſint. Notat Phil. 7. vit. Apoll. quòd *Brachmanes ad Philoſophiam ſuam neminem admittebant, qui non antea ſe noviſſet.*

Cele-

Celebris inter Brachmanes fuit Buddes, quo Præceptore uſus eſt Manes Perſa, ſuæ ſectæ conditor, ut autor eſt Suid. Clem. Alex. aliique. Hujus præſertim meminit Divus Hieronymus l. 1. adverſus Jovinianum, ubi ait, eum uti Deum honoratum; *Quem è latere ſuo Virgo dicebatur generaſſe*. Quæ fabula orta videtur ex hiſtoria de Adamo, ex cujus latere nata Virgo Eva.

Præter alia Brachmanarum, aliorumque Indiæ populorum dogmata, maximum illud erat Παλιγγενεσία Regeneratio, ſeu animarum in muta animantia, boves præcipuè, tranſitus; unde apud eam gentem bobus, referente Sacchino l. 5. Hiſt. Societ. Jeſu, & Maffejo lib. 1. Rer. Indic. non minus quàm auro pretium erat; imo Deum ipſum, ſive Dæmonem ſub Bovis figura, ſicut Ægyptii Apin, adorabant.

Clem. Alex. Strom. l. 3. ſic nobis Brachmanes deſcribit: *Brachmanes quidem neque animatum comedunt, neque vinum bibunt; ſed aliqui quidem ex iis quotidie, ſicut nos, cibum capiunt, nonnulli autem ex ipſis tertio quoque die, ut habet Alexander Polyhiſtor in lib. de Reb. Indic. mortem autem contemnunt, & vivere nihili faciunt: credunt enim eſse* Παλιγγενεσίαν, *Regenerationem: aliqui autem colunt Herculem, & Panem. Qui autem ex Indis vocantur* Σεμνοί, *hoc eſt, Honeſti, & Venerandi, nudi totam vitam tranſigunt: ii veritatem exercent, & futura prædicunt, & colunt quandam Pyramidem, ſub qua exiſtimant alicujus Dei oſſa repoſita. Neque verò Gymnoſophiſtæ, & qui dicuntur* Σεμνοί *Venerandi, utuntur mulieribus: hoc enim præter naturam, & iniquum eſse exiſtimant: qua de cauſſa ſeipſos caſtos conſervant. Virgines etiam ſunt, quæ dicuntur* Σεμναί, *hoc eſt Venerandæ. Videntur autem obſervare cœleſtia, & per eorum ſignificationem quædam futura prædicere*. Hactenus Clemens.

Inter alios, qui Indos Sapientiæ amore adiverunt, ſunt Democritus, ut refert Ælian. Pyrrho Eleus, Scepticorum pater, & Anaxarchus: quibus Alexander Polyhiſtor Pythagoram adnumerat lib. de Symbol. Pythagoric. ipſum enim fuiſſe diſcipulum Nazarati Aſſyrii, & audiviſſe præter Gallos etiam Brachmanas teſtatur. Quod etiam confirmat Apul. l. 2. Florid. *Brachmanes ſapientes viri ſunt, &c.* & mox: *Brachmanæ Pythagoræ contulerunt pleraque Philoſophiæ ejus; quæ mentium documenta, & corporum exercitamenta, quot partes animi, quot vices vitæ, quæ Diis manibus pro merito ſuo cuique tormenta, vel præmia*.

GERMANES verò HYLOBII, ſeu Sylvicolæ, qui Indis maximo etiam in honore erant, arborum frondibus, & fructibus veſcebantur, earundemque corticibus pudenda tantum tegebant (cætera namque nudi, unde & Gymnoſophiſtis commune nomen factum eſt) omni Venere, vinoque abdicato, in id ſummè incumbebant, ut optima Moralis dogmata addiſcentes, populo, & Regibus conſilia traderent, omnibuſque prodeſſent. Inter Germanes Medici potiſſimum honorati, qui ſumma frugalitate viventes, morbos omnes potiùs victûs ratione, quàm remediis fugabant.

Cæterum hi Philoſophi ſummæ ſuæ auſteritatis, & patientiæ ſpecimen Alexandro Magno Indos ſubjuganti dederunt, dolores, & ærumnas ſuſtinentes. Eorum enim quidam ad terram proſtratus, & ſolis ardores, & pluvias fortiter ſuſtulit: quidam verò per totam diem uni tamen pedi innixus, altero triangulare ligni fragmentum ſuſtentabat. Eidem etiam imperterriti dicere ſolebant: *Traduces quidem corpora de loco; animas autem noſtras non coges facere, quæ nolumus. Ignis eſt hominibus maximus cruciatus, eum nos contemnimus*. Hinc Cic. 5. Tuſc. de Indis hæc tradidit: *In ea tamen gente primùm ii, qui Sapientes habentur, nudi ætatem agunt, & Caucaſi nives, hyemalemque vim perferunt*

ſine

ſine dolore; cumque ad flammam ſe applicuerint, ſine gemitu aduruntur. Et Plin. l.7.c.2. *Philoſophos eorum, quos Gymnoſophiſtas vocant, ab exortu ad occaſum perſtare contuentes ſolem immobilibus oculis: ferventibus arenis toto die alternis pedibus inſiſtere*. Et l.6.c.19. *Quintum genus celebratæ illic, & prope in religionem verſæ Sapientiæ deditum, voluntaria ſemper morte vitam accenſo prius rogo finit*. Vide Clem. Alex. Plinium, Platonem, Euſebium, alioſque.

Tandem illud addam, quod Hylobiorum quidam Alexandro dicere ſolebat, homines olim in abundantia omnium voluptatum, & deliciarum, & ab omni dolore immunes vixiſſe; ſed cùm hac felicitate abuſi fuiſſent, Jovem eos doloribus, ærumnis, & laboribus damnaſſe. Quod ex Hiſtoria primi hominis, ante peccatum in Paradiſo voluptatis feliciter viventis, poſt culpam verò laboribus damnati, ortum habuiſſe videtur.

Sectam hic addam Perſarum inter Indos habitantium, qui præter ſummum unicum Numen, ſeptem primarios miniſtros, ſeu Imperatores ſtatuunt: Primum horum dicunt Hamaſda, homines ad vitæ honeſtatem impellentem: Secundum Bhamam, qui brutis, & aquatilibus omnibus præeſt: Tertium Ardibeſth, qui curam ignis habet, ne exſtinguatur: Quartum Sarywaër, qui in metalla poteſtatem habet, & mineralia; unde peccatum putant, mineralia ſordibus commiſta relinquere: Quintum Eſpander, qui de agrorum, telluriſque conſervatione curam habet: Sextum Aawerdath, maris, & aquarum omnium munditiei conſervandæ intentum: Septimum denique Ammadaëth, arborum, fructuum, & herbarum calamitatem avertentem. Hos autem omnes nullam vitæ, & necis in animalia poteſtatem habere, ajunt, ſed tantum ſummo Deo propriæ adminiſtrationis rationem reddere. His autem inferiores ſtatuunt miniſtros 25. quorum ſingulis peculiaris cura demandata eſt. Videatur Varenius de Japonenſ. p.301.

Hæc eadem ſecta animas hominum immortales ſtatuit; eaſque à corpore ſeparatas per miniſtrum Dei Saroch duci ad judices Mearesum, & Saros, ut actiones vitæ ad libram examinentur, ſique bonæ malis præponderent, Deo aſſociari, cumque eo lætas eſſe ajunt; ſin contra, à Diabolis, qui libræ adſtant, abripi ad infernum ad ignis cruciatus, per mille annos duraturos: deinde verò poſt Mundi Παλιγγενεσίαν in ipſum redituras credunt. Ejuſdem quoque opinionis ſunt Japonenſes Sinis vicini, qui ipſam à Xaca, & Amida exceperunt: quique Mundi Παλιγγενεσίαν; & animarum ab inferis exitum poſt ſingulos mille annos credunt.

Sectam aliam fuiſſe, Ariſtoteles refert, quæ CALLANORUM dicebatur; de qua ſic Cunæus de Rep. Hebr. l.1. c.4. *Portentoſum eſt, & cum ſumma inſcitia conjunctum, quod Ariſtoteles apud Clearchum autumavit, Judæos eſſe ab Indiæ Sapientibus propagatos, ſed nomen mutaviſſe, quippe Philoſophos illos, qui apud Indos* CALLANI *appellantur, in cava Syria Judæos dici. Pudet me anilitatis, adeo hoc nihili eſt*. Verùm hæc Callanorum ſecta dici forſan potuit à Calano, celeberrimo Gymnoſophiſtarum philoſopho, cujus meminit Plutarchus in Alexandro, ubi refert, Oneſicritum Cynicum ab Alexandro miſſum, ut Calanum ad ſe venire rogaret. Plutarchi verba l.c. ſunt: *Ajunt, Calanum quàm ſuperbe, & aſpere juſſiſſe ei, ut poſita veſte audiret ſe nudus: alioqui non congreſſurum cum eo ſe, ne ſi à Jove miſſus eſſet quidem: Dandamim egiſſe placidius, ac de Socrate, &c.* Et paullò poſt: *Calanum autem, ut ad Alexandrum proficiſceretur, Taxiles induxit. Sphines vocabatur; ſed quia ſermone Indico Cale pro Salve ſalutans obvios compellaret, Calanus eſt à Græcis nominatus*. Et paullò poſt: *Eadem tempeſtate Calanus, cum aliquandiu alvi fluore laboraſſet, rogum poſtulavit ſibi ſirui; ad quem poſtquam eſt equo delatus, Deos precatus, libamina ſibi ipſe infudit, capilliſque ſuis rem divinam fecit. Inde ro-*

gum

Digitized by Google

gum conſcendens, aſſiſtentes Macedonas complexus eſt, rogavitque lætum ut diem illum tranſigerent, & cum Rege perpotarent. Illum ipſum brevi ait Babylone ſe reviſurum. Ita fatus decubuit, &c.

Idem Plutarchus loco citato Alexandrum narrat cum Gymnoſophiſtis diſputaſſe, acreſque ad reſolvendum quæſtiones eis præbuiſſe; cujus verba ſunt: *Ex Gymnoſophiſtis, qui præcipuè Sabbam ad defectionem impulerant, & plurimum fatigaverant Macedones, decem acres ad reſpondendum, & contractos habitos, cepit. His quæſtiones obſcuras poſuit, necem denuncians primo, qui parum recte reſpondiſſet, inde ordine reliquis. Unum natu maximum dedit judicem; primus interrogatus, vivos ne plures eſſe, an mortuos cenſeret? vivos ait; neque enim jam eſſe eos, qui mortui ſunt. Secundus, terram, an pelagus grandiores gigneret belvas? terram, quippe hujus, inquit, pelagus portio eſt. Tertius, quod animal calidiſſimum eſſet? quod hactenus, inquit, homo non cognovit. Quartus requiſitus, quamobrem Sabbam ad rebellionem concitaſſet? reſponſum dedit, quo honeſte viveret, aut malè periret. Quintus rogatus, diem, an noctem putaret fuiſſe priorem? Diem, ait, uno die. Adjecit autem, cùm id Rex admiraretur, implicatarum interrogationum neceſſe eſſe, ut eſſent implicatæ reſponſiones. Ita progrediens ſextum percunctatus eſt, quemadmodum quis maximum ſe efficiat? Si potentiſſimus, inquit ille, nec formidabilis eſſet. Ex reliquis alius rogatus, quemadmodum ex mortali quis Deus evadat? ſi quid fecerit, inquit, quod facere denegatum ſit homini. Alius de vita, & morte, utra valentior? reſpondit, vitam, tam multa tolerantem mala. Poſtremus, quatenus hominem vivere deceat? eatenus, dum mori, quam vivere non cenſeat præſtare. Ita tandem verſus ad judicem pronunciare juſſit ſententiam. Qui quum alium alio dixiſſet ſegnius reſpondiſſe: ergo tu, inquit, primus moriere, qui ita decernis. Minime vero, Rex, inquit ille, niſi tu mentiaris: qui primum dixiſti, interfecturum te illum, qui peſſime reſpondiſſet. Hos igitur muneribus honoratos dimiſit.*

CAPUT V.

De Sinenſium Sectis, & primo de Confutio, & Xaca.

IN ulteriori Aſiæ parte Orientali ſitum eſt vaſtiſſimum & antiquiſſimum Sinarum Imperium, quod vulgò China appellatur, Tartaris, Japonibus, aliiſque nationibus conterminum: cujus primus Imperator à Chinenſibus Hiſtoricis Fohi traditur, quem ante Chriſtum natum 2952. in Thronum aſcendiſſe volunt. Quod ut Sacrorum Bibliorum hiſtoriis concordet, Vallemontius in tom. 2. Element. Hiſt. l. 5. ſupponit, Sinenſium Fohi fuiſſe noſtrum Noë.

In hoc igitur vaſtiſſimo, & antiquiſſimo Imperio, & proprie in Oppido Leuyè prope Civitatem Ki ſeu in Provincia Xanton natus eſt anno ab O.C. 3233. & ante Chriſtum natum 771. ut vult cit. Vallemont. ſive 551. ex computatione Trigaldi, omnium Philoſophorum Sinenſium Princeps CONFUTIUS, quem Sinenſium Socratem vocat, & probat Franc. Mothæus Vayerius in Tract. de virtutibus Paganorum; & primo quidem quòd Confutius circa id temporis mortuus ſit, quo Græcus Socrates natus eſt, itaut eodem ſeculo & Sinæ Confutium, & Græcia Socratem viderit. Deinde verò quod Confutius, non ſecus ac Socrates, reliquis ſcientiis contemtis, Moralem tantum & exercuerit, & auxerit; itaut de ipſo illud Ciceronis in Socratem jure dici poſſet, quod Moralem Philoſophiam è Cœlo devocaverit.

Enimverò licet ipſe propter ſuam Philoſophiam, & morum probitatem maximo apud Sinenſes in honore haberetur; itaut Mandarinorum unus (ſic Sinenſes Regni Magnates, penes quos Reip. regimen eſt, vocare ſolent) eſſet, omne tamen Reip. regimen deponens, propterea quòd ipſam ex voto gubernare propter Imperatoris potentiam non poſſet, ad Philoſophiam publice docendam ſe contulit; cujus omnia fere dogmata ad familiarum quietem, & publicam tranquillitatem ſtabiliendam tendebant; potiſſimum verò ad optimam puerorum educationem, & maximam patribus in filios autoritatem inducendam, ex qua deinde filii Regiæ dominationis jugum portare ediſcerent. Hic omnium Philoſophorum, qui ipſum præceſſerant, morales ſententias collegit, & in 4. volumina redegit, quibus ipſe quintum ſuarum addidit. Sinenſes ejus Philoſophiam tanti faciebant, ut nec minimum ipſius dogma vel Imperatores immutare poſſent. Nemo etiam Sinenſium Doctoratus lauream conſequi poteſt, niſi in Confutii Philoſophia prius approbatus. Confutio maximos honores à Sinis tribui, omnes fatentur: ſed an ſtatuam quoque erexerint, dubium: Affirmat Trigautius l. 1. Exped. Sin. c. 10. Martinius verò l. 4. Hiſt. Sin. p. 132. ait: *Statuam illi non efformant, ſed ſolum nomen literis aureis exaratum Academiæ fronti ſuperimponunt, cui honores habentur, qui vivis magiſtris ſolent.*

Fuit præterea ex Regno Siam inſignis Philoſophus, in Metaphyſicis præcipue magnus, nomine XACA, cujus Philoſophiam, ut refert P. Borry, Orientales omnes & amplexati, & admirati ſunt. Hic Mundum ex nihilo creatum, & in nihilum rediturum putavit. Unum reale rerum omnium Principium, ſive unum Cœli, & Terræ Creatorem credidit, qui bonos gloriæ ſuæ præmio, malos verò Inferni pœnis afficeret. Quoad Moralia verò, humanam feliciratem non in aliquo bono poſitivo, ſed tantum in bono negativo, hoc eſt in nuda privatione omnium malorum, ſive in pura negatione omnium incommodorum, poſuit.

Sinarum libri tres Orbis Terrarum ſectas numerant (ſic enim vocant Regnum ſuum una cum adjacentibus Provinciis; alias enim non norunt) quarum primam Literatorum, alteram Sciequia, tertiam Lanzu vocant, ſeu, ut P. Martinius, Philoſophicam, Idololatricam, & Epicuream. Ex his tribus aliquam Sinæ omnes, & reliqui populi contermini, qui Sinenſium Characteres habent, profitentur; quales ſunt Japones, Choriani, Tonchini, & Cochinchinenſes.

Literatorum ſecta, ſeu Philoſophica, Sinenſium propria, & omnium antiquiſſima, inter reliquas & re, & autoritate eminet; penes hanc enim eſt Regni regimen, quæ & pluribus etiam libris abundat: ſoli namque Philoſophi ad Remp. adminiſtrandam admittuntur. Hæc ſui Inſtitutorem Confutium jactat, qui Sinenſium quoque Mercurius dicitur. Et quidem ſicut Ægyptii Sapientes ex inſtitutione ſui Thoyt, ſeu Mercurii, unum Deum, quem Hemepht vocant, colunt; ita hi Sinenſes Philoſophi unum Numen adorant. Notandum tamen hîc eſt, quod habet cit. Martinius, hos Philoſophos fateri, ſe Supremi hujus Numinis Eſſentiam, & Naturam, & modum, quo colendus ſit, ignorare; unde melius putant omnem cultum omittere, quàm in illo errare: quare nullas illi preces, nullos ritus, aut cæremonias exhibent; nullam ipſius imaginem habent, eo quod ſub humano ſenſu Deus cadere nequeat.

De hoc autem Supremo Numine ſic P. Trigautius in Expeditione Chriſtiana ad Sinas: *Hinc aſſerunt, Regi Cælorum ſacrificandi, eumque colendi munus ad ſolum Regem ſpectare: Ad hunc finem Rex duo habet Templa ſane magnifica in utraque Regia, Nanquinenſi, & Pequinenſi; Cælo dicatum eſt unum, Terræ alterum: in his olim ipſe per ſe litabat, nunc in ejus locum Magiſtratus graviſſimi, quos Magiſtratus Rituum vocant, ſucceſſere; Cæloque, & Terræ, non ſecus*

ac

ac Ægyptii Oſiridi, & Iſidi, boves, & oves magno numero mactant, altoſque multos ritus exhibent. Porro proprium Literatorum Fanum eſt ipſius Confutii, Sinenſium Philoſophorum Principis; id ei per leges in qualibet Urbe conſtruitur eo in loco, qui eſt ſupra Ludum literarum: id magno ſumtu conſurgit, & contiguum habet Palatium ejus Magiſtratus, qui primum literarum gradum conſecutis præeſt. Et paulò poſt: *In hoc Fanum novilunio, & plenilunio quolibet conveniunt Magiſtratus omnes Urbani cum renunciatis Baccalaureis, Magiſtrum ſolitis genuflexionibus, & inclinationibus, cereis etiam, & ſuffitu veneraturi.*

Hujus itaque ſectæ Aſſeclæ nihil ſpectant magis, quàm juſtum, & perfectum Reip. regimen, virtutumque Moralium exercitationem. Tractat hæc de Cœlo, Terra, & Homine, tamquam de iis, in quibus omnium rerum cardo verſatur. De Cœlo, & Terra ſcientia merè naturalis eſt, ubi de rerum principiis, de generatione, & corruptione, de motibus Cœlorum, ſiderum, & de Aſtrologia utraque, de agris demum, agrorumque menſura, &c.

De Homine verò ſcientia tota eſt, quæ ad mores ſpectat, quatenus ſcilicet homo eſt ſociale animal rationis, & regiminis capax. In eo præcipui ordines, ſeu tituli quinque: Primus Patris & Filii eſt, in quo de Obedientia miranda magis, quàm imitanda proponuntur. Secundus Uxoris, & Mariti, ubi de ipſorum differentia, de connubiis, &c. Tertius eſt Regis, & Subditorum, ubi de Fidelitate, & paterno Regis erga ſuos amore. Quartus eſt Amicorum, ubi de Amicitia. Quintus de Fratribus, ubi de majoris amore, & minoris obſequio.

Deinde docet ter mille miros ritus, ſeu præcepta, ad urbanitatem, bonos mores externos, modeſtiam, circumſpectionem, & ſimilia ſpectantia: Prudentiam, Pietatem, Fortitudinem, qua nos ipſos vincimus, multis, ac egregie laudat; Juſtitiam, ac virtutem illam, qua alios metimur ex nobis, ſeu nobiſcum conferimus, illud ſcilicet, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, extollit, ac commendat, in eaque ſummam perfectionis conſiſtere, docet.

De futuris hæc ſecta minime ſollicita eſt, nec de iis diſputat, ea potiſſimum perſuaſa ratione, quod nec ea, quæ ante oculos ſunt, & coram videt, recte ordinare, aut intelligere poſſit. Virtutes omnes tum internas, tum externas ſedulo colendas docet, idque faciendum propter ipſum virtutis bonum, ſeu propter ſe, nullo alio ſpectato fine: *Fac*, inquiunt, *virtutem abſque eo quod aliud expectes præmium: ipſa ſibi nimis ſufficit: nil hac in orbe pulcrius*. Aliaque præclariora in horum Philoſophorum libris ſunt, quibus nec antiqui illi noſtri Philoſophi unquam cogitarunt vel paria, vel meliora. Hanc ſectam etiam vicini populi ſequuntur, ut Choriani, Cochinchinenſes, & alii. Confutii Philoſophiæ Compendium vide in Hiſt. Sin. l. 4. p. 129.

Secunda Sinarum Secta, ſeu Idololatrica, reſpondet Philoſophis Ægyptiorum, & Sciequa, Omyto, Xekiao, Foëkiao, vulgo Amida, & apud Japonenſes Sciacca, Xaca, & Amidabu vocatur, cujus autorem Xaca facit Martinius. Hanc autem ſi diligenter diſcutiamus, ab iis Gymnoſophiſtis, Brachmanibus, Perſis, Bactrianis, qui Indoſtanis intercapedine continebantur, profectam, in Chinam deinde Colonias miſiſſe, ex dogmatis eorum facile patebit.

Multitudinem Mundorum hæc credit: Metempſychoſin, ſeu animarum in bruta poſt mortem tranſitum, omnem denique Pythagoræ Philoſophiam profitetur. De hac Secta ita P. Martinus Martinius in Atlantis China: *Xekiao Secta eſt, quam noſtri putant, primo poſt Chriſtum natum in China introductam. Metempſychoſin admittit; duplex eſt, interna una, externa altera: hæc idola colit: Animarum Tranſmigrationem poſt mortem in peccatorum pœnam docet; ab omni, quod vixit, perpetuo abſtinet; ridicula lex, & ab ipſis ſequacibus ſacrificulis paſſim exploſa; neceſſaria tamen ab ipſis judicata ad*

F 2 ru-

Digitized by Google

rudiorum à vitiis abſtractionem, & virtutum incitamentum. Interea Metempſychoſin præclaræ putant Philoſophiæ moralis partem pulcherrimam, dum ſpectat paſſionum, pravarumque affectionum omnimodam vacuitatem, atque victoriam; hæc dum obtineatur, in animalia, prout illorum affectibus fuerunt homines obnoxii, migrare perhibet. Nihil præmii, nihil pœnæ poſt mortem agnoſcit, niſi vacuum: nihil in hac vita veri eſſe vult, niſi prout à nobis apprehenditur, idemque bonum, & malum eſse reſpectu diverſorum.

Barbam, & cæſariem continuò radunt: in montibus, & ſpeluncis contemplationi vacant: eorum templa plena ſunt immanibus idolorum monſtris æreis, marmoreis, ligneis, luteis; itaut adyta Perſarum diceres. Hujus ſectæ Philoſophi 4. Elementa admittunt, ſecus ac Sinæ reliqui, ex quibus Elementarem Orbem compoſitum volunt. Hæc eadem Secta, ex Trigautio l. 1. Epedit. Sin. c. 10. certum Triadis modum inducit, quo tres Deos in unum Numen coaleſcere fabulantur.

Tertia Sinenſium Secta, quam ipſi Lanzu appellant, orta eſt à Philoſopho quodam Confutii coævo, quem 80. annis in matris utero, priuſquam naſceretur, geſtatum dicunt, unde eum Lanzu, hoc eſt, Philoſophum Senem appellant. Hæc Paradiſum pollicetur; imo in ſuis Templis quorundam effigies exponunt, quos ad Cœlos volaſſe credunt. Ad hanc rem conſequendam exercitationes quaſdam præſcribunt, poſitas in vario ſedendi ritu, certiſque precationibus; imo etiam pharmacis, quibus ſpondent, una cum Divorum ſuorum favore, vitam in mortali corpore longiorem. Hujus Sectæ aſſeclarum ſpeciale munus eſt Dæmonas impiis precationibus, & certis ritibus exorcizatos, domibus pellere. Imbres quoque ſe daturos, & propulſuros, pro neceſſitate, promittunt.

Verùm P. Martinius hanc Sectam Epicuream vocat, utpote ea, quæ poſt mortem nihil eſſe aſſerens, in voluptate felicitatem ponit; longam vitam, imo & immortalem per medicinam promittit, multaſque ad comparandas, augendaſque voluptates artes invenit. Ex hac Magi quidam ſunt, & Aſtrologi, qui omnium maximè Chriſtianæ Religioni infeſtiſſimi ſunt. Videantur, præter alios, PP. Jeſuvitæ Martinius, Kirkerius, Trigautius, & Borry, ex quibus hæc de Sinarum Sectis adnotavimus.

Aliter tamen P. Carolus Gobien ejuſdem Societatis in Præfat. ſuæ Hiſt. de Sinenſium Imperatoris Edicto pro Religione Chriſtiana, ſentire videtur, dum ait, quatuor eſſe Sinenſium Philoſophorum Sectas; quarum primam eorum facit, qui potius cultu Majorum, quàm cauſſa pietatis, unum Supremum Spiritum Omnipotentem, & Æternum in Mundo agnoſcunt, qualem fortaſſe à primis Monarchiæ ſeculis eorum Majores ſub nomine Sciam-ti Domini Cœlorum adoraverunt. Horum numerus minor eſt, quamvis Imperator hujus melioris, & prudentioris Sectæ caput ſit; ſæpius enim ipſe in Templis ſacra offerens teſtatus eſt, ſe tantum huic Summo Numini litare, non idolis, & fabuloſis iiiis ſpiritibus, quos populus ſibi finxit.

Secunda, quæ & Prædominans dici poſſet, eſt Recentiorum Philoſophorum, qui in natura nihil præter ipſam naturam agnoſcunt, quam altiſſimum Mundialis Ædificii culmen appeilant: hanc autem naturam definiunt: *Principium Motus, & Quietis*. Univerſam Mundi Machinam à Suprema Ratione, quam Li vocant, gubernari, inquiunt, eamque cauſſam eſſe omnium mutationum, quæ in ipſa accidunt.

Hujus Sectæ inſtitutor fuit Philoſophus quidam nomine Tſciò lien-chie, qui mortuus eſt anno Chriſti 1084. Hic ſua dogmata æquivocis ſemper verbis exponebat: in quorum expoſitione etiamnum Sinenſes interpretes laborant.

Du-

Digitized by Google

Duplicem hi in rerum omnium compoſitione materiem agnoſcunt, Perfectam unam, tenuem, & ſubtilem, hoc eſt, quæ ſemper in motu ſit; Imperfectam alteram, immobilem, & craſſam; ambas tamen æternas, & increatas, infinitæ extenſionis, & quodammodo infinitæ poteſtatis capaces faciunt, quamvis cognitionis, & poteſtatis privatæ ſint. Ex ambarum mixtura quinque Elementa oriri ajunt, quæ prout varie miſcentur, varia corpora producunt. Ex ipſis quoque partium Mundi varietas, ſtellarum motus, terræ quies, agrorum ſterilitas, vel ubertas accidere creduntur.

Quamvis autem ipſi putent, omnia quæ in Mundo accidunt, neceſſariò ſic accidere; credunt tamen, Mundum principium habuiſſe, & finem habiturum, poſt quem iterum eſſe incipiet, & ſic fore, ut continuo, Phœnicis inſtar, Mundus reviviſcat. Imo quidam ipſorum certam, & determinatam Mundi vitæ periodum ſtatuit 129000. & 600. annorum; quem myſterioſum annorum numerum in 12. conjugationes, ad Mundi perfectiones imprimis neceſſarias diviſit.

Hominem quoque formatum dicunt ex concurſu utriuſque materiæ, ſubtilis ſcilicet, & craſſæ: eodem fere modo, quo Plantæ in inſulis nondum notis, in quas nemo unquam ſemina portavit, naſcuntur. Animam vero partem hominis puriorem ajunt, ſed quæ una cum corpore intereat, donec cum eodem corpore caſu uniatur, & reviviſcat.

In moralibus vero rectius ſentire videntur; Publicum enim bonum Sapientis ſcopum ponunt. Ut autem Mundi regimen aſſumant, homineſque felices reddant, oportet, ut ipſi prius ſanctitatem adepti ſint, quæ nonniſi per mortificationem paſſionum acquiri poteſt. Hanc vero Sanctitatem in eo conſiſtere ajunt, ut actiones, verba, & cogitationes rationi conformentur. Id tamen non eò dicunt, quod animæ paſſiones ex ſui natura malæ ſint, ſi iis bene utamur; ſed quia utplurimum animi tranquillitatem turbant: quare ipſas ita domare oportet, ut non effrænis libidinis impetus, ſed recta naturæ dogmata videantur.

Tertia Secta eſt Brachmanum, Bramenum, Braminum, Bramans (multifariam enim vocari ſolent) ab Indis eò advecta; gens enim eſt ex variis regionibus collecta, quod vel ipſum horum Sacerdotum nomen *Hoſcian* teſtatur. Brachmani Sacerdotes tria potiſſimum ſummo cultu proſequuntur, Deum Fò, Legem, & Libros, qui particulares regiminis canones continent.

Phyſica eorum dogmata eadem fere cum dogmatis ſecundæ Sectæ ſunt, niſi quod ſingulas mundi deſtructiones, & regenerationes poſt longiorem periodum abſolvi arbitrentur. Moralis vero eorum Philoſophiæ pars ad ſummum uſque, & ultra Stoicorum ſenſus progreditur: nam eouſque Ἀπάθειαν, Impaſſibilitatem, & Indifferentiam perducunt, ut nonniſi marmoreus homo eam adſequi poſſe videatur. Sapiens enim ſecundum ipſos, non ſolum paſſiones, ſed nec etiam deſideria nutrire debet; eòque ſolum omni ſtudio contendere, ut nil velit, nil cogitet, nil ſentiat, quod animi tranquillitati contrarium ſit. Atque hic eſt, ipſi ajunt, profundus animæ ſomnus, omniumque ſuarum potentiarum quies: hæc continua ſenſuum ſuſpenſio: hæc tota hominis felicitas; ſic enim ipſe ſapiens, & felix eſt, &, ut verbo rem abſolvam, Deus eſt Deo *Fo* ſimillimus. Verùm reliquarum Sectarum Philoſophi hoc tanquam impoſſibile conſiderantes, Brachmanes ſtultos reputant, quos etiam continuò perſequuntur.

Quarta Secta eſt Religio Bonziorum, quæ ex ipſa China originem habuit. Hujus Sectæ Sacerdotes Sinicâ linguâ vulgò *Taoſſi*, hoc eſt Legis Doctores nuncupantur.

Eorum Moralis ab Epicurea non diſtat. Spiritum tamen in nimia illa, & ſe-

& fere impoſſibili Brachmanum ἀπαθείᾳ non immergunt, ſed ſufficit, ſi ab ardentibus deſideriis, & paſſionibus ſe abſtineant. Sapientis ſcopum Animi Tranquillitatem faciunt, quam ſolùm adipiſci poſſe dicunt, ſi non aliis, ſed nobis ipſis viventes, vitam ab omni cura, dolore, & ſollicitudine alienam ducamus; & neque præſentia, neque nimis futura, quæ animi quietem plerumque turbare ſolent, ſed tantum præſentia intueamur, iiſque fruamur. Imo in ipſa animi felicitate inquirenda nos nimis ſollicitos eſſe non debere, inquiunt, ne per violentum deſiderium eorum, quibus ad bene vivendum indigemus, animus perturbetur. Omnis autem voluptas nulla debet cum ſollicitudine permiſceri.

Si quis autem eos interroget, cur uxorem ducant, quæ animi tranquillitatem fere ſemper turbare ſolet, reſpondent, quòd hac re attentius penſitata, ipſis viſa ſit uxor theorice quidem domi peſſima res, practice vero eorum tranquillitati, & quieti haud contraria.

Sed ne præſentis vitæ felicitas mortis cogitatione amareſcat, totos ſe Chymicæ Medicinæ dedere, per quam homines immortales ſe redditoros promittunt: unde mediis quibuſdam remediorum formulis, & victus ratione ſingulis ætatibus accomodata, hominis vitam regunt. Sed quantum ex hac ſollicita vivendi cupiditate animus perturbetur naturaliter, nemo eſt, qui non videat.

In Phyſicis à præcedentibus non diſcrepant, niſi in paucis quibuſdam nominis potius, quam rei quæſtionibus: hinc quidam eam cum præcedentibus confundunt. Sed aliarum Sectarum Sinenſium, & gentium ipſis finitimarum opiniones quaſdam hîc apponam.

Secta eſt alia Indica, Samaraëth dicta, quæ Sinicæ ſuperſtitionis veſtigia ſequitur. Hujus præcipuum dogma eſt, quod unus ſit Deus, qui omnia condidit, & conſervat, quem vernacula lingua vocant Parmiſcer. Præter illum verò tria minoris dignitatis Numina ſtatuunt, quibus divinum cultum, & certa munia adſcribunt. Et primo quidem, quem Brama vocant, à Supremo Domino hoc munus aſſignatum putant, ut animas in hæc, vel illa corpora humana, vel bruta compellat. Secundo verò, cui nomen Buſſiuna, demandatum cenſent, ut homines voluntatem Dei edoceat, atque ad ejus præcepta (quæ 4. libris deſcripta conſignantur) hortetur; præterea ut agris fertilitatem indat, atque hominibus omnia ad vitam ſuſtentandam ſuppeditet. Tertius denique vocatur Mais, qui tam hominum, quàm brutorum interficiendorum poteſtatem habet. Vid. Joh. à TWiſt. in Ind. Belgicè deſcripta.

Alia ſecta Mundum ex aqua, non ſecus ac Thales, initio conditum putat; quæ aqua vehementius agitata Cœlo quidem ex ampullis, & ſpumis, Terræ verò ex craſſioribus particulis materiem præbuit. Si autem hujus ſectæ fautores interrogentur, quiſnam initio aquam exagitaverit, reſpondent, ut refert Jarricus t.2. p. 664. ſponte ciendi vim ipſi inditam fuiſſe. Si autem rurſus interroges, quiſnam ipſi ciendi vim dederit, ſubrident, quaſi plane non ultra quærendum ſit.

Ex idololatrarum ſecta originem traxit alia, quæ Mundum, & Mundi Conditorem, cum Cœlo, Terra, Hominibus, Brutis, Arboribus, & Plantis unicum, & continuum corpus conſlare putat: cujus magni corporis ſingulæ res ſingula membra conſtituunt. Cum his Sinis Cochinchinenſes etiam, referente Chriſtophoro Burro Ep. de iiſdem, idem ſentiunt: ajunt enim, Mundum nihil aliud eſſe, quàm magnum quemdam hominem, ſeu Gigantem, cujus caput Cœlum eſt, oculi aſtra, pili arbores, plantæ, herbæ omnes, oſſa metalla. Ath. Kirker. t.1. Oed. Ægypt. Synt. 5. c. 3.

Quod

Quod ad opiniones verò præcipuas, notandum, Sinarum quoſdam quinque Elementa ſtabilire, Aquam, Ignem, Lignum, Metallum, & Terram; ex quibus etiam quinque ſapores provenire, ajunt; ex Aqua ſcilicet ſalſum; ex Igne amarum; ex Ligno acidum; ex Metallo acre; ex Terra denique dulce. Quæ Elementa quinque Planetis, quos in inferiora agere Sinæ animadvertebant, applicarunt; Saturno ſcilicet Terram, Jovi Lignum, Marti Ignem, Aquam Mercurio, & Veneri Metallum.

Sinæ, Chaos in rerum productione in duas qualitates diviſum fuiſſe, docent, Yn, & Yang, Occultum ſcilicet, quod etiam Imperfectum; & Patens, quod Perfectum quoque vocant. Quomodo autem ex his duobus rerum Principiis cuncta nata, & perfecta ſint; Signa etiam, ſeu Imagines, quas quatuor ſtatuunt; Formas, quas octo; & Symbola, quæ ſexaginta quatuor, vide apud Martinium Hiſt. Sin. l. 1. p. 5. & ſequentibus.

Chaos autem hoc vocant Sinæ Ovum; cujus cortex in Cœlum, albumen in Aërem, & vitellum in Terram abiit; idque media nocte ſub eo tempore, quo aſtra Cœlum exornantia ſolſtitiali, brumalique revolutione vertuntur; eo autem ordine, ut primo Cœlum, deinde Terra, tum ſpiritus, poſtremo tandem homines extiterint. Ejuſdem quoque ſententiæ ſunt Cochinchinenſes. Idem quoque aliæ nationes dixerunt; Phœnices enim pro Mundi Symbolo Ovum poſuerunt in Orgiis, Libero Patri ab Orpheo inſtitutis, teſte Plutarcho in Symp. l. 2. quæſt. 3. & Macrob. Saturn. l. 7. c. 16. Ovalem quoque figuram Mundo tribuit Sanchoniathon antiquiſſimus rerum Phœniciarum ſcriptor. Thebaidos quoque incolæ Deum mundi opificem repræſentare volentes, ore Ovum effundentem pinxerunt, per Ovum illud Mundum interpretantes. Ita etiam Ægyptii Kneph, hoc eſt, Creatorem Cœli, & Terræ pingebant, Zonam cum ſceptro tenentem, & Ovum ex ore producentem. Idem ſignificare videtur illud Orphei Ovum fabuloſum, adnotante Plutarcho, quod in duas partes diſſiluiſſe ajunt, quarum altera ſurſum elata Cœlum, altera verò deorſum Terram conſtituit. Unde notat Vergelius, Ova religioni inſerta, & à multis gentibus in honore habita.

Circa hominis productionem quamvis varia ſit Sinarum opinio, in hoc tamen omnes fere conſentiunt, Puoncuum primum hominem fuiſſe: ipſum tamen alii è deſerto prodeuntem, & ignorantiam ſuorum natalium confitentem faciunt; alii à Chao tanquam ex Ovo natum perhibent. Ariſtoteles etiam de Generat. Animal. 3. c. 2. hominum, quadrupedumque primam generationem ex Ovo, vel verme fuiſſe fatetur. Primum itaque hominem Sinæ dictum fabulantur Ovum, quod ex Ovo prodierit; cujus filium Oëu appellant, Aſtronomiæ, & Literaturæ inventorem.

Præter Deum omnis boni Principium, Sinenſes Dæmonem quoque ſub varia animalium figura colunt, quem omnis mali autorem putant. Hinc ad mala omnia depellenda templa ipſi, & adorationes ſtatuunt; non ſecus ac Romani Febri templa erexerunt, ne obeſſet. Dæmonis figura, dextera pugionem, ſiniſtra ſolem tenentis, morientibus ſiſtitur, ne noceat. Modus autem, quo adorari ſolet, talis à rerum Sinicarum ſcriptoribus traditur. Ante Idolum flexis genibus in faciem provolvuntur, & capite terram aliquoties ferientes, quicquid fructuum, aliorumque eduliorum allatum ab ipſis eſt, ſupra aram Idolo offerunt, ejuſque pedibus ſubjiciunt. Idem fere de quadam Japonenſium ſecta tradit Vileba p. 47.

Japonii, & Tapujani idem quoque cum his Sinenſibus ſentire videntur, qui Numen duplex agnoſcunt, Bonum unum, quod quia ſponte benefacit, & neminem lædit, non adoratur; Malum verò alterum, quod ex eo quia iracundum, & cultum ſibi præſtare negligentes male perdat, adoratur, & invocatur. Ejuſdem quo-

Digitized by Google

quoque ſententiæ perhibentur Braſileenſes à Lerio Hiſt. Navigat. in Braſil. c. 16. Ritus verò, & cæremonias in hoc Diaboli cultu ab Indis obſervatas lege apud Lud. Barthema l. 2. *dell' Indie* c. 2. & Kirch. Oed. Ægypt. t. 1. Synt. 5. c. 4. Quæ autem ſit Idololatræ ſectæ de rerum gubernatione ſententia, lege apud Mendoza l. 2. c. 2.

Yeking, teſte Martinio Hiſt. Sin. p. 6. nil niſi Philoſophiam Myſticam, Pythagoricæque perſimilem continet: originem autem potiſſimum à Mercurio Triſmegiſto traxiſſe volunt; quem Theologiæ ſuæ myſteria per allegorias expoſuiſſe, eaſque Surmobolum, & Thurronem in lucem protraxiſſe, ex Sanchoniath. autor eſt Euſeb. l. 1. Πρæπαρ. c. 7. Philo Biblienſis Græcus, Sanchoniathonis Interpres.

Symbolicæ hujus Sinarum Philoſophiæ veſtigia quædam in dicto Yeking reperiuntur. Tale eſt Symbolum illud, quo Confutius Incarnationis Dei myſterium præcognoſcens, expoſuit. Anno Imperii Kingi 39. forte Lu Regis venatores extra Occidentalem urbis portam animal rarum Kilin (quod Sinico idiomate Agnum Dei denotat) occiderant. Id cùm relatum eſſet Confutio, ingenti ſuſpirio pectus concutiens ingeminavit: *Quis Te advenire, Kilin, dixit? Quis Te advenire, Kilin, dixit? jam jam doctrina mea extremum ſpectat, jam finem habet, cùm Tu adveneris, &c.* Vid. Martin. Hiſt. Sin. pag. 131.

Quia tamen Moralis Sinarum Philoſophia verè mirabilis eſt, præter ea, quæ ſupra de illa memoravi, pauca hîc etiam ſubnectere animus eſt. Sinæ igitur omnia bene vivendi præcepta ad ſex capita reducunt. I. *Parentibus omnes obediunto*. II. *Superioribus honorem, & obſervantiam deferunto*. III. *Inter proximos, & vicinos pacem, & concordiam concilianto*. IV. *Liberos, ac Nepotes literis, & diſciplinis honeſtis inſtruunto*. V. *Partes, & officia ſua quilibet debite exſequatur*. VI. *Nemini ulla injuria irrogetur ſive corporis læſione, ſive adulterio, ſive furto*. Quas leges ſingulis noviluniis, & pleniluniis præcones publici oppidatim per univerſum Sinarum Regnum paulo ante ſolis ortum magna voce recitare debent; imo eædem ab omnibus etiam pueris addiſcuntur.

Prima igitur inter Morales virtutes Cardinales dictas ex Sinarum mente Pietas eſt, ſeu obedientia erga Parentes; quæ Pietas ab ipſis definitur: *Ratio, ſive modus bene amandi*. Imò tanta Sinarum erga Parentes obſervantia eſt, ut eorum mortem amictu lugubri ad triennium uſque deplorent; quo tempore nec conjugia ineunt, nec gradus, vel officia ſuſcipiunt: locum quoque, cibum, ſupellectilem cum vilioribus permutant, nec niſi in humili ſcamno ſedent: officia etiam ſplendidiſſima deſerunt, atque domum ad juſta perſolvenda ſe conferunt, Plutarchi illud imitati: Γονεῦσι τιμὴν μετὰ Θεοὺς πρώτην, καὶ μεγίστην, *Parentibus honorem poſt Deos primum, & maximum deferendum*. Vid. Longobard. Ep. p. 29.

Secunda eſt Fortitudo, quæ à Confutio, & Mentio in Internam, & Externam dividitur. Prima eſt, qua vir nihil formidat; ſecunda, qua nil injuſtum, nil rationi abſonum admittit: utrumque enim animi debilitatem indicat. Hinc veram Fortitudinem in moderatione affectuum Sinæ cum reliquis ferè gentibus reponunt.

Tertia eſt Juſtitia, quæ ab ipſis definitur: *Lex, ſeu convenientia rectè agendi*.

Ultima Cardinalium virtutum Prudentia eſt, quam Confutius per exactam rituum, & exemplorum cognitionem definivit. Sunt autem & aliæ quinque virtutes his ancillantes, & veluti ex his ortæ; Veritas ſcilicet, Urbanitas, Beneficiorum grata memoria, Benevolentia erga bonos, & malos, amicos, & inimicos, & Modeſtia.

Tan-

Tandem pauca addam de Sinarum Characteribus, ſcribendi modis, Doctoratu, & ſimilibus. In Characterum numero determinando non omnes conveniunt. Petrus Jarricus Theſ. rer. Indic. t. 2. c. 17. quadraginta millia numerari poſse ait. Mercator Ati. Maj. quinque millia. Athan. Kirker. Oed. Ægypt. t. 3. Theat. Hierogl. c. 2. p. 10. octoginta millia eſſe ſcribit, quibus inſtructus eſſe debet, qui ad ſummos Literatorum honores adſpirare velit; ex quibus tamen tantum decem millia ad idioma perdiſcendum ſufficiant. M. Martinius Præf. Hiſt. Sin. ſexagies mille, omnes figura, & ſignificatione diverſos aſſerit. Alii denique uſque ad 120000. extendunt.

Scribendi autem modi quatuor numerantur. Primus eſt à dextra ſiniſtrorſum, qualis Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum, Arabum, & Ægyptiorum, teſte Herodot. in Euterpe. Alter à ſiniſtra dextrorſum, quem Græci, & Latini obſervant; & inter Orientales Armeni, Georgiani, & Æthiopes. Tertium βουστροφηδὸν nuncupant, quo ſcilicet ad modum boum ſulcos ducentium ſcribitur, incipiendo ſecundam, ubi prima linea deſinebat. Qui mos antiquiſſimis Græcorum patuit; ut patet ex Pauſania Eliacor. priori; qua etiam ſcriptura exaratæ erant leges Solonis. Quartus denique, & ultimus modus, quo à ſummo ad imum devenitur. Hoc uſi ſunt incolæ Taprobanæ, quæ eſt in Auſtrali Oceano, teſte Diod. Sicul. in fine l. 2. ubi ait: Γράφουσι δὲ τοὺς στίχους οὐκ εἰς τὸ πλάγιον ἐκτείνοντες, ὥσπερ ἡμεῖς, ἀλλ' ἄνωθεν κάτω καταγράφοντες εἰς ὀρθόν. *Scribunt verſus non eos in tranſverſum extendentes, uti nos, ſed à ſummo eos in imum rectâ diducendo.* Quod ſcribendi genus non apud Sinas tantùm, ſed apud pleroſque Indos in uſu eſt.

Præcipuum Sinarum ſtudium circa Eloquentiam eſt, ſed in ſcribendo potius, quàm eloquendo. Id Sinenſes ipſi confitentur, ſicut confeſſus eſt Doctor ille Sinenſis, qui cupidus ſcire ſtudia Europæorum, Matthæo Riccio ipſa exponenti (Matheſim namque, Ariſtotelicamque Philoſophiam commentario, Sinica lingua exarato, & ſæpiùs ab ipſis recuſo, Sinas docebat) reſpondit: *Video, vos incipere, ubi nos terminamus*; Eloquentiæ ſcilicet ſtudium notans, quod eos à puerili ætate ad ſenectutem uſque occupatos tenet. Trigaut. l. 4.

Tres autem literarum gradus à Sinis conferuntur, quos cum Baccalaureis, Licentiatis, & Doctoribus noſtris convenire ajunt Jarricus t. 2. Theſ. rerum Indic. pag. 636. & N. Trigautius l. 1. Expedit. Sin. c. 5. quos gradus inſignis quidam Literatus, Cancellarii quaſi munere à Rege ornatus, confert, inſtituto prius examine ſatis rigoroſo; quod præcipue in Thematis alicujus de Regno, & Rep. elaboratione conſiſtit: tam arctis tamen includitur limitibus, ut vix vigeſimus voti compos reddatur. Doctores verò creati inſignes immunitates, privilegia, & honores accipiunt, proprio habitu, pileo, & aliis Magiſtratuum inſignibus gaudent, & ad Reip. adminiſtrationem evehuntur.

Imperator Chingus, ſive Xius, ut omnium Imperatorum, qui ipſum præceſſerunt, famam extingueret, publico edicto omnes Sinicos libros exuri juſſit. Sed tamen M. Martinius Hiſt. Sin. l. 6. p. 210. ſubdit, eum inſigne dedecus, & infamiam apud poſteros inveniſſe, unde famam præclaram quæſierat.

Coronidis loco hic notandum, quod Martinius aſſerit, ſe ſcilicet in Provincia Fokien imagines quaſdam, Chriſtianæ Fidei, ibi ab Apoſtolo Thoma, ejuſque diſcipulis olim prædicatæ veſtigia vidiſſe, Cruces ſcilicet pervetuſtas (qualis eſt ea, quam P. Alvarus Semedo Relat. Magn. Chin. Monarch. Part. 1. c. 31. refert, anno Chriſti 1625. in Civit. Siganſù, Metropoli Provinciæ Xensì in marmore ſpithamas novem oblongo, lato quatuor, & unam profundo inſculptam, effoſſam fuiſſe, circa quam Chriſtianæ Fidei dogmata Sinicis, & Syriacis characteribus inſcripta erant; quæ fuſius apud ipſum, qui Crucem in

G Sinis

Sinis vidit, & dogmata interpretatus fuit, videre eſt) Idolum triceps, quod ſeipſum conſiderat; tabulas duas, quarum una refert duodecim venerabiles ſenes, altera Feminam, quæ in ulnis infantem geſtat, cum inſcriptione quadam, quæ ipſam poſt partum Virginem aſſerit. Quas imagines Martinius ipſe, ac plerique alii Sanctiſs. Trinitati, Sanctis Apoſtolis, & Beatiſs. Virgini ſimul & Matri applicant. Atque hæc de Sinis. Japon. Sectas vid. apud Xaver. in Ep. Ind. p. 68.

CAPUT VI.

De Phœnicum Philoſophia.

PHœnicum Philoſophia ſacris libris conformis magis viſa eſt, quia Phœnices ab Aſſyriis deſcendentes, Hebræis, penes quos omnis Sapientia erat, proximi habitabant. Phœnices itaque Syriæ populi, qui & Græcarum literarum inventores vulgò creduntur, Judæis contermini à Chanaan ortum ducentes, principaliorum Occidentalium Philoſophiæ ſectarum autores habentur. Pythagoras enim Italicæ ſectæ pater, Pherecydis Syrii, hoc eſt, in Syria Aſiæ parte, cujus Regio Phœnice eſt, diſcipulus fuit. Ipſe autem Pherecydes cujus auditor fuerit, non conſtat; unde à Suida αὐτομαθὴς creditus eſt, dum ait: *Fama eſt, eum eſſe præceptorem Pythagoræ, ſed à nemine inſtitutum: exercuiſſe autem ſeipſum, cùm comparaſſet ſibi reconditos Phœnicum libros.*

Thales quoque Jonicæ ſectæ pater ex illuſtri Phœnicum familia, referente Laërtio, aliiſque, ortus eſt: ſed de hoc fuſiùs in 3. libro agemus. Sic & Stoicorum ſecta a Zenone Citieate, hoc eſt in Citio Cypri oppido nato, ut teſtatur Laërt. Suid. & Cic. quod Phœnices, qui & Pœni dicti ſunt, tenuere: unde Cic. 4. de Fin. Pœnulum, & Suidas Phœnicem ipſum appellant.

Phœnices Hiſtoriæ, ut tradit Joſeph. l. 1. contra Apionem, à Phœnicum Sacerdotibus conſcribi conſueverunt; quæ verò ad Theologiam pertinebant, à ſolo Sanchoniathone Berytio (cujus elogium habet Porphyrius, & ex Porphyrio Euſeb. Præparat. Evangel. l. 10. c. 9. & de quo ſupra nos quædam attulimus) ſcripta ſunt; quæ tamen ipſe ab Hierombal Sacerdote Dei Jevo, hoc eſt, Deo Hebræorum, quem ipſi Jeova appellabant, didicerat. Probabile tamen eſt, Phœnicas aliam Theologiam, & Philoſophiam antiquitus habuiſſe, quàm quæ à Sanchoniatone in ſua hiſtoria tradita eſt; licet hic Trojanis temporibus antiquior credatur.

Denique notandum hîc ex Euſebio, Phœnicas, & Ægyptios primos fuiſſe, qui Soli, Lunæ, & Stellis divinitatem tribuerunt; quorum cultum omnibus ſuis Coloniis præſcripſerunt.

CAPUT VII.

De Ægyptiorum Philoſophia.

OMnis Africana Philoſophia, ex Joſepho Antiqu. Jud. l. 1. c. 16. in Ægyptiacam, Æthiopicam, & Lybicam dividitur. De quibus ſingillatim agemus. Et primo de Ægyptiaca.

Quamvis Ariſtoteles l. 1. de Philoſophia, referente Laërt. in Procem. Magos Ægyptiis antiquiores faciat; Ægyptiacam tamen Philoſophiam antiquiſſimam fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, vel ex eo evincitur, quod Ægyptii Abraham, & deinde Joſephum agnoverint Præceptores; & Moſes ipſe adhuc juvenis in omni Ægyptiorum Sapientia eruditus fuerit, ut habetur Act. Ap. c. 7. Quamvis Ægyptii Vulcanum Nili filium Philoſophiæ principia ſibi aperuiſſe dicant.

Ægyptii Sapientes (ſeu Sacerdotes; hi namque omnem ſcientiam profitebantur, quoſque Patriarcha Joſephus, ut ad ſcientias, & præcipuè Mathematicas, ex neceſſitate dimetiendi, limitibuſque ſignandi agros, quotannis ab inundante Nilo confuſos, incumbere poſſent, vacare permiſerat) variis apud autores nominibus inſigniti ſunt. Clem. Alex. 1. Strom. eos Prophetas appellat, quem multi quoque ſecuti ſunt. Democritus Arpedonaptas, & idem Clem. & Euſeb. eos Ægyptiaca voce Arſepedonaptas nominant. Suidas verò, cùm eos Γυμνὰς dixit, Gymnoſophiſtas appellaſſe viſus eſt.

Ægyptios Sacerdotes, referente Laërt. & Plutarch. Græci Philoſophi petiere; in primis verò Thales, qui *Nullo præceptore uſus eſt, niſi quod in Ægyptum profectus, ibi cum Sacerdotibus familiariter eſt verſatus*, ut ait Laërt. Pythagoras quoque, Plato, & Democritus, ut teſtatur Cic. 5. de Fin. inquiens: *Cur Plato Ægyptum peragravit, ut à Sacerdotibus Barbaris numeros, & Cœleſtia acciperet? cur ipſe Pythagoras & Ægyptum luſtravit, & Perſarum Magos adiit? cur hæc eadem Democritus?* Ad antiquitatem etiam Ægyptiæ Sapientiæ, reſpectu tamen Græcorum, probandam conducit, quod habet Plato in Tim. ubi de Solonis in Ægyptum itinere verba facit; quemdam ſcilicet ex Sacerdotibus Ægyptiis grandem natu Soloni dixiſſe: *O Solon, Solon, Græci pueri ſemper eſtis, nec quiſquam è Græcia ſenex. Quia juvenis ſemper vobis eſt animus, in quo nulla eſt ex vetuſtatis commemoratione priſca opinio, nulla cana ſcientia.* Iidem Ægyptii Sacerdotes Euripidem ad ipſos profectum, & ægrotantem, referente Laërt. in vita Platonis, marina aqua ablutum ſanitati reſtituerunt; quare poſtea dixit:

Θάλασσα κλύζη πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.
Mare proluit univerſa hominum mala.

Quin & dixiſſe ferunt juxta Homerum, Ægyptios omnes Medicos eſſe. Magnum ſiquidem antiquis temporibus Ægyptiorum Sacerdotum nomen fuit, Strabonis verò ætate, ut idem refert, prope nullum: *Hi enim Philoſophiam, & Aſtronomiam exercebant, & cum Regibus converſabantur*, teſte Porphyr. l. 17. de Abſtinent.

Præter hæc ſunt & alia veterum ſcriptorum teſtimonia, quibus aperte probatur, Græcos Ægyptum petiiſſe, ut ex Ægyptiis Sacerdotibus ſcientias fere omnes, quibus carebant, ediſcerent. Sic enim de Pythagora in Ægyptum proficiſcente Val. Max. l. 8. c. 7. *Ægyptum petiit, ubi literis ejus gentis aſſuefactus, præteriti ævi Sacerdotum commentarios ſcrutatus, innumerabilium ſeculorum obſervationes cognovit.* Et Divus Auguſt. de Ægyptiaca antiquitate in l. 18. Civ. c. 39. & 40. loquens, hæc habet: *Longe quidem ante Sapientes, vel Philoſophos Græcos: ſed tamen poſt Abraham, poſt Iſaac, & Jacob, & Joſeph, nimirum poſt ipſum Moſen.* Ubi Ægyptios etiam irridet, quod ſuarum ſcientiarum antiquitatem per centum mille annos jactant. Clem. quoque Alex. 1. Strom. Græcos Ægyptiis multum debere, fatetur, quod eos Scientias edocuerunt, & quòd *Democritus Morales libros ſcripſit Babylonicos. Dicitur enim Acieari columnam interpretatus eſſe, & ſuis ſcriptis inſeruiſſe.* Et Jamblic. de Myſt. ſect. 1. c. 2. *Si quod Philoſophicum dubium proponas, illud etiam determinabimus tibi juxta antiquas Mercurii columnas, quas Plato, & Pythagoras olim lectitantes, Philoſophiam inde conſtituerunt.* Et Euſeb. Præp. Evang. l. 10. pag. 480. Edit. Marcellian. id etiam evincit ex teſtim. Diod. Sicul. in Biblioth. Hiſt. l. 1. ubi hæc

Digitized by Google

Diodorus habet: *His autem à nobis bene dijudicatis, dicendum, quod quotquot apud Græcos glorificati fuerunt propter intelligentiam, & eruditionem, in Ægyptum antiquis temporibus advenerunt, ut legalium diſciplinarum, & eruditionis, quæ ibi erant, participes fierent. Sacerdotes enim Ægyptii, &c.*

Inter præcipua Ægyptiorum dogmata hæc ab Hecatæo, & Ariſtagora, ut ex Laërt. habemus, referuntur: Mundum ſcilicet eſſe genitum, mortalem, & ſphæricum: Materiam fuiſſe rerum principium: ex ea deinceps quatuor Elementa diſcreta, & plura animalia effecta: Deos eſſe Solem, & Lunam, illum Oſirim, hanc Iſin vocatos: Stellas eſſe ignem, quarum temperata commixtione cuncta ſuper terram naſcantur: Lunam deficere, cùm in terræ umbram incidit: Animum perdurare, & tranſmigrare: Pluvias ex aëris converſionibus fieri; & quæ ſunt hujuſmodi. Hæc eadem allegoricè etiam tradere ſolebant, rerum omnium principium Oſiridi, Iſidi, & Typhoni, hoc eſt, Soli, ſive principio activo, Lunæ, ſive principio paſſivo, & Mundo tribuentes; quæ Plato etiam, & Heſiodus imitati videntur. Videatur Cœlius Calcagninus l. 11. Epiſt. 1. de Oro Apolline, Plutarchus, aliique. Nugatorie etiam dicere ſolebant, ſtellas jam quater curſus ſuos vertiſſe, & Solem bis jam decidiſſe, unde nunc oritur, ut ait Mela l. 9. Plutarchus lib. de Iſide, & Oſiride ait, Ægyptios duo rerum mundanarum principia agnoſcere, omnis boni, & generationis unum, alterum omnis mali, & corruptionis. Ægyptii Philoſophiam ſuam referre ſolent ad Iſim, Oſirim, Vulcanum, Mercurium, & Herculem, ut teſtatur Diod. Sicul.

Prima autem, & propria Ægyptiorum diſciplina circa triplicem verſabatur ſcripturam; Vulgarem ſcilicet, ſive communem Ἐπιςολογραφικὴν, qua in Epiſtolis ſcribendis utebantur: Sacram, ſeu Sacerdotalem, Ἱερατικὴν, qua ſcilicet Ἱερογραμματεῖς, Scribæ Sacrorum in ſacris ſcribendis utebantur; & Ἱερογλυφικὴν, ſive Sacrarum rerum Sculpturam, quæ & ipſa variabat, ut pluribus oſtendit Clem. Alex. 5. Strom. Quorum quoque meminit Porphyrius in vit. Pythag. Lucianus in Hermotimo, Cyrillus l. 9. adverſus Julianum, Plutarchus de Iſide, & Oſiride, Jamblicus, aliique. Videatur præter hos Joh. Pier. Valer. qui ſpeciale, & eruditum de Hieroglyphicis Ægyptiis Volumen confecit.

Et quidem Ægyptiaca Philoſophia magna ex parte allegoriis occultari conſuevit, quæ philoſophandi ratio Ægyptiis propriam Philoſophiam conſtituebat. Quem etiam docendi morem Chriſtus Dominus ſervaſſe viſus eſt, qui in Evangeliis ait: *Aperiam in Parabolis os meum, & in ænigmate antiqua loquar:* & alibi in eiſdem Evangeliis de Chriſto ſic dicitur: *Jeſus in Parabolis loquebatur ad turbas.* Videantur Ægyptiorum Myſteria à Jamblico ſcripta, qui Porphyrii diſcipulus fuit, & de Ægyptiorum Sacerdotum Religione, & rebus divinis ſcripſit.

Clem. Alex. Strabo, Herodotus, aliique plures, artes Ægyptios inveniſſe, ſcribunt, tum liberales, tum mechanicas. Sic enim Clem. 1. Strom. *Primi itaque Ægyptii Aſtrologiam ad homines deduxere . . . . . Ægyptii rurſus primi lucernas accendere docuerunt, & annos in menſes duodecim diviſerunt, & in templis cum mulieribus coire prohibuerunt, neque ad ſacra ab uxore illotis adeundum eſſe, lege ſanxerunt. Et rurſus inventores fuere Geometriæ.* Sed cum ſupra ſatis probatum ſit, ſcientias non minus, quàm mechanicas artes ab Hebræis inventas fuiſſe; dicendum potius eſt, Ægyptios aut aliquas inveniſſe, aut ab Hebræis inventas exercitatione auxiſſe.

Idem Clem. 6. Strom. ait, ex ſacris Ægyptiorum ceremoniis apparere, Ægyptiis propriam quandam fuiſſe Philoſophiam; ſed cujus partes non omnes in omnibus exigerentur. Aliud enim ſibi vindicat Muſicus ὁ ὠδὸς, ſive Cantor, qui primus procedebat, ſymbolum aliquod muſicum geſtans, ac duos illos

Mer-

Mercurii libros, quorum unus Hymnos Deorum, alter rationem vitæ Regiæ continebat.

Aliud Horoſcopi, ſive Aſtrologi munus, & ſcientia; ipſe enim Cantorem conſequens, horologium, & palmam in manu geſtabat, Aſtrologiæ ſymbola; in ore autem quatuor Hermæ libros Aſtrologicos, quorum unus de quinque planetis, alter de Sole, & Luna, tertius, & quartus de ortu ſiderum.

Tertius ſequebatur Ἱερογραμματεὺς, ſive Sacrorum Scriba, pennas in capite geſtans, habens in manibus librum, & regulam, in qua atramentum ſcriptorium, & calamus ad ſcribendum. Hunc ſcire oportebat Hieroglyphica, Coſmographiam, Geographiam, Aſtronomiam, Ægypti Chorographiam, Nili, omniumque locorum ſacrorum deſcriptionem, & dimenſionem, & quicquid in ſacris utile erat.

Quartus ordine ſuccedebat Στολιςὴς, ſive Ornator, qui juſtitiæ cubitum, & calicem ad libandum habebat. Hic Παιδευτικὰ, ſive quæ ad eruditionem, & liberales diſciplinas pertinent, & Μοσχοσφαγιςικὰ, hoc eſt, doctrinam de Sacrificiis Vitulorum, & circa hæc ceremoniis, noverat.

Ultimus erat Propheta, hydriam in ſinu geſtans, & ponè ipſum, qui panes emiſſitios portabant. Erat hic τῶν ἱερῶν, καὶ τῶν προσόδων ἐπιςάτης, Sacrorum, & vectigalium Præfectus, qui ἱερατικὰ βιβλία, Sacerdotales libros edidicerat, in quibus de legibus, Diis, ac univerſa Sacerdotum diſciplina. Omnes autem Sacerdotales libri à Mercurio Ægyptio conſcripti erant 42. quorum 36. omnem Philoſophiam Ægyptiorum continentes, ab iis ediſcebantur, quos modo diximus, reliquos vero ſex de Medicina tractantes Παςοφόροι, ſeu pallium geſtantes ediſcebant.

Quod vero ad Moralem Philoſophiæ partem attinet, notandum hîc Strabonis illud l. 17. *Id de maxime laudatis eorum moribus eſt, quòd omnem prolem educant*. Et quidem eorum Mercurius non ſolum literas, & ſcientias, ſed & leges ipſis tradiderat, ut præter Laërtium refert Cic. 3. de Nat. Deor. ubi ait: *Mercurius dicitur in Ægyptum præfuiſſe, atque Ægyptiis leges, & literas tradidiſſe*.

In Theologicis denique optime ſentiiſſe viſi ſunt, qui, ut Jamblicus refert, docebant, quòd *Deus eſt Principium, Unitas, ſupereminenter Ens, ipſum Unum ſuper ens, ſuper Intelligibile totum. Nam opifex Intellectus, qui & Veritatis Dominus eſt, atque Sapientia &c.* Et Plutarchus l. de Iſide affirmat, quòd in Templo Minervæ in Ægypto hæc legebatur inſcriptio: *Ego ſum, quod extitit, eſt, & erit, meumque peplum nemo mortalium unquam detexit*. Quod Sacræ Scripturæ ſenſui conforme videtur, in qua Deus de ſe ait: *Ego ſum qui ſum*. Imo idem Plutarch. ibidem nobis oſtendit, Ægyptios Divini Verbi cognitionem ab Hebræis habuiſſe, inquiens: *Quod Mens, & Verbum Dei, cum eſſet per ſe in inviſibili, & in abdito, proceſſit motu ad creationem*. Quare factum eſt, ut ex ipſis Ægyptiis ſuam illam de Verbo doctrinam Plato à Præceptore ſuo Sechnuphide Ægyptio hauſerit, ut fuſiùs infra in Vita Platonis.

Ægyptii ſuam etiam Theologiam Hieroglyphicis occulere, & involvere ſolebant; qui de Heroibus, Transmigratione, & Dæmonibus, ſeu Spiritibus ea ſentiebant, quæ Græci deinde ex ipſis habuerunt. Tandem ex Clem. Alex. quinto Strom. notandum hîc eſt; quòd Ægyptii non omnibus ea, quæ apud ipſos erant, committebant Myſteria; neque rerum Divinarum cognitionem deferebant ad profanos, ſed ad eos ſolum, qui erant ad Regnum perventuri, & ex Sacerdotibus iis, qui erant judicati probatiſſimi, & educatione, & doctrina, & genere. Illi vero, qui ad Regnum, & ad Prophetiam erant electi, Hebræorum more ungebantur.

CA-

CAPUT VIII.

De Philoſophia Æthiopica, & Libyca.

ÆThiopum Sapientes Divus Hieron. l.4. in Ezech. c.13. Gymnoſophiſtas appellavit, dum ait: *Indorum Brachmanes, & Æthiopum Gymnoſophiſtas*. Forſan quia Æthiopes nomen ſimul, & Philoſophiam ex Indis retulere; ut videre eſt apud Philoſtratum in Vita Apollon. l. 6. c. 4. & Lucianum, qui Æthiopum Philoſophos Indorum propaginem facit. Gymnoſophiſtas in Ægypto etiam fuiſſe, eoſque Nili longitudinem habitaſſe, cit. Philoſtratus teſtatus eſt in Vita Apollonii, quem ad hos Ægyptios Gymnoſophiſtas profectum ait. De his in Fugitiv. loquens ſubdit: *Sapientia vero magis ab Indis ſuperantur, quam ipſi cæteros Ægyptios ſuperent eâdem*. Laërtio quoque, & Heſychio Democritus ad Gymnoſophiſtas, Æthiopum Doctores Philoſophiæ cauſſa profectus creditur. Refert Clem. Alex. 7. Strom., quòd Æthiopes ſibi ſimiles fingunt Deos, nigros ſcilicet, & ſimos; Thraces vero fulvos, & cæruleos.

Libyca Philoſophia, præſertim vero Aſtrologia ab Atlante originem duxiſſe, omnibus ferè traditur; unde & Atlas ob ſummam Aſtrologiæ peritiam, Cœlum humeris ſuſtinere creditus, altiſſimo Monti ex ſui nomine nomen fecit. Atque hinc etiam factum eſt, ut Libycam Philoſophiam profitentes & Libyci, & Atlantici à Diod. Sicul. Divo Auguſt. aliiſque dicti ſint.

Fuit autem Atlas, quem Laërt. in Præfat. Libycum facit, & inter antiquos Philoſophos commemorat, Libyæ filius, ſicut Plinio l.7. c.56. placet, & Saturni frater, ut vult cit. Diod. Sicul. qui de eo hæc habet l.3. *Aſtrologiæ exactam cognitionem habuiſſe perhibent, qui & Sphæræ rationem primus manifeſtavit. Ex quo Mundum univerſum humeris ejus incumbere, opinio nata eſt*. Et Euſeb. in ſua Chronica Atlantem, quem Promethei fratrem fuiſſe putat, ſex annis poſt mortem Patriarchæ Joſeph, & alibi ſex annis poſt natum Moſem locavit; de quo ſubdit: *Atlas frater Promethei præcipuus Aſtrologus fuit; qui ob eruditionem diſciplinæ Cœlum etiam ſuſtinere dictus eſt*. Et Virg. 1. Æneid.

- - - - - Cithara crinitus Jopas
Perſonat aurata; docuit, quæ maximus Atlas,
Et canit errantem Lunam, Soliſque labores.

Cic. autem 5. Tuſcul. loquens de Secta ab Atlante inſtituta, quæ de Atlante fabuloſe traduntur, ea ad hiſtoriam retuliſſe viſus eſt, dum ait: *Nec vero Atlas ſuſtinere Cœlum, nec Prometheus affixus Caucaſo, nec ſtellatus Cepheus cum uxore, genero, filia traderetur, niſi Cœleſtium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulæ traduxiſſet, à quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione ſtudia ponebant, Sapientes & habebantur, & nominabantur*.

Phryges etiam ſuam Philoſophiam habuerunt, quæ magis cognita eſſet, ſi extaret Democriti Λόγος Φρύγιος, Sermo Phrygius, ſive de Philoſophia, & rebus Phrygiis, quem Laërt. memorat l.9. De eorum Theologia vide Diodorum Siculum, & Euſebium.

CA-

CAPUT IX.

De Philoſophia Scytharum, Thracum, & Gallorum.

NON equidem nego, fuiſſe Scythas gentes indomitas, agros habitantes, indolis ſævæ, & brutalis potius, quàm humanæ, nec ad literarum ſtudia pronæ; nulla tamen ex antiquiſſimis nationibus gens fuit, quæ ſuos Sapientes, & Philoſophos non habuerit, ut notat Clem. Alex. 1. Strom. unde & Scytharum genti ſuos Doctores fuiſſe dicendum eſt: quorum unum Anacharſim Scytham memoraſſe ſufficiat, quem Laërtius inter antiquos Sapientes ex multorum opinione retulit, quique ſcribitur, Græcorum multis antecelluiſſe Philoſophis, apud quos etiam in admiratione fuit. Hic dicere ſolebat: Mihi indumentum eſt læna, cæna lac, & caſeus. Et hæc eſt Barbara Philoſophia, ſed vera, quæ facta, non verba profitetur. Sed de hoc fuſius in 3. libro, ubi de Græciæ Sapientibus, inter quos Anacharſis numeratus eſt, agemus. Juſtin. l. 2. c. 1. Scythas Ægyptiis ipſis antiquiores facit; ait enim: *His igitur argumentis ſuperatis, Ægyptiis antiquiores ſemper Scythæ viſi*. Clem. Alex. loc. cit. inter Scythas, & propriè inter Bactrios fuiſſe Samanæos Philoſophos, refert.

Inter antiquos Europæ Sapientes maxime ſemper celebrati ſunt Thraces. Quæſtio tamen inter ſcriptores eſt, num Thraces Græcis fuerint antiquiores. Cum enim, ut Laërt. aliique referunt, Thraces à Zamolxi Philoſophiam hauſerint, qui Zamolxis Pythagoræ ſervus creditur; dicendum eſſet, Thraces Philoſophiam Græcis debuiſſe. Verùm qui rem attentiùs penſitarunt, Zamolxim, à quo Thraces Philoſophiam habuere, multis ante Pythagoram annis exſtitiſſe, ex Chronicis eduxerunt, ut Herodotus, quem Laërtius ſibi arrogat, aliique. Hinc (ſi quis unquam fuerit Pythagoræ ſervus nomine Zamolxis) duos Zamolxes diſtinguunt, quorum unum quidem Pythagora antiquiorem, Thracum Magiſtrum; alterum verò Pythagoræ ſervum faciunt: imò ipſummet Pythagoram à Thracibus multa hauſiſſe, multi cum Hermippo contendunt.

Verùm quicquid de hac temporis antiquitate ſit, illud certum eſt, Zamolxim, & Pythagoram in multis conveniſſe, præcipue vero in Metempſychoſi, quam Thraces à Zamolxide edocti fuere, ut refert Julianus in Cæſaribus. Neque parvi momenti illud eſt, quod habet præ cæteris Suidas, Græcos ſcilicet à Thracibus Religionis Myſteria accepiſſe, quod à nomine Θρησκείας probare videtur; quod nomen à Thracibus deveniſſe autumat.

Qualis autem fuerit Thracum Philoſophia ex parte cognoſci poterit ex doctrina Orphei, qui Thrax fuit; de quo plura inferius, ubi de Philoſophia Mythica. Quædam autem hic ex Herodoto decerpta de Thracum Theologia tradam. Animam Thraces immortalem ponebant, quæ ex hoc Mundo egreſſa in Zamolxidis ſinu (quem proprium Legiſlatorem tanquam Dæmonem, ſeu felicem Genium honorabant) quieſceret. Eorum mos erat ſuper recens natos nimium ingemiſcere, quòd plures miſerias, & ærumnas pati deberent; contra vero ſuper mortuos omnia lætitiæ ſigna dabant, quòd ex his mundi miſeriis egreſſi fuerint. Polygami cum eſſent, ſi quis plurium uxorum vir moriebatur, ſingulæ ejus uxores id ſumme contendebant, ut ſe ſupra reliquas à defuncto amatam demonſtraret: quod ſi quæ probaſſet, id ei in præmium dabatur, ut una cum marito ſepeliretur.

Dacos quoque, ſive Danos Thraciæ populis quidam adnumerant (Daciam enim alii Scythiæ Europææ regionem, alii vero Thraciæ partem, vel ei conter-

terminam faciunt) quorum Doctores Joſephus Antiqu. Jud. l. 18. c. 2. Πλίςας, Pliſtos appellat; quos ſumme laudans Eſſæis æquiparat, de quibus ibi loquens ait: *In ſumma eandem fere vivendi rationem ſequuntur, quam hi, qui apud Dacos Pliſti nominantur.*

Gallos, ſive Celtas Philoſophiam Druidæ docuere, & qui Semnothei, ſeu (ut quidam, à ſuppoſititio illo Beroſo Annii Viterbienſis decepti, volunt) Samothei à Deorum cultu, & religione vocabantur, ut teſtatur Laërt. ex Autore Magici, & Sotione in 13. Succeſſion. lib. Cur autem Druidæ dicti ſint, non bene conſtat apud Etymologos. Quidam volunt, Druidas eſſe à Δρῦς, *Quercus*, cujus ſumme admiratores, & amatores erant; ejus enim frondibus caput coronabant, & omnia ſacrificia ornabant; nemora, in quibus quercus frequentiſſimæ, habitabant, & venerabantur; de quibus ſic Plin. l. 16. c. 44. *Nihil habent Druidæ viſco, & arbore, in qua gignatur, ſi modò ſit robur, ſacratius. Jam per ſe roborum eligunt lucos, nec ulla ſacra ſine illa fronde conficiunt*; *ut inde appellati quoque interpretatione Græca poſſint Druidæ videri.*

Sed potius audiendus videtur Strabo, qui ait, in vocibus barbaris non quærenda eſſe Etyma Græca. Quare, inquit Voſſius l. 1. Orig. progr. Idololatr. c. 35. veroſimilius videri, Druidarum nomen potius à lingua Celtica peti debere, & proprie à voce Deru, qua quercus ſignificatur. Illud tamen hic non prætercam, fuiſſe inter autores, qui putarunt, Druidarum etymon eſſe à verbo *Deruſſim*, ſive *Doreſim*, quod Hebraicè *Inquirentes* ſignificat, eoquod naturæ operum contemplationi operam dantes, eorum cauſſas ſeriò inquirerent. Alii denique Druidas dictos eſſe à quarto Gallorum Rege, putant, cui nomen Drius, qui præcipuus Druidarum inſtitutor fuit.

Tanti autem viſcum, quem plerumque producunt quercus, Druidas æſtimaſſe, & veneraſſe, dicitur, ut ipſum nonniſi Druidarum Sacerdotum unus, alba veſte indutus, & aurea falce in Religioſi eorum anni initio colligeret; & cum ſuper aureum pannum decidentem exciperet. Deinde Druidæ duos tauros injuges, & albos ſacrificabant, ac feſtos celebres dies ſtatuebant; putantes, nullum donum ipſo præſtabilius à Diis hominibus conceſſum eſſe. Hinc viſcum potù hauſtum cuncta animalia fecundiora reddere, alexipharmacam vim, atque ſingulares alias virtutes habere, credebant. Serpentum etiam ovis utebantur ad Procerum gratiam càptandam, & propria munia feliciter perficienda; eoque remedio nullum validius arbitrabantur ad ſua vota implenda, ut ex Plinio habemus.

Quamvis Cæſar lib. 6. & Cic. 1. de Divinat. omnes Galliæ Sapientes, ſub uno Druidarum nomine comprehenderint; Strabo tamen l. 4. eos triplicis generis eſſe dixit; cujus verba, pleniorem de his notitiam tradentia, ſunt: *Apud univerſos ferè tria ſunt hominum genera, quæ in ſingulari habentur honore, Bardi, Vates, & Druidæ. Horum Bardi Hymnos canunt, Poëtæque ſunt. Vates ſacrificant, & naturam rerum contemplantur. Druides præter hanc Philoſophiam etiam de moribus diſputant. De horum juſtitia ſumma omnium eſt opinio. Itaque & publica iis, & privata judicia committuntur; & aliquando cauſſis bellorum diſceptandis jam acie congreſſuros compoſuerunt. Maxime judicia de cæde iis commiſſa ſunt.*

Et Ammianus Marcellinus non aliter de Gallorum Sapientibus ſentiiſſe videtur, dum ait lib. 15. *Per hæc loca hominibus paulum excultis viguere ſtudia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos, & Eubages, & Druidas. Et Bardi quidem fortia illuſtrium virorum facta heroicis compoſita verſibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt: Eubages vero ſcrutantes ſeria, & ſublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos Druidæ ingeniis celſiores, ut autoritas*

Py-

Pythagoræ decrevit, ſodalitiis adſtricti conſortiis, quæſtionibus occultarum rerum, altarumque erecti ſunt, & deſpectantes humana, pronunciarunt animas immortales. Lucanus quoque de Bardis ſic cecinit lib. 4.

Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremtas,
Laudibus in longum vatis demittimus Ævum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina, Bardi.

Ex quibus allatis ſcriptorum teſtimoniis eruitur, Gallorum Sapientes omnes Philoſophiæ partes, Metaphyſicam ſcilicet, Phyſicam, & Ethicam; Hiſtoricam præterea, & Poëſim, tanquam Philoſophiæ ornamenta, Deorum cultum, & Sacrificiorum ritus exercuiſſe.

Druidæ, ut Cæſar cit. l. 6. refert, dicebant: *Non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios*. Et Laërt. in Præfat. addit, Druidas obſcure, ac per ſententias philoſophari; eoſque docere, colendos Deos, nihil mali faciendum, & exercendam fortitudinem. Unde Galli in præliis animoſi. Sic Lucan. l. 1.

- - - - - *Vobis autoribus Umbræ*
Non tacitas Erebi ſedes, ditiſque profundi
Pallida regna petunt: regit idem ſpiritus artus
Orbe alio, longæ canitis ſi cognita vitæ.

Et Cic. de Divination. l. cit. *Siquidem & in Gallia Druides ſunt, e quibus ipſe Divitiacum Heduum, hoſpitem tuum, laudatoremque cognovi; qui & naturæ rationem, quam Græci Phyſiologiam appellant, notam eſſe ſibi profitebatur; & partim auguriis, partim conjectura, quæ eſſent futura, dicebat*. Druidæ itaque non ſpernenda Philoſophiæ dogmata de Aſtris, Mundo, Natura, & Elementis, Deorumque immortalium potentia tradiderunt. Quod ſi Metempſychoſim tantopere propugnabant, id propterea faciebant, ut mortis timorem ab hominum animis excutientes, eos redderent fortiores. Unde ſic Lucan.

Maximus haud urget lethi metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris; animæque capaces
Mortis, & ignavum rediture parcere vitæ.

Ex eodem Cæſare, qui diu univerſæ Galliæ dominatus eſt, l. 6. de Bello Gall. exactiſſima Druidarum inſtituti, & doctrinæ deſcriptio habetur. Ait enim, eos cuncta, quæ ad Religionem, & Sacrificia ſpectabant, adminiſtraſſe: totam juventutem in diſciplinis, propriiſque inſtitutis addiſcendis conſumſiſſe: lites omnes ſive de bonis, & hæreditatibus, ſive de reis vel morte mulctandis, vel abſolvendis, ipſos definiviſſe; pœnas, & præmia eos cunctis tribuere ſolitos. Quod ſi quis eorum ſententiæ acquieſcere noluiſſet, excommunicatus rebus ſacris, hominumque conſortio, & tanquam impius, & ſceleſtus omni prorſus honore privabatur. Unum Druidis ſupremum Caput, & Præſes erat, quo defuncto ſuccedebat dignior meritis, vel majori ſuffragiorum numero electus; unde quandoque ad arma quoque ventum eſt. Semel in anno in ſacro quodam loco congregabantur ad lites, & judicia omnia definienda. Ab omni tributo, & vectigali, & ab omni prælio immunes erant. Cæſaris verba loc. cit. ſunt: *Illi rebus divinis interſunt; ſacrificia publica, & privata procurant; religiones interpretantur. Ad hos magnus adoleſcentum numerus diſciplinæ cauſſa concurrit; magnoque ii ſunt apud eos honore; nam fere de omnibus controverſiis publicis, privatiſque conſtituunt; & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditatibus, de finibus controverſia eſt, iidem decernunt: præmia, pœnaſque conſtituunt; ſi quis autem privatus, aut publicus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt &c.*

Notandum præcipue hic eſt, quod habet idem Cæſar ib. Druidas ad

Deorum iram ſedandam, iis vivos homines immolaſſe: *Pro victimis*, inquit, *immolant homines, aut ſe immolaturos vovent, adminiſtriſque ad ea ſacrificia Druidibus utuntur: quod pro vita hominis niſi vita hominis reddatur, non poſſe Deorum immortalium numen placari*, *arbitrantur*. Hinc Romani hanc Druidarum Sectam ſæviſſimam, ejuſque Sacrificia impia reputantes, eam funditus evertere conati ſunt. Et jam tandem, ſi Plinio, & Suetonio l.30.c.1. in Claud. credendum eſt, Druidarum Religio temporibus Tiberii, & Claudii Imperatorum prorſus ſublata eſt. Hinc Lucan. l. 1. de ipſis ait:

Et vos barbaricos ritus, moremque ſiniſtrum
Sacrorum, Dryidæ, poſitis repetiſtis ab antris.
Solis noſſe Deos, & Cœli numina Vobis,
Aut ſolis neſcire datur: nemora alta remotis
Incolitis lucis . . . .

Refert idem Cæſar ibid. Druidarum Philoſophiam à Britannia in Galliam translatam fuiſſe: ait enim: *Diſciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata eſse exiſtimatur. Et nunc qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumque illò diſcendi cauſsa proficiſcuntur*. Joh. Lud. Viv. de Cauſſis corrupt. Art. l. 1. p. 5. poſtquam de Pythagora aſſeruit, quod nihil ſcripſerit; addit: *Eadem propemodum fuit Druidarum Galliæ Sacerdotum mens*. Et poſt pauca: *Druidarum nihil eſt reliqui*. Et quidem libros non habebant, ſed omnis eorum ſcientia quidam memoriæ conatus erat; ita ut quandoque verſus ad viginti millia memoriter collectos recitarent, quibus veluti hiſtoria laudum heroum continebatur, ipſamque poſteris per traditionem relinquebant. Aſtrologiæ etiam, Geometriæ, Geographiæ, ac præ cæteris Politices periti erant; unde publicarum, privatarumque rerum arbitri erant. Quare non immeritò eos Laërtius Chaldæorum, Græcorum, Perſarum, & Indorum Sapientibus æquiparat: & Diodor. Sicul. eos Theologos fuiſſe, addit. Dignum tamen, quod hic notetur, eſt, fuiſſe inter autores, qui putarunt, Druidas, ſive Saronidas Carnutum, ſive Autricum Carnutum, Gallicè Chartres antiquiſſimam, ac celeberrimam Galliæ Urbem, ædificaſſe, & Chriſti Jeſu ex Virgine Matre nativitatem prædixiſſe. Quare Priſcus, Carnuti pro Romanis Gubernator, Templum huic tam fortunatæ Virgini erexit, cui hæc inſcripſit: *Virgini Pariturae*. Vide Sebaſt. Rovillard Hiſt. de l'Egliſe de Chart. atque alios.

Denique notandum, Diodorum Siculum Græca voce Σαρωνίδας Saronidas appellaſſe, eo quod Σαρωνίδων, hoc eſt, quercuum amatores eſſent.

Divus Auguſtin. l.8. Civit. c. 9. Barbaris Philoſophis Hiſpanos quoque adnumerat; ſed quoniam nec quæ eorum doctrina, nec quod nomen eis fuerit, nobis adhuc compertum eſt; illos conſultò prætermittimus.

Illud tamen non prætereibo, fuiſſe in Italia Philoſophos à loco Tyrrhenos appellatos, quibuſcum Pythagoras, ex Porphyrio in ejus vita, aliiſque, converſatus dicitur. Eorum diſciplinam Cicero, aliique deſcribunt ſub Etruſcorum nomine. Et Strabo refert Muſicam, Divinationem, & alia, quæ Romani ſunt ex illis mutuati. Sed ab Europæa Barbarica Philoſophia ad alteram Europææ Philoſophiæ partem, quæ in vaſtiſſimis Græciæ provinciis floruit, ad Græcanicam ſcilicet, quæ huic tertio Hiſtoriæ Philoſophiæ libro materiam præbet, accedamus.

LI.

LIBER III.

De Philoſophia Græcanica.

QUamvis ex ſuperius probatis ſatis ſuperque nobis conſtet, Sapientiam, ipſamque Philoſophiam omnium primò apud Hebræos floruiſſe, à quibus deinde ad omnes Mundi gentes derivavit; ſi tamen verum fateri velimus, nos Græcis Philoſophiam, ſicut & ſcientias omnes acceptas ferre debemus. Enimvero etiamſi verum ſit, *Philoſophorum Græcorum plurimos*, ut inquit Clem. Alex. 1. Strom. *aut genere Barbaros, aut à Barbaris eruditos fuiſſe*; &, ut idem Alex. loc. cit. ait, *Philoſophia, res varie utilis, olim quidem apud Barbaros floruit, à gente ad gentem emicans, donec ad Græcos traducta eſt*; rudis tamen ille Philoſophiæ embryo, qui apud Barbaros, Ægyptios potiſſimum erat, à Græcis adeo illuſtratus, & auctus eſt, ut ad id Philoſophicæ perfectionis eorum ſtudio, & labore ventum ſit, quo eam nunc eſſe conſpicimus. Non equidem nego, Homerum, & Heſiodum, quos deinde Thales, Pythagoras, Plato, aliique ſecuti ſunt, omnium primò anno ab Orbe condito 3000 in Ægyptum navigantes, Philoſophiæ, ſcientiarumque omnium ſemina inde ad ſuos deportaſſe; verùm ea deinde ipſi adeo excoluerunt, illuſtrarunt, auxerunt, ut non immerito Philoſophiæ, ſcientiarumque omnium inventores & dicti, & habiti ſint. Accedit, quod Hebræorum, & Barbarorum omnium Philoſophia tota fere circa Deorum cultum, vel mores componendos verſabatur; Græcanica vero præter has Theologicam, & Ethicam Philoſophiæ partes, Phyſiologiam potiſſimum exercuit. Sed antequam ad Philoſophiam, quæ à Græcis Philoſophis clare, & per præcepta tradebatur, accedamus; de Mythica, ſeu Fabuloſa, quæ à Poëtis fictis fabulis tradita, pauca attingere placuit.

CAPUT I.

De Philoſophia Mythica.

MYthica Philoſophia eſt, quam Poëtæ tractarunt, qui fictis plerumque perſonis, & geſtis, non ſolum Moralem, ſed Naturalem etiam Philo-

ſophiam fictis Μύθοις, Fabulis involutam homines docuerunt; unde Mythica, & Poëtica Philoſophia audit. Et profectò quædam in Poëtarum ſcriptis ſunt, quæ ad utramque Philoſophiam, Moralem ſcilicet, & Naturalem pertinent.

Hujuſmodi Philoſophiæ Anteſignanus Doctor extitit Homerus, magnus ille Sapientiæ antiſtes, quem divinam ſortitum naturam Democritus dixit, variorum carminum ornatum fabricatum fuiſſe; cùm non inſit ulli ea vis, ut ſine divina, & geniali natura tam ſapientes, & elegantes faciat verſus. Et ab ipſo quidem multa Philoſophi didicerunt, à quibus magno ſemper in pretio habitus eſt: unde Zeno Citieates, Stoicorum Dux, Homericarum Quæſtionum libros quinque compoſuit. Et Magnus ille Alexander Homeri libros non ſolum in precio habuit, ita ut oblatam ſibi de Darii ſupellectile arculam, & precio, & opere incomparabilem, illorum cuſtodiæ deſtinarit; ſed etiam in deliciis; nam dormiens eos ſub pulvinari una cum pugione reponebat. Et Divus Baſilius, *Omnis Poëſis Homeri*, inquit, *eſt laudatio virtutis, omniaque ad hoc refert, &c.* Et Plutarchus in Vita Alcibiadis notat de ipſo hoc celebre factum: *Ubi ex pueris exceſſit, adiit ludimagiſtrum, poſtulavitque volumen Homeri. Qui cum nihil ſe diceret Homeri habere, inflicto colapho, reliquit eum.* Cum alius ſe habere diceret Homerum, quem ipſe emendaſſet: *Et tu*, inquit, *literas doces, qui vales emendare Homerum? Quin juvenes inſtruis?* Adeo verum eſt, veteres omnes magni ſemper Homerum æſtimaſſe. Idem Plutarchus in Lycurgo hoc de Homeri Poëſi judicium profert, cùm de Lycurgo loquens, in Aſiam profecto, ait: *Ibi cùm legiſſet primum, ut arbitror, verſus Homeri, qui apud Cleophili poſteros aſſervabantur, ubi animadvertit in iis diſperſam non minorem oblectamento illecebrarum, & crapulæ, quam civilem prudentiam, eruditionemque; deſcripſit, conſarcinavitque eos ad deferendum domum ſtudioſe. Jam enim obſcurum quoddam apud Græcos illius poëmatis erat nomen, & rari fragmenta habebant, quæ ſparſim, & incondite circumferebantur. Primus autem omnium vulgavit ea Lycurgus.* Et Johannes Ludovicus Vives de tradendis Diſciplinis lib. 3. pag. 528. & 529. hoc de Homero judicium profert: *Primum quæ ſcripſit, non dicere videtur, ſed ante oculos ſiſtere; ea eſt quaſi depingendi vis, & efficacia: qua virtute poſteros omnes adhuc ſine controverſia ſuperat: nec corpora expreſſit modo, ſed animorum reconditos illos motus, qui ſub ſenſus non veniunt; ut nihil eſſe aliud ejus poëma videatur, quàm imago vitæ humanæ, &c.* Plura vide apud ipſum loco citato.

Ab Homeri, & Heſiodi ſcriptis omnis Theogonia, quam ipſi ab Ægyptiis acceperant, ad Græcos derivavit. Verum quæ Poëtæ de Cocyto, Phlegetonte, Tartaro, & ſimilibus commenti ſunt, per quæ animi perturbationes intelligebant, Sapientes non ſic credebant, ut narrabantur, ſicuti vulgus faciebat. Unde Cic. 1. Tuſc. Quæſt. inquit: *An tu hæc portenta Inferorum eſſe credis?* Et id genus alia, quæ ipſe retulit in libris de Nat. Deorum. Hæc enim, & ſimilia ad Moralem Philoſophiam ſpectantia, non ſecundum literam accipienda ſunt.

Atque hinc facile educitur, non eſſe cujuſvis fructum Sapientiæ, & Prudentiæ ex Homero carpere, ſed ejus tantummodo, qui aliquantum in rerum natura, ac virtute profecit: quin moribus etiam periculum erit à fœdis illis, quæ Poëta de Diis narrat, tanquam de ſuibus. Idcirco Plato in Alcibiade putat, *Non debere eos, qui Sapientiæ nec dum ſunt initiati, incidere in Homerica Poëmata, ne Heroa illum arbitrentur ſcribere fabellas.* Imo quandoque tam obſcurus Poëtæ ſenſus eſt, ut nec ſatis fabulas capiant ipſi Philoſophi; unde alius hoc, alius illud ſignificari conjectet, nec tam fabulas ſententiæ ipſius Poëtæ adaptet,

ptet, quàm ſuam fabulis, ut perperam aliquos feciſſe notat Stobæus in Eclogis Phyſic. l. 2. c. 1.

Orpheus quoque inſignis ille Poëta Thracius, qui magnus profanæ antiquitatis Theologus habitus eſt, cujus verſus piiſſimis de Diis ſententiis pleni ſunt, Metaphyſicam Philoſophiæ partem optime per fabulas poëtice docuit. B. Juſtinus quoſdam Orphei verſus citat, in quibus ille de Abraham, & Tabulis Decalogi Moſis mentionem facit. Multi vero plurima, quæ Orpheo tribuuntur, opera, non Orphei, ſed alius recentioris putant.

Notari dignum hîc eſt, quod habet Proclus in Theologia Platonis, de Orphica quadam ſecta, quæ per Symbola docere conſueverat; ejus verba ſunt: *Orphici per Symbola, Pythagorici per Iconas divina tradere ſtatuerunt*. Potuit itaque ut à Pythagora Pythagorica, ſic ab Orpheo Orphica ſecta derivare. Mythicam etiam Philoſophiam ſoluta oratione per fabulas ad mores bene componendos multi Græcorum docuere; quod ex Græcis Fabulis non eſt, qui ignoret. Horum primum, & maximum commemoraſſe ſufficiat, Æſopum Philoſophum, genere Phrygem, conditione ſervum, qui tempore Crœſi, ultimi Lydorum Regis vixit, Olymp. ſcil. 56. an. U. C. 200. Mundi 3500. & ante Chriſtum natum circiter 598. Corpore fuit deformis, viſu turpiſſimus, mente tamen ſublimis. Quare Divus Hieron. eum in nativitate, in vita, & in morte infelicem appellat; quia naſci deformis, vivere ſervus, mori à Delphis peremtus debuit. Ultimus Æſopi dominus Xanthus extitit, Philoſophus Samius; qui cùm in agrum, quò ſe oblectaret, iviſſet, interrogatus ab agri colono fuit, cur terra herbas, quas ſua ſponte produxerat, ſine cultu melius aleret, quàm ab ipſo ſatas, & bene cultas? Xanthus reſpondit, ſic divina Providentia factum. Æſopus verò agricolæ dixit, terram ſimilem eſſe mulieri, quæ majori cura proprios filios, quàm filios ſui viri enutrit, cùm illorum mater, horum verò noverca ſit. Sic terra ſuarum quidem herbarum mater eſt; earum tamen, quas agricola ipſi alendas tradidit, noverca. Deinde cùm ipſe Samiis conſilium dediſſet, ut Crœſo, eorum libertati inſidias tendenti, ſe opponerent; hoc conſilio à Crœſo cognito, ipſum accerſiri juſſit: quem loquentem admiratus, & magni ſemper fecit, & in deliciis habuit. Tunc Æſopus ſuas Fabulas conſcripſit, quibus Moralem Philoſophiam, melius quàm cæteri, docere homines ſtuduit, ac Crœſo dicavit. Has deinde Fabulas Socrates in metrum eleganter redegit, quarum Plato, Plutarchus, & Laërtius meminere. Plato etiam in ſua Rep. Fabulis Æſopi locum dedit. Quæ autem nunc ſub Æſopi nomine circumferuntur Fabulæ, à Planude conſcriptæ dicuntur, à quo etiam Vita, ſed fabuloſa magis, quàm vera, ſcripta eſt: Hiſtoria tamen, & operis inventa, Æſopi ſunt; ut notatur in Morery Supp. Plutarchus refert, Æſopum à Crœſo miſſum ad Periandrum, Corinthi tyrannum; ac Solonem in Crœſi aula agnoviſſe; ac tandem à Delphis necatum, ſive quia eos in Fabulis ludibrio habuit; vel quoniam pecuniam, quam Crœſus Oraculo exhibendam ei dederat, Crœſo remiſerat. Sed cùm gravi peſte ad Æſopi necis ultionem Delphi affligerentur, conſulto Oraculo, quomodo à peſte liberarentur, & reſponſo accepto, ut Æſopi manibus litarent, ei Pyramidem erexerunt; quod Athenienſes etiam fecerunt. Vide Maziriacum in ejus Vita, rectiùs, quàm alia unquam, concinnata.

CA-

CAPUT II.

De iis, qui Sapientes dicebantur.

PErvulgatum nimis jam illud eſt, quod Laërt. lib. 5. & Val. Max. 4. 1. habent de Tripode (ſive Phiala, ſive aurea Menſa ex aliorum ſententia fuerit, ut cit. Laërt. ib. refert) illo, quem Jonici ex Apollinis Delphici oraculo Græcorum Sapientiſſimo donabant. Qui Thaleti (Theophraſtus tamen Bianti primum datum fuiſſe refert) conceſſus, ab eo Bianti miſſus, & ab hoc rurſus ad alium, & ſic per ſingulos Græciæ Sapientes factum eſt, donec Thaleti rurſus traditus eſt; qui Tripodem ad ſe reverſum Apollini Didymæo miſit cum hac inſcriptione: *Thales, Examii filius, Mileſius Apollini Delphico Græcorum hoc præmium bis nactus dicat*. Hæc communior, & vulgata magis de Tripode fama eſt, quam præter cit. Laërt. & Val. confirmat etiam Plutarchus in Vita Solonis, etiamſi aliis alia de hoc Sapientum præmio, & de ipſius traditione ſententia ſit.

Qui Sapientis nomen primum apud Græcos obtinuerunt, & Tripodis honore digni habiti ſunt, ſeptem à Laërtio numerantur; Primus Thales Mileſius, ſecundus Pittacus Mitylenæus, tertius Bias Prienenſis, quartus Solon Athenienſis, quintus Cleobulus Lindius, ſextus Myſon Chenæus, ſeptimus Chilon Lacedæmonius. De his tamen in hac non Mythicæ Græcorum Philoſophiæ Hiſtoria verba facturus, Thaletem conſulto prætermitto; de ipſo enim, qui Jonicæ ſectæ caput eſt, paullò infra, ubi de Jonica ſecta agam, ſermo erit. Hunc ſequitur

PITTACUS.

PAtriam Mitylenem, Lesbi Metropolim, Patrem Caicum, vel potius, ut Suidas habet, Cyrrhadium, Matrem Lesbiam nomine ſortitus eſt Olympiade 32. vel, ex Laërtio, 42. Melanchrum Lesbi, & Mitylene Tyrannum interemit: quo facinore illuſtris magis redditus, à Mitylenæis Imperator factus, Athenienſibus, de Agri Achillitidis poſſeſſione cum Mitylenæis decertantibus, cum claſſe bellum intulit. Variam in hoc bello fortunam expertus, tandem Phrynonem Athenienſium Ducem, corporis mole, & robore præſtantem, ad ſingulare certamen provocatum piſcatorio rete, quod clypeo tegebat, involutum, tridente, & haſta interemit, & agrum diu controverſum civibus ſuis ſervavit. Ex hoc Pittaci ſtratagemate Romani Gladiatores exemplum ſumſere, qui Retiarii appellabantur, quoſque Lipſius Saturnal. II. 8. deſcribit, ut obſervant Feſtus verbo Retiarii, & Polyænus Stratagem. I. 25. Hujus verò belli finem lege apud Strab. & Laërt. Agro demum Achillitide à Mitylenæis recuperato, ipſum cives Pittaco obtulerunt, ut de agro ſibi, quantum vellet, acciperet. At ille, conjecta haſta, tantumdem accepit, quantum illa eſſet emetita, quod Apollini dicavit, ætate Plutarchi, & Laërtii Pittacium adhuc appellatum.

Mitylenæis decem annos præfuit, quandiu ſcilicet, ut notat Val. Max. bellum de agro Achillitide cum Athenienſibus duravit: ubi enim pax per victoriam parta, à Mitylenæis imperium deponere coactus eſt, ne civium dominus, ultra quam neceſſitas exegerat, permaneret. Alios decem annos privatam vitam egit. Reipublicæ dum præeſſet, varias fecit leges; quarum unam Cic. 2. de Leg. c. 26. memorat, qua vetavit, *Quemquam accedere ad funus aliorum:* alia ab

Ari-

Ariſtotele, & Laërtio refertur: *Ebrius duplici pœna, dum peccat, afficiendus, non ebrius una*; eo quod Mitylenes Inſula vino abundabat. Corpus ſæpe exercitabat molendo triticum, hanc cantilenam ἐπιμύλιον dictam canens: *Mole ò mola mole, nam Pittacus, qui Mitylenæis imperat, molit*. Senex, ut belli dux eſſet, coactus, reſpondit: *Quam moleſtum eſt, virum probum eſſe*. Crœſum, bellum Inſulanis ſuis civibus parantem, eloquentia ſua è ſententia dimovit. Herod. tamen lib. 1. p. 4. id Bianti tribuit factum. Uxor, quia generis nobilitate ipſum excellebat, ſuperbam nimis ſe ei præbebat; quæ cum noviſſet, Pittacum hoſpites convivio ſuſcepiſſe, irata ſuperveniens menſam ſubvertit; tunc Pittacus Convivis ex facto perturbatis ait: *Unicuique veſtrum eſt mali aliquid, feliciſſimus is, cui hoc tantum*. Crœſo ad ſe pecuniam mittente, accipere noluit, duplo plura quam vellet, ſe habere teſtatus. Vixit annos plus ſeptuaginta, ex Suida octoginta, & mortuus eſt an. 3. Olymp. 52. Ejus ſepulcro ſequens Epitaphium inſcriptum Laërtius notat:

Condidit hoc tumulo lacrymis te, Pittace, Lesbos
Sacra ſuis, obitu languida facta tuo.

Selectiora Pittaci Apophthegmata ex Laërtio: *Neceſſitati ne Deos quidem reluctari. Principatum virum declarare. Optimum id eſt, quod in præſentia occurrit bene agere. Quid maxime gratum? Tempus. Prudentium virorum eſſe, priuſquam adverſa contingant, providere ne eveniant: fortium verò, cum illa contigerint, æquo animo ferre.* Adoleſcenti ipſum de ducenda uxore conſulenti reſpondit, *Tu tibi ſume parem*. De quo extat Epigramma apud Callimachum l. 1. Ep. p. 180. & Æſchyli verſus ad idem alludentes v. 886.

Moralia Pittaci præcepta hæc à Demetrio Phalereo traduntur: *Noſce tempus opportunum. Quod facturus es, ne prædixeris; fruſtratus enim ſpe irrideberis. Amicis utere. Quæ ægre fers in proximo, ea ipſe ne feceris. Infortunato ne quid exprobres; his enim Deorum incumbit Nemeſis. Depoſita redde. Suſtine parvas, quas proximi intulerint, moleſtias. Ama proximum: Si parum tibi decedat, non ſtatim amico convicieris, neque inimico bene preceris, hoc enim rationi adverſatur. Difficile eſt proſpicere futura. Quod præteriit, certum eſt, futurum vero obſcurum. Fida eſt Terra, infidum Mare, inexplebile lucrum. Honeſtatem acquire. Obſequium quære. Amato diſciplinam, temperantiam, prudentiam, veritatem, fidem, experientiam, dexteritatem, ſocietatem, diligentiam, œconomiam, artem, pietatem.* Auſonius in Sent. 7. Sap. alia ipſi tribuit, quorum primum eſt: *Loqui ignorabit, qui tacere neſciet*, & reliqua, quæ apud cit. Autorem.

Pittaci ſcripta hæc à Laërtio c. 78. numerantur: Ἀιδόμενα; Elegi ad ſexcentos verſus, & ſoluta oratione; de Legibus ad Cives; Epiſtolas, quarum una ad Crœſum ſervata eſt.

B I A S.

PRiene natus eſt ex patre Tutami. Pauper, an dives vixerit, dubium apud multos. Duplici ſtratagemate Alyattem deluſit, dum Pirenem obſideret; & primo quidem duos mulos ex arte ſaginatos è civitate in caſtra expellendo: ſecundo nunciis Alyattes ad pacem ineundam in civitatem miſſis oſtendendo magnos arenæ acervos, frumentis coopertos; ex quibus admiratione affecti nuncii ut id Alyatti retulerunt, hic pacis magis cupidus Biantem ad ſe venire mandavit, qui reſpondit: *Equidem Alyatten cepas edere* (hoc eſt flere) *jubeo*. Interrogatus, cur omnibus ſuis concivibus, Prienem, hoſtibus obſeſſam, fugientibus, pretioſaque omnia ſecum portantibus, ipſe ſolus nil boni reducens

fu-

fugeret, reſpondit: *Ego vero bona mea mecum porto*; Sapientiam notans. Refert Plut. Symp. 7. Sap. p. 146. Amaſin Ægyptiorum Regem, quicum Bianti amicitia erat, victimam ei miſiſſe, ex qua exemtam partem peſſimam ſimul & optimam ad ſe mitteret: cui Bias linguam miſit; quod factum illi apud Regem magnam peperit gloriam. Idem Amaſis, referente cit. Plut. 16. p. 151. epiſtolam ei miſit, qua eum rogabat, ut propoſitum ſibi ab Æthiopum Rege quæſitum ſolveret, quod eſt: *Ut mare ebiberet*, cujus ſolutionis merces urbes, & oppida multa propoſita, ſi mare totum ebibere poſſet; cui Bias: *Jubeat Amaſis, Æthiopum Regem fluvios in mare decurrentes detinere, donec illud, quod nunc eſt, biberit Amaſis, nam id tantum, quod nunc eſt mare, ut ebibat poſcitur, non id, quod poſtea erit.*

Ex Apophtegmatis à Laërtio relatis ſelectiora ſunt: *Quid difficile? ferre mutationem rerum in deterius: Quid dulce hominibus? Spes. Malle*, dicebat, *ſe inter inimicos, quàm amicos judicare; quippe ex amicis alterum futurum inimicum, ex inimicis autem alterum amicum. Ita vivendum eſſe, quaſi & diu, & parum victuri ſimus. Ita amandum, quaſi odio ſimus habituri, caute amicitiam colendo, ut quæ in inimicitiam verti poſſit.* Refert Gell. 5. 11. eum à quodam interrogatum, *deberetne uxorem ducere? aut pulcram*, reſpondiſſe, *habetis, aut deformem: ſi pulcram ducas, habebis* κοινὴν, *communem; ſi deformem, habebis* ποινὴν, *pœnam.*

Auſon. Sap. Sent. p. 110. alias quoque ipſi ſententias tribuit, quarum præcipuæ ſunt:

Quænam ſumma boni? mens quæ ſibi conſcia recti.
Quis dives? qui nil cupiat. Quis pauper? avarus.
Quod prudentis opus? cum poſſit, nolle nocere.
Quid ſtulti proprium? non poſſe, & velle nocere.

Ex moralibus Biantis præceptis, quæ ex Demetr. Phal. Stob. ſerm. 3. p. 46. refert, præcipua ſunt: *Si pulcher tibi videaris, pulcra facito, ſin deformis, naturæ defectum morum pulcritudine penſato. Celeritas in loquendo odio habenda. Audi multa, loquere tempeſtiva. Suadendo, non cogendo, impera &c.*

Summus Orator erat; hinc Hipponax: *Biante Prienenſi cauſſas egit præſtantius.* Mortuus provecta Senectute hoc modo traditur à Laërt. 1. 84. Poſtquam diu peroraſſet, caput in ſinu nepotis ex filia feſſus reclinavit; finita adverſarii concione, ubi eum excitaſſent, mortuum in nepotis ſinu invenerunt; quem civitas magnifice ſepelivit, tumuloque hæc inſcripſit:

Petra Prienæum tegit hæc bene culta Biantem,
Ornamentum ingens qui fuit Ioniis.

Ad duo millia verſuum de Ionia ſcripſit, quomodo felix eſſe poſſit.

S O L O N.

Salamine, ex Laërtio 1. 46. nobili genere natus eſt ex Patre, ut Philocles à Didymo allegatus vult, Euphorione, vel, ex reliquis ſcriptoribus omnibus, Execeſtide; hinc morti proximus Salamina corpus ſuum deportandum cupiit: ex parentibus tamen, & domicilii loco Athenienſis dictus eſt. Ex patris liberalitate pauperie afflictus, mercaturæ, ut quidam volunt, operam dedit, ſive potius, ut ex aliis, ad acquirendam ſapientiam peregre profectus eſt. Et quidem 47. Olympiade poſtquam aliquamdiu ſecum Anacharſidem domi detinuiſset, & ſecum multa philoſophatus eſſet, legibus Athenis præſcriptis, & venia ab Athenienſibus impetrata, ut ſibi abeſse decennio liceret, primò Ægyptum petiit, ubi cum Pſenophe Sacerdotum tunc temporis literatiſſimo philoſopha-

phabatur. Sacerdotum antiquiſſimus Soloni de antiquitatibus percontanti reſpondere ſolebat: *O Solon, Solon, ſemper pueri Græci, Senex Græcorum eſt nullus*. Miletum quoque ad Thaletem ſe contulit, qui, ut habet Plut. Sol. p. 81. lepide eum decepit, ficto nuncio de Solonis filio Athenis mortuo, quem cum illacrymaretur Solon, quidam ei dicebant, ut referunt Laërt. 1. 83. & Stob. ſerm. 121. *At nihil proficis*. Quibus ipſe: *At propter hoc ipſum illacrymor, quia nihil proficio*. Reliquos Sapientes Delphis convenit, ex Laërt. 1. 40. & Plut. Sol. p. 80. Lydiam, Ciliciam, Cretam quoque Epimenidis amore luſtravit; imò ab omnibus Sapientibus in ſuam cujuſque domum, & à Croeſo ipſo invitatus eſt, & à Piſiſtrato Athenarum Tyranno per epiſtolam ad ipſum miſſam rogatus, ut Athenas rediret, quod facere renuit.

Solonis viventis, & mortui ſumma gloria extitit, cui ſupremi honores non fuere denegati, quod fortitudinis ſuæ monimentum Megarenſe trophæum, ſapientiæ vero, Salaminis recuperationem ſtatuiſſet. Demoſth. Orat. de Falſ. leg. p. 233. Solonis enim conſiliis Salamine, aliæque Urbes in Athenienſium poteſtatem pervenerunt. Ipſis enim ab Athenienſibus indicto bello, & Solone belli Imperatore conſtituto, de Salamine, aliiſque victoria reportata eſt. Inde ſedatis in Patria ſeditionibus anno 3. Olymp. 46. Archontis dignitatem obtinuit. Archon dum eſſet, ex Laërt. 1. 45. & Plut. Sol. p. 86. primùm Σεισάχθειαν introduxit, corporum ſcilicet, poſſeſſionumque redemtionem; ſive *Legem*, ut Heſych. definit, *qua publice, privatimque contractum æs remittebatur*; quæ ita appellata eſt ab excuſſa uſurarum iniquitate; eo enim tempore ſuper corporibus etiam tenerabantur; multique per inopiam mercede ſerviebant.

Deinde Reip. conditor, & Legiſlator, omni, abſolutaque autoritate ipſi tradita, populum in Claſſes diviſit: magiſtratus, & judicia inſtituit. Republica ſic conſtituta, curiiſque ordinatis, leges condidit æquiſſimas omnibus, & adeo mirabiles, ut Romani *legatos Athenas miſerint*, teſte Liv. l. 3. c. 31. *Sp. Poſtumium Album, A. Manlium, P. Sulpitium Camerinum, juſſerintque inclytas Solonis leges deſcribere*. Has ex Solonis libris translatas 12. tabulis Decemviri expoſuere. Hinc optime Ammian. Marcell. l. 22. 16. ait: *Solon ſententiis adjutus Ægypti Sacerdotum, latis juſto moderamine legibus, Romano quoque juri maximum addidit firmamentum*. Ejus leges fuſe nimis apud Laërt. Plut. Meurſ. alioſque legere eſt, quibus æternam ſibi famam Solon comparavit.

Tandem anno primo Olympiadis 56. ex Plut. Laërt. Suid. aliiſque, in Cypro inſula mortuus eſt annos natus 80. ut ex Laërt. vel 100. ut ex Luciano, ſuis mandans, ut oſſa ſua Salamina transferrent, & in pulverem redacta per totam Provinciam diſſeminarent. Ipſi jam mortuo Athenienſes ſtatuam æneam erexere in porticu, quam Variam vocant; aliam in Salamine, cui inſcriptum, teſte Laërtio, fuit:

Quæ dudum inſanas Medorum propulit iras,
Legiferum Salamis pulcra Solona parit.

Philoſophus, Poëta, & Orator inſignis fuit: imò Cicero Brut. c. 7. docet, neminem ante ipſum eloquentia celebratum fuiſſe: & de Orat. 1. 13. Lycurgum, & Solonem in numero eloquentium poſuit. Et Ariſtides Or. Plat. 2. t. 3. p. 461. *Oratoria utebatur dicendi forma, in omnibus iis egregie demonſtrans, & Oratoris, & Philoſophi exiſtimationem ſeſe mereri, utramque iſtam facultatem, utrumque titulum aſſecutus*. Plutarchus tamen hæc habet in Solone: *Ex Philoſophia Ethica, præcipue Politica, ſicut plerique ſapientum, eſt ſectatus. In Phyſicis mire eſt ſimplex, & antiquarius*. Scripſit Leges, quas, teſte Plut. Sol. p. 80. aliqui eum in verſus redegiſſe dicunt: Elegias, & alia Poëmata: Epiſto-

las quoque, quæ omnia apud citatos Laërt. Plut. Meurſ. alioſque videre eſt.

Solon, teſte Laërt. 1. 22. inter ſeptem Sapientes Olymp. 49. numeratus eſt propter inſignem vitæ virtutem, & moralia bene vivendi præcepta. Inter Solonis Apophthegmata, quæ à Laërtio, Plutarcho, aliiſque traduntur, hæc ſunt præcipua: *Sermo imago eſt operis: Leges aranearum telis ſimillimæ; illis quippe ſi quid leve, & imbecillum inciderit, involvi ab eis, atque contegi; ſi quid majus, atque gravius, perrumpi, ac perire: Rempublicam duabus rebus contineri, præmio, & pœna*. Inter pocula tacitus exiſtens interrogatus à Periandro, an propter verborum inopiam, an ob ſtultitiam taceret, reſpondit: *Atqui ſtultus nemo inter pocula tacere poteſt*. Moralia ejus præcepta præcipua ſunt: *Ne quid nimis. Ne judex ſedeas; ſin autem, damnato inimicus fies. Voluptatem fuge, parit enim triſtitiam. Serva morum probitatem, vel jurejurando digniorem. Sermonem quidem ſilentio obſigna; ſilentium tempore opportuno. Amicos non citò comparabis; quos vero comparaveris, non ſtatim rejicies. Cùm regi didiceris, regere ſcies. Quod videris, ne dixeris. Sciens taceto. Ignota ex notis conjice &c.* Ejus Symbolum juxta Laërtium, & Didymum: *Ne quid nimis*. Juxta Auſonium: *Noſce teipſum*.

CLEOBULUS.

Lindi, quod eſt Rhodi Oppidum, natus eſt ex patre Evagora. Duris tamen, ipſum ex Caria fuiſſe, teſtatur. Genus ab Hercule ducens, forma, corporis viribus, & Sapientia coævos omnes ſuperabat, teſte Suida in Cleobulo. Tyrannus Lindiorum fuit, ex Plut. Templumque Minervæ, à Danao olim fundatum, reſtauravit.

De Eumetidis Cleobuli filiæ virtutibus, quæ de Patris nomine vulgo Cleobulina appellabatur, mira memorantur à Laërtio 1. 89. & Plut. in Conv. 7. Sap. p. 148 Hæc enim ob ſapientiam ſuam, & acumen Ænigmatum, Hexametros, & Ænigmata componebat, ad Ægyptum uſque provecta. Ingenium ipſi civili prudentia præditum, animuſque ſublimis erat, & humanus. Ejus etiam Cratinus meminit in Comœdia, quæ Cleobulus inſcribitur.

Senex obiit anno 70. ex Laërt. 1. 93. ejus tumulo inſcriptum:

Extinctum luget Cleobulum patria Lindus,
Patria, quæ medio eſt undique cincta mari.

Scripſit Carmina, & griphos ad 3000. verſuum, in quibus hoc Ænigma de anno:

Eſt genitor, proles cui ſit biſſena, ſed horum
Cuivis ſunt natæ triginta, aſt diſpare forma.
Hæ niveis penitus, fuſcis ſed vultibus illæ.
Atque immortales cum ſint, moriuntur ad unum.

Extat & ejus Epiſtola ad Solonem. Vid. Laërt. in Cleob.

Ex Cleobuli ſententiis, & præceptis ad mores ſpectantibus, hæc ex Laërt. 1. 91. Plut. Symp. 7. Sap. p. 153. & Stob. Serm. 3. potiora ſunt: *Inanis, & ingratus ne ſis. Filias nuptui locari oportet ætate virgines, ſed prudentia, & ſenſu mulieres. Amicum beneficiis cole, ut amicior ſit, inimicum, ut amicum facias; cavendæ enim ſunt reprehenſiones amicorum, & inimicorum inſidiæ fugiendæ. Antequam domo quis exeat, quid acturus ſit, apud ſe pertractet, rurſus, cum redierit, quid egerit, recogitet. Beatus princeps, qui familiarium nemini fidit. Modus optimus* (quod Symbolum habuit). *Audiendi magis, quam loquendi ſtudioſum eſſe oportet. Lingua ut benedicat aſſuefacienda. Linguam fræna. Per vim nihil age. Liberos inſtitue. Inimicitias ſolve. Uxori neque tra-*

Digitized by Google

iraſcere, neque blandire, præſentibus aliis, hoc enim ſtulti, illud inſani eſt. Famulos ebrios ne caſtiges, ne & ipſe ebrius videaris. Æqualem ducas uxorem, ne meliorem ducens, Dominos tibi compares pro affinibus. Dives ſuperbus, Pauper abjectus eſse noli. Felix criminibus nullus erit diu. Ignoſcas aliis multa, nihil tibi &c.

M Y S O N.

STrymonis filius fuit, teſte Hermippo, patria Cheneus ex Vico Oetæo, ſive Laconico. Fertur Anacharſis, oraculum ubi conſuluiſſet, quis ſe ſapientior eſſet, reſponſum tuliſſe, Myſonem Oetæum ſapientiorem ipſo eſſe. Unde Anacharſis ad ipſum viſendum ſe contulit, quem Æſtate ſtivam aratro aptantem invenit, cui dixit: *Atqui, ò Myſon, nondum aratro vacandi nunc tempus eſt*. Cui Myſon: *Tempus tamen, ut ad illud nos componamus*. Myſonis meminit etiam Hipponax dicens: *Et Myſo, quem virorum ſapientiſſimum Apollo prædicavit*. Hominum oſor, ut refert Ariſtoxenus, non ſecus ac Timon, & Apemantus, cum eſſet, Lacedæmone in loca deſerta ſe ſubduxit. Eum inter 7. Sapientes multi cum Laërtio ponunt, inter quos Plato, qui Periandri locum ipſi tribuit. Morales Myſonis ſententias multi Piſiſtrato adſcribunt. Præcipua Myſonis ſententia traditur hæc: *Non ex verbis res, ſed ex rebus verba* eſse inquirenda. Defunctus traditur anno ætatis ſuæ nonageſimo ſeptimo.

C H I L O.

CHilonem Lacedæmonium ex Patre Damageto (qui corrupte à Stobæo Pages appellatur) natum, circa Olymp. 52. floruiſſe teſtatur Laërt. 1. 72. quo tempore Æſopus Fabularum ſcriptor vixit. Ephorus, qui Latinis Inſpector diceretur, fuit Olymp. 56. ex eodem Laërt. 1. 68. Ephoria Magiſtratus erat apud Lacedæmonios correſpondens Trib. Pleb. Romanorum. Juſtitiam in omnibus ſic excoluit, ut jam ſenex morti proximus, teſte Laërt. 1. 71. & A. Gell. N. A. 1. 3. dixerit, ſibi conſcium haud eſſe, quod in tota vita præter rationem egerit quicquam; una tamen re aliquantum moveri, quod amicum, contra legem, capite non damnaverit, ſed aliquo modo feciſſe, ut legem, & amicum ſervaret.

Sententiæ, & Præcepta Moralia præcipua ſunt: *Difficile eſt arcana reticere, otium recte diſpenſare, & injurias tolerare poſſe: Optimam eſſe Rempublicam, in qua maximè leges, minime oratores audiantur: Noſce teipſum: Inter pocula non multum loquere; delinques enim: Ad amicorum convivia tardus accedas, cito ad calamitates: Rerum ad ſe nihil pertinentium curioſum odio habeto: Jactura turpi lucro præferenda, nam id ſemel tantum dolori eſt, hoc ſemper: Fac, ne lingua tibi mentem præcurrat: Comitem alieni æris, atque litis eſſe miſeriam: Lydius lapis probat aurum, aurum vero mentis præſtantiam*: Æſopum interroganti Chiloni quid faceret Jupiter, ille reſpondit: *Excelſum humiliat, humilem extollit*. Hæc ex Laërt. Plut. Stob. Plin. Hiſt. N. & Gellio excerpta.

Mortuus eſt, teſte Laërtio 1. 72. Piſæ, dum filium amplexaretur ex Olymp. ludis victorem in cæſtuum certamine factum; ibique honorificentiſſime ſepultus, ejuſque imagini hæc addita inſcriptio eſt:

Hic Sapiens forti natus Lacedæmone Chilon,
E numero ſeptem maximus unus erat.

In loquendo brevis. Scripſit Elegiam ad verſus circiter ducentos, & Epiſtolam.

Digitized by Google

Sed antequam de Græcorum Philoſophorum Sectis agamus, de aliis, qui præter hos ſeptem à Græcis & dicti, & habiti ſunt Sapientes, Sermo Inſtituendus eſt.

P E R I A N D E R.

Cypſelo, Corinthi Tyranno, natus eſt, matre Cratea. Periander in Tyrannide Patri ſucceſſit; atque in ipſo familiæ ſuæ regnum deſiit. Natus eſt, teſte Laërt. 1. 95. poſtremo anno Olymp. 29. Regnare cæpit anno quarto Olymp. 37. regnavitque annis 44. ex Ariſt. Polit. 5. 12. Quomodo autem Cypſelus ortus ſit, & regno potitus, lege apud Herod. l. 5. p. 202.

Sapientibus additus non tam propter ſapientiam, quæ illi non magna fuit, quam propter potentiam, & amicitiam, quam cum Sapientibus colebat; ipſos enim ſemel ad ſe accerſitos in Conclavi ampliſſimo, conviviiſque ſolemnibus dicato, humaniſſime excepit, ac quibuſdam moralibus ſententiis prolatis, Sapiens videri potius voluit, quàm eſſe. Quæ ab aliis reliquorum ſententiis quia non differunt, meritò prætermittuntur. Præter has ſententias ſcripſit, ex Laërtio 1. 97. Admonitiones ad duomillia verſuum.

Barbarum, & ſceleſtum ſe geſſit in ſubditos, in uxorem etiam Lyſidem nomine, atque ab ipſo Meliſſam appellatam, quam prægnantem interemit; & in filium, quem propriis laribus ejectum, & exulem patria in Corcyra peremtum teſtantur Herod. l. 3. p. 114. & ſeq. & Laërt. 1. 95. Tandem mortuus eſt anno ultimo Olymp. 48. ætatis vero ſuæ anno 80. à ſuis, ipſo ſic mandante, necatus. Laërt. ib.

E P I M E N I D E S.

Cretenſem, & proprie Gnoſſium eum facit Laërt. 1. 109. Phæſtum natalem ejus urbem fuiſſe credit Strabo l. 10. p. 479. De parentum nomine quæſtio eſt apud autores. Laërt. l. c. narrat, eum adhuc juvenem ex perditæ ovis inveſtigatione feſſum in ſpelunca obdormiiſſe annos, juxta Theopompum 57. juxta Varronem vero, Plutarchum, & Tertullianum, 50. juxta Pauſaniam 40. experrectumque ovem perditam iterum quæſiviſſe, ſuorum multis jam defunctis, multis vero ſenibus inventis. Sunt tamen, ex eodem Laërt. 1. 112. qui eum in ſpelunca non dormiviſſe, ſed tot annos in plantarum radicibus effodiendis in ſolitudine impendiſſe.

Primus fertur domos, & agros carmine expiaſſe. Quamobrem Athenienſes Olymp. 46. peſte afflicti, & ab Oraculo edocti, ut urbem luſtrarent, Epimenidem è Creta advocarunt, qui peſtem hac expiatione compeſcuit: Sumtis ovibus albo, ac nigro vellere, & in Areopagum actis, illas libere quò vellent ire permiſit, viris, qui illas libere ſic errantes ſequebantur, mandans, ut ubicumque accubuiſſent, ibi eas illius loci Deo mactarent; quo facto lues quievit. Unde & Laërtii etiam tempore Aræ per Athenienſium pagos ſine nomine inſpiciebantur in ejus, quæ tunc facta eſt, expiationis memoriam.

Ex hoc benefacto Athenienſibus præſtito, magno ſemper in honore apud ipſos fuit, qui, præter alia dona, talentum, & navim, qua domum rediret, ei decrevere; ipſe vero donis omnibus repudiatis, tantùm ſacræ oleæ ſurculum ex arce ſumtum accepit, quem manu tenens, fœdere inter Athenienſes, & Cretenſes Gnoſſios conciliato, domum rediit, ac paullo poſt mortuus eſt annum agens 157. ex Laërtio, vel 150. ex Apollonio. Cretenſes eum annos 299. vixiſſe jactant. Xenophanes eum ſe audiviſſe ait annos natum 154.

Tem-

Digitized by Google

Templa condidiſse primus creditur. Prædictionibus, quas Cretenſibus, Athenienſibus, & Lacedæmoniis fecit, clarus, ac celebris ita fuit, ut Cretenſes illi ſacrificia tanquam Deo obtulerint, ex Plut. in Sol. & Græci eum Divinum, Deoque cariſſimum exiſtimaverint, & in Sapientum ſuorum numerum retulerint, ex Laërtio l.c.& Plat. de Leg.2. p.642. Imo eum Paulus etiam Apoſtolus Cretenſem Prophetam appellavit in Ep. ad Tit.2. c.2. dum inquit: *Dixit quidam ex ipſis proprius Propheta: Cretenſes ſemper mendaces; malæ beſtiæ; ventres pigri*. Vid. Hieron. in Ep. Pauli.

Multa ſcripſit proſa oratione, & metrica, Myſteria ſcilicet, Luſtrationes, & Ænigmatica, Curetum, & Corybantum generationem, Theogoniam, Argus fabricam, & Jaſonis in Colchos expeditionem, de Sacrificiis, de Rep. Cretenſium, de Minoë, & Rhadamantho, & de Oraculis, & Reſponſis. Extat quoque ejus una, vel altera Epiſtola ad Solonem, qui ad leges conſcribendas ejus doctrina uſus eſt, teſte Plut.

P H E R E C Y D E S.

IN Syro, vel ut alii malunt, Scyro inſula Olymp. 46. ex Suida, vel 59. ut ex Laërtio 1. 116. natus eſt. Cic. ad Servii Tullii ætatem refert 1. Tuſc. dum ait de Pherecyde loquens: *Antiquus ſane: fuit enim meo regnante gentili*. Multi eum αὐτοδίδακτον, à ſe ipſo edoctum faciunt; comparatis ſcilicet arcanis Phœnicum libris; teſte Suida; alii Pittaci diſcipulum tradunt. Hic, non tamen ex divina virtute, ſed ex naturalium rerum ſcientia, multa prædixiſſe fertur, quæ maximam illi gloriam compararunt, ut Cic. 1. de Div. ait. Præcipua autem hæc ex Laërtio l. c. habemus: Aquam à diſcipulorum quodam petiit; quam ut è puteo hauſtam bibit: terræ motum poſt diem tertium futurum prædixit; quod ſic evenit: Samum ad Junonis templum profectus, navem plenis velis portum ſubeuntem videns, adſtantibus dixit, ipſam intra portum non perventuram; ipſo autem adhuc loquente, tempeſtas ſubito orta navem perdidit. Perilao hoſpiti ſuo ſuaſit, ut cum tota familia domo migraret; quo conſilio à Perilao neglecto, paullo poſt capta ab hoſtibus ſua patria Meſſana fuit.

Hic omnium primus animorum immortalitatem ſtatuit, ex Cic. in Tuſc. l. c. his verbis: *Sed, quod literis extet, Pherecydes Syrus primum dixit animos hominum eſſe ſempiternos*. Clem. Alex. 6. Strom. notat, quod quæcumque Pherecydes allegorice in ſua Theologia dixit, è Chami Prophetia deſumta fuerint. Pythagoræ præceptor fuit. Aquam cum Thalete rerum omnium principium dixit. Primus etiam ſoluta oratione ſcripſiſſe traditur ab Apul. in Flor. Philoſophus, & poëta Tragicus dictus à Strab. l. 10. Mortuus eſt φθειριάσει, hoc eſt, pediculari morbo confectus, ut ait Ælian. Var. Hiſt. 4. 28. Plin. l. 7. & communiter fere omnes. Quod ſic optime his verſibus Q. Seren. expreſſit:

Sed quis non paveat Pherecydis fata tragœdi,
Qui nimio ſudore fluens, animalia tetra
Eduxit, turpi miſerum, quæ morte tulerunt.

Septem Sapientum ætate floruit, quibus à multis adnumeratus eſt. Plura qui cupit, adeat Laërtium l. c. Suidam in Pherecyde, alioſque.

CAPUT III.

De Secta Ionica.

QUæ in vaſtiſſimo Græciæ Imperio floruere Philoſophorum Sectæ, duæ à Laërtio in Proœmio numerantur, Ionica ſciiicet, & Italica; quam deinde ſententiam omnes hiſtorici ſecuti ſunt. Verùm quamvis certum ſit, eas initio duas fuiſſe, poſtea tamen in plures adhuc diviſæ ſunt; itaut Voſſius eas uſque ad duodeviginti Sectas numeret; Ionicam ſciiicet, Italicam, Eleaticam, Epicuream, Cyrenaicam, Eliacam, Megaricam, Academiam Veterem, Academiam Secundam, Academiam Tertiam, Peripateticam, Academiam Quartam, Platonicos Juniores, Academiam Quintam, Cynicam, Stoicam, Pyrrhoniam, & Potamonicam.

Nos igitur hac in re communem ordinem ſequentes, de Singularum Græcanicæ Philoſophiæ Sectarum Inſtitutoribus, eorumque ſucceſſoribus agemus, ac breviſſimis verbis optima quæque, & potiora, quæ de eorum vita, moribus, & doctrina ab antiquis, & recentioribus Selectiſſimis Philoſophiæ Hiſtoriæ ſcriptoribus ſparſim notata invenimus, in Epitomen redacta trademus.

Ionicam Sectam à Thalete, qui ex Ionia erat, ortum duxiſſe, omnes fere confeſſi ſunt. Ex hac autem omnes deinde Græcorum Sectæ originem habuere. Jure igitur Philoſophiæ, Scientiarumque omnium apud Græcos, ex quibus ad nos, autor extitiſſe fertur

THALES.

DE ejus patria quæſtio eſt apud autores. Laërtius 1. 22. hæc habet: *Thales, ut Herodotus, Thuris, ac Democritus ajunt, patre Examio, matre Cleobulina natus eſt ex Thelidarum familia, qui, Phœnicum nobiliſſimi, à Cadmo, & Agenore originem ducunt, Platone quoque teſte.* Et pauiiò poſt: *Sed, ut pluribus viſum, indigena Mileſius, & claro genere natus eſt.* Et Clem. Al. 1. Str. p. 300. *Quinetiam Thales, ut referunt Leander, & Herodotus, erat Phœnix: ut autem nonnulli exiſtimarunt, Mileſius.* Natus dicitur, Apollodoro in Chron. teſte, anno 2. Olymp. 35. Mileſium tamen cum Plutarcho omnes fere fatentur; quod confirmat Hermippus apud Laërt. 1. 33. qui refert, Thaletem gratias fortunæ egiſſe, quod Græcus natus eſſet, non Barbarus.

Thaletem multi Αὐτοδίδακτον faciunt. Verùm, ut ex ipſius Thaletis epiſtolis colligitur, ipſe ad Philoſophiam, & Mathematicas potiſſimum diſciplinas addiſcendas, Cretam, Phœniciam, & Ægyptum peragravit; ubi à Sacerdotibus Memphiticis, ut teſtatur Jambl. in Vit. Pythag. eruditus, Philoſophiam, & Geometriam, Laërtio, & Plutarcho teſtibus, didicit.

Mileti privatam vitam agens, & in cœlibatu vivens, urgenti matri, ut nuptias iniret, reſpondit, non dum tempeſtivum eſſe. In ſenectutem vero ætate inclinante, matri acrius in id inſiſtenti reſpondit, jam intempeſtivum eſſe. Quomodo autem Thales Solonem, Mileti apud ſe degentem, & mirantem, quod ipſe connubium negligeret, ficto nuncio de Solonis filii morte, deluderet, lege apud Plut. in Vit. Solon. p. 81. Sapientis titulum non ob ſolas morales ſententias, & vitæ integritatem, ſicut & cæteri Sapientes, obtinuit, ſed ob magnos in ſcientiis, quas Contemplativas vocant, profectus, uti obſervant Plut. in Vit. Solon. p. 80. & Divus Auguſt. de Civ. D. 8. 2.

Hæc de Thaletis Philoſophiæ præſtantia Scriptorum teſtimonia habemus.

Laërt.

Laërt. 1.24. de Thalete ait: *Primus de Natura diſſeruit, ſecundum nonnullos*. Cic. de Nat. Deor. 10. Thaletem primum de talibus rebus quæſiviſſe dixit; Strabo l. 14. p. 635. *Ante alios Græcos omnes cauſſas rerum naturalium, & Mathematica eum rimatum eſſe*. Plutarchus eum Philoſophiæ Inventorem appellat; Juſtinus Martyr Philoſophorum antiquiſſimum; Tertullianus Principem Phyſicorum; Lactantius demum primum, qui de cauſſis naturalibus quæſivit. Et Galen. Hiſt. Philoſ. hæc habet: *Conſtat igitur inter quamplurimos, Thaletem Mileſium primum Philoſophiam apud Jones invexiſſe: unde & ejus ætatis ſapientiam omnes Jonicam appellarunt.*

Thales igitur rerum materialium Principium, Ἀρχὼ, ex quo exiſtant primo, & in quod reſolvantur, Aquam ſtatuit. Quam ſententiam his potiſſimum probat argumentis, à Plut. de Plac. Phil. 3. & Stob. Ecl. Phyſ. 13. relatis. Semen animantium humidum eſt. Alimentum, plantarum præcipue, humiditate plenum eſt. Ipſe ſolis, & ſtellarum ignis exhalationibus aqueis alitur, atque adeo ipſe Mundus, &c. Imo & aquas Terræ motuum cauſſam eſſe dicebat, ex Laërtio; quibus aquis Orbis ſuſtinetur, & tanquam grande navigium, ut ait Sen. Nat. Quæſt. 6.6. portatur. Fortaſſe autem Aquam rerum Principium eſſe Thales didicerat ab Æpyptiis, atque hi à Judæis. Moſes enim in Gen. ait. *Spiritus Domini ferebatur ſuper Aquas*. Et: *Producant Aquæ reptile*. Hujus etiam ſententiæ, præter Pindarum, qui cecinit: Ἄριςον μὲν Ὕδωρ, *Optima quidem Aqua*, Homerus fuit, qui dixit:

Ὠκέανος δ', ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.
Oceanus cunctis factus primordia rebus.

Mundum Dæmonum eſſe plenum dicebat, ut habet Stob. l. c. Ariſtot. de Anim. 1. 8. Cic. de Leg. 2. 11. Laërt. atque alii. Quam ſententiam Pythagoras quoque, & Plato, affirmante Plut. ſecuti ſunt: ſed omnes fortaſſe ab Ægyptiis acceperunt. Mundum etiam unicum dixit, pulcherrimum, ut qui à Deo factus ſit. Animatum quoque Mundum aſſerebat, ipſiuſque animam eſſe Deum per omnes ejus partes diffuſum: in Mundo vacuum non dari: Stellas eſſe terreſtris ſubſtantiæ, ſed ignitas: Animam immortalem, atque αὐτοκίνητον, hoc eſt, naturam ſeipſam moventem docuit.

Quoad Geometriam, Apul. in Florid. 4. Thaletem Geometriæ penes Græcos primum dixit inventorem. Et Proclus in Euclid. *Thales autem in Ægyptum delatus, primus inde hanc ſcientiam ad Græcos derivavit*. Hanc autem Geometriam ab Ægyptiis acceptam variis inventis, & propoſitionibus, Proclo, & Laërtio teſtantibus, auxit. Pyramidis altitudinem per ipſius umbram metiri primus inſtituit.

Sicut Geometriam ab Ægyptiis, ita & Aſtronomiam à Phœnicibus edoctus, in Græciam primus invexit, & auxit. Sphæram Cœleſtem Thales primus, deinde Pythagoras, & Succeſſores, in quinque circulos, ſive Zonas, ut Stob. refert ex Plut. de Plac. Philoſ. 2. 11. diviſit. Duos libros, ex Laërtio 1. 23. compoſuit de Converſionibus, & Æquinoctio, annique tempeſtates partitus eſt. Primus Urſæ minoris ſidus invenit, eique Ἄρκτε nomen, ex Hygino Poëtic. Aſtron. c. 11. tribuit. Laërt. l. c. ex Eudemo in Hiſt. Aſtrol. refert, Thaletem primum Eclipſes prædixiſſe, quarum præcipua fuit, quæ accidit Lydis, & Medis bellum gerentibus. *Quam diei immutationem*; verba ſunt Herod. l. 1. p. 19. *Thales Mileſius Jonibus prædixerat, anno quoque, quo eventura ea eſſet, indicato*. Quod accidit circa Olymp. 50. Annuam periodum, Ægyptiis primum inventam, & 12. menſibus diſtinctam, Græcos docuit. Sideribus obſervandis nocte intentus in puteum cecidit, unde exire cupiens, querulus Threſſam ancillam ſuam compellabat; cui illa reſpondit: an putas, ô Thales, cœleſtia te poſſe aſſe-

aſſequi, qui vel ea, quæ ante pedes ſunt tuos, ignoras? Similiter & amici ei improperabant, quod hæc ſterilia ſtudia opibus anteponeret. Unde ille, ut refert Ariſt. Polit. 1. 11. Aſtrologiæ beneficio prænoſcens, dum adhuc hyems eſſet, uberrimam fore olearum meſſem, dato pignore, omnia Mileti, & Chii oliveta parvo pretio emit; ex quibus dato tempore multum lucri capiens, oſtendit, quàm facile Philoſophis ſit opes parare, ſi velint.

Celebriora Thaletis Apophthegmata ſunt: *Quid Antiquiſſimum? Deus; initium enim non habet. Quid Maximum? Locus, ſive Spatium; omnia enim Mundus, Mundum Spatium continet. Quid Pulcherrimum? Mundus: quicquid enim concinne ordinatum, pars ejus eſt. Quid Sapientiſſimum? Tempus; omnia enim huc uſque inventa detexit, detegetque invenienda. Quid Communiſſimum? Spes; nam & iis etiam relinquitur, quibus pereunt omnia. Quid Utiliſſimum? Virtus; nam ipſa, ut reliqua utilia ſint, efficit. Quid Noxium? Vitium; omnia namque bona corrumpit. Quid Potentiſſimum? Neceſſitas; ſola namque hæc vinci nequit. Quid Facillimum? Quod libenter quis facit, ſive, quod naturæ eſt conſentaneum.* Hæc Amaſi, Ægyptiorum Regi, cum Æthiopum Rege de Sapientia certanti ſcripſit. Plura addit Laërtius, Plutarchus, & Stobæus, ex quo antedicta retulimus. Potiora ſunt: *Velociſſimum mens eſt, nam per omnia diſcurrit. Nox die prior una. Difficile ſeipſum noſcere. Felix qui corpore ſanus, fortuna locuples, animo non ignarus.* Reliqua vid. apud cit. Autores.

Moralia præcepta plurima à Stob. ex Dem. Phal. recenſentur; potiſſima vero: *Sponſor ſi fias, noxa præſto eſt. Ne ſis dives improbe. Qualia tu contuleris in parentes, talia à tuis liberis, cum ſenex fueris, exſpecta. Ocioſus ne fueris, ne ſi locuples quidem fias. Domeſtica mala cela. Ne facias, quæ in aliis reprehendis.* Auſonius p. 112. hæc Thaletis nomine metro expoſuit:

Turpe quid auſurus, te, ſine teſte, time.
Vita perit, mortis gloria non moritur.
Quod facturus eris, dicere ſuſtuleris.
Crux eſt, ſi metuas, vincere quod nequeas.
Quum vere objurgas, ſic inimice juvas.
Quum falſo laudas, tunc & amice noces.
Nil nimium ſatis eſt, ne ſit & hoc nimium.

Ejus Symbolum apud Laërt. Γνῶθι σεαυτόν, *Noſce teipſum*: juxta Didymum, & Hyginum ex Clem. Alex. 1. Strom. *Sponſor fias, noxa præſto eſt.* Fortunæ, ex Hermippo in Laërtio, gratias agebat ob hæc tria; *Quod Homo, non brutum; Quod vir, non mulier; Quod Græcus, non Barbarus natus ſit.* Inter Thaletis ᾀδόμενα hoc præcipuum: *Non multa verba prudentis animi indicium ſunt.* Vid. Laërt.

Multi putant, Thaletem nihil ſcripſiſſe, inter quos eſt Themiſtius Orat. 26. qui nec ipſum, nec ejus ætatis quempiam ſcripſiſſe affirmat, πρῶτον δὲ Ἀναξίμανδρον, ὧν ἴσμεν Ἑλλήνων λόγον ἐξενεγκεῖν περὶ φύσεως συγγεγραμμένον. Sed Divus Auguſt. de C. D. c. 11. ait, Thaletem, rerum naturas ſcrutatum, de Naturali Philoſophia diſſeruiſſe, ſuaſque diſputationes, ut ſucceſſores propagaret, literis mandaviſſe. Laërtius quoque ipſum de Aſtrologia nautica, de punctis Tropicis, & Æquinoctialibus tractatus concinnaſſe refert. Suidas metricum opus de Meteoris ipſi adſcribit. Et Plutarchus in Lycurgo de Thalete hæc notat: *Habebatur hic poëta lyricus, atque hujus ſpecie artis utebatur, revera præſtantiſſimorum legiſlatorum implebat munus.* Galenus de Humor. allegat Thaletis librum 2. περὶ ἀρχῶν. Temporum ſuorum Hiſtoriam ſcripſit, ſi fides Joh. Antiocheno præſtanda. Duæ tandem ejus extant Epiſtolæ apud Laërt. 1. 43. Quas tamen Epiſtolas, ſicut & cæteras paſſim à Laërtio vel Thaleti, vel Soloni, vel Democrito

adſcri-

adſcriptas, falſitatis ſuſpectas dicunt Huet. Dem. Evang. p. 77. & Joſ. Scal. Epiſt. 306. atque alii.

Senex tandem mortuus eſt anno æt. ſuæ 90. ex Soſier. dum Olympicos ludos ſpectaret Olymp. 58. De cujus morte ſic Laërt.

Gymnicon adſpiceret cum rurſus agona, Thaletem
Eleus traxit Jupiter è ſtadiis.
Hunc laudo, cœlo propiùs quod duxerit, ultra
E terra aſtra ſenex cernere non poterat.

Sepultus eſt in tenui Mileti agello, qualem ipſe præſcripſerat, tumuloque inſcriptum:

Exiguus valde hic tumulus, verum aſtra Thaletis,
Principis Aſtronomi, gloria ſumma tenet.

Statua quoque ei erecta eſt, ex Laërt. 1. 39. cum hac inſcriptione:

Hunc, quæ nutrivit, Mileſia terra, Thaletem,
Aſtronomum primi nominis ipſa tulit.

ANAXIMANDER.

ANaximander Thaletis ſodalis, & diſcipulus, patria Mileſius, & in doctrina propaganda ſucceſſor, Praxiadæ, vel ut alii legunt, Praxidami filius, natus eſt anno tertio Olymp. 42. ex Clem. Strom. 1. Hic in rerum omnium Principio aſſignando à Præceptore ſeceſſit; Thales enim Aquam, ipſe vero *Infinitum* rerum omnium ſtatuit Principium. Hinc Cic. Acad. Qu. 4. 37. *Thales, qui omnia ex Aqua ſubſiſtere ajebat, Anaximandro hoc, populari, & ſodali ſuo, non perſuaſit. Is enim Infinitatem naturæ dixit eſſe, à qua omnia gignerentur.* Ex hac igitur cuncta oriri, & in eam omnia deſinere dicebat, ejuſque partes moveri, & mutari; totum verò immutabile eſſe: infinitos generari mundos, qui tamen corrupti in Infinitum redeant. Hos verò infinitos mundos eſſe Deos nativos, longis intervallis orientes, & occidentes, aſſerebat, ex Cic. de Nat. D. 1. 10. Plut. tamen de Plac. Phil. 1. 7. & Stob. Ecl. Phyſ. 1. 1. ea de Cœlo, & Stellis dicta intelligunt. Infinitum igitur laudavit, & Infinitati Mentem præfecit.

Cœlum ſtatuit calido, & frigido miſtum; ſtellas vero centones aëris globoſos, ignis plenos, & flammas quadam ex parte exſpirantes, & à circulis, & ſphæris, quibus inhærent, agitari: Solem ſupremo loco collocavit, deinde Lunam, tum deinde fixas, & errantes poſuit. Solis magnitudinem terræ æqualem putabat, ſed ejus orbitam terra vicies octies, vel, ut Theodoretus ait, vicies ſexies majorem; Lunæ tamen orbitam terra novendecuplo majorem dicebat, Soliſque, & Lunæ Eclipſin ex obſtructione meatuum, per quos lumen ad nos mittebant, procedere. Terram figura rotundam hic primus in univerſi centro locavit; terræ, mariſque circuitum deſcripſit, ſive tabulam Geographicam invenit; nec non Zodiaci Obliquitatis, Gnomonis, Solſtitiorum, Æquinoctiorum, aliorumque inventor dicitur. Cic. 1. de Div. 50. & Plin. Hiſt. N. 2. c. 79. referunt, Anaximandrum Lacedæmoniis ſuaſiſſe, ut, urbe, & tectis relictis, agros incolerent, quod terræ motus inſtaret: quod ita, ut prædixerat, evenit.

Ventum aëris fluxionem dixit, motis, vel colliquatis in eo partibus fluidiſſimis, & tenuiſſimis; reliqua vero Meteora à vento in denſa nube comprehenſo gigni. Vid. Seneca Nat. Qu. 2. 18. De hominis verò generatione ita ſentiiſſe habemus ex Plut. Symp. l. 8. qu. 8. in piſcium ſcilicet ventribus primum genitos fuiſſe homines, ibique nutritos, donec vires acquirerent majores, idoneique fierent, qui ſuis proſpicere neceſſitatibus poſſent; tum excluſos fuiſſe, ac terra

 poti-

potitos. Prima denique animalia in humore nata eſſe, dicebat, corticibus contenta ſpinoſis, adultiora autem facta in ſiccitatem deſciviſſe, ruptoque cortice non multum temporis ſuperviχiſſe. Vid. Plut. de Plac. Phil. 5. 19. Suid. in Anaximandro, Stob. aliique. Nonagenarius tandem anno 2. Olymp. 58. mortuus eſt.

ANAXIMENES

Mileſius fuit, Euryſtati filius, Anaximandri vero ſodalis, diſcipulus, & ſucceſſor. Floruit, juxta Suidam, Olymp. 55. juxta Euſebium Olymp. 56. Perperam autem Apollodorus natum putavit Olymp. 63. Parmenidis etiam diſcipulus à nonnullis creditus eſt; & Jonica, ſimplicique locutione uſus. Duas ſcripſit Epiſtolas ad Pythag. quæ apud Laërtium.

Univerſale rerum Principium Aërem ſtatuit, noſtramque animam aërem eſſe, quæ nos temperet; totumque mundum aërem, & Spiritum continere: Spiritus vero, & aër idem ſunt ex ſui ſententia. Aërem Deum eſſe, eumque gigni, immenſum, & infinitum, & ſemper in motu exiſtere. Hinc de ipſo Divus Auguſt. l. 8. de C. D. c. 2. *Iſte omnes rerum cauſſas infinito aëri dedit, nec Deos negavit, aut tacuit; non tamen ab ipſis aërem factum, ſed ipſos ex aëre ortos credidit.*

Exteriorem Cœli ſuperficiem terreſtrem ſtatuit; Solem, Lunam, & Stellas igneæ ſubſtantiæ, cui admixta ſint terreſtria corpora; moveri autem circa terram, & à condenſato aëre impelli: Solem vero, & Lunam eclipſin pati, obturato foramine, per quod ignem mittunt.

De Meteoris ita ſentire viſus eſt. Nubes ex aëre maxime condenſato generantur; pluvia ex iiſdem magis compreſſis; nix fit, quando aqua delabens congelatur; grando vero, ſi humido vento comprehendatur. Iridem, ait, fieri ſole illuminante nubem denſam, craſſam, & nigram, in qua cogantur ſolis radii, cum non poſſint ultra progredi. Terræ concuſſionis cauſſam dicebat ejuſdem ſiccitatem nimiam ab æſtu profectam, vel ejuſdem nimiam raritatem à frequenti pluvia productam, ex utraque enim cauſſa, ut notat Ariſtot. in Met. terra rumpi ſolet, & ex concidentibus fragmentis ingentibus concuti. Frigus materiæ condenſationem, & contractionem docuit; calorem verò ejuſdem laxationem, & raritatem. Atque ſic rationem dedit, cur ex hominis ore halitus labiis compreſſus, & denſatus, frigidus emittebatur, aperto tamen ore calidus. Vid. Plut. Suid. Stob. Laërt. aliique. Inter alios ejus diſcipulos Diogenes fuit Apolloniates, vir phyſicus, eloquentia, & ſapientia clarus, qui iiſdem Præceptoris principiis philoſophatus eſt; &

ANAXAGORAS.

Clazomenius, Hegeſibuli, ſeu Eubuli filius, natus eſt, juxta Apollodorum, anno 1. Olymp. 70. Genere clarus, & opibus, clarior tamen ex earundem generoſo contemtu fuit; iis namque relictis, *Divinæ delectationi*, ut Cic. Tuſcul. 5. 39. ait, *totoſe animo ut dederet*, Platonis irriſionem ob patrimonium ita neglectum incurrit. Vigeſimo ætatis anno Athenas Philoſophiæ ſtudio profectus eſt, ubi eum 30. annos commoratum tradunt. Vide Laërt. 2. 7.

Ipſe primus duo rerum Principia ſtatuit, Materiam, & Mentem, quorum primum ut Principium Paſſivum, ſecundum vero ut Activum agnoſcebat. Sic enim in operis ſui initio ſcribit: *Omnia ſimul erant, deinde acceſſit Mens, eaque compoſuit*. Unde & Νοῦς, Mens ab Athenienſibus dictus eſt, quod primus fuerit,

rit, qui hoc cum Materia principium junxerit; uti eſt apud Laërtium 2. 6. De quo ſic Timon:

Nunc ubi Anaxagoras, Mens, eſt fortiſſimus Heros,
Qui Mentem ſubito, nam mens non defuit illi,
Compoſuiſſe putat, fuerant quæ incondita quondam.

Hanc autem Mentem infinitam Deum eſſe, dicebat, quæ Mens per ſe moveatur, & corpori non incluſa, omnium rerum ſit autrix, ex infinita materia cuncta componens. Vid. Lactant. 1. 5. Cic. de N. Deor. 1. 11. & Aug. de C. D. 8. 20. Unde Clem. Alex. in Admon. ad Gentes: *Anaxagoras Clazomenius, & Athenienſis Archelaus: atque hi quidem Mentem præfecerunt infinitati.*

Paſſivum vero, ſeu materiale rerum principium dixit unum ſimul, & multiplex, hoc eſt Ὁμοιομέρειαν, ſive partium ſimilitudinem. Cuncta namque ex partibus ſibi ipſis ſimilibus conſtare, docebat; ſic ex. gr. oſſa ex partibus oſſeis, aurum ex auri partibus ſimilibus, conſtare, aſſerebat. Homogenea igitur materiæ corpuſcula omnium rerum principium ſunt. Quam ſententiam ſic optime Lucret. l. 1. v. 830. & ſeq. expreſſit:

Nunc & Anaxagoræ ſcrutemur Homœomeriam,
Quam Græci memorant, nec noſtra dicere lingua
Concedit nobis patrii ſermonis egeſtas.
Sed tamen ipſam rem facile eſt exponere verbis,
Principium rerum, quam dicit Homœomeriam.
Oſſa videlicet è pauxillis, atque minutis
Oſſibu': ſic & de pauxillis, atque minutis
Viſceribus viſcus gigni, ſanguenque creari
Sanguinis inter ſe multis coëuntibu' guttis:
Ex aurique putat micis conſiſtere poſſe
Aurum, &c.

Idem credidit, ſuperas mundi partes igne plenas eſſe, & vim, quæ ibi eſt, æthera vocavit, teſte Ariſtot. Meteor. 1. 3. Ætherem autem circumfuſum igneæ eſſe naturæ, & circumvolutionis vehementia lapides è terra abripuiſſe, qui, ignis ejus vehementia candentes, in ſtellas converſi fuerint; omneſque ab Ortu in Occaſum ferri, ex Plut. Plac. Ph. 2. Solem candentem, & penitus ignitam maſſam eſſe, & Peloponneſo majorem. Lunam eſſe corpus opacum, ignitum, à ſole illuſtratum, habitabile, vallibus, montibus, atque aquis diſtinctum. Viam Lacteam eſſe terræ umbram in parte cœli, cum ſol infra terram delatus totum non illuminat. Vid. Plut. l. c. ſive, ut Laërt. ait, viam lacteam eſſe reflexum ſolaris luminis non intermicantibus aſtris.

De Meteoris docuit, cometas eſſe errantium ſtellarum concurſum, flammas ex ſe emittentium; Stellas cadentes veluti ſcintillas ab aëre vibrari, atque propterea ſtatim extingui. Ventos fieri, cum aër à Sole attenuatur. Tonitrua nubium colliſionem; Coruſcationes verò earundem confricationem. Iridem oriri ex refractione lucis ſolaris in nube denſa, è regione auſtri ſpeculi inſtar poſita: qua etiam ratione Parhelios explicabat in Ponto conſpectos. Terræ motuum cauſſam dixit eſſe ὑπονόστησιν, ſucceſſionem aëris in terram; ſive, ut Ariſtot. Met. 2. 7 Plut. Plac. Phil. 3. 15. & Senec. Nat. Qu. 6. 9. interpretantur, cùm aër, vel æther in terræ cavernis incluſus, & difficilem inde exitum inveniens, terram agitat, & ſuccutit.

Mentem omnis motus cauſſam eſſe aſſeruit, ex quo motu factum ſit, ut levia corpora in ſuprema mundi regione ſita ſint, ut ignis; quæ media mediam, ut aër, & aqua, quæ vero gravia, infimam regionem petiiſſe, ut terra, dixit: Animalia primùm ex humore, calore, & terra manaſſe, deinde vero per generа-

nerationem, & mares quidem à dextris, feminas vero à ſiniſtris: omnia animalia habere mentem agentem: fel eſſe acutorum morborum cauſſam: fieri echo, cùm ſonus repercutitur; & ſimilia, quæ fuſiùs apud Laërt. Plutarch. & Ariſtot. Anaxagoræ Prædictiones lege ſis apud Suidam, Laërtium, Plinium H. Nat. atque alios. Lampſacum tandem exilio ab Athenienſibus damnatus venit, ibique mortuus eſt; cui defuncto Lampſaceni juſta honorifice perſolverunt, addito epitaphio, cujus ſenſus:

Hic ſitus ille, cui rerum patuere receſſus,
Atque arcana Poli, magnus Anaxagoras.

Ipſi quoque duas aras dicatas memorat Ælian. H. V. 8. 19. alteram Menti, alteram Veritati inſcriptam. Ex Æliano etiam habemus, Anaxagoram riſiſſe, vel ſubriſiſſe nunquam. Anaxagoras primus de Naturali Philoſophia librum à ſe ſcriptum edidit, ex Laërtio, & Cl. Alex. cujus verba 1. Strom. ſunt: *Alii autem Anaxagoram Hegeſibuli filium Clazomenium primum librum ſcriptum edidiſſe, referunt.* Vitæ finem poſuit Contemplationem, &, quæ ex ea procedit, Libertatem, ex cit. Alex. Str. 2. Traditur etiam à Plutarcho, eum de Circuli quadratura librum in carcere ſcripſiſſe.

Inter diſcipulos ejus traduntur fuiſſe Pericles, qui ipſum accuſatum defendit, Euripides, qui deinde ad Tragicam Poëſim animum appulit, Socrates, &, ut quidam volunt, Democritus, atque

ARCHELAUS.

ATbenienſis, ſive Mileſius, Anaxagoræ diſcipulus, & ſucceſſor fuiſſe traditur, & Phyſicus appellatus, quòd primus ex Jonia Phyſicam Philoſophiam Athenas tranſtulit. Voſſius tamen in Tract. de Sect. Philoſ. & Muſantius in Fac. Chronolog. tab. 1. Anaxagoram primum fuiſſe ferunt, qui ex Aſia Athenas Scholam invexit: quod etiam ſentire videtur Clem. Alex. 1. Strom.

Erat autem hæc Archelai ſententia de rebus Phyſicis, ut ex Laërt. Stob. & Plut. duo eſſe rerum Principia, Corporeum ſcilicet, infinitum, & diſſimilare, Aërem nempe, ejuſque raritatem, & condenſationem, quarum hæc terram, illa ignem abſolvat; & Incorporeum, ſeu Mentem. Unde Divus Auguſt. 8. Civ. 2. *Anaxagoræ ſucceſſit auditor ejus Archelaus: etiam ipſe de particulis inter ſe diſſimilibus, quibus ſingula quæque fierent, ita omnia conſtare putavit, ut ineſſe etiam Mentem diceret, quæ corpora diſſimilia, ideſt, illas particulas conjungendo, & ſeparando, ageret omnia.*

Univerſum eſſe infinitum, dicebat, & infinitos eſſe mundos: duas eſſe generationis cauſſas, calidum, & frigidum: homines, & animalia omnia ex limo nata: Ventos terræ cavis incluſos, & ipſam, ut exitum ſibi inveniant, agitantes, terræ motuum cauſſam aſſignabat: Stellas terreas ignitas laminas eſſe: Solem ſtellarum maximam: Vocem eſſe aëris percuſſionem: juſtum, & turpe non natura, ſed lege fieri. Vixiſſe traditur nonnullis circa ſeculum ab O.C. 37. & ab U.C. an. 338.

SOCRATES

ATbenis, & proprie in Alopece, quod unum erat ex oppidulis per Atticam ſparſis, natus eſt anno 4. Olymp. 77. ex Apollodoro, Suida, & Laërtio; patremque habuit Sophroniſcum Athenienſem lapidarium, matrem verò Phænaretam obſtetricem, generoſæ tamen, & imperterritæ indolis. Primam ætatem ſtatuariæ, quam pater exercebat, arti ex victus neceſſitate impendit.

Deinde

Deinde vero Critonis divitis Philoſophi ope, qui ipſi filios inſtituendos tradidit, Philoſophiam didicit, aliaſque liberales artes, Eloquentiam præcipue, in qua promtus, & acer adeo erat, ut Idomeneus refert, ut Ariſtophanes in Comœdia, quæ Nebulæ inſcribitur, eum agitet, quod deteriorem cauſſam oratorie loquendo meliorem efficeret. Sed cum triginta Tyranni, qui Athenis regnabant, eum dicendi artem, ut ait Xenophon, exercere prohibuiſſent, ipſe ad Philoſophiæ ſtudia ſe convertit.

Ejus in Philoſophia præceptor primus Anaxagoras dicitur; ubi verò Athenis exceſſiſſet Anaxagoras, ad Archelaum ſe contulit, teſte Ariſtoxeno, cui & in deliciis fuit, & in Schola ſucceſſor, quicum Samum etiam profectus eſt. Damonis etiam ſuaviſſimi Muſicæ præceptoris diſcipulus fuit. Prodicum Sophiſtam, patria Chium, ſe audiviſſe fatetur idem Socrates, Diotimam, atque Aſpaſiam, ſingularis eruditionis feminas. Poëſin edoctus eſt ab Eveno, Œconomiam ab Iſchomacho, Geometriam à Theodoro, & tandem Senex à Conno, qui nobiliſſimus fidicen à Cicerone appellatur, hanc artem didicit.

Socrates mitis ſemper, & humilis in docendo fuit, ac clara methodo uſus; omnes enim phyſicorum ſententias refellebat, ſuam nunquam pro certa ſtatuens; dicebat enim: *Solum ſcio, me nihil ſcire*. Confuſas Philoſophorum, qui ipſum præceſſerunt, ideas certa methodo compoſuit; unde Cic. l. 2. de Fin. inquit: *Socrates, qui Philoſophiæ parens jure dici poteſt*, &c. Xenophon vero in Ep. ad Æſch. negat, Socratem unquam de cœlis, cauſſiſque naturalibus diſſeruiſſe, neque de aliis diſciplinis, quæ μαθημάτων nomine Græcis veniunt, atque eos, qui de talibus diſciplinis eum diſſeruiſſe affirmant, impudentiſſime mentiri, Platonem ſignificans, ut obſervat Gellius, in cujus libris Socrates de rebus naturalibus, muſicis, & geometricis diſputans repræſentatur. Sed Phyſices ſcientiam Laërtius, & Cicero ei tribuunt, quicquid cum Porphyrio cæteri Socratis detractores affirment.

Animadvertens tamen, Naturalis Philoſophiæ contemplationem nihil ad vitam recte inſtituendam conferre, Ethicam Philoſophiam invexit, de qua & in officinis, & in publico ſemper philoſophans, ea potius inquirenda hortabatur, quæ mores inſtruerent, & quorum uſus domi eſſet neceſſarius. A Phyſica ad Ethicam tranſiens dicere ſolebat: *Quæ ſupra nos, nihil ad nos*. Hinc Cic. Acad. Qu. 1. 5. ait: *Primuſque à rebus occultis, & ab ipſa natura involutis, in quibus omnes ante eum Philoſophi occupati fuerunt, avocavit Philoſophiam, & ad vitam communem adduxit: ut de virtutibus, & vitiis, omninoque de bonis, & malis rebus quæreret*. Et 3. Tuſc. *A Socrate omnis, quæ eſt de vita, & moribus, Philoſophia manavit*.

Omnis igitur Socratis Philoſophia vel ad Dei, Animæque contemplationem, vel ad hominis cum hominibus converſationem, præcepta tradebat. Ipſam vero Philoſophiam veram ad felicitatem viam eſſe dicebat. Tria rerum omnium principia ſtatuit, *Deum*, *Materiam*, *Ideas*. Deus eſt intellectus univerſalis, Mens mundi, τὸ ὄν, αὐτὸ ἕκαστον, αὐτὸ τὸ καλόν, αὐτὸ τὸ ζωῆς εἶδος, in ſe ipſo perfectus, omnibus creaturis & ut ſint, & ut bene eis ſit, largitus. Docebat Deum, non Caſum mundi autorem eſſe, ejuſque Providentia cuncta gubernari; ac talem poſtremo Deum eſſe, ut unico actu omnia videat, omnia audiat, omnia gubernet, ubique exiſtat. Materiam dixit eſſe id, quod generationes ſubit, & corruptiones; Ideam vero ſubſtantiam eſſe corporis expertem, in mente, & conceptu Dei. Animam dixit divinam eſſe, & immortalem, quæ à corpore diſſoluta in cœlum, unde venerat, redibit, vel ad fruendum beatitudine cum Deo in loco jucundiſſimo, vel ad pœnas luendas. Hanc autem Animam ante corpus exiſtere, æternarum idearum cognitione imbutam; quam cognitionem dum

cor-

corpori jungitur, amittit, quaſi ſtupefacta, donec ex ſtupore ſuo excitetur per ratiocinationem, à rebus ſenſibilibus initium ducentem. Hinç educit, quicquid Anima inde diſcit, eſſe potius reminiſcentiam, atque amiſſæ ſcientiæ recuperationem. Vid. Plat. in Phædon. atque alibi paſſim, Xenoph. Cic. Læl. c. 4. atque alios. Et de Socratis Metaphyſicis ſatis.

Ad Ethicam vero quod ſpectat, quæ omnem fere Socraticam Philoſophiam abſolvere videtur; in hac ipſe de Virtute, & Vitio, de Amore, Invidia, & Triſtitia, de Fortitudine, & Imbecillitate, de Temperantia, Continentia, & Animo ſua ſorte contento, de Liberalitate, Prodigalitate, & Avaritia, de Magnanimitate, & Superbia, de Patientia, Veracitate, & Adſiatione, de Urbanitate, & Comitate, de Juſtitia, & Amicitia, aliiſque virtutibus tractat; verùm de his particulatim agere, tum quia Synopſeos limites hæc Hiſtoria tranſcenderet; tum potiſſimum quia hæc fuſiùs à Xenophonte in Mem. Socr. Plutarcho, Platone, Stobæo, Clemente Alex. Laërtio, aliiſque, & ex his omnium noviſſime à doctiſſimo Stanlejo memorantur, conſulto prætermitto, pauca tantum adnotaſſe contentus, ex quibus quæ, & qualia ſint ejus de Ethica Philoſophia vere aurea dicta, & præcepta, cognoſci poſſint.

Docebat igitur, eundem eſſe virum juſtum, & beatum, & non eſſe utile, niſi quod juſtum eſt, veramque felicitatem non in bonis, fortunæ obnoxiis, ſed in virtutis poſſeſſione ſitam eſſe. Hortabatur juvenes, ut jugiter ſe in ſpeculo intuerentur, ut ſi formoſi eſſent, digni ea ſpecie fierent, ſin deformes, eruditione deformitatem tegerent; virtus namque animæ pulcritudo eſt. Ut ignis veſtimento, ſic fædum facinus tempore occultari non poteſt. Illi beate, & tranquille vivunt, qui nullius ſibi conſcii criminis ſunt. Nobilitas non eſt aliud, niſi animi, & corporis bona temperies.

Malo conſilio ſpem ſuperſtruere eſt infirmæ anchoræ navim committere. Invidia ulcus eſt animæ. Eorum quærenda familiaritas, quorum candor ſit conſpicuus. Unicum bonum ſcientia, malum unicum inſcitia eſt. Quid Prudentia? Animi concinnitas. Qui Prudentes? qui non facile oberrant. In bello quidem ferrum auro præſtat ad ſeſe defendendum, in vita vero Sapientia divitiis. Maximum eſt vitium, ingratum ſe præbere beneficiis. Id ſolum nos precari oportet, ut Dii bona largiantur; quæ autem bona nobis ſint, optime noſſe ipſos Deos. Religioſius, & rectius Deos colere non poſſumus, quam faciendo, quæ jubent. Patri aſpero, ſicut legi duriori parendum; patris autem increpatio ſuave remedium eſt, plus enim utilitatis, quam mordacitatis habet. Vir fortis eſt, cui, quod neceſſitas imponit, non invito, ſed lubenti accidere videtur. Corinthiorum portas valide clauſas videns, num, dixit, mulieres hîc habitant? Præſtat honeſte mori, quam turpiter vivere.

Cum nimium formoſis converſari eſt incontinentiæ occaſionem quærere. Corporis ſanitas diligenter tuenda, ex ea enim animæ quoque ſalus pendet (unde etiam vulgatum illud: *Animi mores corporis temperiem ſequuntur.*) Bene convivari, ſi neque animum lædunt, neque corpus, neque inventu difficilia ſint, quæ comeduntur. Ditiſſimus, qui in minimis contentus, nam contentum eſſe, naturæ continet divitias. Homines, dicebat, vivere, ut ederent, ſe verò edere, ut viveret. Mulier timenda magis quum te amat, quam cùm conviciatur. Qui diviti largitur, aquam in mare profundit. Viam ad gloriam meliorem nullam eſſe, quam ut quis bonus ſit, videri nolit. Fideles ſunt non qui dicta, & facta tua laudant omnia, ſed qui peccata reprehendunt. Bonos viros iis oportet moribus eſſe, ut major ſit iis, quam juramento, fides. Ignem quidem vento, amorem vero converſatione accendi. Qui, fratribus præteritis,

tis, alios ſibi amicos acquirunt, iis eſſe ſimiles, qui, ſuo agro relicto, colunt alienum. Medicos ægrotis, amicos infortunatis conſulere oportere.

Œconomica Socratis Philoſophiæ pars, ab Iſchomacho accepta, optime narratur à Xenophonte in ſpeciali de hac re tractatu. Addam tantum, quod interrogatus utrum melius eſſet, uxorem ducere, an non, reſpondit: *Utrumque egeris, pœnitentia duceris*. Viros, dicebat, oportere civitatis legibus obedire, uxores vero maritorum ingeniis.

Politicam Socratis, quæ eadem cum Platonicis, vide apud Heſychium Illuſtrium. Addam ex Xenophonte, quod, Reges, & Principes non eos eſſe, diceret, qui ſceptra tenent, ſed qui imperare ſciunt. Regem item eſſe, qui volentibus imperet; Tyrannum vero, qui invitis non ex lege, ſed ex arbitrio præſit. Boni civis officium eſſe, opulentiorem reddere Remp. tempore pacis, victricem tempore belli, hoſtes ei conciliare in legationibus, in ſeditionibus plebem concionibus coërcere. Interrogatus, quæ munitiſſima eſſet civitas? reſpondit, quæ viros bonos habet: quæ rectiſſime conſtituta? in qua magiſtratus conjuncti ſint animis: quæ optima? in qua plurima virtuti propoſita præmia ſint: in qua optimum ſit habitare? ubi ſecundum leges vivatur, & injuſti puniantur. Vid. Stob. Serm. 41. p. 247.

Maximam ſemper animi æquabilitatem in omni vita ſervavit tum in proſperis, tum in adverſis rebus. Hinc Plin. l. 7. *Ferunt, Socratem clarum ſapientia eodem ſemper viſum vultu, nec aut hilari magis, aut turbato*. Duas habuit eodem tempore uxores, Xanthippem, & Myrtonem, quæ cum ſæpe de ipſo inter ſe altercarentur, ipſe deridebat, quod propter ſe fædiſſimum hominem, ſimis naribus, recalva fronte, piloſis humeris, repandis cruribus diſceptarent; ſed tandem impetum in ipſum vertentes & male mulctarunt, & in fugam verſum diu perſecutæ ſunt. Socratem aliquando cum amicis domo exeuntem Xanthippe, ut ſæpiſſime ſolebat, irata, poſt aſpera verbera in eum affatim congeſta, ex conclavi ſuperiore aquis ſordidis perfudit: quo facto, ipſe ad amicos converſus ait: *Nonne dicebam, Xanthippem tonantem mox pluituram?* Interrogatus ab Alcibiade, cur mulierem tam acerbam domo non exigeret? reſpondit; *Quoniam dum talem domi perpetior, exerceor, quò foris petulantium injuriam facilius feram*. Dicenti iterum Alcibiadi, intolerabilem eſſe Xanthippes maledicentiam, reſpondet: *Tu nonne toleras anſeres clamore obſtrepentes?* ipſi vero reſpondenti: *Non mirum, nam mihi ova, & pullos pariunt*; ſubdit: *Et mihi Xantippe filios gignit*. Socratis erga Alcibiadem amorem, Alcibiadis vitam, & facta, vide apud Platonem in Alcibiade primo, & Plutarchum in vita Alcibiadis.

Ne dum ipſe Socrates Genium, ſive Dæmonem ſe habere dicebat, qui ſibi de ipſo, & Amicis futura prædiceret; ſed plane hoc ipſum ore fatentur Plato, Xenophon, & Antiſthenes, Socrati coævi, quorum teſtimonia firmant Laërtius, Plutarchus, Maximus Tyrius, Dio Chryſoſtomus, Cicero, Apulejus; & ex Patribus Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & alii. Hujus vero rei argumenta, Cicerone de Divin. 1. 54. referente, ab Antipatro collecta fuere. De qua re paſſim etiam alii; noviſſime verò in Academia Lipſienſi Gottfr. Olearius anno 1702. nobilem de Genio Socratis Diſſertationem habuit, quam eruditiſſimus Joh. Cler. Stanlei operibus inſeruit.

Temperantiam, Prudentiam, Frugalitatem, Patientiam, Juſtitiam, reliquaſque animi virtutes, quas ipſe unice amandas, & ſectandas docebat, tales in eo, ex communi ſcriptorum conſenſu, fuiſſe conſtat, ut impii quidquam, ac nefandi nec patrantem ipſum viderit quiſquam, nec dicentem audiverit. Munera, & honores æque ac injurias, & verbera contemnebat; Munera enim, ma-

gna

gna præcipue, non accipiebat, & illatas ſibi ſive verbis, ſive manibus injurias hilari vultu tolerabat: Cuidam enim ſibi dicenti, quod alter male de ipſo abſente loqueretur, reſpondit: *Abſentem vel verberet*. Et alteri nuncianti, quendam eum maledictis inceſſere, reſpondit: *Bene loqui non didicit*. Colapho percuſſus hoc tantum dixit: *Quàm permoleſtum eſt, nos homines ignorare, ubi galeatis in publicum ſit prodeundum*. Summa tandem Socratis ſapientiæ, & virtutis laus eſt, quam ipſi Apollo Delphicus dedit, dum à Chærephonte Socratis ſodale interrogatus, quis hominum eſſet Sapientiſſimus? reſpondit Oraculum: Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος, *Omnium hominum Socrates ſapientiſſimus*.

Tandem ex Invidia apud Senatum ab inimicis accuſatus eſt, quod Athenarum Deos contemneret, novoſque Deos introduceret. Cujus accuſationis libellus talis à Laërtio 2. 40. traditur: *Melitus, Meliti filius, Pittbenſis Socratem, Sophroniſci filium, Alopecienſem defert. Socrates, præter jus, & æquum, Deos, quos Civitas eſſe cenſet, ipſe non cenſet, novaque Deorum numina introducit: præter jus, & æquum item juventutem corrumpit: pœna illi, mors*. Cum autem Hermogenes, Lyſias, aliique Oratores diſertiſsimi, omneſque ſodales, qui ditiſſimi erant, verbis, & opibus defendere, & liberare eum vellent, nullo modo hoc fieri voluit, dicens: *Bis defenſionem ad judices meditari volenti numen adverſatum eſt mihi*. Plato etiam, aliique diſcipuli, & Amici pecuniam Socrati jam damnato obtulerunt, qua vitam redimeret; ipſe verò hoc facere nec voluit. Unde Cicutam ex judicum decreto hilari vultu, fortique animo bibens, & philoſophica cum amicis diſputans mortuus eſt anno 1. Olymp. 95. ætatis vero ſuæ 70.

Cicero, Plutarchus, Dio Chryſoſtomus, Ariſtides, Origenes, & alii Socratem nihil ſcriptis mandaſſe teſtantur. Sed ipſos de Philoſophicis ſcriptis intellexiſſe, certum eſt: ignorare enim non poterant, Socratem præter Epiſtolas, à Leone Allatio editas, & ab Arriano, & Athenæo memoratas, Æſopi Fabulas eleganter in metrum redegiſſe, quarum Plato, Plutarchus, & Laërtius meminere; ut ſupra quoque in vita Æſopi dictum; Hymnum in Apollinis, & Dianæ honorem ſcripſiſſe; & Dialogos compoſuiſſe, quos Æſchini dedit jam nimis pauperi, ut ex ipſis quæſtum faceret. Socratis autem dicta, facta, & doctrinam ejus diſcipuli Xenophon, Plato, aliique ſcriptis tradidere. De ſcriptis Socratis vide Diſſertationem Gottfridi Olearii contra Leonem Allatium, ab eruditiſſimo Joh. Clerico Stanleji Hiſtoriæ additam.

SOCRATIS DISCIPULI.

QUamvis omnes, qui è Socratis Schola prodiere, Socratici dici vellent, & ambirent; non omnes tamen ejuſdem conditionis extitere. Cum enim, ut Cic. Orat. 3. 16. ait, ex illius variis, diverſis, & in omnem partem diffuſis diſputationibus alius aliud apprehenderet, proſeminatæ ſunt quaſi familiæ diſſentientes inter ſe, & multum disjunctæ, ac diſpares; de quibus infra. Alii contra vel nullius, vel parum memorabilis Sectæ autores extitere, ſed ejus doctrinam vel integram, vel parum immutatam ſecuti ſunt; de quibus in præſenti capite.

Nullius Sectæ autores

XENOPHON.

ATheniensis, Grylli filius natus, ut ex Luciano de Longæv. a. 1. Olymp. 82. mortuus vero nonagenarius Corinthi a. 1. Olymp. 105. Hac autem oc-

Digitized by Google

occaſione cum Socraticis adnumeratum fuiſſe, narrat Laërt. 2. 48. Cum Xenophon in angiportu quodam Socratem obvium habuiſſet, porrecto baculo tranſire prohibuit, eumque interrogavit, *Ubi venirent, quæ humanis uſibus ſunt neceſſaria?* Cui Socrates ſerium dedit reſponſum, ac viciſsim interrogavit; *Ubinam boni, & probi homines fierent?* Quo audito cum hæreret Xenophon, dixit Socrates: *Sequere ergo, & diſce*. Atque ex eo tempore Socratis diſcipulus factus eſt.

Xenophontis corporis, & animi deſcriptionem ex Laërt. Athen. & aliis, hanc habemus: Verecundus erat, coma promiſſa, &, ut Laërtius ait, ultra quam dici poſsit formoſus. Præſtans in omnibus, præcipue tamen equorum, venationis, & exercitus inſtruendi peritus. Religioſus, & ſacrificiis intentus, quorum interpres erat egregius. Socratis imitator, ſive contemplationem ſpectes, & ſapientiæ ſtudia, ſive quæ ad rem gerendam, conſummatæ virtutis. Solus enim, ut Eunapius in Proœmio ait, in Philoſophis fuit, qui actionibus non minus, quàm verbis Philoſophiam illuſtraret. Neque Alexander Magnus celebraretur, niſi Xenophon dixiſſet: *Tralatitias quoque fortium virorum actiones memoriæ mandandas eſſe*. Ipſe primus Socratis magiſtri ſui ſcripta, notis excepta, in publicum edidit, nullis adſutis de ſuo laciniis, ut Plato fecit, ab eo propterea, Gellio 14. 3. obſervante, reprehenſus. Platoni inimicus ſemper extitit, ut ex Laërt. Athen. Gell. & Voſs. habemus, quem criminis hujus damnat, quòd Socratis doctrina non contentus, Pythagoreis, & Ægyptiis Sacerdotibus ſe adjunxerit. Ariſtippo quoque contrarius fuit, ut ex ejus ſcriptis. Laërtii duo in ipſum Epigrammata ſunt:

Non tantum ad Perſas Cyrus Xenophonta vocavit,
Sed virtus etiam limina ad alta Jovis.
Dumque ejus virtute ſtetit res Hellados, ipſe,
Quàm ſapiat clare Socrates, ecce doces.

Quod Epigramma ejus cum Cyro expeditionem in Aſiam ſpectat. Alterum vero, quod ſpectat exilium, ſic habet:

Sis quamquam ingratis Xenophon ejectus Athenis,
Ob gratiam gratus Cyri minus tuis.
Te tamen excepit fugitivum grata Corinthus,
In qua hoſpes urbe noſti lætus vivere.

Plura ſcripſit, in quibus verbis, & ſententiis Herodotum imitatus eſt, ut notat Dionyſ. Halicarnaſſ. de Vot. ſcript. cenſ. p. 125. & Epiſt. ad Pomp. p. 210. Oratione uſus eſt leniore, & melle dulciore, & à forenſi ſtrepitu remotiſsima, ut obſervat Cic. Orat. 19. Unde Attica Muſa, & Apis Attica dictus eſt, ejuſque voce Muſæ quaſi locutæ. De ejus dictione, & eloquentia videatur Ariſtides Adrianenſis in peculiari Tractatu, qui Hermogeni adſcribitur. Xenophontis libri 40. à Laërtio recenſentur, quos omnes Cic. ad Quintum ſtudioſe legendos ſuadet, & Scipio Africanus aſsidue in manibus habuiſſe dicitur. Sunt autem: Κύρυ παιδεία, *Cyropædia*, in qua Cyri vitam, & diſciplinam non ad hiſtoriæ fidem, ſed ad effigiem juſti imperii, ut Cic. ait, libris 8. ſcripſit. Κύρυ ἀνάβασις, *Cyri adſcenſus*, ſcilicet in Aſiam, lib. 7. Ἑλληνικά, *Hiſtoria Græca*, lib. 7. deſcripta, & ubi Thucydides texere deſierat, proſecuta, & annorum 48. res geſtas proponens. *Ageſilaus*, in quo Regis hujus laudes proſequitur. *De Rep. Lacedæmoniorum, & Athenienſium. Socratis Apologia, & memorabilia ejus*, quæ forte eſt Philoſophorum Hiſtoria à Suida commendata. *Oeconomicus*, qui ultimum Socratis memorabilium librum abſolvit; quem librum Cic. latinè vertit, & in deliciis habuit. *Sympoſium*. *Hiero*, ſive liber de Regno: *De Adminiſtratione Domeſtica*: *De Equis*: *De Re Equeſtri*. *De Venatione*: *Epiſtolæ* denique 10. quas vide apud Allat. alioſque.

L AESCHI-

AESCHINES.

CHarini, lucanicarum ſartoris, ſive, ſecundum alios, Lyſaniæ Athenienſis filius, à pueris φιλόπονος, laborum patiens fuit. Hic Socratem ſequi conſtituens, ut notat Senec. de Benef. 1. 8. dixit: *Pauper ſum, neque munus, quod tibi offeram, habeo, meipſum tamen trado totum*. Cui Socrates: *Nonne verò animadvertis quantum mihi munus obtuleris?* A Socratis latere nunquam diſceſsit; unde Socrates dixit: *Solus nos novit honorare ὁ τοῦ ἀλλαντοποιοῦ, fartoris lucanicarum filius*. Pauperrimus cum eſſet, Socrates ei Dialogorum ſuorum quoſdam dedit, ut ex ipſis lucrum faceret. Pauperie item adactus in Siciliam ad Dionyſium tyrannum conceſsit tempore, quo Plato, & Ariſtippus ibi degebant; à quorum ultimo commendatus Dionyſio fuit, ut ex Laërtio, & Epiſtolis Socraticorum habemus, cum quo Dialogos quoſdam ipſe communicavit, quos liberaliter ille remuneratus eſt; vixitque cum eo, donec ilii, tyrannide pulſo, Dion ſucceſsit. Quo facto Athenas reverſus, cum Philoſophiam publice docere non auderet, quod maxima ibi Platonis, & Ariſtippi fama eſſet, privatim mercede accepta docebat. Deinde cauſsis in foro dicendis ſe addixit, in quo munere obeundo, ut Timon teſtatur, ſumma ipſi facultas fuit ita, ut Lyſias ex invidia Orationem adverſus eum contumeliis plenam ſcripſerit, cui titulus Περὶ Συκοφαντίας, *de Sycophantia*, ſive de çalumniatoria accuſatione.

Scripſit Dialogos 7. ex Laërtio, in quibus Socraticum expreſsit ingenium, & quibus magnam temperantiæ, humanitatis, & integritatis laudem conſecutus eſt; Orationes, ſumma dicendi facultate inſignes, in quibus Leontinum Gorgiam imitatus eſt; Et Epiſtolas, quarum unam ad Dionyſium tyrannum Laërtius memorat; altera in Epiſt. Socraticorum habetur.

CRITO

ATheniensis Præceptorem ſuum Socratem adeo dilexit, ut ipſum neceſſariis egere nunquam paſſus ſit. Is quòd pacato eſſet ingenio, animique quietem diligeret, conſilium à Socrate quæſivit, quomodo contentioſos homines, qui litibus ipſum continuo affligebant, eludere poſſet: cui Socrates, *ſi*, inquit, *ſimilis cum adverſariis ingenii hominem tibi adjunxeris, qui adverſariorum injurias depellat*. Hinc ipſe Archidamum juris peritiſsimum, ſed pauperem elegit, qui donis ejus, & liberalitate devinctus, acerrime omnes inſectabatur.

Scripſit Dialogos 17. quos ſic Laërtius recenſet: *Non ex diſciplinis conſtare probitatem*. *Quid ſit abundare*. *Quid idoneum, ſeu Civilis*. *De Honeſto*. *De Maleficio*. *De Felicitate*. *De Lege*. *De Divino*. *De Artibus*. *De re Venerea*. *De Sapientia*. *Protagoras, ſive Civilis*. *De Literis*. *De Poëtica*. *De Bono*. *De Diſciplina*. *De Scientia, ſive quid ſit ſcire*. Eſt præterea Apologia pro Socrate. Quatuor ejus filii Critobulus, Hermogenes, Epigenes, & Cteſippus, Socratis diſcipuli fuere.

SIMON

ATbenienſis, coriarius, Socratem ad ſuam officinam ventitantem attente audiens, & quæ diſſereret, adnotans, ejus diſcipulus factus eſt; unde & ejus Dialogi, quos Laërtius ad 33. editos refert, Σκυτικοί, Coriacei dicti ſunt. Fertur primus diſcipulorum Socratis Sermones recitaſſe. Pericii ipſum ad ſe invitanti, & victum omnem promittenti, reſpondit, *Se libertatem in dicendo vendere nolle*. Eſt inter Socraticorum Epiſt. ejus una, qua Ariſtippo reſpondet.

GLAU-

GLAUCO Athenienſis, qui 9. Dialogos ſcripſit; SIMMIAS Thebanus, qui 23. & CEBES etiam Thebanus, qui Dialogos tres, Hiſtoriam Inferorum, atque alia ſcripſit, omnes veri Socratis diſcipuli fuere, qui Scholam in Sectas non diſtraxerunt. Sequuntur nunc Socratici, qui Sectarum autores fuere; ſed quibus breviſsimi temporis ætas conceſsa fuit, ſive quod ratione ſolida nulla niterentur, reliquorum vi, & diſputationibus fracta, & extincta, ut Cic. de Or. 3. 17. ait; ſive quod non in totius Græciæ florentiſsima Athenarum urbe, ſed in obſcurioribus orbis partibus ſedem habuerint. Et primo

ARISTIPPUS CYRENAICÆ SECTÆ AUTOR

SOcratis quidem diſcipulus, ſed non imitator, Cyrene, quæ Africæ eſt, natus, inde Athenas ad Socratem, cujus fama invitabatur, perrexit. Hic, quem illæ magis voluptariæ Socratis diſputationes delectabant, ut Cic. de Orat. 3. 17. ait, Voluptatem ultimum eſſe hominis finem, quo omnis contineatur felicitas, docuit. Et ſane huic doctrinæ vita, & mores ejus reſpondebant; & quidem luxui, unguentis, veſtibus precioſis, vino, & mulierculis indulgebat, ut notat præ cæteris Athen. Dipſ. 12. Quamvis opibus affluerent, & tria prædia poſsideret, primus tamen Socraticorum mercedem docendo exegit, & quæſtu philoſophatus eſt. Hinc Socrates ipſi ait: *Quid eſt, quòd tam magna poſſideas?* Cui Ariſtippus: *Quid eſt, quod tam exigua tibi ſuppetant?* Cum 20. minas ipſe ad Socratem miſiſſet, hic ſtatim remiſit, inquiens, Dæmonem prohibere, quo minus recipiat. Ut autem continuas Socratis reprehenſiones vitaret, & genio in venerem indulgeret magis; Socrati maledicens Æginam profectus eſt, ubi uſque ad Socratis obitum vitam luxu diffluentem duxit, Laidis, famoſiſsimi Corinthiorum ſcorti familiaritate fruens, quæ Æginam quotannis, Neptuni feſto, ventitabat; in cujus etiam gratiam Corinthum Ariſtippus ire non dubitavit.

Tandem Cyrenem in patriam reverſus, Philoſophiam docuit, quæ à loco Cyrenaica, & à fine, quem ſibi proponebat, Ἡδονική, Hedonica, ſive Voluptuaria dicta eſt. Cyrenaici Phyſicam reſpuebant, quòd nulla ad ejus cognitionem via pateret; Logicam tantum excolentes: quamvis Meleager, & Clitomachus, ipſam pariter neglexiſſe, affirment, quòd nullius eſſet uſus.

Veritatis Criterium penes Senſum Interiorem ponebant, per quem animi quidem Παθήματα, Affectiones percipi poſsint, non autem ea, à quibus procedunt. Sic me dolorem, voluptatem &c. ſentire verum eſt; ſed an exiſtant, vel talia ſint objecta, à quibus hæ affectiones producuntur, affirmari non poſſe, dicebant. Nam fieri poteſt, ut albi à non albo, dulces à non dulci &c. efficiamur; ſicut qui oculum compreſſerit, gemina videt objecta, qui regio morbo laborat, flava; cibus uni dulcis, alteri amarus dicitur, & his ſimilia; ex quibus educebant, Senſum Interiorem recte de Paſsionibus illis, prout percipiuntur, judicare; non tamen veritatem ullam de externis rebus affirmare, vel ſaltem cognoſcere poſse.

Finem, ſeu Summum Bonum, ut diximus, Voluptatem ſtatuebat, hoc ductus argumento, quòd à pueris hanc appetere, natura docuit: Dolorem contra Summum malum eſse, quòd omnes ipſum ab ortu timeamus. Hinc duas tantum paſsiones eſse dicebat, Voluptatem, & Dolorem; & Voluptatem quidem definiebat, eſse motum lenem, Dolorem verò motum aſperum; & illam animantia cuncta expetere, hunc formidare, dicebat; nec Voluptatem voluptate majorem, nec aliud alio volupe magis eſse. Per Voluptatem autem non eandem cum Epicuro ſentiebat, quæ in corporis indolentia, & animi tranquillitate conſiſtit, & quam ipſe *Stantem* appellabat, ſed corporis Voluptatem, eam-

L 2 que

que præſentem; cum omnis Voluptas μονόχρονος ſit; præterita enim Voluptas jam modo non eſt, & futura an advenerit, incertum eſt. Voluptatem inſuper bonam eſſe, etiamſi à turpiſſimis rebus proveniat, quòd Voluptas in ſe ſpectatà ſemper bona ſit, ut notat Hippobolus in libro de Sectis. Præſtantiores eſſe corporis, quàm animi Voluptates, deteriores vero dolores corporis, quàm animi. Finem denique Vitæ à Beata Vita differre, quòd Vitæ Finis ſit Voluptas particularis, Vita vero Beata particularium Voluptatum collectio ſit; & particularem quidem Voluptatem per ſe expetendam, Beatam vero Vitam nonniſi propter particulares voluptates.

Virtus laudanda, ſi voluptatem efficiat. Natura nihil honeſtum, aut turpe, nihil juſtum, vel injuſtum, ſed lege, & conſuetudine. Amicum neceſſitatis cauſſa amplectendum; nam corporis partes, quandiu adſunt, amantur. Vide Laërt. Athen. 12. Cic. Acad. qu. 4. 7. & de Off. 3. 33. Sext. Emp. adv. Matham. p. 173. & ſeq. Ælian. Var. Hiſtor. 19. 20. atque alios.

A Dionyſii Siciliæ tyranni profuſa liberalitate invitatus, ipſum adivit; à quo interrogatus, *Cujus rei gratia veniſſet?* reſpondit: *Ut quæ habeo impertiar, & quæ non habeo, accipiam.* Vel, ut ex aliis: *Quando Sapientia egebam, Socratem adivi, nunc pecunia opus habens, ad te veni.* Ariſtippus, cui ingenium facile, ut ſe loco, tempori, & hominibus aptare noſſet, Dionyſii animum captavit, nam

Omnis Ariſtippum decuit color, & Status, & res. Hor. 1. Ep. 17.

Cum à Dionyſio, quod pro amicis ſuis petebat, impetrare non poſſet, id tandem ad pedes provolutus impetravit: quod cum ei exprobraretur, reſpondit: *Non ego culpandus eram, ſed Dionyſius, qui aures in pedibus habebat.* Dionyſio ipſum percontanti, *cur divitum limina Philoſophi frequentarent, non vero contrà divites limina Philoſophorum?* reſpondit: *Quia norunt illi, quibus opus habeant, at iſti ignorant.* Vide Laërt. l. 2.

Ejus Apophthegmatum, quæ plura à Laërtio, Plutarcho, Stobæo, aliiſque recenſentur, pauca hic adnotabo. Interrogatus, quid à Philoſophia homines conſequantur? reſpondit: *Quod ſi omnes leges intereant, æquabiliter tamen ſint victuri.* Quærenti, quid docti ab indoctis differant? ait: *Quod equi domiti ab indomitis.* Conviciis laceſſitus ſubitò abivit; convicianti autem, cur abiret? dicenti, ait: *Quia tu maledicendi, ego non audiendi poteſtatem habemus.* Rogatus, quid emolumenti ab eruditione filius ſuus expectaret? dixit: *Si non aliud, hoc ſaltem, ne in theatro lapis lapidi inſideat.* Simus, Dionyſii Quæſtor, genere Phryx, homo peſſimus, eum in domum ſuam, ex marmore magnifice ornatam duxit, in cujus faciem Ariſtippus conſpuens ait: *Locum magis opportunum video nullum.* Meretrici dicenti, uterum ex eo geſtare, ait: *Non hoc magis noſti, quam per ſpinas denſiſſimas quis ambulans dicere poteſt, iſta me ſauciavit.* Cum prædium amiſiſſet egregium, condolenti ob jacturam dixit: *Unicum habes agellum, mihi tres adhuc relinquuntur. Annon igitur tibi potius condolendum?* Mulierem ſtatura parva, ſed forma emendatiſſima videns, ait: *Parvum malum, ſed magnum bonum*; pulcritudinem intelligens.

Soſicrates, atque alii affirmant, eum nihil ſcriptum reliquiſſe. Alii contra ajunt, ſcripſiſſe Hiſtoriam Lybicam, tribus libris contentam, & Dionyſio inſcriptam. Dialogos 23, partim Attica, partim Dorica Dialecto; quorum titulos habet Laërt. l. 2. Præterea Exercitationum libros tres; de Voluptate librum unum, à Laërtio in Vita Epic. memoratum. De Phyſiologia. De Veterum Luxu lib. 4. Et Epiſtolas 4. quas in Collectione Epiſt. Socraticorum, ab Allatio publici juris facta, legere eſt.

Poſtremo cum in patriam ad Aretem filiam redeundi poteſtatem à Diony-

ſio

Digitized by Google

ſio accepiſſet, in itinere morbo correptus Lyparæ ſtetit, ubi & diem obiit. Adhuc tamen infirmus inde epiſtolam ad Aretem ſcripſit, quæ extat in cit. Epiſt. Socr. Collect. Præter hanc filiam, quam magna cura in Philoſophicis inſtituit, filium habuit, quem ob ingenii ſtuporem exhæredavit, & familia expulit. Uxori autem arguenti, quòd hic filius ab ipſo eſſet, reſpondit: *Pituita quoque, & pediculi à nobis ſunt, quæ tamen velut inutilia à nobis longiſsime projicimus.*

Diſcipulos præter dictam filiam Aretem, quæ ei in Schola ſucceſſit, plures habuit, inter quos præcipui fuere Ptolemæus Æthiops, Ptolemaide ortus, & Antipater Cyrenenſis. Arete Philoſophiam à parente acceptam filio ſuo, ex avi nomine, Ariſtippo communicavit, qui ideo Μητροδίδακτος dictus, quòd à matre inſtitutus eſſet. Hic Theodori Athei magiſter extitit. Antipater Epitimidem docuit; hic Paræbatam; hic Hegeſiam, & Anniceridem. De quibus ſingillatim.

HEGESIAS

Paræbatæ diſcipulus, Πεισιθάνατος dictus, quòd *mortem ſuaderet*, non ſolum non timendam, ſed optandam, quòd nos multis malis ſubducat, quod Cic. Tuſc. l. 34. & Val. Max. 8. 9. affirmant, eum per enumerata humanæ vitæ incommoda feliciter probaſſe; atque eo eloquentiæ apparatu fuiſſe vitæ miſerias inſecutum, ut earum miſeranda imagine audientium pectoribus inſerta, multi voluntariæ mortis amatores facti ſint: unde à Rege Ptolemæo ulterius hac de re differendi facultas non permiſſa ei fuit.

Ejus diſcipuli à Præceptoris nomine Hegeſiaci dicti ſunt; qui idem cum Cyrenaicis de Summo Bono, ac reliquis ſentiebant; ſtatuentes inſuper, neminem beatam vitam perfecte conſequi poſse propter corporis, animique afflictiones, quibus quiſque tenetur: natura jucundum, & injucundum nihil: divitias, & paupertatem, ſervitutem, & libertatem, & reliqua cuncta nihil inter ſe differre; atque alia his ſimilia riſu digna, quæ ſunt apud Laërtium.

ANNICERIS

Cyrenæus, Paræbatæ & ipſe diſcipulus, quem Suidas Epicureum fuiſse, & Alexandri ætate vixiſse affirmat, equis, curribuſque regendis maxime excelluit. Hic Platonem, Æginæ inter mancipia Dionyſii juſſu venditum, 20. vel ut alii ſcribunt, 30. minis redemit, & Athenis amicis ſuis reddidit, à quibus pecunjam reddere volentibus accipere noluit, dicens: *Non ſolos ipſos eſſe, qui Platonis curam ſuſciperent.*

Ejus diſcipuli, Annicerii ab autore dicti, cum Hegeſiacis conſentiebant, omne bonum in Voluptate ponentes; amicitiam tamen colendam, & pro amicis, patria, & parentibus labores omnes etiam ſuſcipiendos, dicebant: & quamvis ultimus finis in voluptate conſiſtat, hac tamen pro amicis privari, bonum eſſe: Sapiens enim omni voluptate privatus, & in laboribus conſtitutus, beatus etiam eſse poterit.

THEODORUS

Anniceridis, Dionyſii Dialectici, Zenonis Cittici, & Pyrrhonis Ephectici diſcipulus, Atheus dictus, quòd Deos negaret, rationeſque, quibus alii Deorum exiſtentiam probant, in ſcriptis ſuis refutaret, ut refert Suidas; ex quibus plura ab Epicuro deſumta ſunt; inde vero per abuſum Θεὸς, Deus dictus eſt; cujus nominis occaſionem lege apud Laërt.

Cy-

Digitized by Google

Cyrenæis ipſum relegantibus ludens dicebat : *Male facitis Cyrenæi ex Lybia in Græciam me expellentes* . Inde Athenas delatus , Areopagi judicio obnoxius, ad mortem damnatus eſſet , niſi Demetrii Phaleræi auxilio evaſiſſet . Athenis ejectus ad Ptolemæum ſe contulit , à quo ad Lyſimachum legati munere miſſus eſt ; Lyſimacho autem ob impia quædam prolata ipſi crucis mortem ſæpe minante , poſtremo Cyrenem rediit , ibique magna cum Mario autoritate vixit. Amphicrates tamen ait , ipſum lege damnatum ob Atheiſmum , hauſto veneno, periiſſe . Multa ad ſuam Philoſophiam pertinentia , & alia non pauca ſcripſit.

Sectæ autor fuit , quæ ab ipſo Autoris nomine Theodoria dicta eſt : omnis tamen eruditionis genere, ut Suidas Σωκρατ. ait , ſuos inſtituit , docens *Indifferentiam* ; hoc eſt , omnes res nihil invicem differre , ac turpe naturam nihil ſtatuiſſe, modo vulgaris de his opinio tollatur , ſtultorum continendorum gratia concinnata . Hinc ſapiens , ſi res poſtulat, publice operam Veneri dare ſine pudore , furto , ſacrilegio , adulterio uti , & quæ vellet , patrare poterit , omnia cum ſint indifferentia . Finem ſtatuit Gaudium , & Mœrorem . Bona eſſe Prudentiam, & Juſtitiam : mala vero contrarios habitus : media Voluptatem , & Dolorem . Amicitiam neque in Sapientes , neque in inſipientes cadere poſſe , dicebat ; hi enim amicitia uti neſciunt , illi non indigent , cum ſibi ipſis ſufficiant : ſapientem etiam nec pro patria mortem ſubire debere , cum fas non ſit, ſapientiam perire , ut ſtultis bene ſit : Communem patriam mundum eſſe. In quibus omnibus probandis , non rationibus , ſed argutiis utebatur .

B I O N.

Boryſthenita , Cratetis Academici primum auditor , deinde Cyniſmo additus , ex quo conſtantiam omnis perturbationis expertem hauſit ; poſtea Theodori Athei , ex quo Theodorius dictus eſt, & Theophraſti Peripatetici diſcipulus fuit . Antigono petenti ab ipſo :

Ede tuum nomen , patriam , genus , atque parentes .

reſpondit , patrem ſuum fuiſſe libertum, cubito ſe tergentem (hoc eſt Salſamentarium) matrem , Olympiam dictam , meretricem Lacedæmonem . Fuit pater meus ob crimen in Remp. commiſſum cum univerſa familia venundatus . Ego ab oratore emtus , ejuſque poſt fata hæres factus , ejus libris crematis, & diſcerptis , Athenas conceſſi , ibique Philoſophiæ ſtudiis dedi operam.

Hujus me eſſe patris , generis me glorior hujus .

Tu vero meipſum intuere ; nam cum tibi , ò Rex , ſagittarios comparas , non de eorum genere quæris , ſed propoſito ſcopo ipſos experiris ; ſic de amicis non unde , ſed quales ſint , videndum erat . Fuit igitur Sophiſta callidus.

Mortuus eſt Chalcide, omnibus ægroto neceſſariis deſtitutus, donec ab Antigono cum ſervis ad ipſum veniente adjutus eſt . Antequam diem obiret , ſuperſtitioſas ligaturas ſibi applicari paſſus eſt, ſicque impietatis in Deos pœnitentiam egit .

Inter ejus Apophthegmata hæc præcipua : *Quis hominum maxime inquietus ? Qui ſe felicem maxime cupit eſſe , & beatum . Ad ſenectutem tanquam ad portum mala cuncta confugiunt . Magnum malum ferre non poſſe malum . Facilis ad inferos via , nam clauſis ad ipſos oculis pervenitur . Alcibias , adoleſcens cum eſſet , viros ab uxoribus, maturæ ætatis exiſtens, uxores à viris abſtrahebat.* Roganti cuidam loquaculo , ut opem ſibi in negocio ferret , dixit : *Faciam quod petis , ſi per internunctios mecum agere , nunquam ipſe venire volueris . Dives avarus* , dicebat , *non nummos habet , ſed ab ipſis habetur . Prudentia tantum cæteras virtutes , quantum reliquos ſenſus viſus ſuperat* . Invido ſubtriſti dixit:

Vel

Vel tibi aliquod malum, vel alteri bonum evenerit. Amicos, qualeſcumque ſint, ſervare oportet, ne videamur aut malis uſi, aut contempſiſſe bonos. Qui adulatoribus delectantur, ſimiles ſunt amphoris, quæ auribus prebenſæ facile circumducuntur. Avaritia omnis mali metropolis eſt.

EUCLIDES MEGARICÆ SECTÆ AUTOR

MEgaris, urbe ad Iſthmum ſita, ortus eſt, licet alii ipſum Gelæ ortum, quæ Siciliæ urbs eſt, dicant. Hic Parmenidis librorum ſtudio initio delectatus eſt; deinde Athenas ad Socratis Scholam venit. Sed cum ex Athenienſium decreto, ut notat Gell. 6. 10. & Thucyd. l. 1. Megarenſibus, ne vel pedem Athenis imponerent, ſub capitis pœna ſancitum fuerit; Euclides ſub noctem muliebri veſte indutus Megaris Athenas ad Socratem audiendum ventitabat, rurſusque ſub lucem domum eadem veſte tectus redibat, millia paſsuum amplius viginti quavis ferme nocte iter faciens. Mortuo Socrate, Platonem cum reliquis Philoſophis Megara, tyrannorum metu, ad ipſum venientem humaniſſime excepit.

Sectam inſtituit, quæ à loco Megarica primum dicta eſt, deinde Eriſtica, Contentioſa, quòd litigioſis diſputationibus ex propria indole Euclides addictus fuerit; hinc Socrates eum reprehendens dixit, ipſum cum Sophiſtis potius contendere, quàm cum hominibus diſputare poſse: unde Diogenes non Σχολὴν, Scholam, ſed Χολὴν merum Fel, Megaricam eſse dicebat. Et Timon:

Hos ego nugarum nolim curare patronos,
Seu Phœdona mihi narres, ſeu litibus aptum
Euclidem, Megaram rabidis qui litibus implet.

Tandem Dionyſius Carthaginenſis ipſam primus Dialecticam vocavit, quod interrogationibus, & reſponſionibus in diſcurſu uteretur. Plut. refert, ipſum in Scholis celeberrimum fuiſse. Fratri in ira dicenti: *Peream, niſi vindictam expoſcam*, reſpondit: *Et ego peream, niſi hanc tibi iram verborum lenitate extorſero, ac me perinde ac antea ames effecero.* Dialogos, atque alia ſcripſiſſe fertur.

EUBULIDES

MIleſius, Euclidis ſucceſsor, Demoſthenis oratoris præceptor fuit, juxta quoſdam, qui eum literæ *R* pronunciationem aſſiduo exercitio docuit. Ariſtotelis inimicus, & obtrectator ſemper extitit. Dialecticas argumentationes plures invenit, quales ſunt Sophiſmatum ſpecies, quas Ariſtoteles, Syllogiſmos Eriſticos, ſive Contentioſos vocavit, & ex hac Schola in ſuam Stoici derivarunt, ψευδόμενος ſcilicet, Mentiens, Διαλανθάνων, Occultus, Ἠλέκτρα, Electra, Ἐγκεκαλυμμένος, Velatus, Σωρίτης, Acervalis Ciceroni de Divin. l. 2. c. 4. dictus, Κεράτιν, Cornutus, & Φαλακρός, Calvus.

ALEXINUS

ELienſis, Eubulidis diſcipulus, ejuſque Eriſticæ Sapientiæ æmulator, Zenonis, Menedemi, & Ephori Hiſtorici adverſarius, & in ſcribendo maledicus fuiſse traditur. Hermippus refert, ipſum Olympiam ad Sectam condendam, quam à loco Olympiacam appellant, iviſſe; ſed diſcipulis omnibus ipſum ob aëris intemperiem relinquentibus, ibi ſolus cum eſset, in Alphæi aquis natando ſe exercens, arundinis acumine læſus diem obiit.

EU-

Digitized by Google

EUPHANTUS

OLynthius, Alexini diſcipulus, Demetrii pater, & Antigoni Regis præceptor fuit. Suorum temporum Hiſtoriam, Tragœdias multas plauſu exceptas, & librum de Regno ad Antigonum ſcripſit. Grandævus mortuus eſt.

APOLLONIUS CRONUS

EUbulidis diſcipulus, Cyrenæus, & proprie ex Apollonia, urbe Cyrenaica, unde Strabo ipſum Cronum Apollonium vocat.

DIODORUS

AMiniæ filius, Jaſo ortus, quæ Cariæ civitas eſt, Eubulidis diſcipulus, ex Laërtio, Croni Apollonii diſciplina uſus eſt, ex Strab. l. 17. unde & Croni cognomen habuit. Cum Ptolemæo Sotere vixit, quo præſente à Stilpone interrogatus de rebus, quibus ex tempore explicandis cum ſatis non eſſet, diſcedens è convivio, & oratione de eo argumento ſcripta, mœrore confectus obiit. Dialecticus, & Sophiſticus fuit inſignis, ut refert Laërtius, & Strabo. Sophiſtici argumenti exemplum habemus apud Sext. Emp. quo Diodorus probabat, nihil moveri, & ex conſequenti, nihil naſci, vel interire poſſe; quod ſic habet: *Si quid movetur, aut in eo, in quo eſt, loco movetur, aut in eo, in quo non eſt. At neque in quo eſt movetur, manet enim in eo, ſi in eo eſt. Nec vero in quo non eſt, ubi enim aliquid non eſt, ibi neque agere quidquam, neque pati poteſt. Non ergo movetur quidquam.* Rerum Principia, ut refert cit. Emp. eſſe dicebat corpora minima, & inſecabilia, quantitate finita, numero vero infinita.

Inter Euclidis ſucceſſores numerantur etiam à Laërt. ICHTHYAS, Metalli filius, cui Diogenes Cynicus Dialogum dedicavit; atque CLINOMACHUS Thurius, qui primus de Axiomatibus, Categorematibus, & ſimilibus ſcripſit. Præter hos

STILPO

MEgaris Hellados oppido natus, Ptolemæi prioris ætate vixit, habuitque præceptores Traſymachum Corinthium, Diogenem Cynicum, Paſiclem Thebanum, & Dioclidem Megarenſem. A Cic. de Fato c. 5. auctus homo, & probatus, à Sen. ep. 9. vir fortis, & ſtrenuus appellatur; additque Cic. l.c. ejus familiares non ad vituperationem, ſed ad laudem de eo ſcripſiſſe, fuiſſe vinolentum, & mulieroſum, vitioſamque naturam doctrina domuiſſe. Et quidem præter uxorem, Nicarete etiam pellice utebatur. Plutarchus quoque ipſum laudat. Civilium rerum ſtudio addictiſſimus fuit. Filiam habuit, quam Symmias Syracuſanus ex conjunctiſſimis ejus duxerat, peſſimæ famæ feminam. Quam infamiam cum Metrocles, aliique Stilponi exprobraſſent, reſpondit, *Non eſſe eam majori ſibi dedecori, quàm ipſe ſit decori ei*. Et aliàs; *Hoc non meum eſt peccatum, ſed filiæ*. Ejus cum Metrocle, & Cratete Cynico contentiones legere eſt apud Plut. Laërt. & Heſych. in vit. Stilp. Magna ejus apud Ptolemæum Soterem & Demetrium, Antigoni filium, gratia fuit, à quibus, Megaris expugnatis, & reſtitutæ res fuere, & opes traditæ. Plutarchus in Demetrio: *Ita, præſidio ejecto, reddidit Demetrius illi civitati* (Megaræ) *libertatem. Dum hæc agit, Philoſophi in mentem venit Stilponis, qui exiſtimabatur vitam ſectari*

Digitized by Google

vi tranquillam. Hunc accitum rogavit, nunquid rerum ipſius quiſquam cepiſſet? Cui Stilpon; Nemo, inquit. Neminem enim vidi, ſcientiam qui eriperet. Ingenium ei ſimplex fuit, neque ulla ſimulatione fucatum. Athenis hominum animos ita ad ſe vertit, ut ad eum videndum ex officinis confluerent. Cumque dixiſſet quidam, *Te, ò Stilpo velut belluam admirantur*, reſpondit: *Minime, ſed velut verum hominem*.

In Philoſophicis Summum Bonum Mentem eſſe, dicebat, nullis paſſionibus obnoxiam. Univerſalia plane tollebat, dicens, eum, qui hominem e. g. dicat, neminem dicere, quod non hunc, vel illum vox ſignificet. Unum de alio prædicari poſſe negabat, nec etiam per accidens, niſi prædicata cum ſubjectis idem ſint. Eriſtico igitur dicendi genere, doctrinæque, & diſputationum ſubtilitate potentiſſimus cum eſſet, Megaricæ Scholæ princeps fuit, ſibique, & patriæ magnum decus conciliavit.

Diſcipulos habuit frequentiſſimos, quos ex aliis quoque Sectis, imo & ex tota Græcia ſibi addixit; eloquentia enim, & inventione longe alios anteceſsit: unde Oratores etiam celeberrimi, & ex aliis Scholis Philoſophi ad ipſum audiendum confluebant. Et Heraclides ipſum etiam Zenonem Stoicæ Sectæ autorem ejus diſcipulum fuiſse, refert. Senex tandem mortuus eſt, ut ait Hermippus; ſcripſitque Dialogos 9. ut ex Laërtio, 20. ex Suida. Filium Philoſophum poſt ſe reliquit, quem Laërtius Dryſonem, Suidas Bryſonem vocat.

PHÆDO ELIACÆ SECTÆ AUTOR

ELienſis, nobili genere ortus, à piratis captus lenoni venundatus eſt. Quem ad fornicis limen ſedentem Socrates tranſiens cum vidiſset, ejuſque ingenuam faciem notaſset, Alcibiadi, & Platoni, referente Laërtio, vel, ut Gell. 2. 18. habet, Cebeti perſuaſit, ut emeret eum. Ex illo igitur tempore aſſiduus Socratis auditor fuit, Platonique ita dilectus, ut Dialogorum ſuorum excellentiſſimum de Animæ Immortalitate ipſius nomine inſcripſerit. Sectam Philoſophus jam factus inſtituit, quæ à loco Eliaca dicta eſt. Dialogos ſcripſit, quos Laërtius numerat.

PLISTANUS

ELienſis, Phædonis in Eliaca Schola regenda ſucceſsor extitit. Huic vero ſucceſſit

MENEDEMUS ERETRICÆ SECTÆ CAPUT.

ERetrienſis hic fuit, Cliſthenis, nobilis quidem, ſed ex paupertate Archi-tectonicæ operam dantis, filius, in qua arte ipſe etiam à patre inſtitutus eſt. Ab Eretrienſibus Megaras miſsus, ut præſidio ibi eſset, inde Athenas ad Platonem audiendum profectus eſt. Poſtea ab Aſclepiade Phliaſio familiari ſuo Megaras ductus eſt, ubi Stilponem ſimul audivere. Tandem in Elidem profecti Archiphyllum, & Moſchum, Phædonis diſcipulos, præceptores habuerunt.

Philoſophiam edoctus in patriam reverſus eſt, quam etiam, Schola adaperta, docuit; ſicque Eliaca ſecta, à Menedemo Eretriam tranſlata, deinceps Eretrica dicta eſt. Menedemi eloquentia contentioſa maxime, teſte Antiſthene in Succeſs. nam & ingenium ei verſatile erat, ac tanta in orationis compoſitione vis, ut ipſi occurrere difficile foret. Propoſitiones Negantes tollens, Affirman-

tibus tantùm locum dabat ; & ex his Simplices ſolum admittebat, rejectis iis, quas Conjunctas, & Complexas vocabat ; itaque licet Platonis diſcipulus, Dialectices tamen contemtor ab Heraclide dicitur. In diſputando adeo vehemens fuit, ut livida ſæpe facie viſus fuerit. Nihil ſcripſit, teſte Antigono Caryſtio, neque certum quidquam definivit.

Aſclepiadis, ætate majoris, ſemper in vita, & poſt mortem etiam amiciſſimus fuit ; itaut quidam Aſclepiadis catamitus poſt ejus mortem Menedemi domum comeſſabundus ingreſſus, & à ſervis foras expulſus, ab ipſo introductus fuerit, dicente, ſe Aſclepiadem etiam mortuum admittere. Ambo pauperes cum eſſent, ab Areopagitis primum, deinde ab Archepoli, Hipponico, & Agetore pecuniam magna liberalitate ſuſceperunt; & præterea ab Hipponico Menedemus duo millia drachmarum in dotem filiarum, quas tres ab Oropia uxore ſuſceperat, teſte Heraclide, accepit.

In patria initio pauper cum eſſet, ad contemtum *Canis*, *& ſtultus* appellabatur. Deinde magna omnium admiratione Remp. adminiſtravit ducentorum in annum ſtipendio. Legatione etiam ab Eretrienſibus magno cum honore apud Ptolemæum, Lyſimachum, & Demetrium, Macedoniæ Reges, defunctus eſt; quorum Antigonus ſe ejus etiam diſcipulum profitebatur.

Ejus corporis, & animi hæc deſcriptio. Staturæ erat mediocris, haud parum obeſus, aduſta facie, corporis robore, etiam in ſenectute, plane athletico, ut ex ejus ſtatua affabre concinnata, & nudi corporis proportionem referente, ab Eretrienſibus in veteri ſtadio poſita, conſtare, Laërtius affirmat. Magno animo fuit, & ingenuæ indolis, ſemper gravis, & in objurgando amarus, & vehemens, moribus cætera placidiſſimus ; amicitias vero pie, ac ſancte coluit. De Bione, poëtas inſectante, dicebat : *Ille mortuos jugulat*. Dicenti, maximum eſſe bonum potiri deſideratis, reſpondit : *Multo majus eſt ea ſolum, quæ deceat, deſiderare*. Tandem mortuus eſt apud Antigonum fame ſeptem dierum præ mœrore, teſte Antigono Caryſtio, quod à Rege perfectam patriæ libertatem impetrare non poſſet. Vixit an. 84.

His breviter de Socratis diſcipulis, qui ejus doctrinam vel integram ſervaverunt, vel parum mutantes ſectarum quidem, ſed parvi momenti, autores fuere, adnotatis ; de iis, qui ſectas magni nominis condidere, agendum eſt.

CAPUT IV.

De Academia Veteri.

E Socratis Schola tres illæ prodiere celeberrimæ Philoſophorum Familiæ, Academicorum ſcilicet, Stoicorum, & Peripateticorum. Academica autem Familia, ſive ſecta ſic dicta eſt à loco quodam ſuburbano, nemoroſo, mille paſſus ab Athenis diſtante, qui ab Heroe Ecademo Ecademia dicta eſt, deinde vero, litera mutata, Academus appellatus, & locus Academia, & ſectatores doctrinæ, quæ in hoc loco tradebatur, Academici vocati. Plutarchus in Theſeo, ex Hermanni Cruſerii converſione, ait, Heroëm illum vocatum fuiſſe Echedemum, & nomen ab illo quæſiviſſe Echedemiam, quæ nunc appellatur Academia ; additque, Academum à Theſeo manifeſtatum Caſtori, & Polluci, ipſum ad Helenæ ſororis raptum ulciſcendum quærentibus. Hinc Lacedæmones, beneficii ab Academo accepti memores, dum Atticam incurſarent, Academia abſtinuerunt. Non pepercit tamen Sylla, qui ipſam devaſtavit. Notat Laërtius, Platonem in Academiæ limine inſcripſiſſe : Ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω;

εἰσίτω : *Geometriæ ignarus nemo intret* . Quod tamen alii Pythagoræ tribuunt. Hæc tamen Academica ſecta à Platone inſtituta ſecundum varias temporis ſucceſſiones diſtincta eſt in Veterem, Mediam, ſive Secundam, Novam, ſive Tertiam, Quartam, & Quintam. Sed à Veteri initium ſit, cujus Princeps

P L A T O.

MAgnus hic Philoſophus Athenis nobili genere natus eſt Olymp. 88. ex Laërtio, ex patre Ariſtone, & matre Perictione, ſive, ut aliis dicitur, Potona, quæ à Solone ducebat originem. Fabula fuit vulgata nimis apud Athenienſes, ut Suidas, aliique referunt, Platonem Apollinis filium fuiſſe, ex Perictione conceptum. Hinc de Platone Tyndarus:

Non eſt mortali genitus, mihi crede, parente,
Sed genitore Deo Satus prodivit in auram.

Ælianus V. H. 10. 21. Olympiodorus in Vita Plat. & Val. Max. 1. 16. narrant, apes in Platonis adhuc infantis labellis in Hymetto monte mel fabricaſſe, dum pater, & mater ibi Muſis, & Nymphis ſacra facerent, eximiæ futuræ infantis facundiæ præſagium. Prima literarum rudimenta à Dionyſio Grammatico didicit. Ariſtocles ex avi nomine primum vocatus, deinde, ſive ob humeros latius patentes, ſive ob frontis latitudinem, ſive ob eloquii amplitudinem à patre Plato vocatus eſt. Picturæ etiam, & Poëſeos inſtructus fuit; plurima namque, & varia Poëmata concinnavit.

Vigeſimo ætatis anno Socratem audivit, cujus dignus diſcipulus, & ſucceſſor extitit, poſtquam octo annorum ſpatio Philoſophiam ab ipſo edoctus eſt; quo tempore, ſicut & reliqui Socratis diſcipuli fecerunt, quicquid à Præceptore audiverat, ſcriptis tradidit. Verum tamen eſt, Platonem multa, quæ Socrati nunquam dicta, de ſuo addidiſſe, itaut lecto Lyſide, Platonis Dialogo, coram Socrate, hic exclamaverit: *Quam multa, ò Hercules, de me mentitur adoleſcens*. Apulejus, Laërtius, & Suidas narrant, Socratem nocte præcedente diem, qua Plato ipſi à parte ſuo Ariſtone commendatus eſt, per ſomnum vidiſſe Cycni pullum ex altari, Cupidini in Academia conſecrato, provolantem, & in gremio ſuo reſidentem, inde Cœlum petentem, & cantu hominum, Deorumque aures mulcentem. Socrate autem ſequenti die amicis ſomnium narrante, oblatus ei eſt Plato adoleſcens ab Ariſtone, & in diſcipulum traditus; cujus corporis naturam, & animi indolem contemplatus Socrates dixit: *Hic Cycnus eſt, amici, Cupidinis in Academia*.

Socrate tamen defuncto, *Parum putans*, ut Auguſt. 8. de C. D. 4. ait, *perficiendæ Philoſophiæ ſufficere ſeipſum, & Socraticam diſciplinam. quàm longe lateque potuit, peregrinatus eſt, quaquaverſum eum alicujus nobilitate ſcientiæ percipiendæ fama rapiebat*. Hinc in Heracliti, & Pythagoræ doctrina inſtitutus, Cyrenas etiam ad Theodorum ſe contulit ad Geometriam addiſcendam, & Megaram ad Euclidem è primis Socratis diſcipulis unum. Inde Ægyptum petiit, ut à Sacerdotibus Aſtrologiam, Numeros, Deorum doctrinam, & Prophetarum ritus acciperet. Ibi Præceptorem habuit Sechnuphidem Heliopolitanum, ut ait Clem. Alex. vel, ut ex Plutarcho, Chenuphim Memphitam. Manſit in Heliopoli annos 13. Moſen legendo, ex quo de Deo doctrinam didicit, unde & Divini nomen ſortitus eſt. Quod probatur ex convenientia, quæ in pleriſque Moſen inter & Platonem eſt. Hinc & illud Numenii Philoſophi Pythagorei: Τί ἐςι Πλάτων, ἢ Μωύσης ἀττικίζων; *Quid eſt Plato, niſi Moſes atticiſſans?* ut refert Clem. Alex. 1. Strom. Probatur etiam autoritate Ariſtobuli Judæi, ut ex Euſeb. Præp. 9. 6. qui ait: *Plato noſtras leges in haud paucis ſecutus eſt,*

M 2 *à quo*

à quo curioſe eas excuſſas fuiſſe, allegationes ejus ſunt argumento. Et Joſephi l.2. c. Apion. ubi: *Plato noſtrum maxime legislatorem eſt ſecutus*. Similia ſunt apud Juſt. Martyr. Clem. Alex. Euſebium, & alios.

Libros etiam tres in Sicilia emit, quorum primus de naturali Philoſophia erat, quoſque Philolaus Pythagoreus primus omnium ſuæ ſectæ fecerat, & evulgaverat. Ex his autem libris non pauca eorum, quæ in Timæo habet, Platonem hauſiſſe, Laërtius, & Gellius affirmarunt. Multa ex Epicharmi Comici ſcriptis excerpſit, ut ait Alcimus in 4. ad Amyntam libris. Reipublicæ formam ex Protagoræ Antilogicis; Moralem ex Sophronis mimographi libris; magis autem à Socrate Platonem accepiſſe, fatendum eſt. Vid. Laërt. 3. 18. & 37.

Ex Heracliti igitur, Pythagoræ, & Socratis doctrinis ſuam Plato Philoſophiam compoſuit. Hinc Auguſt. de Civ. D. 8. 4. ait: *Socrates in Activa excelluiſſe memoratur: Pythagoras vero magis Contemplativæ, quibus potuit, intelligentiæ viribus, inſtitiſſe. Proinde Plato utrumque jungendo Philoſophiam perfeciſſe laudatur, quam in tres partes diſtribuit, unam Moralem, quæ maxime in actione verſatur: alteram Naturalem, quæ Contemplationi deputata: tertiam Rationalem, qua verum diſterminatur à falſo, &c.* Vid. Cic. Acad. Qu. 1. 5. & 6. & 8. Plut. Laërt. Apul. &c.

Plato Analyticam Methodum, Methodorum optimam, quæ rem, de qua quæritur, ad ſua principia reducit, inveniſſe dicitur Laërtio 3 24. Cubi duplicationem invenit; cujus inventi occaſionem, & modum tradidere Plut. in Socratis Genio, & Philoponus in Analyt. Multa etiam Mathematica primus excogitavit. Primus quoque inventor dicitur vocum *Antipodes*, *Poëma*, *Dei Providentia*, aliarumque; nec non *Principium* inter, & *Elementum* diſtinctionem primus poſuit, ut Α'ρχὴ Principium ſit, quo prius nihil exiſtit, ex quo generetur; Στοιχεῖα vero Elementa (quam vocem ante ipſum nemo Philoſophorum unquam uſurpaverat) ſint compoſita.

Sed ut de Platonis doctrina, qua nulla unquam celebrior aut viſa, aut credita eſt, pauca hic ex ejus ſcriptis collecta proponam; ſciendum in primis eſt, quòd, Socratis methodo ipſe inſiſtens, omnia per Dialogos docuit, definitione, & diviſione cuncta explicans. Imo in Cratylo ait, eum eſſe bonum Dialecticum, qui bene interrogare, & bene reſpondere noverit.

Phyſicam Philoſophiæ partem non penitus, ut Socrates, aſpernatus eſt; ſed *Deum*, & *Materiem* pro rerum Principiis ponens, omnia per Simplices, Æternas, & Immutabiles Ideas (quas plurimi SS. PP. cum Ariſtotele, & Peripateticis impugnant) explicat. Et de Ariſtotele quidem hæc Cic. Acad. Qu. l. 1. *Ariſtotelem primum labefactaſſe ſpecies, quas mirifice erat amplexatus Plato, ut in his quiddam divinum eſſe diceret*. Quid autem per Ideas Plato ſenſerit, non adhuc bene conſtat. Videri poteſt Syrianus de Ideis contra Ariſtotelem, & inter Recentiores, qui Platonicas Ideas propugnarunt, Joannes-Franciſcus Picus Mirandulanus, & Franciſcus Venetus lib. de Harmonia Mundi. Id tamen in Phædro ex ipſo Platone habetur, *Veritatem eſſe Ideam: Ideam vero* Ἐννόημα τοῦ Θεοῦ, *Dei ſcilicet Intelligentiam*, *ſeu*, quod Barbari dicunt, Λόγον τοῦ Θεοῦ, *hoc eſt Dei Verbum*, & *Rationem*. *Eum vero, qui Ideas contemplatur, victurum eſſe Deum inter homines*. *Idearum locus* per Platonem *Mens eſt*, *Mentis vero Deus*; quem vocat Χώραν Ἰδεῶν, *Regionem Idearum*. Deum etiam *Mentem*, & *Cauſſam* appellavit. *Materiem* dixit eſſe informem, & infinitam, ex qua concretiones fiant: quæ Materies, quum temere & inordinate moveretur, à Deo in locum unum coacta eſt; atque ex ejus motu, *Terra*, *Aqua*, *Aër*, & *Ignis* producta ſunt.

Præ-

Præcipuæ ejus in hac Philoſophiæ parte ſententiæ ſunt: Immortalis eſt Anima, quæ de corpore in corpus perpetuis vicibus migrat; & quæ initium habet à numeris. Hæc radius Divinitatis eſt, qui ſi ſuo principio, Deo ſcilicet, adhæreat, omnia cognoſcere valet: corpori vero adhærens, ejus contactu inſcitiam, & impuritatem acquirit. Ipſam rerum judicem, ſenſus vero ejus miniſtros dixit. Philoſophiam ὄρεξιν τῆς θείας σοφίας, Appetitum divinæ ſapientiæ; Philoſophiæ vero Finem Ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν, Aſſimilationem Deo, quoad poſſibile, ſtatuit. Mundum unum eſſe, genitum, nam & ſenſibilis eſt, à Deo conditum, ſed animatum, quòd præſtantius ſit quod animatum eſt, quàm non animatum, & quòd animato motui eſſet devinctus, & alligatus; non infinitum, ſed immortalem, eo quod non diſſolvatur in id, quod non eſt. Tempus nil aliud eſſe, quàm motus Cœli, &c.

In Morali hæc potiſſima Platonis ſunt: Virtus ſufficit ad bene, beateque vivendum, indiget tamen inſtrumentis tum internis, ut ſanitate, robore, idque genus bonis aliis; tum externis, ut opibus, generis claritate, & cæteris hujuſmodi: ea autem etſi non adſuerint, ſapientem tamen eſſe beatum. Improbi delictorum pœnas poſt mortem luunt. Boni omnes inter ſe amici ſunt. Juſtitiæ tria ſunt genera, circa Deum, circa homines, & circa defunctos.

Agnovit Plato, unum eſſe Deum, eumque Spiritualem, & Inviſibilem eſſe credidit, quem Τἀγαθὸν, *Bonum ipſum*, *Patrem*, *& Cauſſam omnium*, dixit. Ab hoc autem genitum fuiſſe Ἔκγονον, ὃν Τἀγαθὸν ἐγέννησεν ἀνάλογον ἑαυτῷ, *Filium, quem Bonum ſibi genuit analogum*, hoc eſt; *ſimilem ſibi ipſi*. Quod etiam ipſe teſtatur l.6. de Rep. Et in Timæo quidem plures numerat poſt Summum Deos, à quibus humana ſunt efficta corpora. Dæmonas idem ſtatuit, & Heroas, quibus ipſis ſacra fieri juſſit. Alibi vero duos, & tres diſtinguit diverſe Deos, è quibus primus eſt *Parens cæterorum:* Secundus Δημιουργὸς, ϗ Αἴτιος, *Opifex*, *& Autor omnium, quæ ſunt*, *& à primo genitus*: Tertius denique obſcure ab ipſo ſignificatus, à ſecundo gignitur, ejuſque Λόγος, ϗ Νοῦς, *Ratio*, *& Mens*, *& Anima Mundi* dicitur.

Duo autem ſunt, præter Timæum, Platonis loca, quæ ab antiquis Eccleſiæ PP. ad explicandam ex Platonis ſententia *Sanctiſſimam Triadem* ſunt uſurpata. Alter locus eſt in Epiſt. 2. ad Dionyſium, ubi δι' αἰνιγμῶν, ænigmatice, ut ipſe loquitur, ad illum ſcribens ait: *Eſt autem ita: Circa omnium Regem cuncta ſunt: ipſius cauſſa omnia: ipſe pulchriorum omnium cauſſa: circa Secundum ſecunda: tertia circa Tertium*. Alter locus eſt in Ep. 6. ad Hermiam, &c. ubi duos Deos, Patrem ſcilicet, & Filium diſertius ſignificat, ſic loquens: *Teſtando Deum, rerum omnium Ducem, quæ ſunt, & quæ futuræ ſunt; ac Ducis, & Principii Patrem Dominum*.

Sed in tribus illis Platonis Diis conſtituendis nonnihil invicem Platonici diſſentiunt. Non enim facile eſt intelligere quid ſenſerit Plato in illis tribus Diis, quia pauca, & obſcura de illis loquitur. Sed num veram, aut ſaltem aliquam Sanctiſſimæ Triadis doctrinam habuerit, quam ex Veteri Teſtamento apud Ægyptios accepiſſe multi cum antiquis Eccleſiæ PP. tradunt, videri poteſt fuſius apud Petavium l. 1. de Trinit. c. 1. & Rudolfum Cudworthum in Vet. Syſtem. Intellectual. Univerſi c. 4. Dignum, quod hic notetur, eſt, quod habet Clem. Alex. 5. Strom. Platonem ſcilicet veluti prophetice Chriſti Paſſionem prædixiſſe 2. de Rep. ubi hæc ait: *Qui autem ſic eſt affectus juſtus, flagris cædetur, torquebitur, vincietur, & poſtremo omnia mala perpeſſus ſuſpendetur*.

Platoni magnam gloriam attulit tum quod diſerte adeo Philoſophiam tractaverit, ut Jovem Platonis lingua uſurum, ſi Græce loqui vellet, Val. Max. l. 8. c. 7. dixerit; tum etiam quod Dialogos primus methodo conſcripſerit. Quicquid

Digitized by Google

quid contra ſentiat Voſſius, qui hæc illi vitio vertit. Primo, quòd ejus dictio minus ſit idonea ad philoſophandum, quia metaphoris audacibus, ac plane Poëticis gaudet, quod præter alios teſtantur etiam, referente Voſſio, Ariſtoteles, Dionyſius Halicarnaſſenſis, & Cicero in Bruto. Secundo, quod Pythagoreo, Ægyptioque more Symbolica ſæpe utitur Philoſophia. Tertio, quod non aperte in Prooemiis proponit qua de re ſit dicturus; quæ res ipſum obſcuriorem facit. De ejus tamen doctrina ita ſentit Heſychius Illuſtris: *Plato quæ percepit, diſſerit, ac falſa diluit, ac de incertis definire ſuperſedet*. At Cic. 1. Acad. Qu. in fine de Platone loquens ait: *Cujus in libris nihil affirmatur, & in utramque partem multa diſſeruntur; de omnibus quæritur, nihil certi dicitur*.

Omnia, ut diximus, per Dialogos ſcripſit, qui ſunt: In Phyſica, *Timæus*. In Logica, *Politicus*, *Cratylus*, *Parmenides*, *Sophiſta*. In Ethica, *Apologia Socratis*, *Crito*, *Phædo*, *Phædrus*, *Sympoſium*, *Menexenus*, *Clitophon*, *Epiſtolæ*, *Philebus*, *Hipparchus*, *Rivales*. In Politica, *De Republica*, *de Legibus*, *Minoës*, *Epinomides*, *Atlanticus*. Mæeuticos Dialogos ſcripſit, *Alcibiadem*, *Theagem*, *Lyſidem*, *Lachetem*: Piraſticos, *Eutyphronem*, *Menonem*, *Jonem*, *Charmidem*, *Theætetum*. Endicticum, *Protagoram*. Anatrepticos, *Euthydemum*, *Hippiam* primum, *Hippiam* ſecundum, *Gorgiam* primum, *Gorgiam* ſecundum. In his igitur omnis Philoſophia Platonis traditur; cujus doctrinam legere eſt apud cit. Autores Cic. Laërt. Plut. Apul. atque alios. Doctrinæ Platonis Lineamenta ſcripſit Alcinous; Diſſertationem etiam Platonicam edidit Johannes Picus, Comes Mirandulæ, qua explicavit Hieronymi Benivieni Florentini Hymnum in Amorem, quam ex Italico in Latinum verſam vide apud Stanlejum in Hiſt. Philoſ. in vita Platonis; ubi etiam Alcinoi, Platonis diſcipuli, Compendium Platonicæ Philoſophiæ, quod Marſilius Ficinus latinum fecerat, & Jacobus Charpantier correctum, & Commentariis lectu dignis illuſtratum publici juris fecit, videre eſt.

Platonis Philoſophiam præ cæteris, qui fere innumeri priſcis, recentioribuſque temporibus memorantur, veteres Eccleſiæ PP. tanquam Fidei noſtræ dogmatis magis conformem, ſectati ſunt. Imo S. Juſtinus dixiſſe fertur: *Pauca à Platone deme, & Chriſtianum habebis*.

Virtutes, quas docuit, mire ſemper coluit, Cœlibatum præcipue ad mortem uſque. Mitis, gravis, prudens, ſobrius, & patiens ita fuit, ut ſervum verberaturus, manum ſuſpenſam detinens, verberanti ſimilis, & non percutiens, interrogatus ab amico illic præſente quid ageret, reſponderit: *Exigo pœnas ab homine iracundo*. Aliàs etiam, ſervo iratus, dixit: *Tu, Speuſippe, ſervulum iſtum verberibus objurga, nam ego iraſcor*. Vid. Senec. de Ira 3. 12. Agrigentinos in ædificiis magnificos, in conviviis luxurioſos videns ait: *Ædificant quaſi ſemper victuri, & comedunt quaſi ſtatim morituri*. Juvenes ad virtutes his verbis excitare ſolebat: *Momentaneam in hoc Mundo voluptatem æterna mox ſequitur triſtitia, & pœnitentia; virtutis vero exiguum laborem æterna voluptas excipit*. Interrogatus, *Quæ optima liberis relinquenda hæreditas?* reſpondit: *Ea, cui neque tempeſtas metuenda, neque hominum vis, neque Jupiter ipſe*. *Quid doctus, & indoctus differunt?* interrogatus, reſpondit: *Quod medicum inter, & ægrotum*. Dicebat, *Prudentiam Principi, ut Animam corpori, neceſſariam eſſe*: *Feliciſſimam Rempublicam eſſe, ubi vel Philoſophi imperent, vel imperantes philoſophentur*: *Nil noxium magis, quàm opes, & arrogantiam cum ignorantia conjunctas*.

Tandem ſenio confectus obiit anno primo Olymp. 108. ætatis vero ſuæ 81. Ipſi ſtatuam in Academia cum hac inſcriptione poſuit Mithridates Perſa, teſte Pha-

Digitized by Google

Phavorino: *Mithridates, Rhodobatæ filius, Perſa, hoc Signum Platonis à Silanione factum Muſis dedicavit.*

SPEUSIPPUS

PLatonis ſucceſſor natus eſt Athenis ex Eurymedonte, & Potona Platonis ſorore. Platone Olymp. 108. anno primo jam vita functo, Academiæ ſcholam ſuſcepit, cui præfuit annos octo, Avunculi ſui Platonis dogmata ſecutus. Quia φιλοχρήματος erat, δίδακτρον à diſcipulis, ſecus ac Plato fecerat, exigens, mercede ſemper docuit. Hinc Dionyſius ad eum mordaciter ſcribens ait: *Et Plato quidem gratis ſua limina terentes docuit; tu vero tributa & à volentibus, & à nolentibus accipis.* Iracundus, ac voluptati deditus fuit. Beatitudinem dicebat eſſe perfectum habitum in iis, quæ ſunt ſecundum naturam. Cum autem paralyſi corpus illi omne reſolutum eſſet, accerſitum Xenocratem Platonis diſcipulum, oravit, ut ſibi in docendo ſuccederet. Tandem mortuus eſt ſive ex morbo pediculari; ut ait Laërt. ſive ex mœrore, quo voluntariam ſibi mortem conſcivit, ex Plutarcho; multa de rebus Philoſophicis Commentaria, ſive Dialogos relinquens, de quibus Laërt. Ejus vero libros Ariſtotelem tribus talentis emiſſe, Phavor. Coment. 2. refert.

XENOCRATES

CHalcedonius, Agathonis, ſive Agathenoris filius, natus eſt anno 4. Olymp. 95. Severa fronte, & ſubtriſti facie fuit, ingenio hebes, & adeo tardus, ut cum Plato Ariſtoteli illum conferret, diceret: *Cui equo quem aſinum jungo!* alter enim fræno, alter calcaribus egebat. Speuſippo condiſcipulo ſuo in Academiæ Schola ſucceſſit, ubi fere ſemper morabatur meditationi, & ſilentio deditus. Ariſtoteles ex Macedonia redux, referente Laërt. 5. 3. & Xenocratem Academiæ Præfectum inveniens, ſcholam ei in Lyceo oppoſuit, dicens: *Silere turpe me, & Xenocratem loqui.*

Vixit ſumme continens, ut & nobile ſcortum à diſcipulis ad probandam ſuam continentiam in lectulo poſitum non agnoverit: imo ſunt, qui narrant, eum ſæpius verenda ſecari, & uri paſſum eſſe, cum ſe ad libidinem incitari ſentiebat. Tanta ejus verbis fides habebatur, ut cum injurati nullius teſtimonium admitteretur, huic ſoli jusjurandum Athenienſes remiſerint: imo & Plato jurantibus non credidit, Xenocratem ei maledixiſſe. Divitiarum contemtor eò fuit, ut donum 50. talentorum ab Alexandro ſibi miſſum, 30. minis Atticis acceptis, reliquum ad Alexandrum remiſerit, ut qui plures enutrire deberet; pecuniam vero, quam Antipater, aliique miſerunt, penitus non ſuſcepit. Miſſus cum aliis legatis ad Philippum, ſolus ex omnibus incorruptus manſit. Gloriæ item, & faſtus ſumme contemtor fuit.

Platonem in Philoſophicis ſecutus eſt; niſi quod ex Stob. Ecl. Phyſ. 1. 3. habemus, ipſum dixiſſe, Monadem, & Binarium Deos eſſe, primumque marem, ac parentem Cœli tenere imperium, quem Jovem, Imparem quoque, & Mentem appellabat. Alterum femininum, & matrem omnium, quæ ſub Cœlo ſunt, præſidem; quem Univerſi Mentem vocavit. Et ex Clem. Alex. Str. 5. habemus, ipſum brutis etiam animalibus aliquam Dei notitiam tribuiſſe. Beatitudinem definit propriæ virtutis poſſeſſionem, & ejus, quæ inſervit, facultatis. Scripſit plurima, quorum Elenchum habet Laërt. in ejus vita; præcipue vero *De non petendo ex animalibus alimento.*

Xenocrates ſcriptum reliquit, in templo Eleuſiniæ tria hæc præcepta inſcri-

ſcripta fuiſſe: *Venerandos Deos*; *Honorandos Parentes*; *& Abſtinendum à carnium eſu*. Hanc deinde edulii puritatem Porphyrius, Pythagorici omnes cum multis Græcorum, Brachmanæ, & Gymnoſophiſtæ ſervarunt, & defenderunt. Xenocratem audivit præter alios Crantor Solenſis, qui Commentaria ad plura verſuum millia ſcripta reliquit. Venditus dicitur Xenocrates ab Athenienſibus, quod tributum ſolvendo non fuerit; ſed à Demetrio Phalereo emtus, tributo pro ipſo ſoluto Athenienſibus, libertate donatus eſt. Academiæ præfuit annos 25. ex Laërtio, & mortuus eſt noctu, cum in pelvim forte incidiſſet, ibi ſubmerſus, anno ætatis ſuæ 82.

P O L E M O

Athenienſis ex patre Philoſtrato, ſive, ut ex Suida, Philocrate, ex primariis civibus uno, natus, vix adoleſcens impudicus, & lubricus adeo fuit, ut ne dum illecebris, omnique venere, ſed ipſa quoque infamia gauderet. Factum autem, ut aliquando vino gravis, unguentis delibutus, capite fertis redimito, pellucida amictus veſte, Xenocratis ſcholam intraret. Tum Xenocrates, omiſſis iis, de quibus loquebatur, de Modeſtia, & Temperantia loqui cœpit: cujus gravitate ſermonis reſipiſcere coactus, Veneris inſignia ibi deponens, & ſaluberrima unius orationis medicina ſanatus, ex infami ganeone maximus Philoſophus evaſit; Xenocratis enim Philoſophiæ addictus ſtudiis, cæteris ſuperatis, illi in Scholæ regimine ſucceſſit anno 1. Olymp. 116.

In omnibus igitur mutatus, urbanus cum adjuncta ſevera conſtantia factus eſt. In Philoſophicis Præceptorem ſequebatur; ad moralem tamen potiùs, quàm Dialecticas ſpeculationes incumbendum dicebat: Mundum eſſe Deum, ex Stob. Ecl. Phyſ. 1. 3. Summum bonum, ex Cic. de Fin. 4. 6. eſſe vivere ſecundum naturam. Tandem ex phthiſi mortuus eſt ſenex, variis relictis opuſculis.

C R A T E S

Polemonis diſcipulus, amator, & in Academiæ ſchola ſucceſſor, Athenis ex patre Antigene natus eſt. Ita quidem invicem Xenocrates, & Crates ſibi profuere, ut ne dum viventes eadem ſtudia ſint ſecuti, ſimileſque mores expreſſerint, ſed mortui etiam eodem tumulo ſint repoſiti. Libros reliquit philoſophicos; de Comœdia; & Orationes. Quia circa Homeri grammatica, & poëtica nimis occupabatur, Homericus dictus eſt. Mortuus dicitur circa annum ab U. C. 526. non multo ante Chriſtum natum.

Atque hæc de Veteri Academia, quæ Platonis veſtigiis inſiſtens, quæ caperet, definiebat, quæ vero non caperet, incerta relinquebat.

C A P U T V.

De Academia Media.

Ubi Zeno Polemonis diſcipulus, qui Arceſilao ætate præibat, Platonis doctrinæ nimia in differendo ſubtilitate ſe oppoſuit; Arceſilaus, Zenoni contradicere volens, prudenter Academiæ placita diſſimulavit, ne Platonis myſteria publicata apud vulgum vileſcerent proſtituta. Hinc Secta illa ortum duxit, quæ à loco Academia, ſed Secunda, & Media ad diſtinctionem Primæ, ſeu Veteris, & Tertiæ, ſeu Novæ, de qua infra. Cic. tamen Acad. Qu. 1. 12. Mediam hanc Academiam Novæ nomine appellavit.

Lon-

Longe tamen alia mens erat Academiæ Mediæ ab ea, quæ Veteris fuerat. Hæc enim duo rerum genera ſtatuebat, Senſibilium ſcilicet, quæ ſenſibus, & Intelligibilium, quæ intellectu percipiuntur: poſterius quidem genus ſcientiam parere; prius vero opinionem: ſolamque mentem cernere id, quod ſemper eſſet ſimplex, & uniuſmodi, & tale, quale eſſet, hoc eſt ideas. Contra vero illa, Media ſcilicet Academia, Α'καταληψίαν, καὶ Α'ποχὴν, hoc eſt Incomprehenſibilitatem, & Aſſenſus retentionem, ut Cic. ait, induxit. Omnes itaque huic Sectæ addicti nihil percipi poſſe dicebant, ne illud quidem, quod Socrates dicebat, *Se nihil ſcire;* ſic omnia in occulto latere cenſebant, neque eſſe quidquam, quod cerni, aut intelligi poſſit; quare in omnibus aſsenſum negabant, unde Α'καταληπτικοὶ, καὶ Ε'φεκτικοὶ dicti ſunt.

Hoc tamen inter hos Academicos, atque Scepticos diſcrimen erat, quod illi quidquam comprehendi poſse negabant; ſed verum, & falſum à rebus ipſis non tollebant, & alia quidem vera, alia vero falſa eſse defendebant; at Sceptici ad utrumque res indifferentes eſse, & utramque partem ratione defendi poſse ſtatuebant. Notandum tamen hic eſt, ex Divo Auguſto l. 3. adv. Acad. hujus Mediæ Academiæ aſseclas omnia Platonis dogmata retinuiſse, & defendiſse, atque cum iis poſtremo communicaſse, quibus in ea Secta conſeneſcere viſum eſſet; Incomprehenſibilitatem vero, & Aſsenſus retentionem potius affectaſse, ut Platonis doctrina occultaretur. Hujus autem Mediæ Academiæ caput, & inventor fuit

ARCESILAUS

Pitanæus, quia Pitane Æolica civitate ortus ex patre Seuto, ut Apollod. Chron. 3. ait, vel Scytho, ut aliis dicitur. Hic idem eſt, qui à Cic. Arceſilas paſſim appellatur. Natus traditur anno 1. Olymp. 134. Ex Pitane Sardes primum venit cum Autolyco, ſuo in Matheſi præceptore: deinde vero Athenas veniens Muſicam à Xantho, Geometriam ab Hipponico, aliaſque ibi cum Rhetorica diſciplinas, edoctus eſt. Philoſophiæ tandem ſe addixit, in qua Polemonem, Crantorem, & Cratetem præceptores habuit.

Hic omnem Philoſophiam evertiſse dicitur Ciceroni 5. de Fin. quod genus Philoſophiæ ἀσύςατον, hoc eſt quod ſubſiſtere non poteſt, induxit, aſserens; nihil ſciri poſse, nam nihil certum in rebus, nec verum cognoſcitur; ac proinde omnem opinionem in illis ſuſtineri poſse. Hic omnem ſpem, ut Seneca ait, ſcientiæ eripuit, æque de omnibus ſententiam ſuſpendendo. Et Cic. Acad. Qu. 4. de ejus ſectariis dixit: *Obſiſtere viſi, aſſenſusque ſuos firme ſuſtinere*. Socratis methodum docendi per interrogationem, & reſponſionem, quæ fere jam in deſuetudinem abierat, reſtituit. Semper hoc verbo utebatur in diſserendo: *Arbitror equidem*. Et: *Non aſſentietur iſtis ille*. Præcipua illi erat inventionis felicitas; magna in perſuadendo, quæ vellet, acrimonia; in reprehendendo aſperitas; & in ſuis rebus communicandis ſumma facilitas. Atque hinc factum eſt, ut ad eum audiendum confluerent quamplurimi. Omne fere tempus in Academia vixit, Reip. negocia fugiens. Plutarchus in Arato ait, hujus diſcipulum fuiſse Ecdelum; cujus verba ſunt: *Ecdelus Arcas, Megalopolitanus Philoſophus, & impiger, Arceſilai Academici quondam Athenis auditor.*

Uxorem nunquam duxit, aut filios genuit. Erat autem amoribus deditiſſimus, nam & meretrices publice adamabat, & adoleſcentum commercia ambiebat. Unde hoc illi vitio vertere ſolebat Ariſto Chius, ſecta Stoicus, quòd Παιδεραςὴς, Κιναιδολόγος, καὶ φθορεὺς τῶν νέων, hoc eſt *juvenum amator, & corruptor, & diſertus impudicus eſſet.*

N Li-

Liberaliſſimus, & ad beneficia ferenda promtiſſimus cum eſset, hæc latere magis, quam divulgari curabat. Hinc ſæpe amicos ægrotos, & inopes viſitans, nummos ſub pulvinar reponebat: à gloria enim, & faſtu abhorrebat. Dicere ſolebat; *Ubi medicamentorum, & Medicorum copia, ibi plurimos morbos eſſe contingit; & ubi plurimæ leges, ibi ſumma iniquitas eſt*. Et Stob. Serm. 81. & 93. hæc Arceſilai dicta notavit: *Dialecticam fuge, ſuſque deque confundit omnia. Similes item Dialectici ſunt ludentibus alea, qui decipiuntur quidem, ſed non ſine delectatione. Paupertas ut Ithaca aſpera eſt, ſed optima prolis nutrix, ut quæ aſſuefaciat frugalitati, & abſtinentiæ, & omnis virtutis optima ſit palæſtra.*

Tandem mortuus eſt, ut Hermippus ait, in delirio poſt immodicum meri hauſtum anno æt. 75. Olymp. 135. anno 4.

L A C Y D E S.

CYrenæus, Alexandri filius, Arceſilai diſcipulus, & ſucceſſor fuit. Ab adoleſcentia bonarum artium ſtudiis addictus, pauper quidem, ſed ſtudioſus, eximiæ exemplum gravitatis, venuſtatis, & urbanitatis dedit. Arceſilao mortuo, Academiæ ſucceſſit Lacydes, à quo diſcipuli Lacydeani dicti ſunt. Numenius, ut eſt apud Euſeb. Præp. 14. 7. refert, Lacydem Mediæ Academiæ ſententiam, quòd nihil ſenſu aſſequi poſſit, hoc probare argumento conatum eſſe: *Quomodo certo ſenſibus quippiam comprehendere poſſe exiſtimem, qui toties his meis ſenſibus deceptum me norim? Domo enim ſi quando egredior, oculis meis videre me puto ea in cella mea relinqui, quorum rediens invenio nihil, quod fieri haud poſſet, niſi fallerent ſenſus, atque incertitudine laborarent.* Ipſe tamen non deprehendebat, ſervos clanculum domum ſpoliaſſe.

Adhuc vivens, poſtquam Scholæ 26. annos præfuit, hoc docendi munere ſe abdicavit, diſcipuliſque ſuis Telecli, & Evandro Phocenſibus ipſam Academiam regendam tradidit anno 2. Olymp. 141. quo anno etiam in paralyſin ex vini exceſſu incidens mortuus eſt. Et quidem ipſum, & Timonem philoſophos, ambos potentiſſimis accenſet potatoribus Ælian. Var. Hiſt. 2. 41. Unde Athen. l. 10. jucundum hoc de Lacyde narrat, quòd cum in Timonem uno hauſtu poculum ſiccare imparem incidiſſet, ac illud ſecunda vice ori admovere cum vidiſſet, Homerico hoc verſu ſic luderet:

Quàm miſeri noſtris opponunt viribus arma.

Novæ Academiæ inventorem Lacydem faciunt Laërt. & Suid. ſed Cic. Clem. Alex. Sext. Empir. & alii rectius non hunc, ſed Carneadem, quartum ab Arceſilao, affirmant. Numenius apud Euſeb. Præp. 14. 7. refert, Lacydem Philoſophicos libros, & de Natura ſcripſiſſe. Lacydi, ut dictum eſt, ſucceſſit diſcipulus ejus Evander; Evandro ſuus diſcipulus Hegeſinus Pergamenus, quem Voſſius Hegeſippum, & Clem. Alex. Hegeſilaum vocat: Hegeſino denique Carneades Novæ Acad. inſtitutor.

C A P U T VI.

De Academia Nova.

NOva hæc Academia à Media in hoc differt, quod Media quidem à rebus verum tollebat; Nova vero aliquid verum eſſe, falſumve fatebatur; ſed negabat eſſe in nobis κριτήριον, ſive artem judicandi, verumque à falſo diſcernendi: nihil enim abſolute verum eſſe, dicebat. Hinc Cic. qui Novæ huic

Aca-

Academiæ addictus erat, ut videre eſt in Acad. Qu. l. 1. ait: *Veri eſſe aliquid non negamus, percipi noſſe negamus*. Et idem alibi: *Non enim ſumus ii, quibus nihil verum eſſe videatur; ſed qui omnibus veris falſa quædam adjuncta eſſe dicamus tanta ſimilitudine, ut nulla inſit certa judicandi, & diſcernendi nota.* Vide Cic. Acad. Qu. 4. Numen. apud Euſeb. Præp. 14. Sext. Empir. adverſus Mathematicos, atque alios. Hujus autem Academiæ autor fuit

CARNEADES

Cyrenæus, quartus, ut diximus, ab Arceſilao, Hegeſino ſucceſſit, Novamque condidit Academiam. Patrem habuit Epicomum, ſive Philocomum. Tam violenta, & rapida fuit facundia præditus, ut quod ſemel ratione probaverat, contraria poſſet ratione ſuadere. Quod potiſſimum tunc ab eo factum memorat Lactant. cum Romam legatus ab Athenienſibus miſſus una cum Critolao, & Diogene Philoſophis, copioſe de Juſtitia diſputavit, audiente Galba, & Catone Cenſorio, maximis tunc oratoribus: quam ſuam de Juſtitia diſputationem poſtridie contraria diſputatione ſubvertit, & Juſtitiam, quam pridie laudaverat, ſuſtulit; quod ille facere ſolebat, ut alios quidlibet aſſerentes poſſet refutare. Quam diſputationem contra Juſtitiam L. Furius apud Cic. narrat. Vide etiam Plutarchum in M. Catone Majore, ubi hæc de Carneade, dum legatus Romæ eſſet, & una cum Diogene conciones haberet. *Hos illico ſtudioſiſſimi quique adoleſcentes adibant, frequenteſque audiebant, & celebrabant. Carneadis lepos præcipue, cujus magna vis, & ea vi non inferius erat nomen, cum inſignes, & benignos auditores nactus eſſet, inſtar venti urbem ſonitu complevit, vulgatumque fuit, virum Græcum ad miraculum uſque eximium omnia delinientem, & allicientem, mirum infudiſſe juventuti ardorem, per quem reliquarum voluptatum, & oblectamentorum obliti, quaſi fanatici raperentur ad Philoſophiam. Cum ea res cæteris placeret Romanis, atque adoleſcentiam libenter viderent literis Græcis imbui, & excellentibus viris uti; Cato à primo, ubi influxit in Urbem Græcarum diſciplinarum admiratio, ſtomachabatur, veritus, ne juventus eò converteret ſtudium, atque eloquentiæ gloriam rebus gerendis, atque diſciplinæ militari anteferret. Ut vero in Urbe nomen increvit horum Philoſophorum &c. cenſuit, omnes Philoſophos ab Urbe honeſta ſpecie ablegandos: atque &c.*

Hic Phyſicam parum curans, Ethicæ magis ſe devovit, cui tanta diligentia vacabat, ut comæ, unguiumque cura neglecta, ſqualorem utraque parte contraheret, ut ait Laërt. 4. 62. Imo tam fortiter quandoque mens ſuis cogitationibus inhærebat, ut manum, referente Val. Max. ad menſam, cui aſſidebat, apponere oblviſceretur. Adeo tamen hic ſummæ induſtriæ vir Philoſophia valebat, ut oratores etiam, ſcholis dimiſſis, ad ipſum audiendum convenirent. Vox illi plane ſtertorea, unde monenti cuidam, *ne clamaret tantopere*, reſpondit: *Da vocis modum, orationem quo metiar*. Acriter invehebatur, atque in quæſtionibus erat inſuperabilis. Convivia ob ſtudii aſſiduitatem vitabat.

Refert Gellius 17. 15. Carneadem contra Chryſippum diſputaturum helleboro animum deterſiſſe, ut ad inventionem valeret, & ne corrupti ſtomachi humores animi vim, atque conſtantiam extinguerent. Nihil moleſtum magis eſſe dicebat, quam quod inexſpectatum eveniat. Morti proximus indignabundus dicere ſolebat: *Ea ne, quæ conſtituit natura, & compegit, eadem & diſſolvit*. Unde ſumto veneno, ultimum diem obiit an. ætatis 85. ex Laërt. 90. ex Cic. anno 4. Olymp. 162. ex Apollodoro inſigne tunc Luna paſſa deliquium, ut narrat Laërt.

N 2 De

De Carneade hæc Cic. Acad. Qu. 4. *Reliquit Carneades hujuſmodi viſa* (φαντασίας) *quibus ad actionem excitemur : item ea, quæ in utramque partem interrogati reſpondere poſſimus, ſequentes tantummodo, quod ita viſum ſit, dum ſine aſſenſu.* Et Acad. Qu. 2. *Duo placent eſſe Carneadi viſorum genera ; in uno hanc diviſionem : alia viſa eſſe, quæ percipi poſſint, alia, quæ non poſſint : in altero autem alia viſa eſſe probabilia, alia non probabilia &c.* Epiſtolas ad Ariarathem Cappadociæ Regem ſcripſit.

CLITOMACHUS

CArthaginenſis, Diogneti filius, annos natus 40. Athenas venit, ubi Carneadem audivit, cum quo uſque ad ſenectutem, teſte Cic. Acad. Q. 4. fuit, cujus opera tantum in Philoſophia profecit, ut ultra 40. volumina conſcripſerit, & Præceptori in Academia ſucceſſerit, ejuſque ſcripta illuſtraverit. In ſuis ſcriptis non minus ingenii Clitomachus oſtendit, quàm Carneades eloquentiæ, ut notat Cic. l. c. In tribus maxime Sectis verſatus eſt, Academicorum, Peripateticorum, & Stoicorum. Hinc Cic. Acad. Qu. 4. eum acutum appellat ut Pœnum. Rhetoricæ infenſiſſimus hoſtis, ſicut de Critolao Peripatetico, & de Charmida refert Sext. Emp. adverſus Rhetor. p. 68. ipſam ſummopere damnabat. Ex ejus libris ſequentes tantum à Cic. Tuſc. Qu. 3. & Acad. Qu. 4. ſuperſtites numerantur : Conſolatio, quam ad cives ſuos ſub Romanis armis, everſa Carthagine, captivos miſit : Liber ad C. Lucilium Poëtam, & ad L. Cenſorinum de aſſenſionis ſuſpenſione : & alios libros 4. de ſuſtinendis aſſenſionibus.

CAPUT VII.

De reliquis Academiis, & Academicis.

PHILO.

QUi Clitomacho ſucceſſit Philo Laryſſæus, ſuus per complures annos diſcipulus, & Ciceronis præceptor, Quartam condidit Academiam, ex Sexto Empirico. Philo, ut notat Cic. Acad. Qu. 1. 4. negavit, duas eſſe Academias, erroremque eorum, qui ita putarunt, redarguit. Philone vivente, Academiæ patrocinium non defuit, quem etiam Romani, teſte Plut. in Vit. Cic. ſuper omnes Clitomachi diſcipulos admirati ſunt ob morum excellentiam, & ſermonum ſuavitatem.

Hic Philoſophum Medico ſimilem eſſe dicebat ; res autem omnes eſſe incomprehenſibiles : ipſas tamen in ſeipſis ſpectatas comprehendi, minime repugnare ; ut Sext. Emp. notat.

ANTIOCHUS

AScalonita, L. Luculli, & Attici familiaris, Ciceronis vero, dum Athenis eſſet, etiam præceptor, Ariſti frater, & Philonis diſcipulus, & ſucceſſor fuit. Hic, teſte Plut. in Vit. Cic. ſive ex ſenſuum evidentia, ſive ex ambitione, & æmulatione Clitomachiorum, & Philoniorum, à Carneadis ſecta defecit. Hinc à Sext. Emp. Quintæ Academiæ autor dicitur. Sed quamvis Academicus appellaretur, erat tamen, ex Cic. Acad. Q. 4. 43. ſi pauca mutaſſet, Stoicis germaniſſimus. Unde dictum à Sext. Emp. l. c. ipſum Stoicam Philoſophiam in

media

media Academia docuiſſe; Stoicas enim doctrinas à Platone traditas eſſe oſtendebat. Senex jam factus ad Veterem Academiam rediit, antiquorum ſententiam diligentiſſime proſecutus, Ariſtotelis præcipue, & Xenocratis, ut ait Cic. l. c. & 5. de Fin. Idem Cic. de Nat. Deor. 1. 7. refert, Antiochum exiſtimaſſe, Stoicos, & Peripateticos verbis tantum invicem diſcrepare, re autem conſentire; quo ſpectare Ciceroni videtur liber ille, qui ad Balbum ab eo miſſus eſt. Alterum idem ſcripſit librum adverſus præceptorem ſuum Philonem, qui *Soſus* inſcribitur, ut narrat idem Cic. 4. Acad. Q. 4. & 4. 35. ipſum plus novitatis, quàm doctrinæ invexiſſe, dicit, licet acutiſſimum, & politiſſimum ſuæ memoriæ Philoſophorum pronunciet. Atque hæc de Academicis, qui Platoni in Academia ſucceſſerunt. Nam qui poſt toties variatam Academiam Platonis dogmatis inſiſtebant, non Academici, ſed Platonici dici maluerunt. Tales è Latinis fuerunt Apulejus, & Chalcidius, Maximus Tyrius, & Syrianus Alexandrinus, & Philo Judæus. Nemo tamen Latinorum laudabilem magis Platoni operam dedit, quam Marſilius Ficinus. De Apulejo hæc habet Auguſt. de Civ. D. l. 8. c. 12. *In utraque lingua Apulejus Afer Platonicus extitit nobilis*. Hujus extat liber de Dogmate Platonis. Chalcidius Commentarium ſcripſit in Timæum. Auguſt. l. c etiam Plotinum, Jamblicum, & Porphyrium inter Platonicos recenſet, dum ait: *Ex Platonicis valde nobilitati Græci Plotinus, Jamblicus, & Porphyrius*. Verùm hi Eclectici potius fuere, quàm Platonici, ſicut & Syrianus, & Proclus, de quibus in fine hujus libri, ubi de Eclecticis.

Inter Platonicos numeranda etiam eſt HYPATIA, Theonis filia, Alexandrina, quæ ſec. 5. Alexandriæ Platonicam Philoſophiam magna ſui nominis fama, & auditorum concurſu publice docuit, omnes ſui temporis philoſophos morum probitate, & Philoſophiæ doctrina antecellens. Hujus ſe diſcipulum fatetur Syneſius Epiſcopus, quam magni ſemper fecit, non ſecus ac reliqui fere omnes in Philoſophicis ſcientiis eruditi. Solus Divus Cyrillus, Alexandriæ Epiſcopus ipſam odio habebat, ſed hac ſolum de cauſſa, quod Platonicam Philoſophiam doceret, quam ipſe ſumme oderat. Hinc cùm hæc Hypatia in publica ſeditione an. Chriſti 415. necata eſſet, impius Suidas non eſt veritus dicere, ipſam Epiſcopi Syneſii juſſu peremtam fuiſſe. Vide Socratem Hiſt. Eccleſ. l. 7. c. 5. Voſſium de Philoſ. atque alios.

CAPUT VIII.

De Philoſophis Peripateticis.

HActenus de Academicis; veniendum nunc ad Peripateticos, qui etiam è Platonis Schola per Ariſtotelem originem habent. Hujus autem ſectæ Philoſophi Ariſtotelici ab Ariſtotele ſectæ autore, & Peripatetici à Peripato, ubi ille docebat, dicti ſunt. Videndum igitur primo nunc eſt, quis, ac qualis fuerit Magnus Peripateticorum Princeps.

ARISTOTELES

NAtus Stagiræ, quæ Thraciæ oppidum dicitur ab Herodoto, Thucydide, Pauſania, & Suida; Macedoniæ vero Urbs ab aliis, qui Barbari opprobrium ab Ariſtotele depellere conantur; aliis tandem ea dicitur ad Strymonam fluvium ſita, Macedoniam, Thraciamque diſtinguens. Patrem habuit Nicomachum Medicum, Machaonis filium (cujus Medicam artem Homerus laudat)

Amyntæ Macedonum Regis Medicum, & familiarem; matrem vero Phæſtidem, ſive Phæſtiadem, quæ, non ſecus ac Nicomachus, ab Æſculapio originem ducebat, ut teſtatur Ammonius in Vit. Ariſtot. horum verſuum teſtimonio uſus:

Nicomacho genitus fuit hic Patre, Phæſtide matre
(Ambo Aſclepiadæ) divus Ariſtoteles.

Natalis autem tempus ab Apollod. in Chronic. Dionyſ. Halicarn. & aliis traditur an. 1. Olymp. 99. anno ſcilicet poſt natum Platonem 44.

Poſt patris, matriſque obitum educatus fuit, teſte Ammon. in Vit. ab Atarnenſi quodam Proxeno, cui deinde ipſe, ut grati animi teſtimonium daret, ſtatuam poſuit, quod ejus etiam uxori fecit; filiumque eorum Nicanorem omni diſciplinarum genere erudivit, in filium adoptavit, ac generum, & hæredem fecit.

Platonem 17. ætatis anno audivit, à quo potiſſima ſuæ doctrinæ dogmata mutuatus eſt, ſub cujus diſciplina ad præceptoris obitum uſque fuit, annis ſcilicet 20. Platoni ob ingenii acumen, & in ſtudiis diligentiam cariſſimus, & commendatiſſimus fuit: quare ipſum, referente Philopono, *Νοῦν τῆς διατριβῆς*, *Mentem Scholæ* appellabat; eoque abſente dicere ſolebat: *Intellectus abeſt, ſurdum eſt auditorium*; ſive, ut Rhodiginus habet: *Philoſophum veritatis abeſſe*. Alii vero contra cum Ælian. 3. 19. aſſerunt, Platonem inter & Ariſtotelem magnam fuiſſe animorum diſſenſionem, eo quod Plato Ariſtotelem corriperet, ſplendidam veſtem, annuloſque geſtantem, calceis precioſis, tonſaque coma utentem, & quod acris, ac pertinax in contradicendo eſſet. Unde factum dicunt, ut cum Plato ob eam cauſſam Speuſippum, Xenocratem, alioſque diſcipulos Ariſtoteli in Scholæ ſucceſſione præferret, hic Platoni adverſam in Lyceo ſcholam erexerit. Quare Plato dicere ſolebat: *Ariſtoteles in nos haud ſecus ac in matres equorum pulli, recalcitravit*; hinc Ariſtotelem plerumque *pullum* appellabat.

Verum Ammonius in Vita affirmat, Ariſtotelem non Platoni, ſed Platonis ſcripta male interpretantibus, & pervertentibus contradixiſſe; nam & idem Plato præceptoris ſui Socratis veſtigiis non in omnibus inhærebat, dicens: *Amicus Socrates, ſed magis amica veritas*; & alibi idem Plato: *Non æque Socratis attendenda ſunt dicta, quàm veritati ſtudendum*. Imo aram etiam Platoni erexit, ut ait cit. Ammon. cum hac inſcriptione:

Gratus Ariſtoteles ſtruit hoc altare Platoni,
Quem turbæ injuſtæ vel celebrare nefas.

Ad Philippum Macedonum Regem, ut Alexandrum filium in liberalibus diſciplinis erudiret, invitantem in Macedoniam ſe contulit an. 4. Olymp. 108. ut teſtantur Apollod. & Dionyſ. Halicarnaſ. quo tempore Alexander 15. annum agebat; ibique in ejus inſtitutione moratus eſt annos octo. Quo tempore magna apud Philippum, uxoremque Olympiada, & Alexandrum autoritate, & familiaritate fuit; itaut non ſolum ipſi ſtatuam ei erexerint, Stagiram reſtauraverint; ſed æqualem fere in regno adminiſtrando partem ipſi Philippus tribuerit. Imo in epiſtola ab eodem illi ſcripta, referente Gellio, cum ad filium inſtituendum invitabat, hæc verba notantur: *Diis itaque gratias ago, non tam quòd natus ille ſit mihi, quàm quod tua ſit natus ætate*. Plutarchus ait, Ariſtotelem præter Philoſophiam, aliaſque liberales artes, etiam Medicinam Alexandrum docuiſſe, & Homericam Iliadem, quam optimam ad virtutem militarem inſtitutionem appellabat, à ſe correctam ipſi tradidiſſe, qui deinde illam maximo ſemper in precio habuit. Plutarchi verba in Alexandro ſunt: *Ego quidem arbitror, Medicinæ quoque ſtudio imbutum ab Ariſtotele Alexandrum. Namque non*

tantum

Digitized by Google

tantum commentatione ejus delectabatur, verum multis etiam amicis ſuccurrit in morbis, præſcripſitque certa remedia, & rationem victus. Quod ex epiſtolis ejus diſcas. Librum etiam ad Alexandrum ſcripſit, quo eum in imperandi arte inſtitueret; cujus Laërt. & Ammonius meminere. Hinc eſt, quod Alexander ab Ariſtotele in omnibus tam bene eruditus ipſum æque ac patrem diligebat, dicens; *A patre, ut viveret, ab Ariſtotele verò, ut bene viveret, ſe habere.*

Ubi vero Alexandro inſtituendo per annos octo ſatis ſibi viſus eſt navaſſe operam, Athenas rediit, ubi Academiam à Xenocrate occupatam videns, Lyceum ſibi an. 2. Olymp. 111. in Scholam elegit, ibique quotidie deambulans uſque ad horam, qua ungi Græci ſolebant, quod ante cœnam fieri mos erat, Philoſophiam docebat; hinc à Deambulando, quod Græcis eſt Περιπατεῖν, Peripateticus dictus eſt. Lyceum hoc, quod ſecundum fuit Athenarum Gymnaſium, alii cum Luciano ſic dictum tradunt, quod Apollini Lycio ſacrum fuiſſet, à Piſiſtrato inchoatum, & poſtea à Pericle extructum ad novos milites in bellicis artibus inſtruendos: alii cum Pauſania contendunt, Lyceum à Lyco Pandionis filio nomen habuiſſe, & Apollinis Templum & olim, & nunc creditum fuiſſe. In hoc Gymnaſio ſuas diſcipulis commentationes tradebat, quas in duas ſpecies diſtribuit, Ἐξωτερικὰς ſcilicet, & Ἀκροαματικὰς; quarum has matutinis horis ſelectos tantum diſcipulos docebat, hoc eſt eos, qui ipſas audire, & intelligere apti erant, ab ἀκροάομαι enim *audio* nomen habent; veſpere verò Exotericas, ſive Exteriores, & Triviales juvenibus ſine delectu præbebat. In Acroamaticis remotior, ſubtiliorque Philoſophia, & Dialecticæ quæſtiones tractabantur; in Exotericis vero Rhetorica, argutiarum facultas, & civilium rerum notitia tradebantur.

Sed ad tanti Viri doctrinam, quam ingens Philoſophorum turba, noſtro hoc ævo potiſſimùm, vel clauſis oculis amplexata eſt, recenſendam accedamus. Ariſtoteles omnem Philoſophiam in Πρακτικὴν, ſeu in eam, quæ circa actus verſatur, & in Θεωρητικὴν, ſeu in eam, quæ in intelligentia, & ſpeculatione conſiſtit, diviſit. Practica Ethicam, ſeu Moralem, & Politicam, & Œconomicam continet; Theoretica vero, ſeu Speculativa Phyſicam, & Metaphyſicam. Logica enim per Ariſtotelem non Philoſophiæ pars eſt, ſed Ars, quæ mentem dirigit ad veritates, quæ in Philoſophia manifeſtantur, inquirendas. Veritatis Κριτήριον, Judicium in iis quidem actionibus, quæ ſecundum imaginationem ſunt, Senſum definivit; Moralium vero, & quæ ad ſimplicem cogitationem pertinent, Mentem.

Et primo quod ad LOGICAM, nulli dubium eſt, quin Ariſtoteles hanc præ omnibus excoluerit, imo & ad ſummum perfectionis gradum, in quo etiam nunc eſt, perduxerit, & omnes Logicas Methodos, ut Philoponus ait, invenerit. At doctiſſimus Jo: Lud. Viv. de Diſcipl. l. 3. p. 171. de Logica diſſerens ait: *Sed indubie Ariſtoteles eam in artis faciem reduxit, ut & Rhetoricam. Cæterum, quod liceat cum bona venia dicere, præterquamquod more ſuo obſcure, & prolixe, etiam parum apte ad uſum vel inveniendi argumenta, vel judicandi argumentationes. Nemo eſt enim, qui quantumlibet diligenter lecta, & excuſſa univerſa Ariſtotelis Logica, ſentiat, ſe inſtrumentum habere, quo in aliqua ad diſſerendum materia argumenta in promtu excogitet.* Ejus Κατηγορίας, ſeu Prædicamenta, quæ Quintilianus transfert *Elementa*, Capella *Prædicationes*; quas à Pythagoreis nonnulli inventas contendunt, quia vulgatiſſimas, cunctiſque notas, recenſere ſciens prætermitto. Tandem hoc eſt de Ariſtotelis Logica Neoterici cujuſdam in Arte Cogitandi judicium; quod præcipuum vitium, quod in hac invenitur, ſit, non quod falſa, ſed quod nimis vera ea ſit, ut quæ nos ea doceat, quæ impoſſibile eſt, ut quis ignoret.

Quod ad PHYSICAM ſpectat, notandum, Ariſtotelem, antequam ſua ſtatuat Phyſica Principia, omnia antiquorum evertere: Sed an validis id faciat rationibus, alii plures examinarunt. Ejus tantum præcipuas hac in re ſententias ut proponam; ſciendum, eum rerum naturalium Principia tria ſtatuiſſe, Materiam ſcilicet, Formam, & Privationem. Nemo tamen eſt, ſi verum fateri velimus, qui Materiam, & Formam rerum materialium Principia non agnoverit: vera namque, ſed nimis generalia rerum Principia hæc ſunt; quibus ſcilicet ſi ſolis mens utatur, naturæ phænomenon rationem reddere nequeat. Hoc enim in Ariſtotelis Phyſica vitium eſt, quod res materiales metaphyſico potius, quàm phyſico modo pertractentur. Tertium rerum Principium, ut dictum eſt, Privationem Ariſtoteles poſuit, quod unum eorum eſt, quæ ipſe detexiſſe gloriatur, omnes antiquos Philoſophos inſultans, quod hoc tam celebre rerum Principium ignoraverint. Sed nemo eſt, qui non videat, quàm facile ſit cognoſcere, nullum antiquorum hoc Ariſtotelis arcanum ignorare potuiſſe; ſed quia omnium maxime ad naturæ Phænomena explicanda inutile eſt, pro rerum materialium principio non agnoviſſe. Ecquis enim ignorat, unamquamque rem, antequam talis fiat, talem non eſſe; hoc eſt, habere privationem ejus, quod fit? Atque hæc de Principiis rerum materialium; veniamus nunc ad ea, quæ de Elementis dicit.

Elementa, ex Ariſtotelis ſententia, *ſunt corpora ſimpliciſſima, ex quibus omnia fiunt, & in quæ omnia reſolvuntur*. Sed nemo eſt, qui non videat, quod per hanc definitionem, tantum abeſt, ut claram, & diſtinctam ideam de his ſimpliciſſimis corporibus, Elementis ſcilicet, ad cæterorum corporum, quæ ex ipſis componuntur, detegendam naturam, habeamus; ut confuſam potius, & obſcuram. Quatuor enim ex Ariſtotele ſunt Elementa, *Aër* ſcilicet, *Ignis*, *Aqua*, *& Terra*. Hæc autem & Elementa, & nonniſi quatuor eſſe ſic probat. Omnia corpora ſimplicia oportet moveri motu ſimplici; atque hanc propoſitionem, (quæ obſcuriſſima, & falſiſſima eſt) tanquam Axioma probatione non indigere, putat. Quæ enim, quæſo, connexio eſt inter corporum ſimplicitatem, & ad ſimplicem motum potentiam? Sic tamen argumentando ſequitur: Duo tantum ſunt ſimplices motus, alter quidem deorſum, ſive à circumferentia ad centrum, alter vero ſurſum, ſive à centro ad circumferentiam. Sed hi duo motus Terræ, & Igni tantum conveniunt, quorum Terra ſimpliciter, & abſolute gravis, Ignis ſimpliciter, & abſolute levis eſt. Igitur Terra, & Ignis Elementa ſunt. Denique quia gravitas, & levitas corpori vel ſimpliciter, ſeu in totum convenit, vel ſecundum quid, ſeu in partem; concludit eſſe alia duo Elementa, ſeu ſimplicia corpora, quorum unum in parte leve, alterum in parte grave ſit, hoc eſt, Aër, & Aqua. Qui verò nihil ex ſe grave, vel leve eſſe ex regulis motus didicit, ex illa præcipue: *Omne, quod movetur, ab alio movetur*, facile iis reſpondeat.

Quatuor deinde his quatuor Elementis tribuit qualitates, *Calorem*, *Frigiditatem*, *Humiditatem*, *& Siccitatem*; atque Ignem Calidum, & Siccum, Aërem Calidum, & Humidum, Aquam Frigidam, & Humidam, Terram denique Frigidam, & Siccam dixit. Harum qualitatum definitiones, & cætera apud ipſum videre eſt. Argumenta, quibus omnes hæ Ariſtotelis propoſitiones falſas eſſe quidam demonſtrare contendunt, legere eſt apud ejus Criticos, qui fuſius de his egerunt.

Credidit ipſe, Mundum eſſe ingenitum, & natura ſua æternum, incorruptibilem, & immutabilem, & Cœlos ex materia corruptioni non ſubjecta, vel mutationi, compoſitos putavit. Sphæram quoque Ignis Elementaris ſupra Lunam nulli innixus rationi locavit. Stellas ſolido, diaphanoque Cœlo, quod

Cry-

Cryſtallinum inde dixit, fixas eſſe, docuit. Sed hæc ſoliditas, quam Ariſtoteles Cœlo tribuit, vel ex hoc falſa eſt, quod Cometæ modò appareant, modò ſupra Planetas poſiti evaneſcant. In Phyſica etiam agit de Meteoris, quæ corpora *imperfecte miſta* vocat, & juxta naturæ legem, modo tamen minus conſtante, & ordinato producta. Meteororum materiam Elementa in genere ſunt; cauſſa vero efficiens cœleſtia corpora, quæ in his agunt. Et de Phyſica ſatis.

Quam Ariſtotelis Sectatores, & Interpretes METAPHYSICAM, ipſe vero multis in locis PRIMAM PHILOSOPHIAM, SAPIENTIAM, & THEOLOGIAM dixit; de Ente in genere agere, ac de ipſo tanquam unico hujus Philoſophiæ partis objecto quatuordecim libros conficere, omnes norunt. Ens in decem Κατηγορίας, ſeu Prædicamenta diviſit, quarum prima Subſtantiam, reliquæ novem ſubſtantiæ Modos, ſeu Accidentia conſiderant. Mirum certe quàm abſtracte, & confuſe de his loquitur in Metaphyſicis; unde tot, ac tanta de Materia Prima, & Forma ſubſtantiali ad ipſius mentem explicandam verba facere ejus ſectatores conati ſunt: quæ tamen ipſi prædicant Axiomata à Recentiorum plurimis refelluntur. In hac igitur Philoſophiæ parte omnes Entis differentias, & attributa explicat, ut Ens Actuale, & Poſſibile; Entis Actum, & Potentiam. Inde de tribus Entis attributis Unitate, Bonitate, & Veritate loquitur. In ſeptimo Metaphyſicorum libro de Primo Ente agit, quod omnium Primam Cauſſam demonſtrat. Quæ tandem de Anima dixit, adeo obſcura ſunt, ut ejus ſectatores circa Animæ immortalitatem in varias ſententias abire coacti ſint; ex ejus enim verbis mortalis ne, an immortalis ſit, liquido non conſtat. De Deo autem ſic bene ſentit: Deus eſt *Ens æternum, vivum, entium nobiliſſimum, ſubſtantia immobilis, à rebus ſenſibilibus penitus diverſa, quantitatis corporeæ, partiumque expers, quodque dividi nulla ratione poſſit*. Clem Alex. in Adm. ad G. ait, Ariſtotelem dixiſſe, Deum eſſe Mundi Animam, ipſumque Mundum Deum eſſe; cujus tamen Providentia ultra Lunam non ſe extendat. Atque hæc ex Ariſtotelis Metaphyſicis potiora.

ETHICA, POLITICA, & ŒCONOMICA, quæ, ut ſupra dictum eſt, Practicam Philoſophiæ partem conſtituunt, laudabiliora Ariſtotelis opera ſunt, & ab omnibus fere commendata; quorum doctrinam à Præceptore Platone hauſerat. Ethicorum libros decem, Nicomachia dictos, ſive quod ipſos ad Nicomachum filium Ariſtoteles ſcripſerit, ſive quòd à Nicomacho ipſo ſcripti ſint, ut Suidæ, & Ciceronis 5. de Fin. ſententia eſt; duos Magnorum Moralium; unum tandem de Virtutibus, Ariſtoteles reliquit: in quibus Bona omnia in Honeſta, Utilia, & Jucunda dividens, atque iterum in Bona Animæ, Corporis, & Externa; docet quæ bona ſint appetenda, quid ſit Beatitudo, quæ Virtutes exercendæ, &c. Virtutibus, morumque doctrina explicatis, ad œconomica pergit, aſſerens, primam Rempublicam, ac ſocietatis initium familiam eſſe. Hæc enim parva quædam civitas videtur, cùm ex Familia Familiæ, ex Familiis viciniæ, ex viciniis Civitas componatur. Imo nedum Civitati, & Reipublicæ ortus ſemina familiam tribuere, aſſerit, verum etiam regni quoddam ſpecimen, optimates, & populum in ipſa cerni, parentes ſcilicet, liberos, & ſervos. Tandem à re familiari ad Rempublicam tranſiens, docet in Politicis qui ſint Cives, quæ Civitates, quibus virtutibus Politicos viros ornatos eſſe deceat; quæ ſit optima Reſpublica, quæ peſſima: quæ Democratia, quæ Oligarchia, quæ verò Ariſtocratia ſit; has autem omnes Reſpublicas vel vi, vel dolo omnes interire. Denique Magiſtratus, & omnes populi ordines pro Reipublicæ conditione creari, demonſtrat.

De Ariſtotelis Ethica hoc apud omnes in confeſſo judicium eſt, hoc opus

omnium eſſe perfectiſſimum, & à Platonis Ethica quod ad principia non differre. Differentia ſola hæc eſt, quòd Ariſtotelis quidem Ethica intra hujus tantum vitæ limites verſatur, & homini nonniſi civilis vitæ bonum, & felicitatem proponit; ſecus verò illa Platonis, quæ ultra præſentis vitæ terminos adſpiciens, etiam ad futuram vitam mores componit. In prima ſuæ Ethicæ parte oſtendit Ariſtoteles, in quo virtus privata conſiſtat: in ſecunda Virtutem Civilem conſtituit; ubi de Juſtitia in genere, ejuſque ſpeciebus; de jure naturali, ac gentium; ac potiſſimum de Prudentia, quam virtutum omnium potiſſimam conſiderat, verba facit. Solam virtutem hominem felicem reddere haud poſſe, ipſe putat, niſi, quæ corporis ſunt, & quæ extrinſecus adveniunt, bona ſimul habeat. Reliqua apud ipſum videre eſt, in quibus omnibus Civilis, & Privatæ vitæ ſpecimen exhibetur. Hinc Cic. 5. de Fin. ait: *Omnium fere Civitatum non Græciæ ſolum, ſed etiam barbariæ ab Ariſtotele mores, inſtituta, diſciplinas, à Theophraſto leges etiam agnoſcimus*.

Præclaras ejus quamplurimas ex Laërtio, aliiſque Ethicas habemus ſententias, quarum præcipuas hic ſubnectere liceat. Interrogatus quid mendaces lucrarentur? reſpondit: *Ut cùm vera dixerint, non credatur eis*. Cùm ei probro daretur, quòd flagitioſum hominem commiſerans, ei opem tuliſſet, inquit: *Non mores miſeratus ſum, ſed hominem*. Diſcipulis dicere conſueverat: *Adſpectum quidem à circumfuſo aëre lumen accipere, animum verò à diſciplinis liberalibus*. *Studiorum liberalium amaras radices, fructus autem dulces eſſe*, afferebat. *Tria*, dicebat, *pueris eſſe neceſſaria, Ingenium, Exercitationem, Diſciplinam*. Audiens à quodam ſibi maledici, reſpondit: *Ille abſentem etiam verberet*. *Doctos ab indoctis differre*, inquit, *quod viventes à mortuis*. *Eruditionem*, dicebat, *in proſperis eſſe ornamentum, in adverſis refugium*. Parentes, qui liberos bene erudiendos curaſſent, longe nobiliores eſſe iis, qui ſolùm genuiſſent: *Hos enim tantùm vivendi, illos autem etiam bene, beateque vivendi autores eſſe*. *Veros amicos eſſe*, inquit, *animam in pluribus corporibus habitantem*. *Ex Philoſophia id lucratus ſum*, dicebat, *ut injuſſus ea faciam, quæ alii per legum metum faciunt*. Rogatus, quales nos erga amicos eſſe debeamus; *Quales eos*, inquit, *erga nos eſſe optamus*. Refert Phavorinus, eum crebro dicere ſolitum: *O Amici, Amicus nemo*. *Virtutem optimum ad ſenectutem viaticum*, dixit; *vitæque finem ex virtute vivere*. Plura vide apud Laërt. aliosque.

Mathematicos etiam ſcripſit libros, & Philologicos, ex quibus laudabiles certe ſunt Rhetoricæ, & Poëticæ Inſtitutiones. Scripſit etiam Problematum, Mirabilium, & adverſus Philoſophos libros, quorum Elenchum omnium, præter Epiſtolas, Laërtius habet, uſque ad 400. numerans, ſive, ut aliis placet, 513. Qui omnes ad nos non pervenerunt, multis jam perditis, & ex iis, qui exſtant, multi vel corrupti, vel exeſi habentur. Deperditos, & ſuperſtites Ariſtotelis libros, & eorum Interpretes, atque Commentatores ultra quinquaginta numeratos, ex inſtituto recenſet Patritius Diſcuſſion. Peripat. t. 1. l. 10. 11. atque alii.

His de Ariſtotelis doctrina, ſcriptiſque notatis, redeamus ad ipſius vitam, ac de ejus ab Athenis in Chalcida diſceſſu, morte, uxore, liberis, & teſtamento aliqua ſubnectamus. Tredecim annis Ariſtoteles Philoſophiam Athenis docuit, ubi maxima ſemper, Alexandro vivente, autoritate fuit, itaut nemo illi infenſus eſſe auderet. Alexandro tamen vix mortuo, multi ob magnam ipſius eruditionem ex invidia ei infenſi in ejus vitam inimico animo conſpirabant. Qua re ab eo cognita, Athenis clam relictis, in Chalcida ſeceſſit, impietatem cauſſantibus inimicis; ibique vitæ reliquum conſumſit, amicis redditus,

Digitized by Google

ditus, quibus fugæ cauſſam exquirentibus reſpondit, ſe hoc feciſſe, *Ne Athenienſes bis peccarent in Philoſophum*, Socratis mortem, ſuumque vitæ periculum innuens. Hic Ariſtotelis ex urbe Athenarum diſceſſus ad 2. Olymp. 114. à Dionyſ. Halicarnaſſ. refertur. In Chalcide igitur annos natus fere 62. ægro, affectoque corpore vivens, à Sectatoribus ad eum viſendum venientibus rogatus, ut Scholæ ſucceſſorem ſibi deligeret, Theophraſtum delegit, brevique dein tempore è vivis ſublatus eſt anno 3. Olymp. 114. ætatis vero 63. ſive ex infirmitate ſtomachi, nimio ſtudio, vigiliiſque fere perennibus contracta, ſicut Laërtius, Apollodorus, Dionyſius Halicarnaſſæus, & Cenſorinus affirmant; ſive quod aconitum biberit, ad id damnatus ab Athenienſibus, ut Socrates, vel ut eorum effugeret judicium, ut Strabo, Heſychius illuſtris, & Suidas referunt. Vulgaris fabula eſt (ipſam tamen amplectuntur, mortiſque cauſſam volunt Juſtin. Mart. Parænet. p. 34. Greg. Nazianz. Stelieut. 1. p.228. Cæl. Rhodig. Ant. lect. 19. 8. & Etymologus Græcus v. Εὔριπ. atque alii) propoſitam ei fuiſſe quæſtionem de Euripi (qui ex Strabone l. 1. p. 55. & 4. p. 403. pelagi in terram recedentis portio eſt) fluxu, & refluxu; quam cum ſolvere non poſſet, præ dolore, & pudore mortuus ſit; ſive, ut alii malunt, quod in littore conſidens, & fluxum, refluxumque illum capere nequiens, ſeſe in Euripum præcipitem dederit dicens: *Quoniam Euripum Ariſtoteles capere non potuit, Ariſtotelem Euripus jam capiat*. Stagiritani Ariſtotelis cadaver inde Stagiram traduxere, & altare in ſepulcro conſtruxerunt, Ariſtoteleum exinde locum illum appellantes.

Prima Ariſtotelis Uxor Pythais, ſecunda Herpylis, quæ ei ſuperſtes fuit. Ex hac filium Nicomachum ſuſcepit, & filiam Pythaida. Ariſtotelis diſcipuli, & familiares pene innumeri, & fama illuſtres, de quibus librum integrum Nicanor Alexandrinus confecit. Obtrectatores item habuit non paucos. Teſtamentum vide apud Laërt. 5. 11. atque alios in ejus vita. Sed antequam ad alios tranſeam, quid de tanto viro celebriores viri ſenſerint, liceat hic pro Coronide adnotare.

Et primo qualis Ariſtotelis doctrinæ fortuna fuerit, paucis hic referam. Ariſtotelis ſcripta Theophraſtus ab ipſo Præceptore accepit; quæ moriens Theophraſtus Neleo amico, & diſcipulo ſuo tradidit. Hujus hæredes, ne à Pergami Rege, undique tunc libros ad Bibliothecam efformandam colligente, raperentur, ſcripta in crypta quadam abſconderunt. Inde extracta, quod ad magnam tamen partem corrupta, Apelliconi, diviti Athenienſi vendita ſunt; à quo Sylla Romam abduxit. Deinde ad Tyrannionem Grammaticum pervenerunt; à cujus hæredibus Andronicus Rhodius Philoſophus, tempore Cic. vivens, ſcripta emit, quæ, ut potuit, inſtauravit, & Romæ publici juris fecit. Sectatores Ariſtoteles omni fere ævo quamplurimos habuit. Primus Peripateticam Philoſophiam, Romæ ab Imperatoribus Marco Aurelio, & Lucio Vero fundatam, profeſſus eſt Alexander Aphrodiſienſis, de quo infra. Primi Catholicæ Eccleſiæ Doctores Ariſtotelis doctrinam damnarunt. Pro ipſa deinde fuerunt Anatolius, Laodicenſis Epiſcopus, Didymus Alexandrinus, Divi Hieronymus, & Auguſtinus, atque alii Boëthus Andronici diſcipulus, genere Sidonius, primus in Occidente Ariſtotelem latine reddidit, & notum fecit ſeculo VI. Sed uſque ad finem VIII. ſolus Peripateticus recenſetur Divus Johannes Damaſcenus Undecimo tamen ſeculo Ariſtotelis doctrina per Græcos refloruit, quæ jam in Africa inclaruerat per Alfabarium, Algazelum, Avicennam, Abenroëm, atque alios, qui in Hiſpaniam, ipſorum ditionis factam, Ariſtotelis opera cum ſuis Commentariis adduxerunt: atque inde Hiſpani in Galliam. Primum quidem Lutetiæ Pariſiorum Univerſitas ipſam excepit. Paulo tamen poſt Amau-

Digitized by Google

ri particulares quaſdam opiniones ex Ariſtotelis principiis propugnans, hæreticus declaratus, & damnatus eſt à Concilio in eadem Urbe habito an. 1210. Ariſtotelis libri cremati; ejuſque doctrina ſub anathematis pœna prohibita. Gregorius IX. ejus Phyſicam damnavit; ac duo Pariſienſes Doctores, quòd Ariſtotelici eſſent, hæreſeos accuſati ſunt. Deinde Alexander de Ales, Albertus Magnus, & Divus Thomas Aquinas, Ariſtotelis doctrinam inſtaurarunt, Nicolai V. ſtudio, ut ajunt, nova ejus operum traductione, & editione facta an. 1447. prius enim ſemper Arabum textus in Scholis legebatur, unde tot barbaræ voces promanarunt. Seculo autem 14. ingens orta eſt contentio inter Nominales, & Reales, Thomiſtas, & Scotiſtas, itaut Sectis his addicti quamplurima ederent contentionum volumina, quæ Patricius ad duodecimmillia numerat. Varia deinde ſub aliis Pontificibus Ariſtotelis doctrinæ fortuna fuit, præcipue in dicta Pariſienſi Univerſitate, ubi tandem ex Supremi ejuſdem Urbis Magiſtratus ſanctione an. 1624. & 1629. facta, jam exponitur, ſicut & in omnibus fere Europæ civitatibus. Vide Joh. de Launoi de Ariſtotelis Fortuna Tractatum, Patricii Diſcuſſiones Peripateticas, & P. Rapin Comparationem Platonis, & Ariſtotelis.

Ariſtotelem Græci Interpretes ob verborum nimiam obſcuritatem Σφίγγα *Sphingem* nominarunt. Decreta ſua aliter domi tradidit, aliter foras edidit: hinc Alexandro Magno, ipſum acriter increpanti, quòd eas diſciplinas, quibus ipſe reliquis anteire cupiebat, divulgaſſet, reſpondit, ſe quidem edidiſſe Ἀκροαματικά, ſed iis ſolum, qui ipſa à ſe audierint, cognoſcibilia eſſe; atque ita edita, ac ſi edita non eſſent, ut refert Plutarchus in Alexandro, & Gellius l.20. c.1. Unde & Themiſtius ait; *Furori ſimile eſſe, ſi quis ſperet, ſe ex Ariſtotelis ſcriptis ſententiam ejus penitus aſſequuturum.* Prima Ariſtotelis laus eſt, quod non uſus ſit Philoſophia Mythica, ſeu Fabuloſa, ut veteres Poëtæ: non Symbolica, ut Pythagoras, & ſæpe etiam Plato; ſed aperta, ut quæ proprietate gaudeat verborum, ut Simplicius adnotavit. Altera, quod clariori methodo, quàm cæteri, utatur, ut qui accuratius definiat, ac dividat, meliorique omnia ordine pertractet. Luculentam ei laudem plures laudati viri contexerunt. Cic. lib. 1. Tuſc. Ariſtotelem virum ſummo ingenio, ſcientiæ copia, ac diligentia (Platone excepto) omnibus præſtantem appellavit. Et 5. de Fin. eum (Platonem ſemper excipiens) Philoſophorum Principem dixit. Et idem ibidem ait, ſicut & Plinius, eum ſummum in omni ſcientia virum eſſe. Quintilianus l. 10. de Ariſtotele hæc ait: *Quid Ariſtotelem? Quem dubito ſcientia verborum, an ſcriptorum copia, an eloquendi ſuavitate, an inventionum acumine, an varietate operum, clariorem putem.* Macrobius quoque non veritus eſt dicere, nihil tantum virum ignorare potuiſſe. Et Divus Hieron. ipſum vocat *Finem humani intellectus.* Vide & alia ejus elogia apud Plin. Ælian. Lactant. Auguſtin. Joh. Lud. Viv. & alios. Tandem ex Ariſtotelis Interpretibus maxime omnium legendus eſt Alexander Aphrodiſienſis, qui antiquiſſimus ipſius interpres fuit, quo non alius Ariſtotelem vel melius intellexit, vel ſtudioſius defendit; vixit enim temporibus Severi Imperatoris, & filii ejus Antonini, quique Ariſtotelis ſententiam maxime ſequitur, optimeque defendit, unde non immerito inter Græcos Ἐξηγητής, Interpres, ut inter Arabas Abenroës, Commentator dictus eſt; *homo tamen*, ut ait Lud. Viv. de Diſcipl. l. 5. p. 296. *qui in Ariſtotele enarrando nihil minus explicat, quàm eum ipſum, quem ſuſceperat declarandum.* Vide cit. Viv. ibi, & ſeq. ubi de hujus Commentatoris manifeſta inſcitia plura habet. Celebres inter ejus Commentatores fuere etiam Themiſtius, Simplicius, Proclus, Olympiodorus, Ammonius, & Philoponus. Sed his de Ariſtotele adnotatis, ad ejus ſucceſſorem gradum facio.

THEO-

Digitized by Google

THEOPHRASTUS

ARiſtotelis ſucceſſor, Ereſſius dictus ab Ereſſo maritima Lesbi urbe, in qua natus eſt ex patre Melanta, ut ex Apollodoro, vel Leone, ut ex aliis, vitæ genere fullone. Hic primùm in patria Leucippum civem ſuum audivit, inde Platonem, poſtremo Ariſtotelem; à quo, cùm prius Tyrtamus vocaretur, ob divinam facundiam Theophraſti nomen accepit, qua condiſcipulos omnes, teſte Cic. Plin. Laërt. & Strabone anteivit. Fuit hic vir ſummæ prudentiæ, ſtudiique ſingularis, beneficus, & maxime affabilis, unde Athenienſibus cariſſimus fuit; itaut ab Agnonide impietatis accuſatus, parum abſuerit, quin in actorem ipſum cauſſa retorqueretur; Imo & ejus funus univerſus Athenienſium populus pedibus eſt ſecutus. Patriam à tyrannis oppreſſam bis liberavit. Cic. l. 5. de Fin. quæ Theophraſtus de ſtirpium natura, omniumque fere rerum, quæ è terra gignerentur, cauſſis, atque rationibus; ejus quoque librum de Beata Vita, & quæ de legibus tradidit, commendat; ubi, & alibi quoque ipſius elogia habet. Ad ipſum audiendum diſcipuli etiam doctiſſimi ad duo millia accurrebant. Omnino igitur hic Præceptori ſuo jungendus partim ob ea, de quibus Ariſtoteles non ſcripſit, partim ob ea, de quibus Theophraſtus melius ſcripſit; in nonnullis enim ab Ariſtotele diſſenſit. Quamplurima conſcripſit opera, quorum meminit Laërt. in ejus Vita. Deum alibi quidem Cœlum, alibi vero Spiritum eſſe exiſtimat, referente Clem. Alex in Protrept. Senſum autem fidei initium ſtatuit. Inter ejus Apophthegmata hæc præcipua. Juveni in convivio tacenti ait: *Si quidem indoctus es, prudenter facis, ſi doctus, imprudenter. Demoſthenem*, dixit, *dignum eſſe Athenienſium Civitate; Demadem verò majorem, quàm ut illa caperet civitas. Verere te ipſum, & non erubeſces apud alium*. Adoleſcentulo erubeſcenti dixit: *Bono eſto animo, virtutis enim iſte eſt color. Amorem*, ait, *eſſe animæ affectum otioſæ. Mulierem pulcre ornatam neque videre alios, nec ab aliis videri debere; utrumque enim ad res inhoneſtas eſſe incitamento*. Dicere ſolebat: *Nos, cum vivere incipimus, mori*. Reliqua vide apud Laërt. Plut. Stob. atque alios. Obiit tandem ſenex ætatis anno 85. exhauſtis, ut Suidas ait, ſcribendi aſſiduitate ſpiritibus. Celebriores ejus diſcipuli fuere Demetrius Phalereus, Nicomachus Ariſtotelis filius ipſi cariſſimus, Eraſiſtratus Medicus, Menander Comicus, &

STRATO

LAmpſacenus Arceſilai, ſive Arceſii filius Theophraſto præceptori ſuo in Scholæ regimine ſucceſſit, vir eloquentiſsimus, maximæ dignitatis, & Ptolemæi Philadalphi præceptor. Phyſicus iccirco appellatus, quòd Phyſicam Philoſophiæ partem præ cæteris diligentiſsime coluit, in qua multa innovavit, non à Platone tantum, ſed etiam à Præceptore ſuo diſſentiens. Hinc Cic. 1. Acad. Qu. *Nam Strato, quamquam fuit acri ingenio, tamen ab ea diſciplina omnino ſemovendus eſt: qui cum maxime neceſſariam partem Philoſophiæ, quæ poſita eſt in virtute, & moribus, reliquiſſet, totumque ſe ad inveſtigationem naturæ contuliſſet; in ea ipſa plurimum diſcedit à ſuis*. Idem Cic. de Nat. D. 1. 13. ait, Stratonem, omnem vim divinam in natura ſitam eſſe, putaſſe. Scholæ præfuit anno 3. Olymp. 123. ut Apollod. in Chron. refert, quam rexit an. 8. Vid. Suid. in Strat. & Laërt. qui cuncta ejus opera enumerat. Stratoni ſucceſsit

LYCON

TRoadenſis ejus diſcipulus, Aſtyanactis filius, vir eloquens, educandis, inſtituendiſque pueris, ut Laërt. refert, maxime idoneus; ajebat enim: *Ut equos calcare æque ac fræno, ita pueros quoque pudore, & laude regendos.* Clem. Alex. Strom. 2. p.416. refert, Lyconem dixiſſe, verum hominis finem eſſe animæ lætitiam. Eo enim in loco pro Λύκος Λύκων legendum eſt. Hic à nonnullis ob ſummam in dicendo ſuavitatem, literam *G* nomini ſuo addentibus, Glycon eſt appellatus, referente Plutarcho. Omnia corporis exercitia libentiſsime obibat, pila ludens, & athletico certamine, in quo corporis agilitate pollebat, palæſtricum olens oleum, ſe exercens. Conſilio in rebus dubiis ſæpe Athenienſibus profuit. Corporis cultu mundiſsimus fuit, toga uſus ad exceſſum uſque, ut Hermippus ait, delicata, & pretioſa. Vid. etiam Athen. l.12. p. 546. qui multa habet de ejus luxu. Podagra affectus obiit annos natus 74. Scholæ præfuit an. 42. ipſi à Stratone ex teſtamento præfectus Olymp. 127. Ejus ſucceſſor fuit

ARISTO

CHius, ſive Cejus, ex inſula enim Ceo fuit, quæ celebris eſt ea lege, qua 60. annis majores vita exire coguntur, ut reliquis victus ſufficiat. Cic. hunc concinnum vocat, & elegantem. Scripſit de Nitro tractatum, à Strabone allegatum (niſi hoc opus Ariſtonis Alexandrini ſit junioris Peripatetici, quod patria, & ſcriptionis argumentum veroſimile reddunt) atque alios, quos refert Laërtius. Hujus ſucceſſor.

CRITOLAUS

EX Phaſelide, Lyciæ urbe clariſsima, ſi Plutarcho credimus, ortus eſt, qui præceptori ſuo Ariſtoni in Schola ſuccesſit. Athenienſium nomine una cum Carneade, & Diogene, ut ſupra quoque dictum, Romæ legationem obiit anno 2. Olymp.140. ſeu U. C. 534. Scripſit contra Rhetores, quos Ὀνοματομάχους, quod ſcilicet nominibus, ſive vocibus tantum contenderent; eorumque munus non artem, ſed malum artificium appellans, ut habemus ex Sext. Emp. adverſ. Mathem. l.2. & Clem. Alex. Strom.2. Summum bonum dixit eſſe perfectionem vitæ recte fluentis (perfectionem à majoribus traditam intelligens; Clem. enim Alexandr. l. cit. προγονικὴν τελειότητα habet) ſecundum naturam. Animi bona ſupra bona corporis, & externa maximi æſtimanda aſſerebat. De Mundi æternitate quid ſenſerit, legendus Philo l. de Mundi Incorruptibilitate. Tandem Peripateticorum ultimus

DIODORUS

CRitolai diſcipulus, & ſucceſſor, ut ait Clem. Alex. 2. Str. ubi hominis finem ſtatuiſſe ipſe dicitur, citra ullam moleſtiam, & honeſte vivere. Hujus mentio eſt apud Cic. Quandiu vixerit, & docuerit, quiſque ejus fuerit ſucceſſor, incertum eſt; in hoc enim Peripateticorum ſucceſsio dicitur terminaſſe.

CA-

CAPUT IX.

De Philoſophis Cynicis.

AB Academicis, & Peripateticis veniendum nunc ad alios Socratis diſcipulos, qui & ipſi Sectarum auctores fuere. Et primo ad Cynicos, quorum Caput

ANTISTHENES

ATheníenſis, Antiſthene patre Athenienſi, & matre Phygia ortus. Gorgiam oratorem primùm audivit, unde & in Dialogis oratorium exprimit dicendi genus; deinde Socrati ſe addixit, à quo tolerantiam, & animî, pacatis paſsionibus, tranquillitatem didicit. Hinc Dialectica, Phyſica, omnibuſque liberalibus diſciplinis repudiatis, morali tantum operam, & ſtudium omne impendens, atque hominis finem ſecundum virtutem vivere ſtatuens, *Cynoſarges* Gymnaſium non procul à portis Civitatis delegit, ibique Cynicam Sectam primus inſtituit, unde & Cynicorum Pater, atque Ἁπλοκύων, *Genuinus canis*, vocatus eſt. Nulli dubium, quin Cynica hæc Secta ἀπὸ τοῦ κυνὸς *à Cane* dicta ſit: cur autem ſic dicta in varias autores abiere ſententias. Cic. communem opinionem ſecutus, eam à canina impudentia ſic dictam putat 1. de Off. dum ait: *Cynicorum ratio tota ejicienda eſt. Eſt enim inimica verecundiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum.* Hunc ſequitur S. Aug. lib. de Nupt. & Concupiſcent. c.22. Empir. de Pyrrhon. l.1. c.14 inde dictos cenſet, quòd canum inſtar tuerentur bonos, malos adlatrarent, & invaderent. Id vero ex hoc originem duxiſse videtur, quòd interrogatus Diogenes Cynicus ab Alex. Magno cur canis vocaretur, reſpondit: *Quia eis, qui dant, blandior, in eos, qui non dant, adlatro, malos verò mordeo.* Alii denique cum Heſychio Mileſio, & Laërtio, & quidem rectius, Cynicam Sectam dictam volunt ab eo, quòd Antiſthenes ejus ſectæ princeps in Gynoſarge, quod tertium fuit Athenarum Gymnaſium, doceret. Hæc autem de Cynoſarge, ejuſque nominis origine ſcripta reliquerunt antiqui. Heſychius ſic ait: *Gynoſarges, locus ſacer, appellatus ſic ob hanc cauſsam. Ajunt, Diomo ſacra Herculi ſaciente, canem victimæ femur abripuiſse, ac aliis inſequentibus profugiſse. Locus autem ita dictus ab albore, vel celeritate canis.* Et Euſtath. ad Iliad. 2. *Cynoſarges locus erat ita dictus à cane albo, victimæ parte ablata, illuc excurrente.* In hoc igitur omnes fere conveniunt, Cynoſarges ἀπὸ τοῦ κυνὸς, καὶ ἀργοῦ, à cane albo, vel celere dictum eſſe. De hoc ita Liv. l 31. *Sed & Cynoſarges, & quicquid ſancti, amænive circa urbem erat, incenſum eſt à Philippo Macedonum Rege, Demetrii filio, dirutaque non tecta ſolum, ſed & ſepulcra.* Plura vide apud Meurſium Athen. Attic. l.2. c 2. & 3.

Antiſthenes primus, abjecta tunica, duplicato pallio uſus eſt, & baculo, ac pera armatus incedebat. Hinc factum, ut Sectæ Cynicæ inſignia Pallium, Baculus, & Pera eſſent. Inter Cynicorum, & Stoicorum ſectam magna fuit ſententiarum concordia; victus enim utriſque ſimplex, facile parabilis, & qui naturæ neceſſitatem non excederet: veſtis ſordida, divitiarum, gloriæ, & nobilitatis deſpectus; itaut ipſorum multi ſolis uterentur herbis pro cibo, frigida verò pro potu, Socratis dictis utentes: *Deorum proprium eſt nulla re indigere, eorum vero, qui ſimiles illis eſsent, egere quam minimis.* Hinc Seneca de Brevit. Vit.

Vit. c.14. *Hominis naturam Stoicos vincere, Cynicos excedere*. Et Laërt. in Vita Menedemi Cyniſmum vocat Σύντομον ἐπ' ἀρετὴν ὁδὸν, *Brevem, & conciſam ad virtutem viam*. Legatur Arrianus de Cyniſmo l.6. c.22. Epiſt. l. 3. Diſſert. 23. Suidas in Cyniſmo, Salmaſ. in Tertull. de Pallio p.386. & ſeq. & Lipſ. in Manuduct. ad Stoicam Philoſophiam.

Sed ut ad Antiſthenem redeam, præcipua ejus placita, & apophthegmata hic referam. *Virtutem ſolam*, dicebat, *ſufficere ad felicitatem; ac nobiles eos tantum eſſe, qui virtutem colant: Sapientem ſolum noſſe quid amabile ſit; eumque Remp. non juxta leges receptas, ſed ut virtus præſcripſerit, recturum; ac ſobolis procreandæ cauſſa pulcræ daturum operam feminæ: ſapienti novum videri nihil: Amicos eſſe, inter quos virtus conjungat amorem. Bona eſſe ea ſola, quæ honeſta, mala vero, quæ inhoneſta: Voluptatem pro ſummo malo ſe habere, ac proinde*, Gellio referente, *ſe malle furere, quàm voluptati litare: Inter virtutem, & vitium medium non dari: Virtutem diſciplina acquiri poſſe, amitti non poſſe: Sermonem eſſe, qui quicquid ſit, aut fuerit, exprimit*. Interroganti, qualis ducenda ſit uxor? reſpondit: *Formoſam ducens habebis* κοινὴν, *communem, deformem vero, habebis* Ποινὴν, *pœnam*. Platonem de ſe male loqui audiens, dixit: *Regium eſt male audire, cùm benefeceris*. Cum aliquando à malis laudaretur, inquit: *Miſere metuo, ne mali quippiam fecerim*. Rogatus, quidnam à Philoſophia lucratus eſſet? reſpondit: *Mecum alloqui poſſe*. Interrogatus, cur cum impiis verſaretur? reſpondit: *Medici inter ægrotos verſantur, neque tamen febricitant. In corvos*, dicebat, *ſe incidere malle, quàm in adulatores; illi enim mortuos, hi vivos etiam dilaniant. Nil homini magis exoptandum, quàm mors beata. Immortales eſſe cupientes, pie, & recte vivere oportere. Ea comparanda viatica eſſe, quæ cum naufragis etiam poſſint enatare. Remp. malis expurgandam hominibus, ut triticum lolio, militia inutili milite purgatur: Neque Sympoſium ſine congerronibus, neque opes ſine virtute jucundas eſſe*. Reliquas ejus morales ſententias videre eſt apud Laërt. Plut. Stob. atque alios. Plura ſcripſit, quæ ad decem Tomos Laërtius numerat. Tandem magnus hic Philoſophus, qui Diogeni tranquillitatis, Crati continentiæ, & Zenoni tolerantiæ dux, & auctor fuit, mortuus eſt; eique ſucceſſit

D I O G E N E S

SInope, Ponti Civitate, ortus ex patre Iceſio trapezita, ut ex Laërt. ſive Iceta, ut ex Suida, an. 3. Olymp. 81. E patria una cum patre pulſus ob æs ab ipſis adulteratum, Athenas conceſſit, ubi Antiſthenem audivit; qui licet ſæpe ipſum è ſchola repelleret, ejus tamen perſeverantia victus eſt: illo namque aliquando baculum intentante, ſubjecto capite inquit: *Cæde; non enim ita durum baculum reperies, qui me abs te, quandiu aliquid dixeris, arcere poterit*. Hinc ejus auditor, & ſemper in cariſſimis habitus, quia inops, & ex patria profugus, ſe ad ſimplicem victum contulit, pallioque primus omnium, teſte Laërtio, uſus duplicato, quo dormiens ſe obvolueret; peramque tulit, in qua cibos ferebat, omnique ad omnia utebatur loco & prandiens, & dormiens, & loquens. Quare dicere ſolebat, Jovis porticum, & Pompæum, publica Athenarum loca, digito oſtendens, Athenienſes ſibi hæc condidiſſe palatia, in quibus habitaret. Baculo utebatur primùm cum infirmus eſſet, deinde ſolùm iter agens. Cùm ad quemdam ſcripſiſſet, ut ſibi cellulam pararet, & ille tardius exequeretur, dolium, quod in Metroo erat, pro domo habuit, ut ipſe in Epiſt. teſtatur; quod dolium cùm quidam juvenis perforaſset, Athenienſes, qui Diogenem magni ſemper faciebant, juvenem punientes, novum ipſi dolium

dona-

Digitized by Google

donavere. Ut corpus ad tolerantiam adſuetum redderet, nudis pedibus per nives ambulabat, nive obductas ſtatuas amplectebatur, & æſtate fervente in arena ſe volvebat. Diogenem, victum mendicantem, homini, à quo ſtipem petebat, dixiſſe, refert Laërtius: *Si aliis dediſti, da & mihi; ſi nemini ante me, initium à me facito.* Statuam aliquando compellans, ut daret, interrogatus, cur id faceret? reſpondit: *Ut me repulſæ aſſuefaciam.* Minam à prodigo cum petiiſſet, atque ille interrogaret, cur obolum ab aliis, à ſe minam exigeret? reſpondit: *Ab aliis iterum me ſpero accepturum, à te autem an poſthac accipere queam iterum, in Deorum poſitum genibus eſt.* Cereri, & Veneri palam dare operam non ſibi turpe ducebat: hinc publice, multiſque intuentibus ne dum cibum ſumebat, ſed & ſua venere utebatur.

In Æginæ itinere jam ſenex à piratis captus, & Xeniadæ venditus, ab emtore, ipſum Corinthum abducente, interrogatus, quam artem magis calleret? reſpondit: *Hominibus liberis imperare.* Quod reſponſum demiratus Xeniades, ipſum manumiſit, filioſque ſuos ei tradens, inquit: *Accipe liberos meos, quibus imperes.* Rem etiam familiarem ſibi adminiſtrandam demandavit, quam ita curavit, ut fateretur Xeniades, bonum genium domum ſuam ingreſſum eſſe. Xeniadæ emtori ſuo eum dixiſſe, ferunt: *Mirari ſe quidem, quòd cùm ollam, atque operculum non ſine tactu, ac tinnitu emamus, in ſolo homine emendo aſpectu contenti ſumus.* In Xeniadæ filiis optime juxta ſuam Moralem inſtituendis reliquum vitæ tempus impendiſſe, refert Eubulus in Auctione Diogenis; apud quem ſenio confectus, ac vita functus an. 1. Olymp. 114. ætatis ſuæ 90. à Xeniadæ filiis honorifice ſepultus eſt; nam ſuper ejus tumulum columnam erigentes, canem deſuper ex lapide Pario ſculpſerunt. Ejus dein cives æreis ſtatuis ipſum honorarunt.

Magno ſemper apud homines in honore fuit, potiſſimum apud Alex. M. qui ad eum apricantem, & ſolis calore gaudentem, veniens, ipſum ſalutavit, &, ut quid ſibi vellet, peteret, monuit; cui ille reſpondit: ἀποσκότισόν με, *noli mihi umbram facere.* Cumque ille diceret: *Alexander ego ſum ille Magnus; Ego vero ſum canis*, ipſe reſpondit. Hinc ſtupens Alexander, ejuſque animi magnitudinem miratus, dixiſſe fertur à Cic. 5. Tuſc. aliiſque: *Vellem Diogenes eſſe, niſi eſſem Alexander;* quaſi vero ipſi non liceret, ut Plut. illi objicit, animo eſſe Diogenem, fortuna vero Alexandrum. In dolio etiam eum dormientem cùm aliquando Alexander vidiſſet, exclamavit: *O dolium mentis bonæ pleniſſimum!* Et Seneca de Animæ Tranquillit. c. 8. de ejuſdem felicitate hæc habet: *Si quis de felicitate Diogenis dubitat, dubitare idem poteſt de Deorum immortalium ſtatu, an parum beate degant, quòd illis non prædia, non horti ſint, &c.* Diogenem igitur, quem concives ſui ridebant, mirabatur nimis Alex. M. miraturque etiam Baſilius M. lib. de legendis gentilium libris.

Quod ad ejus doctrinam, hæ potiſſimum ſunt opiniones: *Exercitationem duplicem eſſe*, dicebat, *alteram mentis, corporis alteram; alteram autem altera carere haud poſſe, quum bonus habitus, atque vires confirmatæ in corpore æque, ac animo ſint neceſſariæ*: unde & virtutem exercitio parari, & nihil in vita ſine exercitatione perfici poſſe, dicebat. Plus naturæ, quàm legi tribuens, Libertatem rebus omnibus præferebat. Hoc argumento, omnia Sapientum eſſe, evincebat. *Omnia Deorum ſunt: Sapientibus amici ſunt Dii: amicorum vero communia ſunt omnia: omnia ergo ſunt Sapientum. Remp. ſine lege ordinari non poſſe. Nobilitatem, gloriam, & divitias contemnenda omnia. Conjugium rem vanam eſſe; ſed mulieres, ac liberos communes eſſe oportere. Bonos viros imagines Deorum eſſe.*

Plurima ejus traduntur Apophthegmata à Laërt. Plut. Stob. aliiſque, quorum

P ſele-

ſelectiora ſunt : Calcans aliquando Platonis ſtratum , ſive , ut aliis placet , veſtem , dixiſſe fertur : *Calco Platonis faſtum ;* illumque reſpondiſſe : *Sed faſtu alio*, *Diogenes* . Acer enim nimis erat , teſte Laërtio , in ridendis , deſpiciendiſque aliis . Cum vidiſſet aliquando Magiſtratus , qui Ἱερομνήμονες dicebantur , quemdam phialam ex ærario furatum adducentes , dixit : *Magni fures parvum ducunt* . Rogatus à quodam , quonam tempore ducenda ſit uxor ? reſpondit : *Juvenibus non dum, ſenibus vero numquam* . Dicebat quoque : *Manus ad amicos non complicatis digitis extendi debere* . Inductus in domum magnifice inſtructam , atque exſpuere prohibitus , in faciem prohibentis conſpuit , dicens , ſe locum magis fœdum , in quem conſpueret , non inveniſſe . Cum aliquando clamaſſet: *Heus homines* , & plures accurriſſent , baculo illos abegit dicens : *Homines , non purgamenta vocavi* . Et interdiu lucernam accendens , interrogatus , quid hoc ſibi vellet ? ait : *Hominem quæro*. Cùm vidiſſet puerum cava manu aquam bibere , cotylam abjecit , inquiens : *Puer frugalitate me ſuperavit*. Projecit etiam catinum , quum alterum puerum vidiſſet , vaſculo fracto , concavo pane juſculi lenticulam excipere. Projectis à quodam ei oſſibus , ut cani , ea ille ut canis quidem ſuſtulit , ſed ut canis , pede ſublato eum perminxit . Oratores , & omnes gloriæ ſtudioſos , *Ter homines* , hoc eſt , *Ter infelices* appellabat . Prodigum in diverſorio olivas comedentem videns , inquit : *Si ita prandiſſes , non , ut nunc facis , cœnares* . Interrogatus , quid in vita miſerrimum ? reſpondit : *Senex egenus* . Roganti cuidam , quis belluæ morſus magis noxius ? ait : *Ex feris quidem morſus obtrectatoris , ex cicuribus adulatoris* . Audiens , Didymonem mœchum comprehenſum eſſe , ait : *Dignus eſt ex ipſo nomine ſuſpendi ;* ἐκ τῶν διδύμων ſcilicet , qui Latinis dicuntur teſticuli . Feminas videns in olivæ arbore ſuſpendio enecatas , inquit : *O utinam omnes arbores fructus hujuſmodi tuliſſent*. Adoleſcentem rubeſcentem videns , inquit : *Confide , fili , eſt enim iſte virtutis color* : Theophraſto etiam hoc dictum tribuitur , ut ſupra in ejus vita . Dicenti , malum eſſe vivere , reſpondit : *Non vivere malum eſt , ſed male vivere* . Interrogatus , quod vinum ſuaviſſimum ? dixit : *Quod alterius bibitur impenſa* . Monetæ falſitatem exprobranti ait : *Tempus omnino fuit , quo tui ſimilis eram , mei autem tu ſimilis evades nunquam*. Myndi ampliſſimas videns portas , inquit: *Myndii , portas claudite , ne urbs veſtra egrediatur* . Scorti filium in turbam lapides mittentem videns , ait: *Cave, patrem ne ferias*. Interrogatus quid boni è philoſophia tuliſſet ? inquit : *Si non aliud , hoc ſaltem , ut ad omnem ſim paratus fortunam* . Quæ ſibi patria ? rogatus , ait : Κοσμοπολίτης , *Coſmopolita* , hoc eſt , *Mundi civis ſum* . Sacrificanti , ut liberos ſuſciperet , dixit : *Ut bonos ſuſcipiatis , non ſacrificatis* . Dicenti , ſe Philoſophiæ aptare non poſſe , ait : *Quid igitur vivis , ſi , honeſte ut vivas , non curas ? Avaros hydropicis ſimiles* dicebat ; *ut enim iſti aqua , ſic & illi argento repleti , ad ſuam perniciem ſitiunt , & bibunt , nec ſitire deſinunt . Ut mortuo medicina* , dicebat , *ita ſeni admonitio prodeſt . Non minus vitium dare indignis , ac dignis non dare* . Quid difficillimum ? rogatus : *Noſſe ſeipſum* . Rogatus , quomodo converſandum cum iis , quibus ſumma poteſtas eſt ? ait : *Perinde ac cum igne , ita nempe , ut neque accedamus propius , quàm par eſt , ne accendamur , neque recedamus , ne frigore obrigeſcamus . Sicut oculos , & faciem , quæ tenerrimæ corporis partes ſunt , hyeme non tegimus , ſic etiam nec pedes tegendos , qui duriores ſunt* , dicebat . Plura lege apud citatos Autores . Scripta ejus enumerat Laërtius , & Sotion . Diogenis diſcipulus , & ſucceſſor fuit

MONI-

MONIMUS

Syracuſanus, ut Socrates teſtatur, menſarii cujuſdam Corinthii famulus, vir quidem eloquens, & doctus, gloriæ, & divitiarum maximus contemtor. Hic ut à domino manumitteretur, veſaniam fingens, omnem menſæ pecuniam abjecit: unde à domino repudiatus ad Diogenem, deinde ad Cratetem Cynicum, alioſque ſui ævi Philoſophos ſe contulit. Scripſit ludicra quædam ſeriis miſta, & alia, inter quæ memorantur libri 2. de Appetitionibus, & Protrepticus. Monimi meminit Menander in Hippocomo. Sext. Emp. adv. Mathem. l. 7. Ipſum cum Xeniade Corinthio conjungit, aitque, ipſum omnia putaſſe οἴησιν, *opinionem*, ac judicandi facultatem ſuſtuliſſe. Fuere & alii Diogenis diſcipuli, inter quos

ONESICRITUS

Æginenſis, ſive, ut Demetrius ait, Aſtypalenſis. Duos hic filios habuit, quorum Antiſthenem natu minorem Athenas miſit, qui Diogenem audiens, in patriam reverti noluit. Quare pater natu majorem Philiſcum ad Antiſthenem reducendum miſit, qui pariter Diogenis doctrina captus una cum fratre ad patrem redire non curavit. Poſtremo pater Athenas venit ad filios; ſed ipſe, non ſecus ac filii, Diogenis eloquium miratus, ejus auditor factus eſt, ac inter præcipuos præceptoris diſcipulos numerari meruit. Hunc Laërtius Xenophonti comparat; ut enim hic Cyri caſtra ſecutus, Cyropædiam ſcripſit, ſic & ille pugnantem ſequens Alexandrum, Alexandri laudes literis tradidit, ſimili plane dicendi genere uſus; cujus operis mentio apud Arrianum quoque eſt. Commentarium quoque de Rebus Indiæ ſcripſiſſe fertur, citatum à veteribus, præcipue à Plin. H. N. 2. 73.

CRATES

Thebanus, Aſcondi filius, Diogenis (quamvis Hippobotus Bryſonis Achæi auditorem faciat) diſcipulus, floruit circa Olymp. 113. philoſophus quidem inſignis, gloriæ autem, & pecuniæ contemtor ſtrenuus fuit. Huic perſuaſit Diogenes, referente Diocle, ut omne ſuum peculium projiceret: quod eò conſtans perfecit, ut propinquos ad ſe venientes, ut eum à propoſito dimoverent, ſæpe etiam baculo perſecutus ſit. Nobili igitur genere ortus cum eſſet, pingue ſuum vendidit patrimonium, ex quo omnia collecta talenta civibus diviſit dicens: *Crates Cratetem liberat pecuniis, nolens Cratetem haberi ab iſtis, quæ tenet.* Demetrius tamen Magneſius refert, eum pecuniam omnem apud trapezitam hac conditione depoſuiſſe, ut ſi quidem filii ſui idiotæ fuerint, eis pecuniam reſtitueret, qua vivere poſſint; ſin contra philoſophi evaderent, eam plebi diſtribueret: nihil enim philoſophos egere, putabat. Facie erat deformi, animo vehementiſſimus, atque inter diſſerendum ridebatur. Feminarum, quæ pudicitiam proſtituerunt, acerbiſſimus erat inſectator. Vitam omnem ridendo, & ludendo exegiſſe dicitur. Ex Philoſophiæ ſtudio hæc ſibi allata commoda dicebat: *Chœnix lupini, & cura nullius rei*. Ejus quoque fertur & iſtud: *Amorem ſanat fames, & tempus ſedat; uti hiſce ſi non poſſis, utere laqueo.* Tandem ex ſenectute curvus factus, morti jam proximus, ait:

- - - - *Vadis nunc, optime curve,*
Vadis ad Orci ædes longa gibboſe ſenecta.

Quantum ſermone, ac philoſophicis rationibus valuerit, oſtendit Plutarchus in Demetr. ubi ait, ipſum Athenas obſidione liberaſſe; cujus verba ſunt:

Cæterum miſſo ad ipſum philoſopho à populo Cratete, claro viro, & magnæ autoritatis, partim illius adductus pro Athenienſibus precibus, partim penſitatis illis, quæ Crates de rationibus ſuis ſubjiciebat ſibi, ſolvit obſidionem, &c. Stylo plane Platonico Epiſtolas ſcripſit, egregiam, teſte Laërt. Philoſophiam continentes, & Tragoedias, ſententiarum gravitate commendatiſſimas. Filias diſcipulis locavit, ut ipſe ait:

Eis probandas ter decem mittens dies.

Cratetem audivit

METROCLES

HIpparchiæ, Cratetis uxoris, frater, poſtquam Theophraſtum Peripateticum, & Xenocratem audivit. Puſillo adeo erat animo, ut ex ventris crepitu inter recitandum facto, tali animi pudore, & triſtitia affectus ſit, ut intra cellam ſe abdens, mori fame vellet. Quod ut Crates audivit, cellam ingreſſus non ſolum verbis ipſum ſolatus eſt, quod rem neceſſariam, & quæ omnibus fieri ſoleat, feciſſet; ſed lupinis de induſtria voratis, ipſe etiam pedere cœpit, ſicque eum ſervavit. Cratetis inde diſciplinæ ſe dedit, ex qua Philoſophus clariſſimus evaſit. Libros à ſe ſcriptos ipſe combuſſit, teſte Hecatone, dicens: *Hæc ſomniorum ſunt imaginacula, quaſi nugæ*. Dicitur etiam Theophraſti Magiſtri ſui dictata combuſſiſſe. *Divitias*, dicebat, *nocere, niſi quis recte utatur. Res quidem alias pecunia comparari, ut domus, alias verò tempore, & diligentia, ut artes liberales*. Tandem ſenex oblit laqueo à ſe ſuſpenſus.

HIPPARCHIA

MAronita, Metroclis ſoror, Cratetis vero Uxor. Hæc puella pulcra, & honeſta cum eſſet, tanto Cratetis amore accenſa eſt, ut nulla prorſus procorum excellentia, opibus, vel nobilitate ab hoc amore abduci potuerit; ſed hæc omnia, dicebat, mihi Crates eſt: imo & parentibus ſæpe minabatur, niſi huic nuberet, ſeipſam occiſuram. Quare cum parentes ejus Cratetem rogaſſent, ut eam ab hoc propoſito averteret, poſtquam Crates omnia ad perſuadendum fruſtra dixit, omnem Cynicam ſuam ſupellectilem ante illius oculos exponens, ait: *Hic ſponſus, hæc tua poſſeſſio eſt, ad hæc delibera; non enim noſtri conſors eſſe poteris, niſi eadem prorſus ſtudia attigeris*. Quod puella continuò eligere non eſt verita; unde ſumto Cratetis habitu, una cum viro circuibat, & in aperto congrediebatur. Hæc, referente Laërt. Theodorum impium in Lyſimachi convivio redarguit, illi hoc ſophiſma objiciens: *Quod faciens Theodorus injuſte facere dici non poſſet, hoc neque Hipparchia faciens, injuſte facere dici poſſet: ſed Theodorus ſeipſum feriens injuſte non facit; ergo Hipparchia Theodorum feriens, injuſte non facit*. Cui quidem ſophiſmati ille nihil reſpondit, ſed ejus pallium revolvit, corpuſque nudavit. Hanc tamen injuriam non ut mulier territa, & turbata, ſed æquo philoſophantis animo ſuſcipiens, Theodoro ſibi dicenti, quòd radios apud telas ipſa reliquiſſet, reſpondit: *Equidem, Theodore; non tamen erraſſe me putem, quæ tempus in telis conſumendum Philoſophiæ impendi*. Sunt & alia plura hujus philoſophantis feminæ dicta, & ſcripta, in quibus altiſſimo Philoſophiæ ſtylo, Platonici ſimillimo, ipſa optime philoſophatur; præcipue liber Epiſtolarum, qui Crateti inſcribitur, ac Tragœdiæ elegantiſſimæ. Sequitur alius Cratetis diſcipulus

ME-

Digitized by Google

MENIPPUS

PAtria Phœnix, conditione ſervus, ut refert Achaicus. Serium ſcripſit nihil. Hermippus eum *Hemerodaniſtam* vocatum ait, hoc eſt, *Quotidianum fœneratorem*; nautica potiſſimum uſura delectatum, ex qua plurimam ſibi pecuniam comparavit. Hac tamen deinde per inſidias privatus, laqueo ſibi vitam ademit. Cynicorum tandem ultimus

MENEDEMUS

COloti Lampſaceni diſcipulus fuit. Prodigioſæ ſuperſtitionis vir traditur Hippoboto; furiæ enim habitu ſibi aſſumto loca omnia circuibat, dicens, ſe ex inferis ſpeculatorem veniſſe in eos, qui peccarent, ut illuc rediens, inferis ea, quæ vidiſſet, nunciaret. Talaris hæc ſua veſtis erat, puniceo adſtricta balteo, pileus Arcadicus, habens intexta duodecim elementa; cothurni Tragici, barba prolixa, & virga in manu fraxinea. Atque hæc de Cynicis, quibus Sidonii ævo deficientibus, ut ipſe ſignificare videtur hoc verſu:

Excluſi prope jam Cynici vix limine reſtant,

Stoici ex ipſis derivarunt; ad quos gradum facio.

CAPUT X.

De Philoſophis Stoicis.

STоicæ Sectæ originem Cynicæ deberi, ut diximus, apud omnes Scriptores in confeſſo eſt. Quamvis autem Stoici cum aliis Sectis convenerint; quod ex eo factum eſt, quia Zeno hujus Sectæ autor plurium ſectarum philoſophos præceptores habuit, ut ſupra dictum eſt; cum Cynicis tamen ſocietatem habuerunt, & in dogmatis maxime convenerunt, tunica tantum, & verecundia diſcrepantes. Unde Satyricus:

Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata curat,
A Cynicis tunica diſtantia . . . .

Videndum nunc eſt, quomodo hanc Sectam inſtituerit ejus caput

ZENO

EX Mnaſeo, ſive, ut aliis placet, Demeo patre mercatore natus Cittii, quæ maritima in Cypri inſula urbs eſt, Phœnicibus potiſſimum habitata, unde & Phœnicius, Pœnus, & Pœnulus, referente Suida in Zen. quibuſdam dictus eſt. Cratetis vero diſcipulus hoc modo factus dicitur Laërtio in ejus vita. Cum ex Phoenicia purpuram mercatus rediret, ad Piræum naufragium fecit. Quæ jactura occaſionem illi fecit, ut Athenas annos natus 17. ut quibuſdam traditur, vel 22. ut Perſæo, vel 30. ut Laërtio, veniret; ſedenſque juxta librarium, ibique ſecundum Xenophontis Commentariorum legens, ejus lectione nimis delectatus à bibliopola peteret, ut ubinam tales viri degerent ſibi indicaret. Cumque opportune Crates tranſiret, eum Zenoni indicans dixit: *Hunc ſequere*. Quare ex eo tunc Cratetis diſcipulus factus eſt. Verum quamvis ad philoſophandum alioqui aptiſſimus, verecundior tamen, quàm ut ſe ad impudentiam Cynicam accommodaret. Audivit quoque Stilponem, & Xenocratem decennio continuo, & Diodorum Cronum, referente Hippoboto, & Po-

Digitized by Google

Polemonis auditorium frequentavit, ut præter alios teſtatur Timocrates in Dione. Ajunt etiam, Zenonem, cum ex naufragio Philoſophus jam Athenis evaderet, dixiſſe: *Tunc primum ſecundis ventis navigavi, cum naufragium feci*. Demetrius tamen Magneſius in Æquivoc. refert, Mnaſeum Zenonis patrem, utpote mercatorem, ſæpe Athenas adventaſſe, atque inde plures Socratis libros ad filium portaſſe; qui Philoſophiæ ſtudio accenſus Athenas venit, ut Philoſophiam diſceret.

Timotheus Athenienſis in lib. de Vitis, & Apollonius Tyrius, talem habent de Zenone deſcriptionem, ut & Laërt. in Vit. Collo fuit oblongo, & in alteram partem inclinatiore; corpore gracili, & procero; cruribus turgidis, imbecillibus, & infirmis; cute atra; unde Chryſippus 5. Proverb. eum dixit Αἰγύπτιον κλημάτιδα, *Ægyptium palmitem*: facie gravi, & ſevera; geſtus ei erat triſtis, & acer; frontem enim rugare, & ora contrahere conſueverat. Severitate autem non obſtante, facilem ſe omnibus præbebat, itaut ſæpe Antigonus Rex cum ipſo cœnaret, & cum eo ad Ariſtoſelem Muſicum iret comiſſatum. Ejus victus tenuis nimis; pane enim, & melle, & libenter quoque ficubus viridibus, & ad ſolem exſiccatis veſcebatur.

Hinc in Comœd. de Philoſophis Philemon

Cum pane caricas vorat, & aquam bibit,
Exercet ignotum Philoſophiæ genus,
Docet eſurire . . . . . .

Quare in proverbium apud antiquos erat: *Zenone continentior*. Hecaton, & cit. Apollon. Tyr. l. 1. de Zen. referunt, eum Oraculum conſuluiſſe, ut ſibi indicaret, *Quo pacto vivere optime poſſet?* & reſponſum habuiſſe: *Si mortuis concolor eſſet*. Quare magno ſtudio ſe ad legendos antiquorum libros dedit, ex quorum continua lectione mortuis concolor evaſit; ex hac autem lectione multum profecit, erat enim acri ingenio, & ſapiens nimis: hinc Carneades adverſus eum ſcripturus cerebrum aliquoties albo elleboro purgavit, ut ait Gellius lib. 17. c. 25. Veſtis ei vilis erat, unde de eo dictum:

Hunc non acris hyems domuit, non frigidus imber,
Non ſolis radii, non vis deterrima morbi,
Nec quicquid vulgo pretioſum, invictus at unus
Inſtabat gravibus ſtudiis noctesque, dieſque.

Magno inde ſemper in honore ob ſuam ſapientiam, morumque probitatem apud Athenienſes fuit, adeo, ut Urbis, & mœnium claves apud ipſum deponerent, eique ſoli publica libertas tutiſſime concrederetur. Magni quoque eum faciebant concives ejus tum Cyprii, tum Sidonii, eique poſt mortem, non ſecus ac Athenienſes fecerunt, ſtatuam ex ære poſuerunt, magno ſibi ornamento tanti Viri imaginem fore putantes. Antigonus etiam Gonata, Macedoniæ Rex, virtute non minus, quàm autoritate conſpicuus Princeps, quoties Athenis erat, illum audire conſuevit, literiſque rogavit ſæpius, ut ad ſe erudiendum veniret, ut cit. Apoll. Tyr. qui Literas ſervavit, teſtatur. Quod cum ipſe ob ſenectutem, octogenarius enim erat, facere non poſſet, diſcipulos ei cum literis miſit, qui eum erudirent.

Poſtquam vero Zeno eos omnes Philoſophos, quos diximus, audivit ad annos 20. ſe ad Porticum quandam Athenis celebrem convertit, quæ Στοὰ Ποικίλη, *Porticus Varia*, propter varias periti Polygnoti picturas, & *Piſianactia* etiam appellabatur. Volens igitur locum illum ſtabilem, nec ullis ultra ſeditionibus violabilem facere (ibi enim Athenienſes ad 1430. ab Athenarum Tyrannis occiſi fuerant) in ea diſcipulos docere cœpit, qui à Porticu, quæ Græce dicitur Στοὰ, dicti ſunt Στωϊκοὶ, *Stoici*, Latine *Porticenſes*, vel Por-

Porticuarii (prius enim, ut Epic. in Epiſt. ait, à Præceptoris nomine *Zenonii* dicebantur) quo etiam nomine appellabantur Poëtæ, qui in ea morabantur. Qui Stoici Philoſophi ad Apoſtolorum uſque tempora duraſſe creduntur ex eo, quod in Act. Apoſt. traditur, eos, Divo Paulo, de Reſurrectione docenti, reſtitiſſe.

Zenonis præcipua dicta, & facta hæc traduntur. Edaci cuidam, nihil obſoniorum ſociis inter convivandum relinquenti, appoſitum ingentem piſcem ſuſtulit, quem ſolus comedere velle videbatur; illi autem tranſverſim in eum intuenti ait: *Socios ſemper te tolerare putas, qui meam edacitatem ſemel tolerare non vales?* Brevis erat in dicendo, & circumciſus; hinc cuidam dicenti, brevia eſſe Philoſophorum dicta, reſpondit: *Equidem; oportet enim, fieri ſi poſſet, breves eſſe illorum & ſyllabas.* Cum animadverteret quendam ex diſcipulis inflatum, ac ſui plenum, illum percutiens ait: *Non ſi magnus fueris, bonus eris, ſed ſi bonus, magnus.* Nihil faſtu indecentius eſſe, dicebat, maxime in juvenibus. Adoleſcenti loquaci dixit: *Aures tuæ in linguam defluxere.* Similiter & adoleſcenti inepta multa loquenti ait: *Ideo nos habemus aures duas, os unum, ut plura audiamus, quam loquamur.* Cæteris inter pocula eruditionem oſtentantibus, interrogatus cur ipſe ſolus taceret? reſpondit: *Nihil magis quàm ſilentium difficile eſt.* Unde & dicere ſolebat: *Melius eſt pedibus, quàm lingua labi.* Interrogatus quiſnam eſſet amicus, reſpondit: *Alter ego.* Cuidam unguentis delibuto ait: *Quis mulierem olet?* Dicebat: *Vive, homo, non ſolum ut edas, & bibas, ſed ut vita ad beatam vitam acquirendam utaris.* Hoc etiam: *non eſſe quærendum, ſintne homines ex magnis civitatibus, ſed an magna digni ſint civitate.* Reliqua vide apud Laërt. Stob. alioſque. Ajunt, eum jurare ſolitum per capparim, ſicut Socrates per canem. Uxores ipſe etiam in Rep. communes ſtatuebat.

Denique poſtquam Scholæ præfuit, referente Apoll. annis 58. mortuus eſt annum agens 98. ut ajunt Laërt. & Lucian. Quod autem nonnulli, Perſæi autoritate ducti, illum mortuum dicunt an. æt. 72. ex eo falſum evincitur, quòd ipſemet Zeno ad Antigonum ſcribens octogenarium ſe eſſe fatetur. Omnem ætatem morbis expertem duxit. Hæc autem mortis occaſio traditur. Cum è ſchola rediret, offendit in lapidem, digitumque confregit; unde manu terram feriens illud ex Niobe dixit: Ἔρχομαι, τί μ' αὔεις; *Venio, cur me vocas?* Quæ cum dixiſſet, ſe jugulando interiit. Sunt qui dicunt, ipſum non ſic, ſed annis conſumtum, alii fame, periiſſe. Athenienſes deinde eum nobili ſepultura, ærea ſtatua, & aurea corona honorarunt.

Zenonis diſcipulos, eorumque ſcripta enumerat Laërt. in ejus vita. Nos vero potiſſimos, & in Schola ſucceſſores breviter infra trademus. Videndum tamen antea, quæ in genere fuerit

STOICORUM DOCTRINA.

OMnis Stoicorum Philoſophia in tres partes dividebatur, in Logicam ſcilicet, Ethicam, & Phyſicam. Philoſophiam quidam animali aſſimilabant, cujus oſſa, & nervi Logica, caro Ethica, anima Phyſica ſit. Alii eam ovo, alii agro frugifero, alii denique civitati munitæ aſsimilabant. Stoici in Logica, quam in Rhetoricam, & Dialecticam divid ebant, maxime exercebantur: quin dicere ſolebant, ſolum Dialecticum eſſe ſapientem. Imo Ariſtoteles ipſe in Sophiſta ingenue fatetur, Zenonem Dialecticæ fuiſſe inventorem. Quam Dialecticam ipſe ſimilem eſſe dicebat manui in pugnum contractæ, Rhethoricen vero eidem manui expanſæ in palmam: ut in hoc velut ſermonis ædificio

ficio Grammatica cædat ligna, & lapides. Logicæ partium definitiones, diviſiones, & munera fuſius habet Laërt. in Vita Zen. ubi ſcientiarum etiam omnium, quas ipſi profitebantur, earumque præcipuorum dogmatum rationem habet.

Ethicam Philoſophiæ partem dividunt in hæc capita. De Appetitu, de Bono, & Malo, de Paſſionibus animi, de Virtute, de Fine, de Prima Æſtimatione, de Actionibus, de Officiis, de Exhortationibus, & Dehortationibus. Zeno in lib. de Nat. hom. noſtræ vitæ finem dixit: *Conſentaneè ſecundum naturam vivere*; hoc eſt, ſecundum virtutem, ad eam enim natura nos ducit; noſtræ namque naturæ omnes, ut Chryſippus ait, partes ſunt naturæ Univerſi. Quæ definitio conformis videtur definitioni Diogenis, qui ait: *Finis eſt Rationi vite obtemperare in iis eligendis, quæ ſecundum naturam ſunt*. Et Archedemi: *Nihil officiorum omittendo vivere*. Idem Chryſippus 4. Quæſt. Nat. Zeno, & Perſæus, peccata omnia paria exiſtimant: Nam ſi verum, inquiunt, vero majus non eſt, nec falſum falſo majus erit, ita nec fraus fraude, nec peccatum peccato. Quid vitii, virtutis, & neutrius; quid boni, mali, & neutrius nomine apud Stoicos venerit; & quam optime in moralibus præcipue, & logicis philoſophati fuerint, vid. Laërt. ib. ubi totius Stoicæ Philoſophiæ epitomen habet, Stob. aliique, præcipue vero cit. Stob. in Ecl. Eth. ubi fuſius ex Stoicorum ſententia de Offic. agit, & de Paradox. Sapientum, ibique omnes Sapientis virtutes, & characteres exponit.

In Phyſicis hæc potiſſima Stoicorum dogmata ſunt: Differunt Principia, ajunt, & Elementa; illa enim ingenita ſunt, & corrumpi non poſſunt; hæc vero per igneam evaporationem corrumpuntur: illa etiam corporea ſunt, & informia, hæc autem formata. Duo ſunt rerum Principia, Agens, & Patiens; Patiens eſt Subſtantia, ſive Materia ſine qualitate. Agens autem eſt Verbum, ſive Ratio, Græcis λόγος, Deus, qui in ipſa eſt; ipſumque ſempiternum per ipſam omnia creare, dicunt. Sic Zeno Cittieus in lib. de Eſsentia, Cleanthes in lib. de Atomis, Chryſippus, aliique.

Apollodorus in Phyſica Corpus appellat, quod ſecatur in tria, longitudinem, latitudinem, & altitudinem, atque hoc ſolidum appellat. Superficiem dixit corporis finem, ſive corpus longitudinem, & latitudinem habens ſine altitudine, Linea ſuperficiei finis eſt, ſive corpus longitudinem habens ſine latitudine. Punctum denique lineæ finem, notamque minimam ait. Corpus in infinitum dividi poteſt, infinitis tamen non conſtat corporibus. Stob. Ecl. Phyſ. c. 17. p. 32.

Zeno in lib. de Univ. aliique, Deum unum eſse dixerunt, eumque Mentem, Fatum, Naturam, & Jovem, multiſque aliis nominibus appellari. Hic autem Deus principio ſubſtantiam omnem, quæ erat apud ſe, per aërem in aquam convertit; ut quemadmodum in fœtu ſemen continetur, ita & in hac omnium rerum ſemina continerentur. Ex hac autem primum genita dixerunt quatuor Elementa, Aquam, Terram, Aërem, & Ignem. Quæ ſententia ex illa Thaletis, & Anaximandri ſimul diducta videtur; Anaximander enim ex Præceptoris Aqua quatuor dicta Elementa primus conflavit. Elementum vero Stoici cum Peripateticis appellant, ex quo primum prodeunt, quæ ſiunt, & in quod extremum ſolvuntur. Elementorum quoque Ignem calidum, Aquam liquidam, Aërem frigidum, Terram aridam eſse voluerunt.

Mundus eſt qualitas univerſæ ſubſtantiæ, ſive ut Poſſidonius in Meteoricis Præceptis ait, qui conſtat ex Cœlo, & Terra, atque ex illorum naturis, ſive qui conſtat ex Diis, & Hominibus, illiſque rebus, quæ illorum gratia conditæ ſunt; qui regitur, & adminiſtratur ſecundum Mentem, & Providentiam, Mente per

te per omnes illius partes pertingente, ſicut in noſtra anima contingit. Quem Mundum Antipater Tyrius in 8. de Mundo, animatum dixit, & rationale animal, unum tamen eſſe, finitum, & corruptibilem, globoſa figura donatum, ut ad motum aptior ſit. Extra Mundum vero circumfuſum eſſe Vacuum immenſum, quod ſit incorporeum. Id autem incorporeum eſſe, quod à corporibus contineri queat, non autem contineatur. Porro nihil in Mundo eſſe vacuum, ſed inter ſe mirabili unitate devinctum eſſe: quæ unitas cœleſtium ad terreſtria concordiam, & congruentiam parit. Hic tamen Mundi, & Elementorum generationis modus eſt.

Quum ſubſtantia ex Igne per aërem verſa fuerit in humorem, craſſior ipſius pars in Terram verſa fuit, ſubtilior in aërem ceſſit, eadem vero magis magiſque extenuata in ignem evaſit. Tempus definiunt, eſſe intervallum mundani motus: Solem eſſe puriſſimum ignem, orbicularem, terra majorem: Lunam plus de Terra habere, & lumen à Sole mutuare; deficere vero, cum Soli ex parte, qua Terram reſpicit, ſe oppoſuerit.

Iridem dixere radios ex humidis nubibus reflexos: Coruſcationem accenſionem nubium à ventis ruptarum, ut ait Zeno in lib. de Univ. Tonitru eſſe fragorem ex nubium colliſione natum. Sic diſcurras de reliquis Meteoris; quibus omnibus Carteſii ſententia uniformis videtur, ſicut in omnibus fere phyſicis dogmatis, & ſyſtemate. Putant inſuper in hoc Viſionem conſiſtere, ut id, quod inter viſum, ſubjectumque lumen eſt, in coni ſpeciem intendatur, cujus baſis prope id, quod cernitur, ſit. Porro audire, cum aër, inter loquentem, & audientem medius, verberatur orbiculariter, deinde ſic agitatus auribus influit; non ſecus ac ciſternæ aqua à lapide injecto percuſſa, per orbes agitatur.

De Deo denique nedum bene, ſed & religioſe ſentire videntur Stoici, dum ajunt, Deum eſſe Animal, hoc eſt, Animal Ens, immortale, rationale, perfectum, ac beatum, à malo omni remotiſſimum, quod Providentia ſua Univerſum hoc regit, cujus ipſe opifex, & omnium pater eſt: itaut omnium Deorum nomine Deus hic ſolus veniat, prout varie juxta ſuas proprietates accipitur. Sic in aëre conſideratus Juno dicitur, in Terra Ceres, in Mari Neptunus, in igne Uulcanus &c. Fatum vero, quo omnia fieri Zeno, Chryſippus, aliique dicunt, per eos non eſt, niſi *Connexa rerum ſeries*, *ſive Ratio*, *per quam Mundus gubernatur*. Demum præter Deum, Dæmonas quoſdam eſſe volunt, humanarum rerum inſpectores, quibus hominum miſeratio, & cura demandata ſit.

Atque hæc eſt omnis Stoicorum doctrina compendifacta, quæ ex multis Sectis veluti decerpta videtur ex eo, quia Zeno hujus Sectæ autor plurium Sectarum Philoſophos habuit præceptores, ut ſupra quoque dictum: ſemper autem Arceſilao contradixit, nec Peripateticis aſſentita eſt. Cum Academicis tamen, & Cynicis omnium maxime in dogmatis conveniebat, ut diximus. Plura qui cupit, adeat Laërt. lib.6. Epiſt. Enchir. in Moral. Simplicium in Scholiis; Arrianum in Differt. ab Epict. collectis; Barlamum Epiſc. Gyracenſ. in Phyſicis; Cleomedem in Meteor. Senec. Plut. Cic. in Paradox. & alibi. Stob. Ecl. Phyſ. & Ethic. Scoppii Moral. Stoic. ac in primis Lipſ. Manuductionem ad Stoicam Philoſophiam, & Phyſiologiam Stoicorum.

Zenonem præter alios audivit Perſæus Cittieus, Herillus, Ariſto Chius, Dionyſius, & Athenodorus Solenſis, cujus meminit Seneca. Ex his Herillus Carthaginenſis hominis finem, & felicitatem ſtatuit ſolam *Sapientiam*: vixit an. Romæ 475. Olymp. 125. Ariſto Chius, cognomento Siren, qui vixit Olymp. 126. circa an. Romæ 478. aliqua Zenonis doctrinæ adjecit, ut alterius Sectæ autor quibuſdam videretur. Summum bonum dixit *Indifferentiam* in iis omni-

 bus,

Digitized by Google

bus, quæ Vitium inter, & Virtutem ſunt. Unde ajebat, ſapientem ſimilem eſſe optimo cuique Comœdo, qui æque bonus Comœdus erit, ſi ſervi, quàm ſi Regis perſonam repræſentet, modò bene in utrolibet agendo ſe gerat. Phyſicam, ac Logicam reſpuens, ſolam Moralem ampleċtebatur; Logicorum ratiocinia araneorum telis ſimilia dicens, quæ licet mira arte elaboratæ, inutiles tamen ſunt. Magnam in ſuadendo vim habebat. Scripſit Dialogos de Dogmatis Zenonis; Commentaria de Uſu; Epiſtolas, atque alia. Dionyſius Heracleus, cognomento Deſertor, Theophanti filius, Heraclidis, Menedemi, Alexini, & tandem Zenonis diſcipulus fuit, Poëſeos amator, & Stoicæ Philoſophiæ ſectator. Hanc deinde reſpuens, Cyrenaicæ ſe addixit, ac *Voluptatem* vitæ finem ſtatuens, lupanaria frequentare non eſt veritus. Gravi oculorum dolore affectus, experientia didicit, dolorem non eſſe quid indifferens, ut docebat. Octogenarius cum eſſet, voluntaria fame mortuus eſt. Præter Athenodorum Solenſem fuere ejuſdem nominis duo, ambo Tarſenſes, & Stoici, quorum alter, qui Cordilion dictus, cum M. Catone vixit, & apud eum mortuus eſt. Alter Bonavita, à vico quodam, appellatus, Auguſti præceptor; qui, ut ait Suidas, cum ipſum ad iram procliviorem videret, hoc ei præcepit: *Cùm ira te, Cæſar, cæperit, nihil prius vel dixeris, vel feceris, quàm 24. Græcarum literarum elementa tecum ipſe percurreris, ut ita ira illa, quæ momentoſa eſt, parvi temporis interjectu langueſcat.* Ab Auguſto in conceſſis habuit, ut Tarſus nullum ſolveret tributum. Plura ſcripſit, quæ Cæſari dicavit. Zenoni ſucceſſit

C L E A N T H E S.

PHaniæ filius, Aſſius, quòd Aſſi Lyciæ urbe ortus fuerit. Hic Cratetem primùm audivit, deinde Zenonem annis 19. Inops erat adeo, ut præceptoris dictata teſtis, boumque oſſibus exciperet, omni ad chartas emendas pecunia deſtitutus. Imò, ut interdiu Philoſophiæ ſtudiis vacare poſſet, noctu aquis è puteis hauriendis manus locabat, farinam pinſebat, terramque colebat. Hinc Antigono quærenti cur aquas hauriret? reſpondit: *Num aquas verò haurio ſolum? nonne & fodio, & rigo, & omnia facio ſtudio Philoſophiæ?* Ex hoc factum, ut ipſum φρεάντλην, hoc eſt, *puteos exhaurientem*, & *Novum Herculem* appellarent. Ita Laërt. in Vit. & Heſych. Illuſtr. & Arrianus in Epict. l. 3. c. 27. qui ait: *Ubi Cleanthes ſimul & ſtudiis vacans, & aquam hauriens?* Magnus plane vir fuit, ut ex ejus, quæ extant, reliquiis colligere licet; ingenio tamen obtuſo, & tardiſſimo, cujus ipſe tarditatem labore, ſtudio, & diligentia vincebat: quo vitæ inſtituto obtinuit, ut unus ex multis Zenoni ſuccederet.

Vitæ finem, & beatitudinem poſuit in *Vivendo naturæ convenienter, & in bene ratiocinando*; quod in iis, quæ ſunt ſecundum naturam eligendis ſitum eſſe ſtatuit, ex Clem. Alex. 2. Strom. & l. 2. de Volupt. idem Cleanthes dicit, Socratem ubique docere, idem eſſe virum juſtum, & beatum; eumque execrari, qui primus diviſit juſtum ab utili, ut qui rem fecerit impiam. Quàm bene autem hic de Deo ſenſerit, docet cit. Clem. in Admon. ad Gentes, & 5. Strom. ubi Cleanthis verſus citat, quibus non poëticam Theogoniam, ſed veram Theologiam ipſum oſtendiſſe fatetur.

Ex ejus Apophthegmatis hæc notatu digniora. Condiſcipulis ipſum obtrectantibus, & aſinum appellantibus reſpondit: *Se ſolum ferre Zenonis ſarcinam poſſe.* Iiſdem timiditatem ſibi exprobrantibus ait: *Hæc vero, ut minus peccem, efficiet. Peripateticis idem accidere, dicebat, quod literis* (alii ſcribunt lyris) *quæ cùm bene ſonant, ſeipſas tamen non audiunt.* Dicere etiam ſolebat. *Indoctos à brutis animantibus ſola forma differre.* Interroganti, quomodo poſſet

dives

Digitized by Google

dives evadere? reſpondit: *Si deſideriis pauper evadas*. Optimos plures ſcripſit libros, quos refert Laërt. ib.

Denique annos natus 80. ex Laërt. vel 99. ex Lucian. de Longæv. ſic mortuus traditur. Quum illi in gingiva, vel in labiis, ut Lucian. vel ſub lingua, ut Stob. refert, ulcus putridum naſceretur, & ex cibi abſtinentia, ipſi à medicis indicta, convaleſceret, cibum deinde ei ab iiſdem, ut vires reſumeret, oblatum recuſavit, dicens: *An mihi ſuaderitis, maxima viæ parte ſuperata, ut reverterer, atque de novo iter iſtud ingrediar?* Magnam igitur vitæ partem ſe abſolviſſe dicens, per biduum inde omni cibo abſtinens inedia mortuus eſt. Simplicius in Epict. c. ult. ait, ſe egregiam à Sen. Rom. ſtatuam Aſſi Cleanthi poſitam vidiſſe. Multis etiam, præclariſque elogiis à Cic. inſignitur, à quo l. 3. de Nat. D. *Pater Stoicorum* dicitur. Et 4. Acad. Qu. *Majorum gentium Stoicus* appellatur. Et Sidon. Carm. 2.

- - - - *arroſo quicquid ſapit ungue Cleanthes*.

Præter Sphærum Boſphoranum, fuit etiam Cleanthis diſcipulus

CHRYSIPPUS

SOlenſis, quòd Solis, Ciliciæ urbe, natus ſit, quæ & Pompejopolis dicta eſt; vel Tarſenſis, ut Laërtio, & Suidæ dubitatum, quòd ex Apollonio, ſive Apollonide Tarſenſi patre natus, qui Solos deinde ſedem tranſtulit. Vir fuit, ut Ciceronis verbis utar, vaferrimus, & ingenio acri; honorum aſpernator maximus, itaut Ptolemæi præceptor eſſe recuſaret, ad quem erudiendum Sphærus à Cleanthe miſſus pro eo eſt. Paucis contentus, unius vetulæ miniſterio utebatur, quæ ipſum ad quingentos verſus quotidie ſcribere teſtata eſt. Zenonem, ſive, ut Diocli placet, Cleanthem audivit, à quo etiam vivo diſſenſit. Arceſilao etiam, & Lacydæ in Philoſophiæ ſtudiis ſe adjunxit, Academicis ſæpe uſus argumentis. De ſe elate nimis ſentiebat, dicens, ſi ſciret aliquem ſe doctiorem, ab eo ſe Philoſophiam audire paratum eſſe. Corpore erat tenui, & imbecillo, ut ex ejus ſtatua, quæ in Ceramico eſt, videri poteſt. Quam ſtatuam in Gymnaſio, quod à Ptolemæis nomen habuit, Pauſanias Attic. c. 17. poſitam dicit. In copioſis potationibus mente non movebatur omnino, ſed crura tantum agitabat; itaut ejus ancilla diceret, *Chryſippi ſola crura inebriari*.

Sapientem dolere, dicebat, *non tamen perturbari; ejus enim mens dolori non cedit*. Audiens, ſibi quoſdam obtrectare, ait: *Hæc ſe non curare; ita tamen ſe geſturum, ut ne fidem inveniant*. Interrogatus cur ad Remp. non accederet? dixit: *Quia qui male eam adminiſtraverit, Diis, qui bene, civibus diſplicebit*. Quæ ſcripſit volumina omni quidem laude digna ſeptingenta quinque à Laërt. numerantur.

Hoc de Chryſippo autorum judicium eſt. Sen. de Benef. l. 3. ſubtile, dixit, penes Chryſippum eſt illud acumen, & in imam penetrans veritatem, qui rei agendæ cauſſa loquitur, & non ultra, quam ad intellectum ſatis eſt, verbis utitur. Sed ib. c. 4. ait, acumen ejus nimis tenue retundi, & in ſe ſæpe replicari, etiam cum agere aliquid videtur, pungere, non perforare. Cic. l. 1. de Fin. ſcribit, *Nihil eſſe à Chryſippo prætermiſſum in Stoicis*. Et Laërt. *Nam niſi fuiſſet Chryſippus, Porticus non fuiſſet*.

Tandem cum jam annos 73. vixiſſet, Olymp. 143. ut refert Apollod. in Chronic. ex ſpiritus anguſtiis, ſive ex vertigine, ut Hermippus in Odeo ait, à dulcis meri hauſtu producta, quinta die mortuus eſt. Alii, quod ex immodico riſu, aſinum ficus comedentem videns, & ancillæ, ut aſino vinum daret, dicens

cens, mortuus ſit, dicunt, poſtquam diu in Lyceo docuit.

Præter Zenonem Tarſenſem, ſive Sidonium, ut alii dicunt, ex Dioſcoride patre ortum, Chryſippi in Schola ſucceſſorem, plurimorum quidem diſcipulorum magiſtrum, ſed paucorum librorum ſcriptorem; Chryſippum audivit

D I O G E N E S

SEleuciæ natus, & Babylonicus dictus ob loci viciniam. Cic. Tuſc. Qu. 3. 12. ipſum magnum, & gravem Stoicum appellat. Seneca 3. de Ira 38. ait, ipſum leniter, & ſapienter tuliſſe, quòd protervus adoleſcens ei de ira diſſerenti in faciem conſpuerit. Unus fuit ex Legatis, Athenis Romam miſſis. Cic. de Senect. eum ad longam uſque ſenectam vixiſſe teſtatur. Idem de Nat. D. 1. 15. ipſum inter alia librum de Divinatione, & alterum, qui Minerva inſcribitur, ſcripſiſſe, ait. Hujus meminere præter dictos, Cic. aliis in locis, Gell. l. 7. c. 14. & Macrob. 1. Saturn. c. 5. Hujus diſcipulus fuit

A N T I P A T E R

SIdonius, quem Cic. 3. de Offic. acutiſſimum hominem vocat; & Sen. Ep. 92. inter magnos hujus Sectæ autores refert. Hic Carneadi oppugnanti nunquam voce, ſed calamo ſolum reſpondebat, unde & Καλαμοβοάς, *Calamoclamator* dictus eſt, ut ait Plut. de Garrulit. p. 54. Inter alia duos de Divinat. ſcripſit libros: item de Diſcordia Cleanthis, & Chryſippi. Extant etiam ejus plura Epigrammata paſſim in Anthologia, & Sophiſmatis cujuſdam ſolutio apud Sen. Ep. 87. Val. Max. & Plin. referunt, Antipatrum quotannis in natali ſuo die febri ephemera, hoc eſt, unius diei, laboraſſe, ac ipſa tandem periiſſe. Vixit Olymp. 171. Fuit alius Antipater Tarſenſis, Philoſophus item Stoicus, ex illuſtri familia ortus, qui vixit circa Olymp. 160. Huic Athenæus tribuit tractatum unum de Superſtitione, atque alterum de Bile. Antipater quoque fuit Tyrius, & ipſe Stoicus, coævus Sidonii, atque Catonis minoris præceptor. Antipatrum audivit.

P A N Æ T I U S

RHodius, Lælii, & Scipionis Africani familiaris, & in Alexandrino itinere comes, ut teſtatur Cic. 4. Acad. Qu. & Plutarchus in Apophth. Princeps prope Stoicorum, & Stoicorum graviſſimus eidem Ciceroni loc. cit. & Offic. 2. appellatus. Hic licet Platonis admirator fuerit magnus, eumque divinum, ſapientiſſimum, ſanctiſſimum, Homerum Philoſophorum appellaverit; ejus tamen de Immortalitate ſententiam improbabat, & argumentis confutare conabatur. De Aſtrologorum divinandi vi dubitabat. Tres de Offic. libros ſcripſit à Cic. commendatiſſimos 3. de Offic. & de Providentia. Diu vixiſſe Lipſius ex eo probat, quòd Cicero ex Poſidonio tradat, eum editioni ſuorum librorum de Officiis triginta annis ſuperſtitem fuiſſe. Tandem

P O S I D O N I U S

APameæ in Syria natus; Rhodius autem dictus, quòd Rhodi vixerit, & docuerit, ut teſtantur Athenæus, & Strabo, qui l. 16. eum virum Πολυμαθέστατον ſui ævi, hoc eſt, doctiſſimum appellavit. Ad hunc Rhodi Remp. adminiſtrantem, ut idem l. 14. refert, Pompejus è Syria abiens deflexit, ut ipſum audi-

audiret, eique hoc honoris habuit, referente Plin. l. 7. c. 30. ut *Percuti de more fores à liſtore vetuerit, & faſces januæ ſubmiſerit is, cui Oriens ſe, Occidenſque ſubmiſerat*. Deinde magnum hunc Philoſophum viſens, & copioſe diſputantem de hoc, *Quòd Nihil bonum ſit, niſi quod honeſtum eſt*, audiens; cùm ipſum graviter arthritide laborantem vidiſſet, valere juſſit, & imperare quid vellet. Cui Philoſophus

Rem gere præclare, atque aliis præſtare memento.

Sphæram confecit, quæ ſuis converſionibus Planetarum omnium motus æmulabatur. Quinque libros de Divinatione, & alios quinque de Nat. Deor. ſcripſit, quos laudat Cic. in ſuis ejuſdem argumenti operibus. Pompeji quoque res geſtas deſcripſiſſe, Strabo l. 11. affirmat. Romam, ducente M. Marcello, veniſſe, Suidas in Poſid. ait; ipſumque ibi ſe vidiſſe Cic. de Nat. D. 1. 3. & audiviſſe fatetur; & cum Scipione, Carthaginis domitore, convixiſſe traditur Athenæo l. 14. Atque hæc de Stoicorum ſchola, quæ in Poſidonio in Græcia terminavit. Stoicus enim etiam fuit Archedemus, qui voluntario exilio ad Parthos profectus, Babylone ſuæ ſectæ ſucceſſores reliquit, ut tradit Plut. l. de Exilio, Tull. 4. Acad. & Strabo l. 14. Stoicus etiam Sotio fuit, quem Sen. præceptorem agnoſcit Ep. 49. & 58.

Fuere quoque ex nobiliſſimis Romanorum, qui hanc Sectam ſecuti ſunt, Tubero, Cato, Varro, Thraſeas Pætus, Helvidius Priſcus, Rubellius Plautus, & Imperator M. Antoninus, cujus tempore, ut Sext. Emp. narrat, plures erant Stoici præ aliis ſectis. Hæc enim animum ad contemtum rerum humanarum, & patientiam in adverſis formabat. Unde Sen. de Conſt. Sap. c. 1. ait: *Tantum intereſſe inter Stoicos, & cæteros Sapientiam profeſſos, quantum inter viros, & feminas*. Et Ep. 83. eam vocat *Fortiſſimam, & Sanctiſſimam ſectam*. Et Divus Hieron. in Eſaiæ c. 10. *Stoici cum noſtro dogmate in pleriſque concordant*.

Ex antiquis etiam Theologis plures Stoici fuere, ut Pantænus Alexandrinus Antiſtes, qui, referente cit. Hieron. ad Indorum Brachmanas miſſus eſt, ut Chriſtum prædicaret, Philoſophus Philoſophos facilius converteret, Stoicus Brachmanas, cum quibus in multis conveniebat. Ejus diſcupulus Clem. Alex. qui ſe Stoicum paſſim prodit. Et de Stoicis ſatis, qui, juxta ordinem à Laërt. conſtitutum, poſtremi in ſcholæ ſucceſſione ex Thalete derivarunt.

CAPUT XI.

De Secta Italica.

QUamvis hæc ſecta Jonicæ propago cenſeatur, quòd ejus autor Thaletis diſcipulus fuerit, ut Jambl. in Vita Pythag. teſtatur; ab illa tamen ratione loci, autoris, & doctrinæ diverſa eſt; nomenque ab Italia, in qua hæc ſecta inſtituta eſt, accepit. Ab illa igitur Italiæ parte, quæ à frequenti Græcarum Coloniarum concurſu Magna Græcia dicta eſt, hæc ſecta Italica dicitur; quam ad nonam uſque, & decimam generationem duraſſe, plures teſtati ſunt. Ejus autor fuit celeberrimus ille

PYTHAGORAS

SAmius, quòd in Sami inſula ex patre Mneſarcho, juxta Hermippum, anulorum ſculptore, mercatore, juxta alios, & matre Pythaide natus ſit, ut ait

ait Hippobotus, cui ſanior veterum ſcriptorum pars adſentiri videtur. Ariſtoxenus vero in Vit. Pyth. Ariſtarchus, & Theopompus, referente Clem. Alex. 1. Strom. eum Tuſcum faciunt: Syrium tamen, ſive Tyrium putat Cleanthes; ita ut ex plurimorum ſententia Pythagoras eſſet genere Barbarus. Tanta autem autorum de Pythagoræ patria, & patre quoque, contentio eſt, ut jure merito Lycus & Pythagoræ, & Homeri patriam indicare difficile nimis duxerit. In tribus Mneſarchi filiis ipſe natu minimus fuit, habens primum fratrem Eunoſtum, juxta Cleanthem, Eunomum, juxta Laërt. & Suid. ſecundum vero Tyrrhenum dictum; & præter hos patruus ei fuit nomine Zoilus, ut Laërt. refert. Natus autem dicitur Olymp. 53.

Pythagoras, annum agens 18. Philoſophiam diſcendi ſtudio impulſus, ſe ad Thaletem jam ſenem contulit, à quo Μαθήματα, Diſciplinas accepit. Thalete deinde ætatem, & imbecillitatem cauſſante, & conſilium dante, ut in Ægyptum ad Sacerdotes Memphiticos, & Dioſpolitanos pergeret, à quibus ipſe etiam ſuam hauſerat ſapientiam; Ægyptum petiit, ac tres argenteos calices fabricatus, (ipſum enim δακτυλιογλύφον fuiſſe, hoc eſt, gemmarum ſculptorem, notat Apul. l. 2. Florid.) eos Ægyptiis Sacerdotibus donavit, à quibus Theologicis, Philoſophiciſque dogmatis inſtructus eſt. Imo, ut Ægyptiorum diſciplinas, quas deperibat, addiſceret, non veritus eſt circumciſionem pati, ut teſtatur Clem. Alex. Strom. 1. & Porphyr. in ejus Vita. Notat Val. Max. 8. 7. Pythagoram Ægyptiæ gentis literis aſſuefactum, & præteriti ævi Sacerdotum commentarios ſcrutatum, innumerabilium ſeculorum obſervationes cognoviſſe. Et ipſum Sacerdotum auxilio omnium rerum accuratam hauſiſſe cognitionem, & loca omnia inviſiſſe, in quibus ſe ſingulare aliquid inventurum ſperaret, notat Jambl. in Vit. c. 4. Id autem peculiariter refert id. Clem. ib. Pythagoræ præceptorem præter alios extitiſſe Sonchidem Ægyptium Archiprophetam. Ab hoc igitur, reliquiſque Ægyptiis præceptoribus præter eorum linguam, & triplex literarum genus, Epiſtolicum, Hieroglyphicum, & Symbolicum (de quibus ſupra l. 2. ubi de Philoſ. Ægypt. egimus) *Metempſychoſeos* etiam, ſive *Animarum Tranſmigrationis*, ſive *Animæ Recidivatus*, ut Cic. eam vocat, errorem hauſit. Cujus erroris, quòd ſcilicet hominum animæ poſt mortem in aliquas plantas, vel animantes tranſirent, ipſe præcipuus fautor, & veluti autor factus eſt. Unde factum creditur, ut is à fabis, & animalium carnibus abſtineret, quod hominum animas continere putaret. Vid. Jambl. in Vit. l. 1. c. 5.

Ad Thebanos à Memphitis miſſus, multa pertulit, ut eorum præceptis ſibi injunctis, duris quidem, & Græcorum religioni etiam oppoſitis, pareret; quare factum, ut ipſi tantam juvenis tolerantiam, & ingenium admirantes, eum ad ſacrorum, & ſtudiorum communionem admitterent, quod nulli unquam extero homini contigiſſe reperitur, ut notat Porph. in ejus Vita. Præter hos Pherecydem etiam in Lesbo tum commorantem, cui à patruo ſuo Zoilo, referente Laërt. commendatus fuerat, audivit; & Anaximandrum Phyſicum, apud quem naturalia fertur commentatus. Cleanthi etiam, & Suidæ, referente Porph. in vita, Pythagoræ præceptor dicitur Hermodamas, ſive, ut Apulejus in Flor. ait, Leodamas Creophylius Samius tum valde ſenex.

Phœnices etiam Prophetas, Mochi, naturæ interpretis, ſucceſſores, & ſacrorum Antiſtites adiit, à quibus & ſacros ritus, & omnem ejus gentis diſciplinam, & ea, quæ in multis Syriæ partibus ſingulari modo celebrantur, edoctus eſt; idque antequam ad Ægyptios pergeret. Annis vero 22. in Ægypto abſumtis, quo tempore Cambyſes Ægyptios à ſe jam ſubjugatos Babylonem abduxit, Pythagoras etiam inter captivos in eam ductus eſt, ibique annis 12. moratus Zoroaſtre præceptore uſus eſt, ut refert Apul. in Flor. qui *Omnis divi-*

ni

ni arcanum antiſtitem eum vocat. Hic autem non Magnus ille Zoroaſter, qui primus artium omnium apud Chaldæos inventor extitit, quique Pythagoram ætate longe præceſſit, credendus eſt, ſed illius nominis ſextus, idemque cum eo, quem Diogenes Zabratum, Alexander de Symb. Pythag. Nazaratum Aſſyrium, Suidas Zarem, Cyrillus Zaranem, & Plutarchus Zaratam vocat. Babylone igitur cum Chaldæorum præſtantiſſimis, & Perſarum Magis, eo quod Perſarum imperio ſubdita tunc Babylon eſſet, verſatus, à Magis quidem in ſublimi de Deorum cultu doctrina, numerorum, & Muſicæ arte, reliquiſque diſciplinis inſtructus, ſiderum motus, ut ait Val. Max. 8. 7. curſuſque ſtellarum, & uniuſcujuſque vim, proprietatem, & effectum didicit. Spartam etiam adiit, & Cretam, ut Minois, & Lycurgi inclytas eo tempore leges cognoſceret, & Epimenidem Cretenſem, quem Apul. in Flor. 2. Fatiloquum appellat, audiret, cum quo in Idæum antrum deſcendit nigra lana amictus, dieſque 27. ibi moratus Jovi parentavit, & pulvinar vidit, quod ei quotannis ſternitur, ac ſepulcro Epigramma inſcriptum reliquit, cujus initium: *Zan jacet hoc tumulo, vulgo qui Jupiter audit*. Delum quoque venit, & Delphos ad Apollinem, cujus ſepulcro elegiam inſcripſit, ibique, teſte Ariſtoxeno, complura moralium dogmatum à Themiſtoclea accepit.

Tandem notandum, Pythagoram, præter omnes modo dictos, etiam Judæos, Babylone tunc temporis commorantes, habuiſſe præceptores, quibus eum plura debere teſtantur Hermippus in 1. de Pyth. lib. quem citat Flavius Joſephus contra Appionem, Origenes l. 1. contra Celſum, & Clem. Alex. l. 1. Strom. ubi ait: *Pythagoras etiam multa ex noſtris tranſtulit in ſuorum dogmatum traditionem*. Neque mirum, quum plura ei cum populo Dei communia fuerint; præcipue quando in urbe Sidone cum Carmelitis, Eliæ, & Eliſæi diſciplinam profeſſis, verſatus eſt. Godefridus Wendelinus in epiſt. ad Erycium Puteanum diſſertatione de Pythagoræ Tetracty, edita an. 1637. docet, ſignari ab eo nomen Dei [illegible]; atque hoc à Judæis, & quidem propheta Daniele, Magorum principe hauſiſſe, qui tum fuerit ſeptuagenarius. Sane ex Clem. Alex. conſtat, fuiſſe circumciſum ut dictum ſupra: ſive id factum ſit, cum adoleſcens ageret Babylone, ſive cum in urbe Biblo, vel Sidone verſaretur cum Carmelitis. Imo & nonnulli veterum putarunt, Ezechielem fuiſſe Pythagoram; quod falſum aſſerit Clem. Alex. 1. Strom. Sic itaque omnibus ſive Græcorum, ſive Barbarorum myſteriis initiatus fuit. Jure igitur Clem. l. c. ait: *Semper Platonem magnifacere Barbaros, ut qui meminiſſet, ſe & Pythagoram plurima, eaque præſtantiſſima, & nobiliſſima dogmata didiciſſe apud Barbaros*. Alexander etiam apud Clem. Alex. l. c. addit, eum Galatas, & Brachmanum Gymnoſophiſtas adiiſſe.

Ex longa autem hac, & totius fere Orbis peregrinatione anno ætatis 56. in patriam ſuam Samum reverſus eſt, ibique rerum publicarum regimen à conciviбus ſibi oblatum non recuſavit. In eadem Urbe ſcholam erexit, Pythagoræ Hemicyclium poſtea dictam, ubi Samii de publica re conſilia collaturi conveniebant. Extra Urbem vero, Minoëm Jovis filium imitatus, antrum ſibi, Philoſophicis, & Mathematicis contemplationibus aptum, paravit, ubi maximam diei, noctiſque partem tranſigebat. Facta hinc celebri per univerſam Græciam ejus fama, undique ad ipſum diſcipuli ad Philoſophiam capeſſendam confluebant. Sed cum & Reipublicæ regimini, & Philoſophiæ ſtudiis vacare ſimul difficile conſiderans, Urbis adminiſtrationem declinare ſtatuiſſet; Samiorum etiam in literarum ſtudiis ſocordiam aſpernatus, in Italiam profectus eſt Olymp. 62. ex Jambl. Romæ regnante Servio Tullio, ut teſtatur Liv. l. 1. ſive paucos poſt annos, ut ex multis ſcriptoribus deducit Stanl.

Prima

Prima Italiæ urbs, ad quam magnus hic Philoſophus, plurimarum regionum peregrinatione clarus, appulit, Crotona fuit; ubi ſtatim ejus fama divulgata eſt à piſcatoribus, quibus ipſe numerum piſcium in ſagena, in mari adhuc exiſtente, poſitorum prædixerat; unde ad eum omnium fere civium multitudo convenit, ut tantum virum agnoſcerent. In hac itaque Civitate ſede ſibi electa, quatuor ibi primum orationes habuit, ad Senatores ſcilicet, ad Juvenes, ad Pueros, & ad Mulieres; quibus præter cætera præcepit, ut plus viros ſuos, quàm parentes diligerent, & nulla in re ipſis refragarentur, iiſque ſi ceſſerint, tum ſe viciſſe exiſtimarent. Pretioſis inſuper veſtibus abſtinendum eis ſuaſit, eaſque ut Junoni ſacrarent præcepit, quod & omnes fecerunt, auratas veſtes, ornamentaque laſciviora huic Deæ conſecrantes. Tanta igitur fuit apud Crotoniatas autoritate, ut, ſuæ etiam vitæ ſeveræ ſimul, & integerrimæ exemplo, eos luxuria, multiſque vitiis diffluentes ad frugalem vitam, cultumque revocaverit. Crotoniatas, Metapontinos, vicinoſque populos Philoſophiam docuit. Crotonam, Sybarin, Catanam, Rhegium, Himeram, Agrigentum, Tauromenium, aliaſque civitates in ſervitutem redactas, per diſcipulos ſuos, quos è ſingulis civitatibus habebat, in libertatem aſſeruit, diſcipulorum animum ad libertatem ſemper accendendo, factioneſque funditus evellendo. Ipſis liberis jam factis leges dedit, quibus ad multas ætates bene viventes vicinis populis æmulationi diu fuere.

Schola in Crotonæ civitate inſtituta, magnus ad eum diſcipulorum concurſus factus eſt, quos prima oratione in ea urbe habita ad ſexcentos, & Nicomachus ad duo millia ſibi conciliaſſe, fatetur; quos ex facta vitæ, bonorumque communione Cœnobitas appellant ejus vitæ ſcriptores. Et quidem ut omnes eodem vitæ inſtituto viverent, & ne domo amplius abeſſent, in unum collatis omnium opibus, ampliſſimum ſibi Κοινόβιον, Cœnobium ædificarunt, ad quod omnes, feminæ etiam, puerique admittebantur. Hoc autem idem iis fuiſſe, ac nobis Eccleſia eſt, interpretatur Clem. Al. Strom. 1. Societatem hanc Laërt. Syſtema vocat, Caſſiodorus Collegium, Agellus vero Conſortium. Huic autem Cœnobio regendo, boniſque diſpenſandis, diſcipulorum quoſdam deſtinabat, ab officio Politicos, & Œconomicos appellatos. Civitates etiam condebant, omnemque eam Italiæ partem incolebant, quæ Magna Græcia dicta eſt; & in ipſis ex divinis Pythagoræ legibus, & inſtitutis viventes, ſumma omnium concordia habitantes, à vicinis populis laudati, pro divinis habebantur.

Non æque tamen omnes ad eadem ſtudia, eamdemque vitæ rationem admittebat, ſed ſingulis pro indolis, & ingenii aptitudine diverſa ſtudia, diverſumque vitæ inſtitutum ſtatuebat. Iis itaque, qui Ἀκουστικοί, ſive Ἀκουσματικοί dicebantur, qui ſcilicet vel ingenio minus valerent, vel Reip. negociis impediti, ſe totos Pythagoræ ſtudiis dare non poſſent, τὸ ὅτι, ſive *id, quod eſt*, nudis præceptis tradebatur; aliis vero, qui Μαθηματικοί vocabantur, τὸ διότι, *id, propter quod*, ſive cur aliquid ſic, & non aliter ſe haberet, tradebatur, ut habetur apud cit. Clem. Alex. 5. Strom. Sic iis, qui ad *Syſtema* pertinebant, & Pythagoreorum nomine vocabantur, bonorum omnium communionem indixit; & per omnem vitam ſic vivere voluit; cæteris vero præcepit, ut ſuas quiſque opes ſeorſim poſſideret, ſed ſtudiorum tantum gratia in unum convenirent. Anonymus Pythagoræ vitæ ſcriptor apud Photium tres Pythagoram ſequentium ſpecies memorat: Πυθαγορικῶν, qui cum ipſo Pythagora fuerant verſati; Πυθαγορείων, qui iſtorum diſcipuli erant, & Πυθαγοριστῶν, qui licet non in ſchola eorum fuiſſent, magni tamen Pythagoram facerent. Vid. etiam Suid. v. Πυθ.

Sed ut ea, quæ ad Pythagoræ diſcipulos, eorumque inſtitutionis modum, ſpectant, breviter attingamus, ſciendum primo eſt, ejus diſcipulos in duo

genera

genera diviſos eſſe, in *Exotericos*, & *Eſotericos*. Exoterici dicebantur, qui explorantis adhuc ſubeſſent tentaminibus, quæ ſi prout decebat ſuſtinuiſſent, inter *Eſotericos* recipiebantur. Eos inſuper in ſuos non admittebat, niſi prius vultum, mores, indolem, & ſimilia ſcrutaretur. Nec ſatis Pythagoræ videbatur τὸ φυσιογνωμονεῖν ad diſcipulos deligendos, ſed eos ante ad purgandam mentem toto quadriennio variis afflictionibus, ferro quoque, & igne peragendis, probabat. Quos autem poſt hoc examen probaverat, eos triennio contemtui haberi jubebat, ut eorum ad gloriæ, honoriſque contemtum conſtantiam exploraret. Sine mercede ſemper docuit, diſcipuliſque docere præcepit.

Quod tamen Pythagoras omnium primo diſcipulos ſuos docebat, Silentium erat, quod ut difficillimum, ita & maxime neceſſarium eſt. Idem etiam ſentire videtur Cato in diſtichis, cum ait:

Proximus ille Deo eſt, qui ſcit ratione tacere.

Hoc autem Silentium duplicis erat generis; alterum certo tempore definitum; alterum perpetuum. Primum Ἐχεμυθία dicebatur, & minimum ad biennium, ſummum ad quinquennium erat. Nam *Jubebat certum tempus tacere; non omnes idem, ſed aliud aliis tempus, pro æſtimato captu ſolertiæ, ſed non minus quiſquam tacuit, quam biennium*, ut notat Gell. l. 1. c. 9. Ἐχέμυθος autem dicebatur quaſi ἔχων ἐν ἑαυτῷ τὸν μῦθον σιωπῇ, ut ait Heſych. & Suid. in ἐχεμυθεῖ; hoc eſt, *continens in ſeipſo ſermonem ſilentio*. Hoc ſilentium imitatus etiam videtur Baſilides Hæreticus, qui Πενταετῆ σιωπὴν, *Quinquennale Silentium* à diſcipulis exigebat, ut habet Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 4. c. 7. Secundum ſilentium, quod Perpetuum erat, Παντελὲς, hoc eſt, *Omnimodum* dicebatur, quo Pythagoricis de iis, quæ ex Pythagora didicerant, inter ſe quidem loqui fas erat, cum extraneis vero, & profanis, hoc eſt, cum non Pythagoricis nefas. Quò reſpexiſſe videtur Cic. l. 1. de Nat. D. dicens: *Nec tu me celas, ut Pythagoras ſolebat alienos*. Cujus ſilentii finem hunc voluit Clem. Alex. 6. Strom. ut ſcilicet melius ad meditationes incumberent diſcipuli. Sic enim ibi: *Hoc ſibi vult etiam Pythagoræ quinque annorum ſilentium, quod præcipit diſcipulis, ut ſcilicet averſi à rebus ſenſibilibus, nuda mente Deum contemplarentur*.

Somni item, cibique abſtinentiam ipſis præcipiebat, ut mens facilius difficilioribus Philoſophiæ ſtudiis vacare poſſet. Si qui igitur vitæ probitate, abſtinentia, laborum tolerantia, & quinquennali ſilentio probati eſſent, in Eſotericos, ut diximus, admittebantur, & Pythagoram intueri, ipſumque intra velum audire permittebatur; Exoterici enim nec magiſtri faciem videre, nec ipſum intra velum audire poterant, ſed extra velum ſubſidentes, docentem ipſum audiebant. Si vero diſcipulorum aliquis rejiciebatur, is opum, quas contulerat, recipiebat duplum; ſed ei tanquam vita functo monumentum à condiſcipulis extruebatur.

Statas diei horas ſtudiis, vel corporis exercitationi addictas habebant. Examen, quum lecto conſurgerent, inſtituebant tum eorum, quæ præterita luce didicerant, ut perfecte memoriæ mandarent; tum eorum, quæ in die ordinatim agere deberent. Secundum ſibi Examen præceptum erat, Veſpertinum ſcilicet, antequam dormitum irent, quo peracta in die, & peragenda conſiderabant, & attentius perpendebant. In hoc examine Veſpertino hos verſus recitandos juſſit:

Nec feſſa in dulcem declines lumina ſomnum,
Quin ter cuncta prius repetiveris acta diei;
Quæ prætergreſſus? quid geſſi in tempore? quid non?

Matutini vero Examinis canones his verſibus recitandis continebantur:

E ſomno verò evigilans, quum ſtrata relinquis,

 Diſpo-

Diſponas animo luce expedienda futura.

His de Pythagoræ Vita, & docendi ratione notatis; videndum nunc quæ fuerit

DOCTRINA PYTHAGORÆ.

OMnis Pythagoræ doctrina in Matheſim, & Philoſophiam dividebatur. Μάθησις Græcis, Latinis *Diſciplina* ea dicitur, quæ non extrinſecus ab objectis extra poſitis, per ſenſuum organa in animam agentibus, menti advenit, ſed ab iis, quæ nobis apparent, excitatur, atque intus perficitur à cogitatione in ſeipſam converſa. Hujus duæ ſunt partes, altera ſcilicet, quæ *Multitudinem*, altera, quæ *Magnitudinem* conſiderat. Quæ *Multitudinem* contemplatur, ſubdividitur in eam, quæ *Multitudinem* ſpectat in ſeipſa conſideratam, & dicitur *Arithmetica*, ſive *Scientia Numerorum*; & in eam, quæ ſpectat *Multitudinem* conſideratam in alio, & dicitur *Muſica*. Sic pariter Matheſis, quæ *Magnitudinem* contemplatur, vel ipſam conſiderat, ut quieſcit, & *Geometria* dicitur; vel ut movetur, & dicitur *Sphærica* ſcientia. Quatuor igitur ex Pythagora Matheſeos partes ſunt, Arithmetica, Muſica, Geometria, & Sphærica; quas ipſe primus Μαθήματα nomine appellavit, ut refert Proclus in Euclid. l. 1. p. 13. Has autem omnes Mathematicas diſciplinas Philoſophiæ ſtudiis præmittendas duxit; iiſque veluti præexercitationibus neceſſariis ad Philoſophiam utebatur. Atque hinc factum, quòd Juſtinus Martyr à Pythagorico quodam, alti in ſapientia ſupercilii viro, in diſcipulum admitti non potuit, quòd Mathematicarum diſciplinarum ignarus eſſet, ut ipſe de ſe teſtatur in Dial. cùm Tryph. p. 219.

Arithmeticis potiſſimum Pythagoram ſeſe addixiſſe affirmat Timæus. Stobæus, eam omnibus aliis ſcientiis prætuliſſe, dicit, atque à mercatorum uſu abductam in luce, & claritate collocaſſe. Iſidorus in Chron. aliique ipſum Arithmeticæ inventorem dicunt, Numerique diſciplinam apud Græcos primum Pythagoram conſcripſiſſe, deinde à Nicomacho diffuſius compoſitam. Et magno quidem ſtudio circa numeros verſabatur, quòd ſummum hominis bonum in exactiſſima numerorum ſcientia poſitum exiſtimaret.

Numerorum genera duo ſtatuit, *Intellectualem* ſcilicet, ſive *Immaterialem* numerum, & *Scientificum*. Intellectualis numerus eſt ſubſtantia æterna numeri, quam Pythagoras in ſermone de Diis principium eſſe dixit providentiſſimum Univerſi, cœli, atque Terræ, & intermediæ naturæ. Præterea radix eſt divinorum, & Deorum, & Dæmonum. Hoc eſt, quod principium vocat, fontem, & radicem omnium, atque definit, quòd ſit id, quod ante omnia exiſtit in mente divina, à quo, & ex quo omnia digeruntur ordine, atque indiſſolubili ſerie numerata manent. Vid. Meurſ. Denar. cap. 1. Nicomach. Arith. c. 1.

Scientificus numerus eſt Progreſſio numeri à monade incipiens, regreſſio in eandem deſinens. Scientificus numerus dividitur in Infinitum, ſeu Æqualem, & in Finitum, ſive Inæqualem. Inæqualis, ſeu Imparis numeri ſecretum à Pythagora inventum dicitur Macrobio Saturn. 1. 13. & in Somn. Scip. 1. 6. maſculæ eſſe virtutis traditur. Serv. ad Ecl. Virg. 5. v. 65. Diis cœleſtibus proprium dixit, nam

- - - - *Numero Deus impare gaudet.*

Vocatur etiam hic numerus plenus, & perfectus; unde & Diis nonniſi hoc numero ſacra fiebant. Contra vero Æqualis indigens dicitur, & imperfectus, & femineus, & Inferis proprius, quibus ſemper æqualia offerebantur.

Præter

Præter has numerorum diſtinctiones, Symbolicos etiam numeros agnovit Pythagoras, quorum ſingulis diverſas res tribuebat. Sic Monadi, ex. gr. ſive Unitati tribuebat Deum, Mentem, Bonum, &c. Dyadi, ſeu Binario Genium, Tenebras, Dianam, Malum, &c. aſſignabat; & ſic de reliquis. Vid. Meurſ. Denar. Theologum. Arithm. Nicomach. apud Phot. Alexander Aphrodiſ; Theon Smyrn. Mathem. Plat. atque alii.

Divinationem etiam per Numeros Pythagoram inſtituiſſe fatentur Jamblichus, & Porphyrius ejus vitæ ſcriptores; qui addunt, in hac eruditum ab ipſo etiam fuiſſe Abaridem Hyperboreum Sacerdotem, qui per victimarum extiſpicia divinationem prius inſtituebat. Atque hinc factum, ut quidam ſub Pythagoræ nomine obtrudere hominibus auſi ſint Onomaſticem quandam Arithmeticam, qua certis quibuſdam numeris, literis Alphabeti, Planetis, diebus, hebdomadibus, & Zodiaci ſignis aſſignatis, varias quæſtiones, natales, victorias, vitam, mortem, proſpera, & adverſa &c. divinabant. *Rotam* etiam quandam ad divinandum à Pythagora inventam memorant Robertus à Fluctibus, & Apollonius. Sed hoc recentiorum inventum eſſe optime notat Trithemius, atque alii.

Secundam Numerorum ſcientiam, quum ſcilicet in alio Numeri ſpectantur, Muſicam Pythagoram vocaſſe, diximus, quam ipſe etiam maxime coluit. Et primam quidem Muſicam in Planetis poſuit, unicuique ipſorum proprium tonum aſſignans; itaut omnes cum fixarum Sphæra perfectam efficiant harmoniam. Diatonicam, Chromaticam, & Harmonicam, omneſque Muſicas Inſtitutiones ipſum inveniſſe, ſicut & Monochordum, cit. ejus vitæ ſcriptores, Nicomach. in Harmonic. Manual. atque alii teſtantur. Notandum hic, Pythagoram Medicinam per Muſicam etiam excogitaſſe; qua ſæpe, verno potiſſimum tempore, pro purgatione utebatur, ratus, Muſicam plurimum ad ſanitatem conferre, ſi legitimo modo adhibeatur. Ad hunc finem varii rhythmi verſus componebat, alios quidem ad iram ſedandam, alios ad cupiditates compeſcendas, omnes denique variis animi affectibus, vel morbis accommodatos, quibus ipſum irrationales animæ motus ſanaſſe, in juvenibus potiſſimum, teſtantur Ammon. & Cic. Pythagoram, ejuſque diſcipulos ad mentes componendas mane, dum ſomno ſurgerent, & veſperi, dum lectum irent, Muſica uſos fuiſſe referunt Quintil. Plut. & Cenſorin. Hanc igitur Pythagoras utiliſſimam humanæ vitæ, morumque correctionem per Muſicam inſtituit. Semper tamen ad Lyram canebat, ut conſtat ex Ariſtide l. 2. de Muſ. diſcipuliſque præcepit, ne unquam inſtrumentis, quæ flatu inſlantur, uterentur.

Geometriam, quam illam Matheſeos partem diximus, quæ Magnitudinem, quatenus quieſcit, ſpectat, ab Ægyptiis, & Chaldæis acceptam Pythagoras primus in Scientiæ formam redegit, ut teſtatur Proclus, & Timæus, qui ipſum hanc ſcientiam primum perfeciſſe affirmat. Et Ariſtoxenus addit, primum ipſum menſuras, & pondera Græcis tradidiſſe. Pythagoras Punctum Unitati, Lineam Binario, Superficiem Ternario, Corpus Quaternario, proportione reſpondere dixit. Plures ejus extant de Triangularibus, & Quadrangularibus figuris Propoſitiones, quas apud Pythagoricos videre eſt. Illud tantùm adnotabo, quod habent Laërt. Vitruv. & alii, Pythagoram ſcilicet Diis, ſive Muſis, ut aliis placet, hecatomben ſacrificaſſe, eoquod inveniſſet celebre illud Theorema, quo probavit, trianguli ὀρθογωνίου, Rectanguli latus recto angulo ſubjectum tantundem valere, quantum valent latera, quæ illum continent; ac proinde quadratum, quod lateri rectum angulum ſubtendenti imponitur, æquale eſſe duobus quadratis, quæ lateribus rectum angulum continentibus imponuntur. Quod ſequentibus verſibus probatur:

Pythagoras quondam Dîs fecit nobile ſacrum,
Inventa eſt illi linea quod celebris.

Ultimam tandem Matheſeos partem, quæ Magnitudinem, ut movetur, conſiderat, Aſtronomiam ſcilicet Pythagoras maxime etiam excoluit. Sphærarum ſyſtema ſic ſtatuit. Prima, & inerrabilis Sphæra, quæ &. Firmamentum dicitur, fixarum eſt, extimam mundi ſuperficiem occupans. Secunda Saturni, tertia Jovis, quarta Martis, quinta Veneris, ſexta Mercurii, ſeptima Solis, octava Lunæ, nona Ignis, decima Aëris, undecima Aquæ, duodecima tandem Terræ noſtræ. Sic ex Anonymo Pythagoræ Vitæ ſcriptore apud Photium. Alii tamen decem tantum Sphæras ipſum ſtatuiſſe ſcribunt, quarum ultimam ponunt Antichthona, hoc eſt, terræ partem noſtræ oppoſitam. Illud tamen hic adnotare placuit, Pythagoram primum in mundi medio Solem immotum ſtatuiſſe; in extima vero ejus ſuperficie immobilem item Fixarum Sphæram: inter Solis, & fixarum Sphæras medios Planetas, & Terram, quippe, quæ planeta ſit, diſcurrere. Terræ etiam Pythagorici duplicem tribuere motum, unum diurnum circa proprium axem, alterum annuum circa Solem. Quam ſententiam primus Philolaus, ex Laërt. 8. 85. literis conſignavit, & publicam fecit; & ex eodem Pythagoræ fonte Ariſtarchus Samius hanc doctrinam derivavit, cujus autor à nonnullis creditus eſt. Tandem Nicolaus Copernicus ultimus omnium ipſam renovavit, ac clárius explicavit per Eccentricos, & Epicyclos, ſicut & Pythagoras fecerat, phænomena planetarum.

Sphærarum item Harmoniam explicabat per ſtellarum motum εὐρυθμον, & ipſarum intervalla muſicis diaſtematis congrua, ex quibus pro vario ipſarum tono ſonitum varium, & harmonicum reddant, pro ſua quæque altitudine; quæ melodia nobis quidem non auditur propter vocis magnitudinem, quam capere aurium noſtrarum anguſtiæ non poſſunt. Hinc Athen. 14. Dipnoſoph. ex Pythagora ait, Mundum conſtare vi muſica; quare ex Diis Apollinem, ex Semideis Orpheum omnium maxime muſicos credidit, & doctos. Et Cic. 3. de Nat. D. ait: *Aut ad harmoniam canere Mundum, ut Pythagoras exiſtimavit.*

Sed eam breviter examinemus Pythagoricæ Doctrinæ partem, Philoſophiam ſcilicet, ad quam nonniſi his Matheſeos ſcientiis prius ornati Pythagorici non procedebant, ut melius poſſent & mundi opera, & principia naturæ perſpicere. Philoſophiæ nominis inventum, & definitiones ex Pythagora traditas hic prætereo; de ipſis enim in principio hujus Operis actum eſt.

Philoſophiam Pythagoras in *Practicam*, & *Theoreticam* diviſit; quarum prima mores, & res civiles reſpicit; ſecunda naturæ arcana contemplatur. Practicæ Philoſophiæ inventum Pythagoræ tribuitur ab Ariſtotele Magn. Moral. l. 1. c. 2. Quòd vero Socrati vulgo tribuatur, cauſſam addit idem Ariſtoteles, quòd ſcilicet Socrates, poſt Pythagoram vivens, melius, pleniuſque id argumentum tractaverit. Practica Philoſophia adhuc dividitur in *Pædeuticam*, quæ agit de virtutibus privatis, ad nos ſpectantibus; & in *Politicam*, quæ virtutes publico uſui inſervientes, & ad alios ſpectantes, docet. Sic etiam apud Laërtium legimus, eum tres tractatus ſcripſiſſe, *Pædeuticum*, *Politicum*, & *Phyſicum*. Pædeuticas virtutes ad hæc capita, ut ex Jamblicho, redegit; *Inſtitutio, Silentium, Abſtinentia à carnibus, Fortitudo, Temperantia, Sagacitas:* in quibus præclara quidem moralia dogmata tradit, docetque quomodo cuique bene vivendum ſit. Vide Stob. alioſque.

Politicen, ex eodem Jambl. ad hæc capita redegit: *Communis Converſatio, Amicitia, Cultus Deorum, Pietas in mortuos, & Legumlatio*. Quibus omnibus docet, quales nos in Deos, parentes, amicos, reliquoſque vivos æque ac mortuos eſſe debeamus. Inter cætera hac in re præclara dogmata illud ve-

re

re dignum, quod memoretur; non patiebatur ſcilicet quemquam pro ſe orare, quòd ignoret quid ſibi expediat. Hanc Philoſophiæ partem ſic optime tractavit, ut ejus inventor multis audiat.

In prima Theoreticæ Philoſophiæ parte, quæ *Metaphyſica* eſt, de rebus *Intelligibilibus* agit. Summum Deum ſolum ſapientem dicebat, primum Ens, nec ſenſui, nec paſſioni obnoxium, inviſibilem, intelligibilem, omnium opificem, principium omnium, unum, parentem omnium, cœli lumen, mentem, & animationem univerſorum, & circulorum omnium motionem. Deum Pythagoras definit, ut refert Lactant. Inſtit. 1. 5. quòd ſit *Animus per univerſas mundi partes, omnemque naturam commeans, atque diffuſus, ex quo omnia, quæ naſcuntur, animalia vitam capiunt*. Et omnes quidem Pythagorici cum Pythagora optime de Deo ſentiunt; utpote qui, referente Clem. Alex. in Protrept. dicant, Deum quidem unum eſſe, non ita tamen, ut quidam opinantur, quaſi ſit extra Mundi adminiſtrationem, ſed eſt totus in ipſa, in toto circulo, ſpeculator totius generationis, univerſorum contemperatio, qui ſemper eſt, & ſuas facultates deducit ad operationes, omnium operum in Cœlo illuſtrator, pater omnium, mens, & animatio totius circuli, omnium motus &c. Metaphyſices hæc ſunt capita: *De Summo Deo*; *de Diis*, *Dæmonibus*, *& Heroibus*; *de Fato*, *& Fortuna*; &, *de Divinatione*. Mundi partes ſupra lunam poſitas ſola Dei Providentia gubernari docuit; quæ vero infra lunam, quatuor regi cauſſis, *Deo*, *Fato*, *noſtro Conſilio*, *Fortuna*. Omne Divinationis genus probavit, & exercuit, eo excepto, quod animantium cruore peragitur. Animam dixit eſſe ætheris avulſionem; Semen vero cerebri ſtillam, quæ calidum vaporem in ſe contineat.

Phyſices, ſive naturalium rerum ſcientiæ capita ex Pyth. hæc tradit Jamblichus in Vit. c.6. *de Mundo*, *de rebus Mundanis*, *de Cœlo*, *de Terra*, *& de rebus in medio poſitis*. Pythagorici in Mundi meditullio Ignem ſtatuebant: quod & Numa Pompilius ſenſit, teſte Plutarcho in Vita. Naturalium rerum Principia, ut refert Alexander in Succeſſionibus ex commentariis Pythagoricis, hæc ſtatuit. Principium, cauſſa, & auctor omnium Unitas eſt: ex Unitate infinita extitit Dualitas, quæ veluti Materia auctori Unitati ſubjecta eſt: Ex Unitate, & indeterminata Dualitate numeri exiſtunt: Ex numeris puncta: Ex punctis lineæ: Ex lineis planæ figuræ, ſive ſuperficies: Ex ſuperficiebus ſolidæ figuræ: Ex his denique ſolida corpora, quorum quatuor Elementa ſunt, Aër, Terra, Aqua, & Ignis, quæ per omnia ſe mutant, & variant; ex quibus variatis, & tranſmutatis Mundus fit Animatus, Intelligibilis, Rotundus, & mediam Terram continens, quæ & ipſa rotunda, & circumhabitata eſt; itaut & Antipodes dentur, nobis obverſa veſtigia prementes; & ipſi Mundo æquis partibus Lux, & Tenebræ, Calidum, & Frigus, Siccum, & Humidum inſint. Mundum hunc, ſive rerum omnium creatarum complexum, primus Pythagoras Κόσμον ab ordine, & pulcritudine dixit, à Deo non tempore, ſed cogitatione ortum, ex ſui natura, quia corporeus eſt, interiturum: ſed Dei providentia ſervatum, ac proinde nunquam interiturum: cujus Dextra Oriens, quia ab ipſo motus incipit, Siniſtra Occidens dicitur. Extra Mundum Inane infinitum ponunt Pythagorici, ex quo, & in quo Mundus reſpiret. De Anima Mundi, & Natura legendus eſt Timæus Locrus, in quo tractatu omnis Pythagoricæ Phyſices doctrina continetur. Pythagoricus enim ipſe fuit; atque idem eſſe dicitur à Suida, qui Pythagoræ vitam ſcripſit. Hujus Timæi Locrenſis nomine Plato divinum illud opus inſcripſit, in quo de rerum Creatione diſſeruit, quod Cicero poſtea Latinum fecit, & de Univerſitate inſcripſit.

Pythagoræ illud præcipuum, ac plane ſingulare dogma fuit, ut in principio hujus

jus

Digitized by Google

jus capitis quoque innuimus, quòd Animæ ex ſua quidem natura immortales, ante corpora genitæ, & numero innumerabiles, ſi peccatum aliquod commiſerint, detruderentur in corpora, ut ſic purgatæ ad loca ſua reverterentur: eæ vero, quæ humano corpore incluſæ improbam vitam degerent, in brutorum animalium corpora immitterentur ad pœnas pro vitiorum ratione luendas. Sic iracundæ, & malitioſæ animæ in ſerpentes, rapaces in lupos, & ſic de ſingulis, migrarent; ut ex Theodorito, Platone, Plotino, aliiſque habemus. Hinc animata omnia nobis cognata exiſtimabat; eademque ratione ab animalium carne, & ſalſis abſtineri jubebat. Unde & *Faba cognata Pythagoræ* dicitur Horatio 2. Sat. 6. Hunc autem animarum Tranſmigrationis circuitum poſt trium millium annorum ambitum perfici putarunt Ægyptii, à quibus ipſe hanc doctrinam acceperat. Quam doctrinam variis ipſe narrationibus confirmabat, referens, ſe meminiſse, ſeſe olim fuiſſe Euphorbum, poſtea Pyrandrum, deinde Callicleam, inde Alcen feminam pulcra facie meretricem, ut eſt apud Agell. 4. 11. Hanc ipſam Tranſmigrationis ſententiam pulcre nimis expreſſit Ovid. Metam. 15. v. 153. & ſeq.

Medicinam quoque Pythagoram exercuiſſe ex Laërt. Apul. Ælian. aliiſque habemus, præcipue Diæteticam, amicoſque ægrotos ſæpius viſitaſſe, & curaſſe Medicina non minus Diætetica, quàm Therapeutica, carminibus, & incantationibus, ut ſupra quoque diximus. Horum carminum meminit quoque Plin. l. 28. c. 4.

Omnis Pythagoræ doctrina vel Ἀκουσματικὰ erat, quæ aperta magis, & facilis, vel Συμβολικὰ, quæ obſcura, & myſtica. De prima hucuſque actum eſt; supereſt, ut de ſecunda pauca hic adnotemus. Symbolico dicendi genere comprehendebantur brevia illa, atque ænigmatica dicta moralia, ut: *Ne cor edas*, hoc eſt: *Ne te curis conficias*: *Stateram ne tranſili*, hoc eſt: *Ne juſtitiam violes*, vel *Ne avaritia pecces*. *Ignem gladio ne fodias*, hoc eſt: *Iratum ne maledictis laceſſas*. *Hirundinem ſub tecto ne recipias*, hoc eſt, *Garrulum ne admittas*, & ſimilia, quæ collegerunt Laërt. Jamblich. & Porphyr. ejus vitæ ſcriptores, & Deſid. Eraſm. inter recentiores initio Chiliadum, & omnium accuratiſſime Lilius Gyraldus libello de iis peculiari. Omnia tamen moralia hæc præcepta in uno illo Aureo quidem Carmine, quod Pythagoræ, vel Pythagoricis tribuitur, continentur, quod incipit:

Primum immortales Divos pro lege colunto &c.

Quod hîc, quia vulgatiſſimum, tranſcribere ſuperſedeo. Cujus quidem carminis, quod Pythagoræ vulgo adſcribitur, Lyſidem Pythagoricum Tarentinum Laërtius autorem facit; qui & Epaminondæ præceptor fuit. Clariſſ. vero Fabric. Bibl. 2. p. 461. Empedoclem autorem putat, alii allos. Probabilius tamen eſt, hos verſus varia occaſione à variis ſigillatim concinnatos fuiſse, deinde ab aliquo in unum corpus utcumque collectos, ut notat doctiſs. Joh. Cler. qui hoc opus ῥαψῳδίαν eſse variorum Pythagoreorum veroſimile putat.

Celebris inter autores quæſtio eſt, an Pythagoras aliquid ſcripſerit, necne. Plutarchus, Joſephus, Lucianus, Porphyrius, atque alii, putant, eum nihil prorſus ſcriptum reliquiſse; quos ſequitur Divus Auguſt. qui l. 1. de Conſenſu Evangeliſtarum c. 7. ait: *Pythagoras, quo in illa contemplativa virtute nihil tunc habebat Græcia clarius, non tantum de ſe, ſed nec de ulla re aliquid ſcripſiſſe perhibetur*. Et Joh. Ludov. Vives de Cauſſis Corrupt. Art. l. 1. cauſsam ex aliis tradit, cur Pythagoras (quod & de Druidis quoque traditur) non ſcriberet, quòd diceret; *Nolle ſe ſcribendis ſenſibus animi ſui diſcipulos deſidiæ aſſuefacere*. Verum Laërt. ex Heracliti Phyſici teſtimonio, qui de Pythagoræ ſcriptis quædam adducit, eos falli dicit, qui aſserunt, eum nihil ſcri-

ſcripſiſse. Hinc affirmat, ipſum tria volumina reliquiſse, Παιδευτικὸν, ſive de Inſtitutione, Πολιτικὸν, ſive de re Civica, & Φυσικὸν, ſive de Natura. Præter quæ & alia quoque eum ſcripſiſse Heraclides Serapionis filius in Sotionis Epitome refert. Quæ autem ejus diſcipuli ſcripſerint, videre eſt apud Voſſium de Sect. Philoſophorum c.6. §.12. Extat præcipue Didymi liber de Pythag. Philoſophia, & Alexandri alter de Symbolis Pythagoricis. Laërtius etiam poſt opus de Vitis Philoſ. Pythagorica dogmata collegit ex Hippodamo Thurio, Euryphemo, Hipparcho, Archyta, Theage, Metopo, Clinio, Critone, & Polo, Pythagoricis, quem vide.

Porphyrius, & ex eo Jamblichus in Vita plura referunt miracula Pythagoræ addicta. Alii, inter quos Timon, Magiæ ea tribuunt, Pythagoramque γόητα, *magum* appellant. Hermippus, & Sophoclis Scholiaſtes & alii, hæc prodigia meras impoſturas affirmant; narrantque, Pythagoram in ſubterranea ſpecu diu delituiſſe, matrique interea præcepiſſe, ut quicquid fieret in tabulis ſcriberet, tempuſque adnotaret, ac ſe jam mortuum diceret. Elapſo tempore ex ſpecu ſqualidus, & macie confectus adſcendens, advocata concione, dixit, ſe ex inferis redire; &, ut ſibi fidem faceret, omnia, quæ interea evenerant, recitaſſe, ac quæ apud inferos viderat, narraſſe. Hinc apud Crotoniatas in magna fuit autoritate; qui ipſum divini aliquid habere dicebant, ejuſque dictis auditis ita afficiebantur, ut in lacrymas etiam, & ejulatus prorumperent.

Notandum vero hîc eſt, non ſatis conſtare, Pythagoram ab animalium omnium, & fabarum eſu abſtinuiſſe. Nam Ariſtoxenus Muſicus, Ariſtotelis diſcipulus, quem citat Gell. l.4. c.11. Pythagoram porculis minuſculis, & hædis tenacioribus victitaſſe, refert: quod ex Xenophilo Pythagorico, familiari ſuo, aliiſque natu majoribus, & ex Alexis Comœdia, quæ Pythagoræ Vita inſcribitur, collegiſſe, ait. Imo *nullo ſæpius legumento Pythagoram*, dicit, *uſum, quàm fabis, quoniam is cibus & ſubduceret ſenſim alvum, & levigaret*, ut ex cit. Ariſtoxeno refert Gell. ibidem. Hinc, qui rem diligentius ſcrutati ſunt, putant, Pythagoram, ejuſque ſucceſſorem Empedoclem per fabas ſignificaſſe teſticulos; ita ut à fabis abſtinentia ſymbolice, & ænigmaticè intelligenda ſit; ac propterea non fabarum abſtinentiam, ſed veneris profluvium ab hominibus abducere voluiſſe, credendum eſt. Aliàs enim ridiculus plane eſſet Pythagoras, dum ait, ut præter Lucianum, & Chryſoſtomum teſtatur Clem. Alex. Strom. 3.

Ἴσόν τοι κυάμους τρώγειν, κεφαλάς τε τοκήων.

Par eſt quippe fabam, atque caput corrodere patris.

Et ejus auditor Empedocles, qui, ut eſt apud Gell. ait:

Δειλοί, πάνδειλοι κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθαι.

Ter miſeri, nolite fabas attingere dextris.

Symbolicus igitur, & ænigmaticus in his ſenſus eſt. *Hac ratione*, inquit Alexandrinus loco cit. *myſtice uti fabis prohibent*.

Pythagoræ Uxor Theano Crotoniata fuit, ex plurimorum ſententia, ſive Cretenſis, ut notat Porphyrius, quæ poſt Pythagoræ obitum Scholæ præfuit; deinde Ariſtæo nupſit, qui ei in Scholæ regimine ſucceſſit. Laërtius ipſam quædam ſcripſiſſe refert, ex quibus Suidas allegat *Commentarios Philoſophicos, Apophthegmata, & Poëma Hexametrum*. Stobæo etiam Ecl. Phyſ. l.1. p.27. allegatur Scriptum ejus περὶ Εὐσεβείας, *de Pietate*; Clem. Alex. Str. p.309. *Poëmata* ſcripſiſſe teſtatur. *De Epiſtolis* ejus vide Fabricium Bibl. Græc. l.2. c.10. n.24. Fragmentum denique ejuſdem citat Clem. Alex. Str.4. p.492. Filios habuit Telaugem, Mneſarchum (qui idem eſſe dicitur cum eo, quem Mamercum vocat Plutarchus, & Feſtus; utrumque enim nomen parenti Pythagoræ tribuitur) & Ari-

Arimneſtum, autoritate Duridis Samii, ut notat Porphyr. in Vit. p. 181. qui Democriti præceptor fuit: filias vero Sacram, Myjam, & Arignotem, cujus ſcripta Pythagorica ſuo etiam tempore extitiſſe dicit Porphyr. & Damonem (quam filiam facit Jambl. filium vero Suid.) cui ſcripta ſua Pythagoras credidit, præcipiens ei, ne cuipiam extra familiam traderet, quod & fecit, nam nec etiam magno ære ea vendere unquam voluit: Servos duos habuit, Ariſtæum, & Zamolxidem, quem in cariſſimis habuit.

Mortuus tandem eſt magnus hic Philoſophus a. 4. Olymp. 70. juxta Euſebium, poſtquam Crotone vixit annos 20. juxta Juſtinum. Mortis autem occaſio varie ab autoribus traditur. Ex Laërtio habemus, mortuum eſſe, ne agrum fabis plenum calcaret, quem tranſire neceſſe ſibi erat, ut ab incendio domus Milonis (alii legunt Cylonis) fugeret. Quidam enim Crotoniata, quem ipſe in diſcipulos admittere noluit, domum illam, in qua ipſe cum ſuis erat, incendit: unde ipſe incendium fugiens, ſolus relictus, cum in agrum fabis refertum incideret, conſtitit, inquiens, *Capi præſtare, quàm calcare*: quare à perſequentibus interemtus eſt: eodemque modo diſcipuli ejus circiter 40. periere, paucis fuga ſibi conſulentibus, inter quos Archytas Tarentinus, & Lyſis. Vid. Jambl. Porphyr. aliique. Romani Pythagoræ, & Alcibiadi ſtatuas Romæ poſuerunt, ut notat Plin. l. 34. c. 6. dum ait: *Invenit & Pythagoræ, & Alcibiadi (ſtatuas) in cornibus Comitii poſitas, &c.*

In Scholæ ſucceſſione, ut ex Jambl. c. ult. primus omnium fuit Ariſtæus, ut diximus, Crotoniata, qui Pythagoræ contemporaneus, ſeptem ante Platonem generationibus vixit, Theanonem uxorem duxit, ac Pythagoræ filios educavit. Huic ſucceſſit Mneſarchus Pythagoræ filius: Mneſarcho Bulagoras; cujus ætate Crotona direpta eſt: Bulagoræ Tydas Crotoniata. Variis tandem in locis ejus diſcipuli docuerunt. Videatur Jambl. loc. cit. Locupletiorem vero Pythagoricorum, & Pythagoricarum Catalogum lege apud Fabrit. Bibl. Gr. l. 2.

EMPEDOCLES

Inter Pythagoricos non poſtremus, Agrigenti, Sicularùm Civitatum poſt Syracuſas nobiliſſima, natus eſt ex patre, ut notat Laërt. Metone, ſive Archinomo, ut ait Telauges Pythagoræ filius in Ep. ad Philolaum. Præceptores habuit, præter Pythagoram, Parmenidem, & Anaxagoram, ut teſtatur Alcidamas in Phyſico. Magna inter Agrigentinos autoritate vixit, & faſtu. Vir gravis ſemper extitit: prolixa ei barba, ac ſervi pediſſequi. Imperandi faſtum adeo ſprevit, teſte Ariſtotele, ut oblatum ſibi regnum conſtanter renuerit.

Vaticiniis, Medicina, & portentis clarus, horum plurima præſtitit, ut teſtantur Timæus, Laërtius, Suidas, & Jamblichus in Vitâ, Plutarchus lib. de Curioſ. & Clem. Alex. 5. Strom. Sunt, qui per Goëticam Magiam id feciſſe dicunt; & Satyrus in ejus vita refert, Gorgiam Leontinum, Empedoclis diſcipulum, faſſum eſſe, eum, ſe præſente, Goëtiam exercuiſſe, ac publice hanc artem profeſſum, ut ex his ſuis verſ.

Pharmaca, queis pellas morbos, tollaſque ſenectam,
Percipies, quæ cuncta tibi communico ſoli,
Compeſceſque truces ventorum rite procellas, &c.

Unum referam, quod habet Timæus, aliique; ipſum ſcilicet feciſſe, ut graves venti, qui morbos incolis, ſterilitatem uxoribus, corruptionem frugibus, ex Agrigenti monte ſpirantes importabant, omnino ceſſarent; unde ab eventu Κωλυσανέμας, ſive Ἀλεξάνεμος, *ventorum* ſcilicet *propulſator* dictus ſit. Sic & in ejus verſibus legitur:

Παυ-

Παύσεις δ' ἀκαμάτων ἀνέμων μένος, οἵτ' ἐπὶ γαῖαν
Ὀρνύμενοι θνητοῖσι καταφθινύθουσιν ἀρούρας.
Sedabis autem indefeſſorum ventorum furorem, qui in terram
Irruentes, hominibus deperdunt campos.

Dicebat etiam, alios quidem ipſum ſequi, qui opus habebant divinationibus, alios vero, qui gravibus morbis diu vexati fuerant. Mirabilis quoque ejus curatio fertur, qua feminam, quæ ſeptem diebus, ut Plin. H. N. 7. 52. *ἄπνους exanimis*, ſive, ut Gal. 6. de loc. aff. accuratius ex Heraclide vertit, *ſpiritu deſtituta*, nullo venarum pulſu conſpicuo, à cadavere hoc ſolum differebat, quod parum caloris circa medias corporis partes ſentiretur, ita ut inter Medicos, qui aderant, vivane, an mortua eſſet, fuerit controverſum, ſanitati reſtituit.

Empedoclem Oratoriæ inventorem affirmat Ariſtoteles in Sophiſta: in lib. vero de Poëtis ipſum Homeri imitatorem, & in dicendo acutum dicit; ſcripſit enim *De Natura*, Et *Luſtrationes* verſibus ad quinque M. & Medicam diſputationem ad 600. verſus. Tragœdias etiam Empedoclis quadraginta ſe vidiſſe Hieronymus ait, & Neanthes: ipſas vero non hujus, ſed junioris Empedoclis, hujuſque pronepotis, quem Suidas Tragicum facit, fuiſſe cl. Fabr. Bibl. Gr. l. 2. c. 20. aliique evincunt. Sphæram item, aſtronomicum inventum, ſunt qui ipſi tribuunt: ſed eo antiquius eſt.

In Phyſicis aſſerit, quatuor eſſe Elementa, *Terram*, *Aquam*, *Aërem*, & *Ignem*: quibus duo addit Principia, *Amicitiam* ſcilicet, qua copulantur, & *Diſcordiam*, qua diſſident; ſicque

Aſſiduas verſare vices, deſiſtere nuſquam.

Sic enim de his Principiis in ſuis verſibus legitur:

Nonnunquam connectit Amor; ſimul omnia rurſus
Nonnunquam ſejuncta jubet Contentio ferri.

Elementorum vero veluti Elementa, ipſiſque priora, ſtatuit exigua quædam quaſi fragmenta partium ſimilarium, & figuræ rotundæ. Mundum dixit unum eſſe, non tamen univerſum abſolvere, ſed ejus partem eſſe, reliquum vero abſolvi à materia inerti. Mundum item in ignem reverſurum putavit. Sic enim de ipſo Clem. Alex. Strom. 5. *Admitte etiam Empedoclem, qui admodum naturaliter univerſorum meminit inſtaurationis; quod ſcilicet aliquando futura ſit mutatio in ignis eſsentiam*. Hunc autem Mundum Solis ſphæra circumſcribi; partemque ejus dextram eſſe eam, quæ ad tropicum Cancri vergit, ſiniſtram, quæ ad Capricorni, aſſerit. Generationem, & Corruptionem in Mundo fieri negans, omnia ex minimis corporibus coaleſcere ait; hinc concretionibus, & ſeparationibus cuncta abſolvi affirmat, ſicque compoſita non alteratione, & qualitate, ſed quantitate, & coagmentatione exiſtere.

Cœlum ſolidum corpus eſſe, factum ex aëre ignis vi, ut cryſtallus fieri ſolet, conſtipato; ſidera vero igneæ naturæ; fixas ſtellas cœlo firmatas; errantes libere vagari; Solem ingentem maſſam igneam, Lunam mole qui ſuperet, dixit: Lunam diſci formam habere, ac ſpatio duplo majore à Sole, quam à terra diſtare: Mare eſſe terræ à ſole aduſtæ ſudorem: denique Animam omnis generis animalium, plantarumve ſpecies induere, ac principem ejus partem in ſanguinea maſſa reſidere; auditumque ſenſum à vento, auris concavum cochleæ inſtar intortum impellente, peragi, docuit.

Mortuus tandem eſt anno ætatis 77. ex Neanthe, ſive 60. ex Ariſtotele, ſive 109. ut ex aliis: Mortis autem cauſſa varie ab autoribus traditur. Quidam cum Neanthe affirmant, eum Meſſanam celebritatis cujuſdam cauſſa cum curru profectum cecidiſſe, coxamque fregiſſe, ex qua cruris fractione obiit. Alii dicunt, ipſum è vivis, dum in agro dormiret, ſublatum eſſe ab ingenti voce vocatum,

 & cœle-

Digitized by Google

& cœleſti luce oborta, ac tædarum ſplendore circumdatum evolaſſe; unde & ipſi tanquam Deo ſacra facere ſtatuerunt. Mortis cauſſas, & modum vide fuſius apud Laërt. in Vit. atque alios. Clem. quoque Alex. de eo multa habet, ipſiuſque verſus ſæpe citat.

EPICHARMUS

COus, Helothalis filius, Pythagoræ diſcipulus, infans adhuc trimeſtris Megaras Siciliæ delatus eſt, atque inde Syracuſas, ut in ſuis Commentariis teſtatus ipſe eſt. *De Natura*, *de Sententiis*, *& de Medicina* ſcripſit. Mortuus eſt annos natus 90.

ARCHYTAS

TArentinus Pythagoricus nobiliſſimus, & in omni virtutum genere mirabilis, Mneſagoræ, ſive, ut Ariſtoxenus habet, Heſtiæi filius fuit. Hic Platonem à Dionyſio necandum per epiſtolam eripuit; cui binas habet literas, quas videre eſt apud Laërt. in Vita. Tantæ hic virtutis fuit, ut cum cæteri pluſquam annum imperare lege prohiberentur, ipſe ſepties civibus ſuis præfectus fuerit. Naufragio periiſſe colligitur ex Od. 28. l. 1. Horatii, ubi Poëta nautam inducit ea de re cum ipſo expoſtulantem.

Primus traditur mechanicis uſus principiis mechanicam excoluiſſe, cochleas, trochleas, & volantem columbam ex ligno feciſſe; quæ tamen ubi ſemel quieviſſet, ſeipſam iterum elevare non poſſet. Primus Cubum duplicavit, ut teſtatur Plato in Rep. atque alia in Matheſi invenit. Moribus fuit modeſtiſſimus, nec obſcena unquam verba protulit; quæ tamen, ſi ex neceſſitate proferre debebat, muro potius inſcriberet, quàm ore pronunciaret.

Æque difficilem, dicebat, *hominem invenire ſine dolo, ac piſcem ſine ſpina.* Naturam temporis primus definivit, quòd ſit numerus quidam motus, vel etiam ſpatium naturæ totius univerſi. Cato apud Cic. de Sen. c. 12. refert Orationem ejus de Voluptate.

Scripſit quamplurima, quæ citantur à Laërt. Stob. & aliis; potiſſimum vero notandum hic eſt, ipſum Pythagoricas ſententias numeris adſtrinxiſſe, verſuſque hodie ſub Pythagoræ nomine circumferri, ut notat Jambl. in Vit. Pyth. c. 21. atque Aureum Pythagoræ Carmen vocari, de quo ſupra. Huic etiam Athenæus Ὀψαρτυτικὰ tribuit, ſive libros de Arte Coquinaria; quamvis nonnulli tertio hujus nominis eos adſcribant. Vide Stanlejum in Vit. & Jo: Cler. in notis ejuſdem.

ALCMÆON

CRotoniata, Perithi filius, Pythagoræ diſcipulus, plurimum in Medicina verſatus, de Natura diſputans, multas humanarum rerum cauſſas eſſe dixit, animamque immortalem, quæ Solis inſtar perpetuo moveretur; de inviſibilibus vero, & immortalibus rebus manifeſtam quidem ſcientiam habere Deos.

Docuit, planetas contrario fixis motu ab occaſu in ortum moveri; Nos audire per inane, quod intra aurem eſt, quod appellente aëre perſonat, ſicut & reliqua vacua; Sapores verò diſcernere humiditate, & tepore, qui in lingua eſt; Partem animæ principem in cerebro eſſe, quæ odores ſentit, ipſos ſpirando attrahens; Mulos ſteriles eſſe ob ſeminis tenuitatem, ſive frigiditatem, mulas vero, quia matrices earum non hiant; Fœtum in utero ali per totum corpus, ſpon-

ſpongiæ inſtar ad alendum apta recipiens, primumque in utero caput, principem animæ partem formari; Sanitatem conſiſtere in humidi, ſicci, frigidi, calidi, dulcis, amari, ac reliquarum qualitatum perfecta æquabilitate; Contrà vero morborum omnium cauſſam eſſe efficientem quidem mutatam harum qualitatum proportionem, materialem vero ſi humores deficiant, vel redundent. Vid. Plut. Plac. Phil. 2. 4. & 5.

HIPPASUS

MEtapontinus Pythagoricus in mari periiſſe à Jambl. in Vit. Pyth. c. 18. traditur. Laërtius in Vit. aſſerit, rerum omnium principium Ignem ſtatuiſſe, ex quo ſcilicet omnia oriantur, & in quem omnia reſolvantur. Ignis igitur extinctione res omnes gigni, dixit, ejuſque partes craſſiores condenſatione in terram coaleſcere, quæ igne viciſſim ſolutæ in aquam abeant; hanc vero exhalantem in aërem verti. Mundum univerſum ad certum aliquod tempus mutationi obnoxium, finitum, & in continuo motu conſtitutum, conflagratione tandem ſolvendum eſſe, defendit. Scriptum reliquit nihil, ut notat Demetrius.

PHILOLAUS

EX Crotona Pythagoricus, à quo Pythagoricos libros argenti minis Alexandrinis 40. emiſſe Plato ab Hermippo traditur, obiit tyrannidis occupandæ ſuſpectus. Omnia hic ex Harmonia, & Neceſſitate, ut refert Laërt. 8. 84. & Plut. Plac. Phil. 3. 13. fieri dixit; primuſque τὴν γῆν κινεῖσθαι κατὰ κύκλον, *terram moveri per circulum*, aſſeruit. Quam de terræ circa ſolem motu ſententiam Pythagoricos omnes habuiſſe, Plutarchus in Numa tradit; ait enim: *Eos non putaſſe immobilem, ſed eſſe in gyrum circa ignem ſuſpenſam*. Quod inventum alii Hicetæ Syracuſio tribuendum malunt, de quo Cic. Acad. Qu. 4. *Hicetas Syracuſius, ut ait Theophraſtus, Cœlum, Solem, Lunam, Stellas, ſupera denique omnia ſtare cenſet; neque præter Terram rem ullam in mundo moveri*. Id quod & Plato jam ſenex ſenſit, ut Plutarchus ibidem tradit.

Hanc autem antiquorum de Motu Terræ ſententiam primus omnium in Italiam invexit Nicolaus Cuſanus Cardinalis S. Petri ad Vincula l. 2. c. 12. Doct. Ignorant. Deinde 80. poſt annis eam defendit Nicolaus Copernicus in opere, quod Paulo III. Pont. Max. anno 1540. dicavit. Ipſam tandem propugnandam ſuſceperunt Patricius, Galilæus, Foſcarius, Itali fere omnes, aliique. Damnata tamen fuit à Cathol. Eccleſ. anno 1616.

Pythagorica de rerum Natura Philolaum edidiſſe, refert Demetrius. Et Lud. Viv. l. 1. p. 5. ipſum aurei carminis autorem facere videtur, dum ait: *Nec illa aurea, ut vocant, verba legerimus, niſi Philolaus aliquid auſus eſſet contra magiſtri præcepta, condiſcipulis frementibus, & multum reclamantibus*. Mundum bis interiturum dixit, ut teſtatur Plut. Plac. Phil. 2. igne ſcilicet cœlitus delabente, & lunari aqua per revolutionem aëris effuſa: Solem vero diſcum eſſe vitreum, qui reverberantem ignis mundani omnis ſplendorem accipiat.

EUDOXUS

GNidius, Æſchinis filius, Aſtrologus, Geometra, Medicus, & Legislator inſignis, & ipſe Pythagoricus fuit, quem Laërt. Geometriam ab Archyta, & Medicinam à Philiſtione Siculo didiciſſe refert. Hunc Platonis quoque diſcipulum fuiſſe, Sotion in ſucceſſ. teſtatur. Vigeſimo tertio ætatis anno

S 2 Athe-

Athenas venit cum Theomedonte Medico, à quo etiam nutriebatur; ſummo enim inter paupertatis anguſtias diſcendi ſtudio tenebatur. Inde in Ægyptum cum Chryſippo Medico profectus, à Sacerdotibus per menſes 16. plura didicit, quæ deinde literis conſignavit, atque octo annorum hiſtoriam, juxta quoſdam conſcripſit. Civibus ſuis, aliiſque civitatibus, quibus leges dedit, ac Matheſeos diſciplinas tradidit, Græcis denique omnibus gratiſſimus fuit. Plura ſcripſit præclara Commentaria, quæ habet Laërt. in ejus Vita, & mortuus eſt annum agens 53. floruitque circa Olympiad. 103. Summum Bonum Voluptatem dixit, ut teſtatur Nicomachus, Ariſtotelis filius. Curvas lineas, earumque uſum primus inveniſſe fertur. Huic tres filiæ fuere Actis, Philtis, & Delphis, & filius, cujus Chryſippus, Æthlii filius, diſcipulus fuit. Eudoxo accepta referre debet, quæ de Diis, de Mundo, & Cœleſtibus, literis mandavit Chryſippus Gnidius, Erinei filius. Atque hæc de Pythagoricis ex Laërt.

Sextus quoque Pythagoricus traditur, qui ſcripſit Enchiridion ſententiarum; quem librum latine vertit Rufinus. De Pythagoricis doctrinis ſcripſere Ariſtoteles, Numenius, Cronius, Moderatus, Thraſyllus, & omnium clariſſimus Plotinus, aliique, quorum ſcripta interciderunt. Videantur etiam doctiſs. Henricus Dodwellus in Diſſertatione de ætate Pythag. Londini 1704. 8. edita; & Godefridius Wendelinus in Ep. ad Erycium Puteanum Diſſert. de Pyth. Tract. Notandum hic, Numenium hunc Pythagoricum, Apameæ, Syriæ Urbe, ortum, non confundendum cum Numenio Pyrrhonio. Scripſit Numenius Pythagoricus, præter alia, Tractatum de Principiis Pythagoræ, & Platonis; dixitque, Platonem, quæ de Deo, & Mundi Creatione ſcripſit, à Moſe mutuaſſe. Vide ſupra in Plat.

Qui tamen Pythagoræ ſucceſſerint, præter relatos à Laërtio, hi à Voſſio traduntur: Hippodamus Thurius, Euryphamus, Hipparchus, Archytas, Theagis, Metopus, Clinias, Crito, Polus, Lyſides, & Theano, Pythagoræ Uxor; de quibus omnibus, præter Archytam, de quo diximus, Critonem, cujus etiam filios Socratem audiviſſe Laërtius tradit, & Theano, de qua dictum in Vita Pytagh. nihil habet Laërtius in Vitis. Numam quoque Romanorum Regem, Pythagoricum facit Clem. Alex. 1. Strom. qui Numa ex iis etiam, quæ à Moſe dicta ſunt, adjutus, Romanis prohibuit, ne Dei imaginem homini, aut animali ſimilem facerent. Sed de Numa fuſius lib. 4. hujus Hiſtoriæ agemus.

CAPUT XII.

De Secta Heraclitea.

De Sectis, quæ ab Ionica derivarunt, jam ſatis ſupra actum eſt. Agendum nunc de Sectis, quæ ex Italica profluxere, quæ quatuor numerantur, Heraclitea, Eleatica, Pyrrhonia ſive Sceptica, & Epicurea. Primæ igitur Sectæ autor

HERACLITUS

Epheſi natus ex patre, quem Laërtius Blyſonem, Clem. Alex. Bauſonem, Suidas Bloſonem, vel Bleutonem vocant: Avunculum autem habuit Heracleodorum, cujus meminit in Epiſt. Hic juvenis cum eſſet, dixit, *ſe nihil ſcire*. Vir deinde factus dicebat, *ſe nihil ignorare*. Αὐτοδίδακτος, nullo ſcilicet uſus magiſtro dicitur nonnullis; Sotion tamen eum Xenophanis, Suidas etiam Hippaſi diſcipulum faciunt, & Clem. Alex. eum multa ab Orpheo ac-

cepiſſe aſſerit. Floruit circa Olymp. 69. tempore ultimi Darii, cujus extat epiſtola ad eum honorificentiſſima apud Laërt. in Vita.

Animo elatus, & aliorum contemtor erat, quos omnes, ut notat Proclus, ignorantiæ damnabat, dum ſe omnia noſſe dicebat. Dicere hinc ſæpe ſolebat: *Homerum, & Archilochum dignos eſſe, qui ex ſcholis ejecti, colaphis cæderentur*. Rogatus à ſuis civibus, ut leges eis ſcriberet, id reſpuit, quia civitatem peſſimis moribus refertam videbat. Hujus autem in cives ſuos odii cauſſa præter dictam extitit, quòd ipſi Hermodorum familiarem ſuum exilio mulctaſſent. Hinc in illos ſevere animadvertens ſcripſit: *Merentur Epheſii omnes adulti mori, impuberibuſque civitatem relinquere*. Quare in fanum Dianæ ſecedens, ibi aſtragalis cum pueris ludebat; adſtantibuſque Epheſiis dixit: *Quid miramini, ò perditi? nonne iſtud facere præſtat, quàm vobiſcum Remp. adminiſtrare;* Athenienſes quoque ſic contemſit, licet ipſum venerarentur. Quoties in publicum prodibat, flebat, eoquod omnia, quæ homines agunt, miſerias exiſtimaret.

Hinc ex hominum odio in montes ſecedens, ibi oleribus, & herbis contentus vivebat: qua de cauſſa in aquæ intercutis morbum incidit; à quo ut ſanaretur, in urbem rediit. Venientes ad ſe Medicos *neque Artis, neque Naturæ peritos*, ut ipſe ad Amphidamantem ſcribens vocat, ſic male carpit ibidem: *Impii illi, Amphidamas, qui artes, quas non habent, mentiuntur, & curant illos, quos non norunt, & homines ſub nomine artis interimunt, & naturam, & artem injuria afficientes. Turpe profecto eſt ignorantiam profiteri, turpius autem ſcientiam, quam quis non habet. Quo ergo nomine mendacio delectantur, niſi ut per fraudem divitias acquirant. Meliores profecto forent, ſi illas emendicarent; nam ita miſericordiam moverent quibuſdam*. Et paullo poſt: *Hujuſmodi in civitate plures ad me veniebant. Nemo illorum Medicus, ſed omnes impoſtores, & deceptores, qui ſophiſmata artis argento vendunt &c.* Quare ad hydropicos humores, bubuli fimi vapore exhauriendos, bovum ſtabulo ſe incluſit: quo nihil proficiens mortuus eſt anno æt. 60. Neanthes Cyzicenus addit, ipſum bubulo fimo imbutum à canibus laceratum fuiſſe. Ariſto tamen, & Hippobotus aſſerunt, ipſum hoc morbo liberatum, alio morbo interiiſſe.

Inter Apophthegmata, & ſententias ad morum doctrinam pertinentes, hæc notatu digniores: *Contumeliam extinguere oportere magis, quàm incendium. Homo ſolitarius aut Deus, aut bellua. Ubi terra eſt ſicca, anima ſapientiſſima eſt, & optima. Niſi ſperet, inſperatum non inveniet, cùm ſit inſcrutabile, & nullus ad id pateat aditus*. Quam ſententiam Clem. Alex. 2. Strom. vult eſſe paraphraſim illius Eſaiæ 6. *Niſi credideritis non intelligetis*. Sed ad alias: *Homines Dii, Dii homines. Imperitiam celare melius, quàm in medium proferre. Sapere ut poſſint, omnibus ad manum eſt. Foventur omnes humanæ leges ab una divina, quæ quidem tantum poteſt, quantum velit, omnibuſque ſufficit, & ſuperat omnia. Via ad gloriam maxime compendiaria eſt, ſi quis ſtudeat, ut bonus ſit*. Vid. Clem. Stob. aliique. Tandem notandum, Heraclitum generationi hominum iniquiorem fuiſſe, ac maledictis ipſam inſecutum, quòd homines in mundum miſeriis refertum veniant.

Sed ad ejus doctrinam conſiderandam accedamus, ac paucis exponamus. *Ignem* rerum omnium principium ſtatuit, ex quo ſcilicet omnia oriantur, & in quem omnia reſolvantur: ex cujus viciſſitudinibus *Rarefactione*, & *Condenſatione* cuncta fiant. Fieri autem omnia *Fato*, & *Converſione contraria*, ſive per *Contrarietatem*. Cui conſentire videtur Ariſtoteles, dum ait, omnia fieri ex Privatione ſui, ſive ex contrariis. Fatum autem, ut eſt apud Stob. Phyſ. 1. 2. deſcribit, quod ſit Ratio, quæ per contrariorum concurſum rerum opifex exiſtat.

ſtat. Quam de Igne opinionem, quod rerum omnium Principium ſit, ab Hippaſo præceptore accepiſſe teſtatur Plut. Plac. Phil. 1. 2. Sed ipſum ψηγμάτια, corpuſcula ſcilicet minima, & fragmenta pro Ignis principio intellixiſſe, notant Plut. & Stob. l.c. Vide doctiſſimum Gottfridium Olearium, qui Heracliti ſententiam fuſius exponit, & propugnat in ſuis Diſſertationibus in Lipſienſi Academia habitis; in quarum prima de Principio rerum naturalium; in ſecunda de rerum Geneſi ex mente Heracliti, agit.

Solem ejus eſſe magnitudinis, dixit, quæ nobis apparet, ipſum vero, & reliqua ſidera Scaphas eſſe, concava parte nobis obverſas, in quibus congregatæ liquidæ evaporationes reddunt flammas, quæ exhalationibus à terra ſubmiſſis nutriuntur: hæc tamen flamma, ſicut & lux, major in Sole eſt, quia nobis propior. Eclipſis fit, cùm ſideris pars convexa nobis obverſa eſt, concava ſurſum elevata. Noctem, Diem, Annum, Menſes, anni Tempeſtates, Pluvias, Ventos, & his ſimilia, pro varia exhalationum ratione fieri, ſtatuit; tempuſque corporeæ naturæ eſſe. Fluxum, & Refluxum maris à ventis, ſolis vi elevatis, derivandum putavit, quibus ſpirantibus, maris unda attollitur, eiſdem vero quieſcentibus, iterum ſubſidit. Tonitrua à ventis in nubes incidentibus; Fulgura ab exhalationibus accenſis; Preſteres denique ex nubibus accenſis, atque iterum extinctis, generari duxit.

Animæ naturam inveſtigari non poſſe, aſſerit, quia cunctis abſcondita: ipſam vero incorpoream eſſe, & ſemper fluere, & moveri: omnemque animam ex hoc mundo migrantem in animam univerſi abire, ejuſdem naturæ cum ſit. Plutarchus in Romulo talem habet Heracliti de Animi immortalitate ſententiam: *Aridus enim hic animus eſt, ut vult Heraclitus, præſtantiſſimus, qui ex corpore, ut è nube fulgur, exilit. Commixtus verò corpori, & implicitus velut vapor gravis, nebuloſuſque ægre accenditur, & ſupera petit. Non ſunt ergo bonorum corpora contra legem naturæ una cum animo in cœlo collocanda: ſed virtutes, atque animi, natura, atque judicio divino ex hominibus inter heroas, ex heroibus inter lares, ex laribus, ſi ſemel ſicut in initiationibus luſtrati ſint, & purgati, omni depoſitâ conditione mortali, & dolore, non publica lege, ſed reipſa, & conſentanea ratione in numerum referendi ſunt deorum, optimum, & beatiſſimum finem adepti.* Animarum item, & Dæmonum omnia plena eſſe, cum Thalete (cui cæteroqui contrarius ſemper extitit) affirmavit.

Ipſum male de Deo philoſophatum aſserunt Ariſtoteles, Varro, Auguſtinus, & Philo Judæus, eoquod Deos ex igne eſse ſtatuerit, & univerſum hoc conditum eſse negaverit. Contrarium defendit Olearius l.c. Hinc Sext. Emp. adv. Mathem. p. 139. ipſum inter eos recenſet, qui Phyſicam tantum pertractarunt. Liber tamen ejus, qui Laërtii etiam ætate legebatur, etiamſi generaliter de Natura ageret, in tres ſcindebatur partes, in quibus *de Univerſo*, *de Republica*, *& de Theologia* diſserebat. Qui liber obſcurius de induſtria ſcriptus, ne legeretur ab omnibus, ut viſum quibuſdam, & in Templo Dianæ depoſitus, ab Euripide tandem inventus, & Socrati traditus eſt; qui interrogatus quid de eo ſibi videretur? reſpondit: *Magnam indolem ſpirant, quæ intellexi: puto idem facere, quæ non intellexi. Verum Delio natatore opus habent.* Et Laërt. in Vit. circa finem habet, Cratem quendam Heracliti librum, quem Catacolymbitem inſcripſit, Græcis afferentem dixiſse, *Librum ipſum Delio aliquo indigere natatore, qui in illo non ſuffocaretur.* Adeo enim in ſcribendo obſcurus fuit, ut ejus ſectatores in ejus libris interpretandis inſudaverint. Hinc Cic. 2. de Div. *Valde Heraclitus obſcurus.* Et 2. de Fin. *Heraclitus, cognomento qui Σκοτεινὸς (Obſcurus) perhibetur, quia de Natura nimis obſcure memoravit.*

Atque ex hac ſcribendi obſcuritate factum eſt, ut Clem. Alex. 5. Strom. dixe-

Digitized by Google

dixerit, Heraclitum non unum, ſed duos mundos agnoviſſe, ſic ſcribens: *Heraclitus Epheſius manifeſtiſſime eſt in hac ſententia, cùm unum quidem mundum cenſuiſſet eſſe æternum; alterum vero noviſſet interire; eum ſcilicet, qui conſiſtit per variam, & multiplicem exornationem, ut qui non ſit alius ab illo, qui aliquo modo ſe habet. Cæterum quòd æternum quidem noverit mundum, qui ex univerſa eſſentia eſt æterne qualis, planum facit ſic dicens: Mundum nec Deorum ullus fecit, nec hominum, ſed fuit ſemper, & eſt, & erit Ignis ſemper vivus, menſura accenſus, & extinctus menſura. Quod autem eum & ortum eſſe, & in eum cadere interitum putaret, ſignificant ea, quæ ſubjunguntur. Ignis converſiones primum mare: maris autem dimidium quidem terra, dimidium vero fulgur. Virtute autem, & poteſtate dicit, ab adminiſtrante omnia Verbo, & Deo, ignem per aërem converti in humidum, quod eſt veluti ſemen diſpoſitionis mundi, quod vocat mare. Ex eo autem rurſus gignitur Terra, & Cœlum, & quæ in eis continentur. Quomodo autem in priſtinum ſtatum redeat, & igneſcat, his aperte oſtendit: Mare diffunditur, & manſionem accipit eadem ratione, qua prius erat, antequam mare fieret. Similiter eadem quoque de reliquis Elementis.* Hactenus Clem. cui addit Stob. Phyſ. c. 11. Heraclitum, magnam hanc rerum revolutionem octo millibus annis abſolvi, ſtatuiſſe.

Heracliti denique diſcipuli perhibentur Cratylus Athenienſis, Platonis præceptor, qui propterea Dialogum Cratyli nomine inſcripſit, Heſiodus, Xenophon, Hecatæus, aliique, qui à Præceptoris nomine Heraclitei dicti ſunt.

CAPUT XIII.

De Secta Eleatica.

ELea, ſive Velia, Magnæ Græciæ urbs, ſic dicta vel ab Elea flumine præterlabente, vel à paludibus, quæ Græcis ἕλη dicuntur, quibus circumdatur, huic Sectæ nomen dedit. Ex hac enim prodiere præcipui, & in Secta eminentes, Parmenides, Zeno, & Leucippus. Ejus tamen Caput extitit

XENOPHANES

COlophonius, ut teſtatur Clem. Alex. Strom. 1. Anaximandri, ut refert Sotion, coævus, Dexii, vel Orthomenis, ut Apollodorus habet, filius; quem Sotion Archelai, quidam Bithonis Athenienſis, alii nullius diſcipulum faciunt. Vixit fere ſemper pauper annos, ut ipſe de ſe teſtatur, 92. Cenſorinus vero ſupra centum vixiſſe aſſerit. Floruit circa Olymp. 60. Scripſit Poëmata multa, quæ ipſe publice cantabat; inter quæ Elegiæ ſunt, & Iambi in Homerum, & Heſiodum ſcripti, quibus ea, quæ de Diis ſcripſerant, reprehendit. Thaleti, & Pythagoræ contraria docuit, quædam etiam Epimenidi oppoſita. Heroicis verſibus, quos citat Pollux 6. 9. ipſum de Natura ſcripſiſſe, probat cl. Fabricius Bibl. Græc. l. 2. ex quibus decerptæ ejus opiniones ſunt ſequentes.

Omnia ſunt incomprehenſibilia, ut autor eſt Sotion; ex quo deducit Plut. ipſum æque ſenſus, ac rationem à rerum criterio ſuſtuliſſe: quicquid dicat Ariſtocles, qui, ipſum ſenſus tantum fallaces dixiſſe, aſſerit, ac ſoli rationi fidem adhibendam. Sextus etiam Empir. adv. Mathem. ipſum inter eos recenſet, qui negant, dari criterium veritatis; non quod neget, nos quidquam comprehendere poſſe, ſed quia eam rerum cognitionem, quæ ad ſcientiæ evidentiam, & certitudinem perducat, nos aſſequi poſſe deſperet, velitque omnia

intra

intra probabilitatis terminos conſiſtere. Ex Ariſtotelis ſcheda de Xenophane, Zenone, & Gorgia, colligitur, Xenophanem ſtatuiſſe, ex nihilo nihil fieri, hoc eſt, rem, quæ ſemper non fuit, nunquam exiſtere poſſe; unde concludebat, quicquid eſt, id ſemper fuiſſe: ergo id, quod ſemper fuit, æternum eſt: Quod æternum eſt, infinitum eſt: Quod infinitum unicum; ſi enim plura entia contineret, unum alterum deſtrueret, & ſic infinitum non eſſet: Quod infinitum, & unicum eſt, omni ex parte ſibi ipſi ſimile eſt; ergo unum ens: Denique hoc ens unicum, æternum, & infinitum, oportet, ut immobile ſit, & immutabile: Si enim locum mutare poſſet, aliquid eſſet ultra illud, ac proinde infinitum non eſſet: Si vero ſine loci mutatione alterari poſſet, res, quæ ſemper non extitiſſet, exiſtere inciperet, & contra, res, quæ ſemper extitiſſet, deſineret, quod fieri nequit, nam omne, quod ab æterno non fuit, ſi exiſteret, ex nihilo produci oporteret; & quicquid initium non habet, neceſſariam habet exiſtentiam, ideoque ut deſinat eſſe, non poteſt. Sed cum hæc omnia generationi, & corruptioni rerum materialium repugnent, quæ ad ſenſuum evidentiam ſunt; ideo à ſenſibus veritatis Criterium abſtulit, ipſos fallaces pronuncians. Notant viri doctiſſimi Bælius Lex. Crit. art. Xenophanes, & Buddeus in Differt. de Spinoſiſmo, ex hac Xenophanis doctrina promanaſſe Spinozæ doctrinam, quod una ſit totius hujus univerſi ſubſtantia.

Deum unum eſſe, æternum, incorporeum; ſubſtantiam tamen ejus globoſam eſſe, nec quicquam cum hominibus commune habere; ſed omnia videre, omnia audire, non tamen reſpirare; & eſſe pariter Mentem, Prudentiam, Æternitatem, ut ex Laërt. & Clem. Alex. Strom. 5. habemus. De Diis fabulas ab Homero, & Heſiodo inventas confutavit, aſſerens, omnes nationes Deos humanæ formæ, humaniſque affectibus obnoxios fingendo, ſibi ipſis forma, veſte, & moribus ſimiles efformaſſe; ut ait Clem. Alex. l. c. ubi hæc Xenophanes:

Credunt mortales, divos generarier ipſos
Veſte ſibi ſimiles, & voce, & corpore toto.

Quatuor rerum materialium Elementa cum aliis ſtatuit: Mundos tamen eſſe infinitos, & immutabiles. Stellas, dixit, eſſe nubes accenſas, quæ die extinguantur, noctu iterum, non ſecus ac carbones, accendantur. Solem ab igniculis, ex humida exhalatione collectis, generari; vel eſſe nubem ignitam: ejus vero Eclipſim eſſe ejuſdem extinctionem, oriri autem, cum novus accenditur; affirmatque, aliquando Solem per menſem defeciſſe. Lunam dixit nubem conſtipatam, terra duodeviginti partibus majorem, ab hominibus, ut terra noſtra, habitatam; ut referunt Plut. 2. Cic. Ac. Qu. 4. & Lactant. 3. 22. quæ tamen nihil ad humanarum rerum generationem, ut Solem efficere aſſerit, conferat. Multos item Soles, & Lunas pro variis mundi Zonis, & Climatibus ſtatuit. Nubes efformari à Sole, ipſas elevante. Animam ſpiritum eſſe, & plurima eſſe anima inferiora. Vide Laërt. Clem. Alex. Plut. Cic. Stob. aliosque.

PARMENIDES

Eleates, Pyretis filius, genere, & opibus illuſtris, licet Xenophanis diſcipulus, ejus tamen doctrinas non ſemper ſecutus eſt. Unum enim cum Xenophane eſſe rerum omnium Principium, & id quidem immobile, ut refert Ariſtot. Phyſ. 1. 2. 3. ſtatuit; Unum omnia, & Ens infinitum eſſe, atque præter hoc Unum Ens eſſe nihil; duo tamen rerum Elementa dixit, Ignem, & Terram, quorum Ignem quidem rerum omnium Opificem fecit, Terram vero

vero Materiam appellavit. Quam quidem Terram primus omnium rotundam, in medio poſitam, undique æqualiter diſtantem, æquilibrioque ſuſpenſam, affirmavit. Duplicem eſſe Philoſophiam dicebat, alteram ex veritate, ex opinione alteram. De rebus judicare ad ſolam rationem pertinere, dixit. Leges civibus ſuis dedit, teſte Speuſippo in l. de Philoſophia. Philoſophiam verſibus, ut Heſiodus, Xenophanes, & Empedocles, expreſſit, ſed non fabuloſam. Callimachus tamen, nullum ab eo ſcriptum fuiſſe poëma, contendit. Vixit Olymp. 69.

Aſſerit, nullam rem vel generari, vel corrumpi, ſed tantum ejus rei ſpeciem nobis imponere: Lunam ejuſdem ſplendoris cum Sole eſſe, ſed ab ipſo lumen accipere: Viam Lacteam eſſe miſturam rari, & denſi: Homines ex limo primum genitos eſſe, & ex calido, & frigido, ex quibus omnia componuntur, exiſtere; & mares quidem in ſeptentrionalibus mundi partibus, quippe quæ maxime denſæ ſunt, prodiiſſe; feminas vero in auſtralibus, quæ maxime raræ: hodie tamen in dextra uteri parte, mares, feminas in ſiniſtra concipi. Partem animæ principalem in pectore ſtatuit. Phavorinus ait, ipſum primum obſervaſſe, Veſperum, & Luciferum eandem ſtellam eſſe (quod alii Pythagoræ tribuunt) & argumento, quod Achillem vocant (Zenoni ab aliis eſt adſcriptum) uſum fuiſſe.

Tandem doctrinam de Ideis, qua ipſe maxime inclaruit, explicatam vide apud Platonem in Dialogo, quem ipſe Parmenidem, ſive de Ideis, inſcripſit.

MELISSUS

Samius Ithagenis filius, Parmenidis diſcipulus, in gerenda Rep. egregius, magnæ apud ſuos autoritatis fuit, à quibus ob ſuam virtutem magni ſemper æſtimatus, claſſi præfectus eſt. Floruit circa Olymp. 84. ut ex Apollodoro.

Univerſum hoc, Parmenidem ſecutus, infinitum, immobile, immutabile, unum, ſibi ipſi ſimile, ac plenum dixit; vacuum enim in natura negabat. De Diis nihil certum definiendum, dicebat, cùm nullam de ipſis certam cognitionem habere poſſimus. In reliquis cum Parmenide ſentiit.

ZENO

Eleates, natura Teleutagoræ, adoptione Parmenidis filius fuit, & diſcipulus omnium cariſſimus. Plato ipſum Eleaticum Palamedem appellabat, quia proceræ ſtaturæ erat. In Philoſophia, & Rep. gerenda vir fuit eximius. Hic Agrigentum, ut refert Val. Max. l. 3. c. 3. venit, ut à miſerabili ſervitute liberaret Agrigentinos; putans Phalaridis feritatem rationibus, & ingenio cohibere poſſe. His autem fruſtra tentatis, nobiles civitatis adoleſcentes liberandæ patriæ cupiditate inflammavit. Qua re à tyranno cognita, ipſe captus, & vario coram populo tormenti genere afflictus eſt. Equuleo tamen impoſitus forti animo Agrigentinos increpabat, ut Phalarim lapidibus obruerent: quæ fortis cohortatio totius urbis animum, fortunamque mutavit. Alii vero cum Satyro in Epitome de Heraclide narrant, ipſum à Nearcho, ſive, ut alii volunt, à Diomedonte tyrranno, contra quem una cum Liparæis conſpiraverat, comprehenſum, tyranno aurem, vel, ut Demetrius ait, naſum morſu abſtuliſſe, dum ſimularet, ſe in aurem de conjuratis dicturum. Antiſthenes addit, ipſum, poſtquam ad præſentes converſus eorum ignaviam propter tormentorum metum reprehendiſſet, linguam morſu exciſſam in tyranni faciem exſpuiſſe: ex quibus accenſi cives tyrannum lapidibus obruerunt. Hermippus vero aſſerit, ipſum in mortario contuſum ex tyranni decreto mortuum eſſe. Floruit Olymp. 79.

T Dia-

Dialecticeſ Inventor dicitur ab Ariſtotele, & Galeno in Hiſt. Philoſ. Proœmio. Deum eſſe, dixit, unum, æternum, ſimilem, rotundum, nec finitum, nec infinitum, nec quieſcentem, nec mobilem. Plures dari mundos; vacuum exiſtere non poſſe; omnia ex quatuor primis qualitatibus, Calido, Frigido, Sicco, & Humido conſtare, quæ inter ſe commutentur; hominem ex terra factum; ejuſque animam ex æquali harum qualitatum temperamento conſtitui. Locum dari nullum, nam & locus loci dari deberet, & ſic in infinitum. Motum fieri non poſſe ullum, quatuor probabat argumentis, quæ cum reliquis ejus dogmatis optime explicat P. Bælius in Lex. Critic. artic. Zenon. Plutarchus in Pericle hæc de Zenone habet: *Audivit quoque Pericles Zenonem Eleatem, de natura, Parmenidis more philoſophantem, qui impugnans quemlibet, uſum paraverat quendam refutandi, qui deduceret ad perplexitatem; quod Phliaſius Timon quoque affirmat his verbis:*

Omnia perſtringens Zeno diſceptat, utraque
Ex parte invictus, ſed non fallax.

LEUCIPPUS

Eleates, ſive Abderita, ſive Mileſius, juxta alios, Zenonem audivit, novumque ſyſtema invexit. Univerſum hoc infinitum eſſe; cujus pars quidem vacua, pars vero plena ſit. Hinc à Clem. Alex. in Protrept. & Cic. Acad. Qu. 2. dicitur, duo poſuiſſe principia, *Plenum*, *& Vacuum*. Primus hic, omnia ex *Atomis*, ſive particulis quibuſdam indiviſibilibus fieri, in eaſque omnia ultimo diſſolvi putavit. De eo Lactantius l. de Ira Dei: *An ſolus Leucippus oculos habuit? Solus mentem? qui profecto ſolus omnium cæcus, & excors fuit, qui ea loqueretur, quæ nec æger quiſquam delirare, nec dormiens poſſit ſomniare.* Et mox: *Tam minuta ſunt*, inquit, *ut nulla ſit acies ferri tam ſubtilis, qua ſecari, aut dividi poſſint: unde illis nomen impoſuit Atomorum.* Mundos etiam fieri dixit per abſciſſionem ex Infinito. Quod Syſtema pluribus explicant Laërt. Heſych. Illuſtris, & Leucippi diſcipulus

DEMOCRITUS

Abderita, ſive, ut alii apud Laërt. ſed minus recte putant, Mileſius filius fuit Hegeſiſtrati, ſive Athenocriti, ſive Damaſippi ditiſſimi, & nobiliſſimi; nam, ut Abderitæ in ep. ad Hippocr. ſcripſerunt, Herculis frater erat. Natus eſt, ex Apollodoro in Chronicis, Olymp. 80. fuitque Anaxagora junior annis 40. (cujus etiam diſcipulum quidam faciunt) Archelai, Socratis, & Œnipodis coëtaneus. Notat Laërt. ex Herodoto, Democriti patrem adeo divitem fuiſſe, ut Xerxis exercitui epulum dare potuerit: unde Rex gratitudinis ſtudio Magos quoſdam, & Chaldæos apud eum reliquit, à quibus Democritus primis pueritiæ annis literarum rudimenta, Theologiam, & Aſtrologiam didicit.

Accepta deinde poſt patris mortem à duobus ſuis fratribus natu majoribus Hermodoro, & Damaſo, ſive Damaſte, ut Suidæ, & Laërtio audit, hæreditatis parte, quam Demetrius centum talenta exceſiſſe ait, propter nimium diſcendi ſtudium peregre profectus eſt; & primo quidem ad Perſarum Magos, & Chaldæos, à quibus in Theologia, & Aſtrologia fuſius inſtitutus eſt; deinde vero ad Ægyptios, à quibus Geometriam edoctus eſt, & cum quibus, ut ipſe de ſe affirmat, annos vixit 80. Ad Indorum etiam, & Æthiopum Gymnoſophiſtas, juxta quoſdam, profectus eſt, ut variarum gentium ſapientiam diſceret. Hinc dicitur à Celſo l. 2. c. 5. *Vir jure magni nominis*; & à Laërtio Πένταθλος,

hoc

hoc eſt, quinque certaminum victor, quod Phyſica, Moralia, Mathematica, humaniorum literarum ſtudia, omniumque Artium peritiam junxerit. Imo ipſemet de ſua doctrina hæc jactat, ut notat Clem. Alex. Strom. 1. *Inter omnes meæ ætatis homines plurimas peragravi terras, maximeque remota inveſtigavi, plurimaſque ſive aëris, ſive terræ obſervavi proprietates, doctiſſimos vero homines audivi, neque in componendis ad demonſtrandum lineis quiſquam adhuc me ſuperavit, ne inter ipſos quidem Ægyptios illi, qui Arpedonaptæ audiunt. Cum his autem poſtremo 80. annis fui in terra aliena.* Verùm ſecundum Diod. Sicul. Biblioth. Hiſt. l. 1. apud Ægyptios proprie non plus quinque annis verſatus eſt. Diodori autem verba ab Euſeb. Evangel. Præp. l. 10. citata hæc ſunt: Ὑπολαμβάνουσι δὲ ϗ Δημόκριτον παῤ αὐτοῖς ἔτη διατετρῖφθαι πέντε, ϗ πολλὰ διδαχθῆναι τ κατ' Ἀςρολογίαν: *Exiſtimant autem & Democritum apud ipſos verſatum annos quinque, & multa de Aſtrologia didiciſſe.*

A peregrinatione reverſus Leucippum audivit, à quo Atomorum, & Inanis doctrinam accepit. Hinc de eo Lactantius Inſtit. 3. *Ubi ſunt, aut unde iſta Corpuſcula? Cur illa nemo, præter unum Leucippum, ſomniavit? à quo Democritus eruditus hæreditatem ſtultitiæ reliquit Epicuro.* E peregrinatione igitur regreſſus pauper humillime vixit, in hortulo juxta muros ſuæ urbis cellulam ſibi eligens, in qua à fratre Damaſo alebatur. Ibi, quod ex cœli, & ſublimium rerum contemplatione multa prædiceret, Sapientiæ cognomen obtinuit, ut notat Clem. Alex. 6. Strom. & tanquam Deus in honore habitus eſt. Inter alias ejus prædictiones hanc habemus ex Clem. l. c. & Plin. Hiſt. Nat. l. 18. c. 35. Metente fratre ſuo Damaſo, dum æſtus eſſet ardentiſſimus, ipſum oravit, ut reliquæ ſegeti parcens, jam defectam ſub tectum raperet, ad paucas horas ſævum imbrem futurum, vaticinatione approbans, facta, ut ait cit. Clem. ex multis ſtellis conjectura. Quod cum ſic eveniſſet, divinos honores, & laudes eſt conſecutus.

Cic. 5. Tuſcul. *Democritus amiſſis luminibus, alba ſcilicet, & atra diſcernere non poterat, at bona, mala &c. poterat.* Et mox: *Atque hic vir impediri animi etiam aciem adſpectu oculorum arbitrabatur.* Ex quibus Ciceronis verbis quidam educunt, Democritum ſeipſum excæcaſſe, ut naturæ ſecreta melius contemplaretur. Quod & confirmatur ex monumentis Hiſtoriæ Græcæ, hodie non obviis, ut ex verſibus Laberii in Mimo, quos citat Gellius. Aliam præterea hujus cæcitatis cauſſam tradit Tertullianus in Apolog. c. 46. quod ſcilicet mulieres ſine concupiſcentia adſpicere non poſſet. Ejus verba ſunt: *Quòd mulieres ſine concupiſcentia adſpicere non poſſet, & doleret, ſi non eſſet potitus, excæcavit ſeipſum.*

Hæc Democriti vita in ſolitudinibus acta, & frequens riſus, in quem diffundebatur ex quacumque occaſione, potiſſimum vero cum hominum in operibus, & deſideriis inconſtantiam conſiderabat, unde & Γελάσινος dictus, in cauſſa fuit, ut Abderitæ, ipſum atra bile ad furorem uſque laborare, exiſtimarent. Quare ex principibus civitatis Ameleſagoram cum literis ad Medicorum principem Hippocratem miſerunt, ut ipſum, decem talentorum mercede promiſſa, Abderam ad Democritum ſanandum adduceret. Cujus negocii plures extant alternæ literæ Abderitarum, ipſiuſque Democriti ad Hippocratem, & Hippocratis ad eoſdem, quas vide in Hippocr. t. 2. Venit ad eum Hippocrates cum elleboro, quod inſaniæ remedium eſt, nullamque exegit mercedem, indignum hoc liberam artem libere profitenti aſſerens; cumque vidiſſet Democritum non inſania laborare, ſed totum ad Naturæ arcana detegenda incumbere; non ipſum, ſed Abderitas, qui ejus Philoſophiæ ſtudia non noſcerent, inſanos affirmavit. Ex qua Hippocratis cum Democrito con-

Digitized by Google

verſatione, mutuiſque literis quidam cum Cornelio Celſo affirmant, Hippocratem Democriti diſcipulum fuiſſe.

Dignus quidem eſt qui memoretur ejus mortis modus. Refert Hermippus, Democriti ſororem fratris jamjam morientis inſtans fatum deploraſſe, quòd ipſa in Cereris Feſto Deæ vota exſolvere nequiret. Quam Democritus miſerans ait: *Bono eſto animo; affer mihi quotidie panes calidos, & in Cereris celebritate non moriar*. Quibus quotidie allatis, eorum odore per omnes tres Cereris Feſti dies vivum ſe ſervavit: quibus elapſis quietiſſime, ac minimo dolore obiit, magnoque, ac publico honore, & dolore ab Abderitis ſepultus eſt. Vixit annos plus centum, ex Laërtio; 104. ex Luciano; 109. ex Hipparcho; 108. tamen ex Cenſorino.

Plurima poſt ſe reliquit ſcripta Ethica, Phyſica, Mathematica, Mechanica, ſive de Artibus, atque alia, quæ à Thraſyllo in tetralogias, non ſecus ac Platonica, digeſta memorat Laërtius in Vita; ibique notat, Platoni in animo fuiſſe, omnia Democriti ſcripta cremare, ad hoc faciendum plurimis jam comparatis ejus ſcriptis: id tamen Amycla, & Clinia Pythagoricis diſſuadentibus, conſilium mutaſſe.

Democriti doctrina συνοπτικὴ, *compendioſe collecta*, hæc eſt: Rerum Principia duo ſunt; *Atomi*; ſeu *Ens*, & *Vacuum*, ſive *non Ens*: ambo ſunt infinita, Atomi tamen numero, Vacuum magnitudine: Atomorum proprietates duæ, *Figura*, & *Magnitudo*: Atomorum Figura infinita, magnitudo adeo exigua, ut nec oculis pateant, nec dividi poſſint, unde & Ἄτομοι, *Indiviſibiles* dicuntur: In infinito Vacuo Atomi moventur *motu æterno, & non create*: Motus hic obliquus ſemper eſt: Atomi hoc motu agitatæ vel ſibi mutuo adhærent, & conjunguntur, vel in ſe mutuo impingentes reſiliunt, & ſeparantur: unde quicquid eſt, aut ſit, ſecundum hujus motus naturalis leges fit, vel factum eſt: Atque hinc colligitur, omnia ex hoc Atomorum motu, & occurſu exiſtere; atque hunc Motum cauſſam eſſe generationis omnium rerum: Rapidiſſimum hunc Atomorum Motum *Neceſſitatem* etiam ipſe appellabat, *Fatum*, *Juſtitiam*, & *Providentiam*, quæ Mundum condidit, quæ nihil aliud eſt, ut notat Stob. Phyſ. c. 8. quam reſiſtentia, latio, & percuſſio materiæ. Et ut paucis rem abſolvam, ex fortuito Atomorum concurſu cuncta genita ſunt, & generantur; atque hæc univerſorum lex ſola eſt. Atomorum *Differentias*, quæ cæterorum cauſſæ ſunt, tres poſuit, *Figuram*, *Ordinem*, & *Situm*: Sic omnis Generationis, & Corruptionis cauſſa eſt Atomorum Figura, per quam vel congregantur, vel ſegregantur: Alterationis vero cauſſa Atomorum Ordo, & Situs. His autem duobus rerum Principiis tertium adjecit, notante Clem. Alex. in Admon. ad Gentes, *Simulacra* ſcilicet, ſeu rerum *Species*; quas Species *Ideas* etiam, & *Idola* appellavit. Atque hæc de Principiis.

Mundi infiniti ſunt, ſibi ſimiles, in Vacuo infinito poſiti; omnes vero rotundi, animæ expertes, qui generantur, & corrumpuntur. Ex rapidiſſimo Atomorum Motu omnia generantur Elementa, *Ignis*, *Aër*, *Aqua*, & *Terra*. Atomi Ignem componentes rotundæ ſunt; reliqua Elementa ex Atomis omnis figuræ componuntur.

Sol Democrito magnus viſus, & Luna ex levibus corpuſculis, vertigine circumactis, componuntur; Luna vero, quæ & igneum Firmamentum dicitur, planities, valles, & montes continet. Omnes ſtellæ ab Oriente ad Occidentem feruntur; ſunt autem hoc ordine locatæ: primo fixæ, tum planetæ, inde Sol, poſtea Lucifer, tandem Luna. Cometæ, ut notat Ariſt. Meteor. c. 6. ex Democrito, Anaxagoram in hoc ſequente, ſunt congeries plurium planetarum, qui unum corpus eſſe videntur.

Ven-

Venti fiunt à multis corpuſculis in anguſto inani ſeſe mutuo impellentibus, & arietantibus; placidus contra aër eſt, cum in largo inani pauca innatant corpuſcula. Terra ob ſuam levitatem prius ſurſum, deorſumque ferebatur; ſucceſſu tamen temporis denſata, & gravis reddita in medio aëre ſubſedit. Terræ motuum cauſſam eſſe aquas pluvias, dixit, majori copia in ipſam influentibus, quam exſurgere poſſit, unde in ejus cavernas cum impetu irruentes, ipſius motus cauſſa exiſtunt. Mare cum ſemper decreſcat, tandem deficiat oportet. Nili exundatio nivibus liquefactis debetur.

Homines cum Epicuro ex aqua, & limo primum genitos ſtatuit; ſexuum autem diverſitatem pendere à ſeminis parte potiori maſculum, vel feminam diſtinguente, vel locum in utero prius occupante.

Animam mortalem, ac cum corpore perituram, dixit, & eſſe ignem, & calorem, cum & ipſa conſtet ex levibus corpuſculis. Unde Cic. 1. Tuſc. *Democritum enim, magnum quidem illum virum, ſed levibus, & rotundis corpuſculis efficientem animum concurſu quodam fortuito, omittamus*. Duas agnovit, ut refert Plut. Plac.4. animæ partes, rationalem, quæ in pectore, irrationalem, quæ per totum corpus diffunditur. Viſionem fieri per rerum imagines ab objectis in oculos incidentes: ſic etiam ſenſus omnes, & intellectus. Sapores fieri à variis atomorum figuris. De Deo nil certi ſtatuit, imo & omnium Philoſophorum obſcuriſſimè viſus eſt de Diis loqui. Hinc Cic. de Nat. D. 1. 43. *Mihi quidem Democritus nutare videtur in natura Deorum &c.*

In ejus Ethica notandum, ipſum Vitæ Finem Εὐθυμίαν, animi ſcilicet Tranquillitatem ſtatuiſſe, quam & Εὐεστὼ à bonitate conſtantiæ, aliiſque nominibus appellavit. Hæc autem non cum Epicuri Voluptate confundenda, ut perperam quidam faciunt. Sententiæ ad mores pertinentes potiſſimæ ſunt: *Prudentiæ eſt futuram injuriam præcavere; indolentiæ verò, quod factum eſt, non ulciſci: De turpibus factis vel loqui dedecet: Menſam pretioſam fortuna apponit, frugalem Temperantia: Optima liberorum inſtitutio Patris Temperantia: Coitus brevis eſt apoplexia, ex homine enim homo proſilit*. (Notat Clem. Alex. Pædag. l. 2. Democritum vocaſſe etiam coitum morbum inſanabilem) *Fortis non modo qui hoſtes ſuperat, ſed etiam qui voluptatibus ſuperior eſt; ſunt enim qui civitatibus quidem imperent, feminis autem pareant: Libertas in dicendo ingenuitati propria eſt; ſed occaſionis diverſitas periculum habet: Malum neque ſi ſolus fueris vel dixeris, vel feceris, & magis quàm alios teipſum diſce revereri: Avaritia quædam eſt ſolum loqui velle, nec alios audire: Sapienti quævis terra patet, nam animæ fortis univerſus mundus patria eſt: Imprudentibus regi magis, quàm regere prodeſt: Audacia principium eſt actionis, fini fortuna dominatur: Mulieri parere extremum viri dedecus: Medicina morbis corporis, Sapientia animi paſſionibus medetur: Pecuniarum uſus cum prudentia ad liberalitatem exercendam, & populum adjuvandum, utilis eſt; publica vero largitio publica ſtultitia eſt: Actionis imago ſermo eſt: Periculo plena liberorum educatio eſt, nam ſi res bene cedat, multum ſolicitudinis, & curarum affert, ſi male, alium dolorem ſummum trahit: Non probo liberorum propagationem; jucunda enim pauca, tenuia; moleſta vero multa, & magna.* Hinc de ipſo Clem. Alex. 2. Strom. *Democritus autem matrimonium repudiabat, & procreationem liberorum propter multas, quæ ex ipſis oriuntur, moleſtias, & quod abſtrahant ab iis, quæ ſunt magis neceſſaria*. Atque inde dicebat, *Viro locupleti præſtare magis filium amici adoptare, quàm gignere; adoptans enim eligit ex multis quem pro voto deſiderat, generans vero ex neceſſitate quem genuit, ut eſt, habere debet*. Dicere ſolebat, *Veritatem homines latere in profundo repoſitam*. Quare Cic. 8. & 2. Acad. *Naturam accuſa, quæ in* pro-

profundo Veritatem, *ut ait Democritus*, *penitus abſtruſerit*. Julianus Imperator Epiſt. 37. refert, Democritum, cum Darium, uxorem acerbiſſime lugentem, ſolari non poſſet, ipſam ad vitam revocaturum pollicitum eſſe, ſi ei tria præſtaret, quorum duo apud ſe erant, tertium vero facile Darium Regem comparaturum. Interrogatus à Dario quid tertium hoc eſſet comparatu difficile? reſpondit; *Si trium hominum*, *quos nullus unquam mœror turbaverit*, *nomina defunctæ ſepulcro inſcripſeris*, *ad vitam redibit*. Hinc Dario, ex hoc reſponſo turbato, ridens inquit: *Si non potes*, *mortalium imprudentiſſime*, *omnes hominum ætates luſtrando*, *aliquem invenire*, *cui triſte aliquid non obtigerit; cur tu*, *mortalis cum ſis*, *non vis hanc ferre calamitatem?* Ex Democriti familia fuit Bion Abderita Mathematicus, qui primus docuit, eſse quandam regionem, ubi ſex menſibus dies, & totidem nox eſset; ut notat Heſychius Illuſtris in Bione.

P R O T A G O R A S

ABderita, Democriti diſcipulus, homo vafer, ut Epicurus ait, in Philoſophiæ ſtudiis verſatus eſt annis 40. In libro, cujus initium: *Πάντων Χρημάτων μέτρον*, *Omnium rerum modus*, *& menſura*, hominem rerum omnium Criterium eſse, earum quidem, quæ ſunt, ut ſunt, earum vero, quæ non ſunt, tanquam non ſint, dixit: Materiam item in fluxu eſse: Animam ipſos ſenſus exiſtere. Cùm hic Philoſophus Inſincerus alium librum ſic inchoaſset: *De Diis quidem ſtatuere nequeo*, *an ſint*, *nec ne*. *Sunt enim plura*, *quæ id ſcire prohibeant &c.* Ob hoc libri principium ab Athenienſibus exilio mulctatus eſt, librique ejus undique congeſti, præconis voce cremati ſunt. Primus pro mercede minas centum exegit, orationeſque prælegendo quæſtum faciebat. Claruit circa Olymp. 74. & mortuus eſt annos natus 70. ex Apollodoro, 90. ex aliis. Quomodo autem *ἐκ τοῦ βαςάζοντος*, ex Bajulo Philoſophus, ac Sophiſtarum acerrimus à Democrito factus fuerit, legere eſt apud Gell. l. 5. c. 3.

M E T R O D O R U S

CHius, Democriti diſcipulus dicitur à Clem. Alex. 1. Strom. vel Neſſi Chii, juxta alios. Hic in Opere, quod inſcribitur: *Majorem eſſe cauſſam ad felicitatem eam*, *quæ eſt nobis*, *ea*, *quæ ex rebus oritur;* hæc inquit: *Animæ bonum quid eſt aliud*, *quàm firma*, *ſtabilis*, *ac bona carnis conſtitutio*, *& ſpes fide digna*, *quòd ea ſic futura ſit?* Phyſica rerum principia eadem cum Præceptore ſtatuit, Plenum, & Inane. Metrodorum, etſi Epicureum, hæc tamen divine dixiſse ait Clem. Alex. 5. Strom. *Memento*, *Meneſtrate*, *quoniam es mortalis*, *& vitam accepiſti terminatam; anima aſcende uſque ad æuum*, *& rerum infinitatem: videris & futura*, *& præterita*, *quando cum beato choro*, *ex Platonis ſententia*, *felicem viſionem*, *& ſpectaculum inſpiciemus*, *ſequentes nos quidem cum Jove*, *alii autem cum aliis Diis*, *& beatiſſima*, *ſi fas eſt dicere*, *myſteria peragemus*, *ac celebrabimus*, *ipſi quidem integri*, *& nulli malorum perpeſſioni obnoxii*, *quæ in poſteriori tempore nos manſerunt: integra autem*, *& quieta viſa adſpicientes*, *& contemplantes in luce pura*, *puri*, *& nequaquam hoc obſignati*, *quod nunc corpus circumferentes nominamus*, *& inſtar oſtrei alligati*. Idem dixit: *Se ne hoc ipſum quidem ſcire*, *quod nihil ſciret*. Hujus diſcipulum Diomenem Smyrnæum faciunt multi cum Clem. Alex. 1. Strom. Smyrnæi vero, ſive ejuſdem Metrodori diſcipulus extitit

ANA-

Digitized by Google

ANAXARCHUS

ABderita, qui cum Alexandro vixit, floruitque Olymp. 110. Magnus Nicocreontis, Regis Cypri, hoſtis fuit, ut ejus caput in magnifica ſua cœna deeſſe Alexandro dixerit. Quare Nicocreon injuriæ memor, Alexandro jam mortuo, ipſum Anaxarchum, à tempeſtate in Cypri litus ejectum, captum, & in mortario poſitum ferreis piſtillis contundi juſſit. Dum autem tunderetur, hæc Nicocreonti forti dicebat animo: *Tunde Anaxarchi culeum, nam Anaxarchum non tundis*: vide Cic. Tuſc. 2. 22. & de N. D. 3. 33. & Tertull. Apolog. c. 48. De hoc etiam Plin. H. N. 2. 23. & Val. Max. 3. 3. narrant, ipſum exſectam Tyranni juſſu linguam in ejus os conſpuiſſe; quod & de Zenone quoque in vita dictum eſt. Ob animi conſtantiam, & tranquillitatem fortunatus dictus eſt.

CAPUT XIV.

De Secta Sceptica.

HActenus de Philoſophis Dogmaticis, paucis tantum Academicis exceptis, actum eſt; veniendum nunc ad Scepticos, quorum Secta non minus, quam præcedentes, Eleæ originem debet. Hujus conditor extitit

PYRRHO

ELeus, è Pliſtarcho, obſcuræ ſortis homine, natus, ut Suidas ait, circa Olymp. 101. initio pictor fuit, ejuſque ſoror Philiſta obſtetrix. Deinde Philoſophiæ ſe addixit ſub Dryſone, ſeu Bryſone, Stilponis filio; Alexandro, Metrodori Chii diſcipulo; & tandem ſub Anaxarcho, cum quo ad Gymnoſophiſtas etiam, & Magos profectus eſt.

Novam hic Sectam inſtituit, quæ ab autore dicta eſt *Pyrrhonia*: à dogmate Σκεπτικὴ, Ἀπορητικὴ, Ζητητικὴ, καὶ Ἐφεκτικὴ, *Sceptica* ἀπὸ τοῦ σκέπτεσθαι, *inſpicere*, quod res conſideret, nihil de ipſis decernens; *Aporetica*, quòd de omnibus dubitet, ἀπὸ τοῦ ἀπορεῖν, *dubitare*; *Zetetica* ἀπὸ τοῦ ζητεῖν, *quærere*, eoquod ſemper quærat, & nunquam inveniat; *Ephectica* tandem ἀπὸ τοῦ ἐπέχειν, *cohibere judicium*, ſemper enim judicium ſuſpenſum ipſi eſt. Hoc autem Pyrrhonios inter, & Novos Academicos diſcrimen erat, quòd hi omnia æque vera, vel falſa eſſe poſſe aſſerebant, atque id ſolum ſe comprehendere, quòd nihil poſſet comprehendi, & nihil decerni poſſe decernebant; Pyrrhonii vero neque hoc, quod Academici affirmabant, decerni poſſe dicebant. Atque hinc nihil honeſtum, vel turpe, nihil juſtum, vel injuſtum, ac ſic de reliquis, eſſe contendebant; hoc eſt, nihil tale ex ſe eſſe, ſed lege, & conſuetudine ab hominibus tale judicari. Plutarchus in P. Æmilio hanc refert Scepticorum de Sanguine opinionem: *Atqui, hæc qui jactitant, occaſionem dederunt adſtruendi Scepticis, ne Sanguinem quidem ineſſe in animantibus, ſed ex vulnere gigni, ſpiritu, vel carne per mutationem flueſcente, vel colliqueſcente.*

Eodem ſemper vultu, & habitu perſeverans, ſolitarius vivebat, rariùs vel ipſis domeſticis viſus. Orationem non omittebat, etiamſi eum audientes deſtituerent. Secum loquens, interrogatus quid ageret? reſpondit: *Meditor, ut bonus evadam*. Magna ipſi in patria exiſtimatio fuit; unde & Pontifex creatus eſt, & decreto, ad ejus honorem facto, à civibus cautum fuit, ut omnes

Digitized by Google

Philoſophi à publicis muneribus vacare poſsent. Athenienſes etiam ipſum jure civitatis, referente Diocle apud Laërtium, honorarunt. Cum ſorore vivens, autore Eratoſthene, gallinarum pullos, porcelloſque ſæpe in forum, ut venderet, deportavit. A cane invadente perterritus, cùm poſt arborem ſe reciperet, à præſentibus deriſus ait: *Difficile eſt hominem penitus exuere*. Navi aliquando vectus, ut refert Poſidonius, dum ingens tempeſtas anxios teneret omnes, ipſe imperterritus æquo erat animo, ac ſociis porcello, in navi comedente, monſtrato, ait: *Tali animi tranquillitate ſapientem eſſe oportet.*

Mortuus tandem eſt annos natus fere 90. nullum relinquens ſcriptum. Ejus diſcipuli à Laërtio narrantur Eurylochus, magnus Sophiſtarum inimicus, ut Timon teſtatur, & ira facile exardens; Philo Athenienſis; Hecatæus Abderita; Antiochus Laodiceus; Nauſiphanes Teius, Epicuri, ſecundum aliquos, præceptor; &

T I M O N

PHliaſius, Timarchi filius, ut refert Apollonius Nicæus 1. Comment. in Sillos, prima quidem ætate ſaltationi ſtuduit; deinde Philoſophiæ addictus Stilponem, ac Pyrrhonem audivit. Xanthum majorem natu filium in Medicis inſtituit, inſtitutique ſui ſucceſsorem reliquit. Pauper exiſtens Philoſophiam Chalcedone profeſsus eſt; inde ditior factus Athenas venit, ibique ad mortem uſque moratus, obiit annos attingens fere 90. ut Antigonus, & Sotion referunt. Scripſit Tragœdias, Satyras, & alia poëmata, Sillos item ad tres libros, & Cinædos: ſoluta etiam oratione ad viginti verſuum millia ſcripſiſse, quidam referunt. Vide Suidam.

Acri erat ad percipiendum, & deridendum ingenio, compotationum amator, hortorum item, & ſolitudinis; nihil tamen vitæ tranquillitati anteponebat. Firma gaudens valetudine, prandii horam non habebat. Ejus in Schola ſucceſsores, quia de ipſis ἀξιομνημόνευτον apud autores extat nihil, hic recenſere ſuperſedeo. Eorum Catalogum qui cupit, adeat Laërtium hoc loco, & cl. Fabricium Bibl. Gr. l. 3. c. 33. De Pyrrhoniorum doctrina ſcripſit Æneſidemus Gnoſſius, qui Alexandriæ floruit, in ſuis octo libris Diſputationum Pyrrhoniarum; Sextus Empiricus lib. 10. de Sceptica Philoſophia, & in aliis ſuis ſcriptis laude dignis: qui ambo Pyrrhonii fuerunt. Eruditiſſime tamen hanc Sectam propugnavit Franciſcus Picus Mirandulanus.

Notandum hic primo eſt, Timonem hunc alterum fuiſse, non illum, qui Μισάνθρωπος, *hominum oſor*, à Suida, & Luciano dictus eſt. Notandum ſecundo, inter Græcorum Sectas Pyrrhoniam hanc, & Epicuream Chriſtianæ Religioni omnium maxime adverſari.

C A P U T XV.

De Secta Epicurea.

INter Græcorum Philoſophorum Sectas ultimam Laërtius recenſet Epicuream; cui nomen dedit ipſius autor

EPI-

EPICURUS

EX illuſtri Philaidarum genere, ut Metrodorus in lib. de Nobilitate refert, Athenis, & proprie in Gargetto, Athenarum pago natus eſt ex patre Neocle, matre vero Chæreſtrata; unde à patris nomine *Neoclides*; à patriæ verò *Gargetticus autor* dicitur à Statio; & à Cic. aliiſque ſimpliciter Gargettius appellatur. Duos ei fratres fuiſſe, memorat Suidas, Neoclem, & Chæredemum, cui Laërtius, ex Philodemo Epicureo, tertium addit, Ariſtobulum. Natum dicit Laërtius, ex Apollodoro in Chronicis, anno 3. Olymp. 109. ſeptem annis poſt Platonis obitum. Cùm vero ab Athenienſibus colonia in Samum deducta eſſet; ibi nutritus eſt uſque ad annum 18. quo Athenas venit, Xenocrate in Academia, Ariſtotele in Chalcide commorantibus. Inde Colophonem tranſiit ad patrem anno ætatis circiter 23. quando & Mitylenæ primum, inde Lampſaci γραμματοδιδάσκαλος, ludimagiſter fuit, teſte Laërtio, & Suida, uſquedum annum agens 36. vel 37. Athenas rediens Sectam à ſe vocatam inſtituit, poſtquam ad aliquod tempus ſe Democriteum profeſſus eſt, referente Plutarcho. Verùm *In Democritum ipſum, quem ſecutus eſt, fuit ingratus*, ut ait Cic. Philoſophiæ tamen ſtudiis ſe addixit anno æt. 12. ex Suida, vel 14. ut ipſe de ſe teſtatur apud Laërtium.

Scholam, Sectamque in Horto quodam prope Athenas, à ſe emto minis 80. inſtituit, ubi cum ſuis philoſophatus eſt; quem locum etiam Hortulos Cic. 1. de Nat. D. vocavit. Sic ipſe l. c. loquitur: *Democritus Vir magnus imprimis, cujus fontibus Epicurus Hortulos ſuos irrigavit*: hinc *Horti*, vel *Hortuli* nomine etiam ipſa Secta, vel doctrina vocari ſolet; & à Sext. Emp. *οἱ ἀπὸ τῶν κήπων, ab Hortis Philoſophi* Epicurei dicti ſunt. In Horto collatis in unum ipſius, ac diſcipulorum bonis κοινόβιον ſtatuit: quod & omnes Epicurei imitati ſunt.

Plura ſcripſit, quorum ſeries hæc apud Laërtium: *De Nat. l. 36. De Atomis, & Inani. De Amore. Epitome Magna, & Parva, eorum, quæ ad Phyſicos. Adverſus Megaricas addubitationes. Ratæ Sententiæ*, vel, ut Cic. vertit; *Maximæ Ratæ*, & alibi; *Selectæ, breveſque Sententiæ*; quia graviſſimæ ſint ad beate vivendum ſententiæ: & Sext. Emp. appellat *Dictiones memorabiles*. Suidas vero *Sceleſta Inſignia. De Electionibus. De Plantis. De Fine*; qui liber idem videtur cum eo, quem Cic. citat *De Finibus bonorum, & malorum* de Fin. 1. 2. & Tuſc. 3. 18. *De Summo Bono. De Criterio*, ſive *Canon. Chæredemus*, ſeu *de Diis. De Sanctitate*, ſeu *Hegeſianax. De Vitis*, ſive *De Vita, & Moribus. De juſta actione. Neocles ad Themiſtam. Sympoſium. Eurylochus ad Metrodorum. De angulo, qui eſt in Atomo. De Tactu. De Fato. De Perturbationibus ſententiæ ad Timocratem. Prognoſticum*, ſive *Præcognitorium. Exhortatorius. De Simulacris. De Imaginatione. Ariſtobulus. De Muſica. De Juſtitia, & reliquis virtutibus. De Donis, & Gratia. Polymedes. Timocrates lib. 3. Metrodorus lib. 5. Antidorus lib. 2. De Auſtris ſententiæ ad Mithren*; ſive, ut recentiores Laërtii interpretes, *De Morbis. Calliſtolas. De Regno. Anaximenes. Epiſtolæ*; quas multas quidem fuiſſe apud autores legimus, ſed tres tantum nobis ſervavit Laërtius, ex quibus omnem Epicureæ Philoſophiæ doctrinam recentiores Hortorum ſectatores excerpſerunt. Præter dictos alii quoque citantur à Plutarcho, Cicerone, aliiſque. Omnem vero Epicuream de Natura ſcientiam, quam ipſe libris 38. tradiderat, elegantiſſimis verſibus expreſſit ſex libris Epicureus Lucretius, qui l. 3. has Præceptori laudes contexit:

Tu pater, & rerum inventor, tu patria nobis
Suppeditas præcepta, tuiſque ex, inclyte, chartis
Floriferis, ut apes in ſaltibus omnia libant,

Omnia nos itidem depaſcimur aureà dicta,
Aurea, perpetua ſemper digniſſima vita.

Atque etiam

Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes
Reſtinxit ſtellas, exortus uti æthereus ſol.

Quibus verſibus hæc ſubjungit Lactantius l. 3. Inſtit. *Hos equidem verſus nunquam ſine riſu legere poſſum. Non enim de Socrate, & Platone hoc ſaltem dicebat, qui velut Reges habebantur Philoſophorum: ſed de homine, quo ſano, & vigente nullus æger ineptius deliravit. Itaque Poëta inaniſſimus leonis laudibus murem non ornavit, ſed obruit, & obtrivit.*

Infirma ſemper valetudine fuit; ex qua in gravem Lithiaſis morbum incidit; unde lapide in veſica urinam cohibente, calidæ balneum ingreſſus, hauſto meri potu, commendans diſcipulis, ut dogmatum ſuorum memores eſſent, diem clauſit, poſtquam 14. diebus ægrotaverit. Mortuus eſt an. 2. Olymp. 127. annos natus 72. quem patria æreis ſtatuis honoravit.

Ejus vero Sectatores ipſum maximo ſemper honore ſunt proſecuti. Et quidem Plinius, hac de re poſt 350. annos ſcribens, ait lib. 35. c. 2. *Natali ejus viceſima lunæ ſacrificant, feriaſque omni menſe cuſtodiunt, quas* Εἰκάδας *Icadas vocant*; unde & ipſi Εἰκαδισταί, *Viceſimarii*, appellati ſunt, quia viceſimam cujuſque menſis diem colebant, qua Epicurus natus credebatur. Magiſtri etiam imaginem, ut notat Plin. loc. cit. per cubicula geſtabant, ſecumque circumferebant. Et Cic. l. 5. de Fin. c. 1. ſub perſona Attici: *Nec Epicuri licet oblivisci, ſi cupiam, cujus imaginem non modo in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis, & annulis habent.* Ejus laudes habet idem pluribus in locis; notatque, ejus diſcipulos omnes memoriæ mandaſſe ratas præceptoris ſententias, quoſdam etiam omnia dogmata.

Hæc autem Secta omnium maxime duravit, à morte ſcilicet Epicuri ad Julii, & Auguſti tempora, annis circiter 237. ac 14. habuit Hortorum Præſides, ſive Scholæ Magiſtros, ut notat Suidas; & ut ita dicam, quamdiu Athenis, & Romæ literæ floruerunt, & ipſa floruit, aliiſque deficientibus, non finem habuit. Sed non ob doctrinæ eminentiam id accidiſſe, Lactantius 3. Inſt. c. 17. aſſerit; verùm ob doctrinæ libertatem, morumque ex ipſa corruptionem. Sic enim ipſe l. c. loquitur. *Epicuri diſciplina multo celebrior fuit, quàm cæterorum; non quia veri aliquid adferat, ſed quia multos populare nomen Voluptatis invitat: Nemo enim non in vitia pronus eſt.*

Rhetoricam, & Dialecticam contemſit, ut ex Laërt. Cic. aliiſque habemus: dictionem enim hauſerat, ſi Cleomedi 2. Meteorolog. credendum, *ex proſtibulis, & mendicabulis.* Imo Divus Hieronymus Epiſt. ad Magnum de Epicuro ἐμφατικώτερον, emphatice magis, credo, ait: *Neque literas didicerat.* Phyſicis igitur, & Ethicis ſe addixit, quibus magnam apud ſuos gloriam nactus eſt.

Ad Doctrinam ejus quod attinet, ſciendum imprimis eſt, ipſum loco Dialecticæ, quam adſpernatus *Inanem Loquacitatem, & cavillorum officinam* appellabat, *Canonicam Philoſophiæ Partem* Phyſicæ præmiſiſſe, in qua de Criteriis agit; ejuſque Summa hæc eſt: Omnino Veritas eſt cùm aliquid ita ſe habet, ut ſe habere dicitur; Falſitas vero contra. Veritatis *Criteria* tria ſunt, *Senſus*, ſive *Senſio*, pro rebus naturalibus, quæ Senſu cognoſcuntur: *Prænotio*, ſeu *Anticipatio* (ſic ipſe vocat, quod Philoſophi fere omnes Ideas appellabant) pro rebus naturalibus, de quibus mens ratiocinatur: & *Affectio*, ſeu *Paſſio* pro rebus Moralibus, prout aliquid vel appetimus, vel refugimus; Inde hos deducit Canones: Omnis perceptio ex ſenſibus hauſta vera eſt, nam ſenſus nunquam fallitur.

Digitized by Google

litur. Opinio eſt conſequens ſenſum, ſenſionique ſuperadjecta, quæ vel vera, vel falſa eſſe poteſt. Opinio illa vera dicenda eſt, cui ſenſus evidentia vel ſuffragatur, vel non refragatur. Contra vero, Opinio falſa dicenda. Quod & innuit Cic. 1. de Nat. D. ubi de Epicuro ait: *Omnes ſenſus veri nuntios dixit eſſe*.

Canones Prænotionis, ſive Anticipationis (vulgo Ideæ) ſunt. Omnis, quæ in mente eſt Anticipatio, ſeu Prænotio, dependet à ſenſibus, idque vel incurſione, vel proportione, vel ſimilitudine, vel compoſitione. Anticipatio eſt ipſa rei notio, & quaſi definitio, ſine qua quidquam quærere, dubitare, opinari, imo & nominare non licet. Eſt Anticipatio in omni ratiocinatione principium, quaſi nempe id, ad quod attendentes inferimus unum eſſe, idem, aut diverſum, conjunctum, aut disjunctum ab alio. Quod inevidens eſt, ex rei evidentis anticipatione demonſtrari debet.

Canones Affectionis, vel Paſſionis ſunt. Ea Voluptas, quæ nullam habet annexam moleſtiam, amplectenda eſt. Ea moleſtia, quæ nullam habet voluptatem annexam, fugienda eſt. Ea Voluptas, quæ aut majorem voluptatem impedit, aut graviorem moleſtiam parit, fugienda. His duos addit Canones de uſu Vocum. Dum loqueris, dilige voces communes, & perſpicuas, ne aut ignoretur quid velis, aut interpretando, tempus fruſtra teras. Dum audis, id enitere, ut vim ſubjectam vocibus teneas, ne te vel præ obſcuritate lateant, vel præ ambiguitate deludant.

Phyſica Epicuri omnis in quatuor partes diviſa eſt. In prima agit ipſe de *Univerſo*, ſive *Natura Rerum*. In ſecunda de *Mundo*, *in quo nos ſumus*, ex quo de aliis innumeris conjicere liceat. In tertia de *Rebus Humilibus*, ſive de humo, cui inhæremus, & de rebus, quæ in ea ſunt. In quarta demum de *Rebus Sublimibus tam Cœleſtibus*, *quam Aëreis*.

In prima Phyſices parte aſſerit, Univerſum Infinitum eſſe, Increatum, Æternum, Immobile, & Immutabile. Rerum omnium Principia duo ſtatuit, *Corpus*, *& Locum*, ſive *Atomos*, & *Vacuum*. Ἄτομοι, *Atomi*, ſic dictæ ab α privativo, & τέμνω, ſeco, latine *Indiviſibiles*, eo quod ob earum ſoliditatem, & Vacui privationem, dividi nequeant; ſunt prima rerum Principia, ex quibus concreta corpora gignuntur, & in quæ ultimo reſolvuntur. Harum proprietates, ſive qualitates, quibus inter ſe differunt, ſunt *Magnitudo*, *Figura*, *& Pondus*. Secundum has Atomorum proprietates omnia concreta corpora inter ſe differunt. Omnes Atomi duplici motu moventur, altero proprio, & æterno, quo ex proprio pondere deorſum per rectam moventur; altero reflexionis, cum aliæ aliis impingentes reflectunt motum; ex quo fit, ut aliæ aliis cohæreant, & corpora conſtituant. Quum per Vacuum moventur, cujuſcumque ſint magnitudinis, vel ponderis, æquali motu moventur. Atomi leviores, & ſubtiliores, quæ invicem implicari nequeunt ob ſuam rotunditatem, & levitatem, liberius moventur, quàm Atomi ob ſuam ſcabritiem, & angulos implicatæ: unde & *Agentis* nomen obtinent. Ex his Atomis *Anima*, *& Spiritus* omnes componuntur; qui Agentis intrinſeci nomine veniunt, quia intra corpus poſiti & ipſum corpus, & ſeipſos movendi facultatem habent. Agentis vero extrinſeci nomine venit ipſa vis, ſeu motus proprius Atomorum. Fortuna, Fatum, & Finis impellens, non ſunt, niſi effectus neceſſarii à cauſſis phyſicis, licet incognitis, procedentes: ſic etiam Sympathia, & Antipathia; illa quidem ab atomis uncinatis à corpore aliquo exeuntibus, & in corpus aliud impingentibus, quod ſuis uncis ad illud trahunt, oritur; ſecunda vero ab atomis acutis, corpus, in quod incidunt, repellentibus, provenit. Lux eſt ſubſtantialis effluxio à corpore lucido procedens. Colores ab hac ipſa ſubſtantia in corporum ſuperficies incidente, & inde

inde varie reflexa, oriuntur. Sonus fit ab effluxione tenuiſſimorum corpuſculorum, à corpore ſonum edente profectorum, quæ aurem ſubeundo, ſonum efficiunt. Idem dicendum de reliquis ſenſibus. Tempus, quod eventum eventorum, & accidens accidentium Sext. Empir. vocat, non eſt ens reale, ſed ens rationis, hoc eſt, non ex ſe exiſtit, ſed cogitatione concipitur. Hinc Lucret.

Tempus item per ſe non eſt, ſed rebus ab ipſis
Conſequitur ſenſus . . . . . .

Ortus, & Interitus, ſive Generatio, & Corruptio, ſunt quædam mutationis, ſive alterationis ſpecies: tunc enim corpus aliquod gignitur, cum atomi, prius ſejunctæ, uniuntur, & concreſcunt, & in novam formam prodeunt: contra verò Corruptio eſt ſecretio atomorum, ſive disjunctio partium corpus componentium in viſibiles, vel inviſibiles. Cum ex fortuito atomorum concurſu cuncta in Mundo, & Mundum ipſum genitum eſſe, Epicurus aſſerat; inde deducit, poſſe nos poſt corporis hujus exſolutionem iterum eſſe tales, quales nunc ſumus, modo ſimilis atomorum fortuitus concurſus fiat.

In ſecunda Phyſices parte docet, Mundum hunc noſtrum eſſe portionem quandam Univerſi infiniti, Cœlo complexam, ac terram, ſidera, & corpora inter terram, & Cœlum ſita, continentem. Mundus hic cujuſcumque figuræ fingi poteſt, & æternus non eſt, ſed in tempore genitus, nec ab Ente aliquo Supremo, ſive Deo factus, ſed caſu, ex fortuito ſcilicet atomorum per Univerſum excurrentium concurſu, per quem ſibi invicem adhærentes, concretæ, & compactæ primò quidem Chaos quoddam formarunt, deinde poſt multas convolutiones vario modo irretitæ, & glomeratæ eam formam induerunt, qualem Mundus nunc exhibet. Ex his quæ majores, graviores, & ramoſæ erant, ſubſidentes, & implexæ, terram, & terreſtria corpora formarunt, quæ ſecundùm variam atomorum molem, pondus, & figuram inter ſe differunt; quæ vero leviores, rotundæ, & teretes, ex his corporibus expreſſæ, in ſublime latæ, ignem, Solem, & ſidera produxerunt: tandem quæ mediæ conditionis, in medio poſitæ aërem fecerunt. Animalia cuncta ex quibuſdam veluti folliculis, in uterorum formam à terra, genitale ſemen conſervante, prolatis, orta ſunt; & ab ipſa terra tanquam matre humore quodam lacti ſimillimo nutrita. Idem dicas de generatione Hominum, qui à folliculis, terræ radicibus adhærentibus, & à ſole excalefactis, & excluſis producti ſunt. Terra deinde veluti ſeneſcente, ut in mulieribus nunc fieri videmus, exhauſtiſque ſeminibus, homines, ac reliqua animalia non amplius ex terra ſponte erumpunt, ſed media propagatione oriuntur. Sed nihil impium magis, & ineptum ex Epicuri ore prodivit, quàm Deum mortalia non curare, ac nulla Dei Providentia Mundum gubernari; ſed omnia ex neceſſitate contingere, ac ſolem, ſidera, & cuncta in Mundo ſic moveri, & ad Mundi uſque conſumtionem movenda, prout ſemel in ſui productione ſingulis ipſorum motus obtigit. Unde Cic. 1. de Nat. D. *Epicurus ex animis hominum extraxit radicitus religionem, cùm Diis immortalibus & opem, & gratiam ſuſtulit*. Et Clem. Alex. Epicuri ſectam ſinceræ Philoſophiæ adulterinam prolem vocavit: quam Paulus etiam Apoſtolus in Act. Apoſtolorum jure damnavit, quòd tollat Providentiam, & in Deorum numerum referat Voluptatem. His autem ad probandum infirmis, & nugatoriis argumentis nefandam hanc ſuam ſententiam, quam nemo unquam nec ante, nec poſt ipſum ſomniavit, probare nititur. I. Si beatus quis eſſe nequit, niſi quietus; quomodo Deus tot inter moleſtas, operoſaſque curas, in Mundi regimine neceſſarias, beatus erit? II. Si Deus, qui juſtus eſt, Mundum gubernaret, nec bonis mala, nec malis bona acciderent; ſed bonos infelices, malos vero felices, innocentiam minus

tutam

tutam, ſcelera impune videmus committi; ergo nulla in Mundi regimine Providentia. III. Deus omnium ſcelerum cauſa eſſet, ea vel volens, vel permittens. IV. Denique, ſi Deus iræ, & gratiæ capax exiſtit, cur conceptis votis alii pereunt, alii ex morte ſervantur; alii liberos precati obtinent, alii fruſtra precantur? Quibus argumentis vel pueri reſpondeant. Iiſdem fucatis rationibus Dei in Mundi regimine adminiſtros, Genios, Dæmonas, & Spiritus omnes rejicit. Mundus quia genitus, peribit. Dantur Mundi infiniti huic noſtro ſimiles, & diſſimiles, ſed perituri.

In tertia parte de Terra agens, ipſam in orbem, vel circulum inſtar diſci, vel tympani, non ſphæræ, vel globi efformatam, in Mundi medio ſitam aſſerit, in cujus centrum gravia cuncta feruntur. Dari antipodas negat, Terræmotus cauſſam ait eſſe aquas, ignem, vel ſpiritus ſubterraneos, terram ſuccutientes. Fluviorum, & fontium originem, ac Nili inundationem bene cum reliquis fere Philoſophis explicat. Aquam in glaciem verti, ait, excluſo ab aquæ particulis Inani. Herculei lapidis, quem Magnetem dicimus, quod in Magneſia primum inventus ſit, phænomenon explicat per amplexum partium hamatarum ex ipſo effluentium, & cum particulis ex ferro manantibus complexarum; quæ in utrumque impactæ, & reſilientes in medium circumplicantur invicem, & ferrum ſimul pertrahunt. Animalium generatio ex utriuſque ſexus ſemine commiſto proficiſcitur: utrumque autem ſemen ex ſingulis corporis partibus manat: mas tamen gignitur, cum maſculum, femina, cum femineum ſemen prævalet: ſterilitas tandem à ſemine vel craſſiori, vel tenuiori, quàm par eſt, provenit. Anima, corporis forma, ſeu nota, eſt corpus tenuiſſimum, ex tenuiſſimis particulis, rotundis, & levibus contextum, & per totum corpus (quod craſſius dicitur) diffuſum, & ab ipſo craſſo corpore ſeparatum in auras abit, & Animа eſſe deſinit. Quam de Animæ Mortalitate ſententiam Epicuro antiquiorem fuiſſe, deducitur ex Salomone, qui Sap. 2. impios ejuſdem opinionis memorat ſic dicentes: *Cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur, tanquam mollis aër*. Et exinde hoc conſequens educentes: *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter*. Animam vero incorpoream non eſſe, ex eo probare nititur, quòd nec tangere corpus, nec ab ipſo tangi, nec agere, nec pati poſſet. Hinc Lucretius:

Tangere, nec tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.

Viſus fit à ſimulacris, ſive imaginibus manantibus ab objectis, & in oculos incurrentibus; hoc eſt, per effluxiones atomorum, à corporum ſuperficiebus continenter manantium, atque eundem ordinem, & poſituram corporum ſervando, objecta, prout ſunt, oculis repræſentantium. Simili modo de aliis ſenſibus diſcurrendum: Auditus enim fit ab effluxu partium ſubtilium, à percuſſis, ſive ſonoris corporibus ad aures venientium, ipſaſque pro varia atomorum figura vel leniter ferientium, & gratum ſic ſonum producentium; vel lacerantium, unde & ingratus ſonus fit. Idem dicas de particulis à corpore odoro ad nares venientibus, & Olfactus ſenſum facientibus; vel palati partes tangentibus pro Guſtatu; vel corporis peripheriam pro Tactu. Animi, ſeu Mentis ſedes cor ab Epicuro ponitur, hoc ducto argumento, quòd lætitiæ, metus, &c. ſenſum in corde ſentimus. Mens non cogitat, niſi per ſimulacra in ipſam incurrentia, ſive ab objectis præſentibus proveniant, quod fit cum res præſentes cogitamus; ſive à corporibus ſubtiliſſimis per aërem volitantibus, & ſive à corporibus direpta, ſive in ipſo aëre formata ea ſint, corpus humanum ſubeuntia, in mente hanc, vel illam cogitationem excitant. Affectus, ſive Animæ Paſſiones vel ſenſum ſequuntur, & in partibus, quæ ſentiunt, excitantur; vel ex cogitatione dependent, & excitantur in corde. Paſſiones præcipuæ duæ ſunt, Volu-

Voluptas, & Dolor; quarum prior animæ ſecundum naturam eſt, poſterior præter naturam. His duas alias addit præcipuas etiam, & generales, Cupiditatem ſcilicet, & Fugam: reliquas vero Paſſiones harum quatuor ſpecies dicit. Motus voluntarius fit ab ea animæ parte, quæ ſenſile ſimulacrum recepit, quæ deinde reliquam animæ partem per corpus diffuſam pellit, & ſic corpus, vel ejus pars movetur. Aër exſpiratus à linguæ motu modulatus vocem efficit. Animæ à ſenſibus feriatio Somnus eſt, quæ fit, cùm animæ pars à cibo, potu, laſſitudine, vel ſimili ſive interna, ſive externa cauſſa foras ejicitur, pars intra corpus remanens oppreſſa, & veluti ſepulta, non ſecus ac ignis ſub cinere, jacet. Inſomnia fiunt à ſimulacris in aëre exiſtentibus, quæ cor ſubeundo animæ ſeſe offerunt. Quod autem optamus, vel ſæpius cogitamus, ſolet plerumque inſomniorum materies eſſe, quia ardens deſiderium, vel frequens ejuſdem rei cogitatio vias latas in anima relinquit, per quas ſimulacra affinia ab aëre venientia animam facilius ſubire valeant. Mors denique eſt ſenſus privatio propter animæ exceſſum, quæ in aërem diſſipata perit.

In quarta tandem parte de rebus Cœleſtibus, & Aëreis differens, hæc habet. Sidera omnia igneæ ſunt naturæ, compoſita ſcilicet ex atomis ſubtilibus, rotundis, & levigatis. Siderum omnium magnitudo talis eſt, qualis oculis apparet, ſecundum nos, ſenſus enim falli nequeunt; ſed ſecundum ſe conſiderata, eſſe poteſt vel paulò major, vel paulò minor, vel præciſe tanta, quanta videtur. Fixas eſſe, ait, veluti tot clavos cœlo infixos. Errantes cœlorum motu ab ortu ad occaſum feruntur; contrario motu, & proprio ab occaſu in ortum. Sol, Luna, ac reliqua ſidera oriri poſſunt, & occidere vel per apparitionem ſupra, & occultationem infra; vel per accenſionem in regione orientis, & extinctionem in regione occidentis factam; vel denique per renovatam quotidie productionem, novo ſcilicet ſole exorto ex confluentibus in ortum multis ignibus, ignisque ſeminibus. Dies noctibus non ſunt æquales, vel ob curſum ſolis obliquum in Zodiaco; vel quòd certa per ætherem ſint loca, ob ſuam craſſitiem ſolis curſum retardantia plus quam alibi; vel denique quia ſol mane genitus, ex loci, in quo accenſus eſt, differentia, breviorem, vel longiorem cœli viam percurrere debeat. A ſole propria luce fulgente & calor, & lux continuò manant, & ſol non extinguitur, quòd pabulum accipiat à caloris, lucisque ſeminibus, ex univerſo mundo ad ipſum venientibus. Cætera aſtra & lucem à ſe habere, & à ſole mutuari, æque dici poteſt. Lunæ Phaſes, ſeu incrementa, & decrementa proveniunt vel ab ipſa ad ſolem (ſi ab ipſo lumen habere putaveris) accedente, minorem illuminatæ faciei partem nobis in dies oſtendente; & ab eadem à ſole abſcedente, & majorem lucentis faciei partem ſemper monſtrante, quouſque illi oppoſita tota videatur: vel, globoſa cum ſit, & altera ſui parte lucida, altera obſcura, ex continua ſui corporis revolutione, obſcuræ, lucidæque faciei partem alternatim oſtendit: vel tandem, ſi lucida ex ſe ſupponatur, poterit paulatim obſcurari à corpore aliquo ſphærico, & opaco, quod cum ipſa continuo circumvolvatur. Idem corpus opacum, quod Phaſes producit, poterit Eclipſim efficere, ſi totum Lunæ corpus obtegat; vel quod obſcura ejus pars repente nobis obverſetur. Solis vero Eclipſis à luna inter ipſum, & terram media, fit: poteſt etiam Solis, Lunæque Eclipſis ex hoc contingere, quòd per loca luci infeſta tranſeuntes, lucem amittant, donec ipſis locis prætergreſſis, lucem recuperent. Sidera Præſagitionum non cauſſæ ſunt, ſed ſigna; ut & quædam animalia occaſiones nobis ſunt, ex quibus futura prædicimus. Cometæ vel ſunt ignes in ſublimi regione geniti, & tamdiu durantes, quamdiu pabulum, quo nutriuntur, durat; vel ſunt ſtellæ ſemper quidem exiſtentes, ſed ſtatis certis temporibus ex propria quadam cœli revolutione tantum nobis

appa-

Digitized by Google

apparentes. Stellæ cadentes dictæ vel fiunt ex attritu verarum ſtellarum, ipſarumque fragmentis; vel ex ejuſdem materiæ prolapſu, ut in fulgurationibus; vel ex coëuntibus atomis ignificis. Nubes vel gignitur ab exhalationibus, à terra, & aqua ſurſum elevatis; vel eſt aëris incraſſamentum, à ventis compellentibus factum. Ventus verò, cùm in anguſto inani multa ſunt corpuſcula, fit; unde atomi per hoc anguſtum inane pergentes celerius moventur, & aëris ſequitur agitatio, quæ Ventus dicitur: & contra quietus aëris ſtatus, cùm in multo inani pauca ſunt corpuſcula: gigni etiam poteſt ex halitibus, à terra, marique ſolis vi elevatis. Preſteres ſunt gyri ventoſi, producti à nube, à vento depreſſa, agitata, vel perforata. Fulmen fit ab igne in nube accenſo, & ventorum, vel ipſius ignis vi nube fracta, & conſciſſa, cum impetu exploſo. Fulgur producitur ex attritu nubium, quo ignea corpuſcula aggeſta calorem, & coruſcationem concipiunt: Tonitru vero ab iiſdem nubibus diffractis, vel à vento in ipſis fortiter agitato. Pluvia ex nubibus defluit, cùm vis venti eas urget, unde aqueæ particulæ in guttas coaleſcentes decidunt: Ros vero à vaporibus, ab humentibus locis elevatis, & in aëre coëuntibus, gignitur. Grando vel à vento frigido, aqueas guttas decidentes congelante efficitur; vel ſunt gelatæ nubis fragmenta, ab eadem conciſa delabentia. Nix eſt tenuis aqua à nubibus expreſſa, ea ratione, ut ſpumeſcat, quæ deinde à frigido condenſatur. Pruina ros eſt, à frigido vento in terræ ſuperficie gelatus. Iris creatur, vel quòd aër humeſcens adverſo ſolis ſplendore refulgeat; vel quòd ea fit ſpecialis natura tum lucis, tum aëris, ut hujuſmodi colores exprimat. Halos circa lunam generatur à craſſiuſculo, ſive nubiloſo aëre, undique circa ipſam evecto, & lunæ lumine irradiato. Sunt quædam Averna loca, venenoſis vaporibus, ab intimis terræ partibus exhalantibus, infeſta. Peſtilentia tandem à terra, intempeſtivis præſertim pluviis, & ardoribus putreſcente, produci ſolet: qua deinde putredine infectus aër, huc illuc vi ventorum perductus, Peſtilentiam parit, ex qua homines, & quandoque animalia pereunt: Et de Phyſicis ſatis.

Ethicæ, quæ potiſſima Philoſophiæ pars eſt, & quæ nos ad Finem, ſeu Summum Bonum conſequendum inſtruit, quæque media, quibus ipſum conſequamur, oſtendit, hæc Epicuri compendiſacta doctrina eſt. Conſiderandum tamen in limine eſt, quòd etiamſi communi omnium conſenſu, ut notat etiam Sen. de Vit. Beat. c. 1. vitæ Finis, ſeu Summum Bonum, Felicitas ſtatuatur; in hoc tamen vel multi errare ſolent, quòd vel quæ vera felicitas ſit, vel media, quæ ad ipſam adducant, ignorent. Hoc eſt, quod nobis Ethica præſtat, cujus præceptis bene utentes, & veram felicitatem adipiſci, & media ad ipſam producentia cognoſcere valemus.

Felicitas, ad quam omnes naturaliter tendunt, duplex eſt, altera quidem *Summa*, ſeu quæ nec creſcere, nec decreſcere poteſt, in qua ſcilicet nullum deeſt bonum, nullum adeſt malum, & hæc Dei propria, & ſola eſt: altera vero *Subalterna*, in qua vel bona aliqua deſunt, vel mala aliqua adſunt, intendi capax, & remitti, & hæc hominis felicitas eſſe poteſt. Ad quam felicitatem homines omnium maxime ducit *Sapientia*, ex qua homo habet unde dolores conſtanter toleret, & dum ipſis opprimitur, non vincatur.

Beatæ vitæ finis *Voluptas* eſt, principium, & finis, bonorum omnium, ex natura ſua quid bonum, dolor contra ex ſui natura quid malum: ſine Voluptate nulla felicitatis notio haberi poteſt; & tandem felicitas univerſa in Voluptate conſiſtit. Voluptas, in qua ſita felicitas eſt, dicitur *Indolentia corporis*, & *Tranquillitas mentis*. Quæ hanc Voluptatem pariunt potiſſimum virtutes ſunt. Corpori Medicinæ ars, menti Ethica medetur. Corporis morbos vel arcet, vel curat, vel leniores reddit Temperantia; corpore vero ipſos pa-

Digitized by Google

patiente, conſtantia, & fortitudine utendum. Principales animi morbi duo ſunt, *Cupiditas*, & *Metus*; quibus Philoſophia per virtutes medetur, quæ à recta ratione, & prudentia adhibitæ illos vel arcent, vel tollunt. A recta ratione, & libero arbitrio omnis virtutum laus eſt. Omnis virtus vel ipſa prudentia, & rectæ rationis dictamen eſt, vel ab ipſis regitur, ac pendet. Virtus quadruplex eſt, *Prudentia*, *Temperantia*, *Fortitudo*, & *Juſtitia*. De quibus ſingulatim; reliquæ enim omnes ad has referuntur.

Prudentia ars bene vivendi dici poteſt; ejus enim munus eſt vitam regere, & omnia, quæ in vita contingunt, ad beatam vitam dirigere: unde virtutum omnium munera complecti videtur. Prudentia igitur mala omnia tum animæ, tum corpori ne contingant, præcavet; & ſi contigerint, vel pellere, vel tolerantia minora reddere nititur. Prudentia triplex eſt, *Privata*, *Domeſtica*, & *Civilis*.

Prudentiæ Privatæ primum illud eſt, ut quiſque naturam, geniumque ſuum norit, & nihil repugnante natura adorſus, mature provideat de ſtatu, in quo vivere ſibi propoſuit, ac omnes vitæ actiones ſic accomodet, ut, quantum fieri poteſt, indolenter, ac tranquille vivat. Atque hinc fit, ut neque deſidioſi genii viro vita actuoſa, neque viro actuoſi genii deſidioſa ſequenda ſit. Omnis igitur cura, & ſolicitudo in ſtatus electione ponenda eſt, ut ille deligatur, in quo tranquillius vivere poſſimus. Quare ad bene vivendum ſecurior erit, qui neque valde emineat, neque abjectus ſit, ſed inter utrumque medius.

Prudentia Domeſtica, quæ vel conjugalis, vel paterna, vel herilis, vel poſſeſſoria eſse poteſt, nos admonet, quomodo nos erga uxorem, liberos, ſervos, & rem familiarem gerere debeamus, & primo, ſi cælebs ſine angore vivere non poſſis, ſolicite conſiderandum, an poteris moroſam uxorem, male moratos liberos, & quæ ipſis acciderint, incommoda patienter ferre. Si autem his tolerandis imparem te noveris, uxorem ducere non expedit. Sin contra maturum conſilium, vel neceſſitas aliqua ad nuptias te adegerit, uxor tibi morigera ducenda eſt, quam tui amantem, & domeſticarum curarum partem ſuſcipientem reddes; liberique bene educandi, ut patriis legibus obtemperantes, ſapientes evadere poſſint Servi autem, quorum poſseſſio parum jucunda eſse ſolet, ita tractandi, ut nunc pene inviti ipſos caſtigemus, nunc condonemus, præcipue ſi non malæ indolis ſint. Rei denique familiaris cura ita gerenda eſt, ut citra avaritiam, ac diteſcendi cupiditatem in futurum proſpiciamus: moderatus enim rei familiaris uſus ad vitæ tranquillitatem neceſsarius eſt.

Prudentiæ Civilis regula eadem fere cum ea, quæ de eligendo ſtatu modò tradita; hoc eſt, ne quis ad Reipublicæ regimen accedat, niſi publicis rebus gerendis idoneus; qui ſcilicet actuoſam naturam ſortitus, vel natali, vel doctrina, vel morum probitate illuſtris, publicam rem bene gerere valeat. Privata, & ocioſa vita actuoſæ præferenda quidem eſt, ſed non ſemper; nam ſive Reipublicæ urgens neceſſitas, ad regimen tenendum, vel ad leges ferendas, vel ad magiſtratus reformandos, nos compellat; ſive ut Principis locum teneamus, vel Principi conſiliis in regno prodeſse cogamur; tunc publicum bonum privatæ quieti præferendum: quinimo & ipſi in publicis his, magniſque muneribus animi tranquillitatem, corporiſque indolentiam habere poſsumus, modò ſapientes ſimus.

Temperantiæ munus eſt cupientem animum reprimere: minus enim indecorum eſt puſillanimitate demitti, quàm cupiditate efferri. Temperantia igitur tota in moderandis cupiditatibus verſatur; ac quæ ſint ſecundum rationem expetenda, vel fugienda, nos admonet. Ab ipſa enim didicimus, cupiditates illas fugiendas, ex quibus dolores, infamia, damna, & quandoque etiam judiciorum pœnæ proveniunt; iis enim devitatis majores inde voluptates oriuntur.

tur. Sed quia cupiditatum genera tria ſunt; aliæ enim cupiditates ſunt naturales, & neceſsariæ; aliæ naturales, ſed non neceſſariæ; aliæ neque naturales, neque neceſſariæ, ſed inanes: ideo de quibuſdam Temperantiæ ſpeciebus contra quaſdam cupiditatis ſpecies diſſerendum. De Sobrietate igitur, quæ opponitur gulæ; de Continentia, quæ libidini; de Lenitate, quæ iræ; de Modeſtia, quæ ambitioni; de Moderatione, quæ avaritiæ; ac denique de Mediocritate, quæ eſt inter ſpem, & deſperationem futuri, pauca dicamus.

Sobrietas nos ad victum tenuem, ſimplicem, & parcum componens, magnum ad vitæ ſanitatem conſervandam, atque inde ad corporis indolentiam procreandam, bonum nobis præſtat. Paucis quidem natura contenta eſt, iiſque paratu facillimis. Enimverò vulgatum nimis illud eſt, plures occidi gula, quam gladio. Præcipua autem, quæ ſobrietas parit, commoda, quatuor ſunt. I. Quia morbos omnes, quos gulæ intemperantia gignere ſolet, vel arcet, vel tollit, ac ſanitatem conſervat. II. Hominem ad vitæ uſus neceſſarios expeditum, & impigrum reddit; corpus enim æque ac mens cibis gravantur, & opprimuntur; & utriuſque functiones læduntur. III. Si quando per intervalla ſit menſa ſplendidior, majorem capimus, quàm adſueti, voluptatem. IV. Denique, quia vilioribus cibis ſemper utentes, paupertatem non timemus; ad ſobrie enim vivendum nemo pauper. Hinc Epicurus in Hortulorum foribus hoc inſcribi mandabat: *Hoſpes bic bene manebis; bic ſummum bonum Voluptas eſt: hoſpitalis domicilii cuſtos polenta te excipiet, & aquam large adminiſtrabit.*

Continentia adverſus libidinem, ſive abſtinentia à rebus venereis, eximia virtus eſt; venereorum enim uſus nunquam prodeſt, ſæpe etiam nocet: nam iis intemperanter potiſſimum uti, eſt vitam facere debilem, brevem, curis anxiam, morbis obnoxiam; & ſic levem hanc voluptatem multa excipient mala. Vir ergo ſapiens ſe ab amore capi non ſinat. Quod ut facilius conſequatur, primò tenui utatur cibo; nam ex nimio cibo augetur ſeminis copia, creſcitque amoris fomes. Secundo incommoda meditetur, quibus amantes obnoxii ſunt; ut virium, rei familiaris, famæ, & ſimilium jacturam. Tandem à Muſicis, & Poëticis abſtineat, à quibus voces, & cantilenæ, Deorumque mœchorum turpia exempla ſuppeditantur, quæ libidinis incentiva ſunt.

Lenitas, ſive Manſuetudo adverſus iram maxima, & omnium forte difficillima virtus eſt, quæ animum injuriis vulneratum ſanat, ſanumque ab iræ, vindictæque cupiditate ſic continet, ut neque ipſa emoveatur, neque indecorum aliquid fieri permittat. Ab ira tamen ſe continebit ſapiens rationis præſidio fretus, & mature perpendens, non eſſe in ſua poteſtate poſitum, ut cæteri juſti ſint, nec paſſionibus abripiantur; ſicque injurias tanti faciet, quanti damna, & incommoda, quæ ab anni tempeſtatibus, caſibus fortuitis, aliiſque cauſſis extra ſuam facultatem poſitis, ipſi accidunt. Tum etiam conſiderare poterit animi perturbationem, timorem, damna, & mala cuncta, quæ ab expleta vindicta oriuntur. Famæ denique bonæ gloriam, quæ non ulciſcendo injurias, ſed innoxie vivendo acquiritur; ſic enim mitis injurià ſuperiorem oſtendet animum. Si autem caſtigare debeas, citra iram id facias.

Modeſtia adverſus Ambitionem nos admonet, ut ſupra diximus, Reip. magiſtratus, & honores non affectare, niſi à Rep. tanquam ipſius regimini neceſſarii advocemur. Hinc occulta, & privata vita ab Epicuro commendatur; nam is bene vixit, qui bene latuit. Ambitio contrà curis moleſtiſſimis, ſolicitudinibus, inquietum reddit animum. In agris vero vivere, nullique publico muneri ſe addicere, per quàm beatum, & felix vitæ genus eſt. Non igitur ab externis, iiſque omnibus, quæ noſtra non ſunt, gloriam quærere, ſapientis eſt proprium.

Moderatio adverſus avaritiam dicitur illa animi diſpoſitio, qua quis vel

X pau-

paucis, vel ipſa etiam paupertate contentus vivens, nihil optat, nihil quærit. Hic ſua ſorte, qualiſcumque ei contigerit, lætus, & contentus, cum divina fere felicitate contendit: nam ſicuti Deus nullorum indigens bonorum nec quid optet habet, ſed in ſe ditiſſimus eſt; ita ſapiens Deum ipſum imitatus non indiget, quia non avet, & ſimplicibus, cunctiſque obviis naturæ bonis utens hilaris vivit. Cum autem paucis natura contenta ſit, non ille felix, qui multa poſſidet, ſed qui nihil cupit; nam cui pauca non ſufficiunt, ei nec plurima ſatis erunt. Si igitur ad naturam vixeris, nunquam eris pauper, ſi ad cupiditatem, nunquam dives: bonorum enim cupiditas inexplebilis eſt, mentemque cruciat.

Mediocritas inter ſpem, & deſperationem futuri, ſapienti neceſſaria eſt. Hæc docet, nos in rebus futuris, ſed contingentibus, nec certe ſperare, nec omnino deſperare debere. Utrumque igitur extremum fugiendum; quod hæc potiſſimum ratio ſuadeat, non eſſe futurum aliquod, quod certe eventurum ſperamus, quod ex multis cauſſis forſan diverti valeat; & contra.

Fortitudo, quæ metui, ac puſillanimitati opponitur, virtus eſt nos erudiens corporis, & animi mala cuncta, futura quidem non metuere, præſentia vero conſtanter tolerare. Fortitudo ab audacia differt, quod illa virtus ſit, ex recta ratione, animique conſilio proveniens; hæc vero à natura, unde & brutis etiam tribuitur. De duplici autem illo graviſſimo metu, Numinis ſcilicet, & Mortis, qui omnem ab hominum animo voluptatem tollit, verba hic faciens, mirum quam impia, & ſtulta profert. Et Numinis quidem metum vanum eſſe hominum figmentum, ait, qui Numini eos tribuunt animi affectus, quibus ipſi obnoxii ſunt: unde eos iræ, & gratiæ capaces effingentes, & pœnas timent, & præmia expectant. Hoc autem divinæ naturæ contrarium dicit, quod ipſa, ut ſumme felix, & beata in ſe, & de ſe ſit, quieta, & nullis turbanda curis, vel fatiganda laboribus eſſe debet. Atque hinc educit, nullâ Deorum irâ, vel gratiâ, ſed caſu cuncta in mundo accidere: ac Deos proinde omnes venerandos quidem ob eorum majeſtatem, ſupremamque naturam, ſed nec precandos, nec timendos. Mortis vero metus, qui omnes fere hominum mentes ſumme excruciat, vanus dicitur, quòd mors nihil ad nos pertineat; quod ſic probare conatur: Quicquid doloris, vel voluptatis in nobis eſt, à ſenſibus ſit; ſed ſenſus per mortem diſſolvuntur, mors enim privatio ſenſus eſt; nulla ergo poſt mortem voluptas, neque dolor eſſe poteſt. Nec quid poſt mortem timendum docebat, pereunte cum corpore etiam anima. Neque timendam mortem tanquam dolorum maximum, dicebat, quòd ſperandum ſit, aut nullum fore in morte dolorem, aut ſi ſit, brevem fore. Tandem non timendam, quòd ſit ceſſatio ab iis, quibus fruimur, voluptatibus; nam nequit hoc terrorem incutere, cum nihil vitæ ſuperſit, in qua dignoſcere valeas, eſſe non vivere quicquam mali. Præterquam quod non ille felix dicendus eſt, qui ſenex diem obiit, ſed qui voluptatum plenus deceſſit.

Fortitudo adverſus corporis dolores virtus ſapientis propria eſt, qua omnes corporis cruciatus æquo, fortique animo ſuperat, id potiſſimum perpendens, quòd dolor omnis ſi longus levis, ſi magnus brevis eſſe ſoleat; ſicque & magnitudinem brevitas, & diuturnitatem levitas conſoletur. Cogitet inſuper ſapiens, ſe nihil poſſe facere ea virtute, ac ſapientia, quàm profitetur, dignius, quàm ſi dolori non ſuccumbat, ſed patientiâ hoſtem tam infenſum ſuperet. Sicut igitur prudentiæ eſt dolores omnes à corpore arcere, & ne accidant, omni induſtria, & conatu præcavere; ita Fortitudinis eſt, eum jam caſu, vi, vel natura acciderint, tolerare. Dolorem etiam levare ſapiens poterit lætis illis cogitationibus, quæ ex virtutum, ſapientiæ, ſtudiorum, inventorumque ſuorum jucundiſſima recordatione procedunt.

Eandem

Eandem Fortitudinem adverſus animi ægritudines ſapiens habere debet; quas omnes non à natura, ſed à propria opinione creari, Epicurus his rationibus probare contendit. Et quidem ſi à natura animi ægritudo eſſet, doleret animus ex amiſſione liberorum, famæ, vel peculii, etiamſi hæc neſciret amiſſa: ſi ergo animus æger non eſt, niſi ad hæc jam amiſſa animadvertens; manifeſtum eſt, non à natura, ſed ab animi adverſione, ſive opinione mali procedere ægritudinem. Accedit, quod ægritudo ob metum futuri mali à nihilo procederet, cum malum jam non extet, niſi tantùm ab opinione veniret. Adde, quod ſi quis pater verum filium pro ſuppoſititio, & ſuppoſititium pro vero habeat, ex morte primi non dolebit, ex morte tamen ſecundi angetur: quod non natura, ſed opinio tantum efficiet. Quibus adjiciam, multa eſſe mala, quæ nullam in animum ægritudinem inducunt ex hoc ſolum, quia non ut mala reputamus; & ſtultum nullam pati animi ægritudinem, corporis tamen dolores ſentire. Ex quibus clariſſime educitur, corporis dolorem à natura eſſe, ac proinde difficiliùs eſſe, animum ab illius ſenſatione avocare; animi vero ægritudines ab opinione præſentis, vel futuri mali creari: unde & facile ſapienti ſit mentem ab opinione illa, quæ animum maxime turbare ſolet, diducere. Ut autem ſapiens mentem ab his opinionibus liberet, primùm adverſus fortunæ ictus ſe comparet: deinde cogitet, bona cuncta externa nec nimia contentione expetenda, cum non adſunt, nec magni facienda, cum adſunt; noſtra enim revera non ſunt, ſed fortunæ exinde bona dicuntur, quia pro fortunæ arbitrio & adeſſe, & abeſſe poſſunt. Provideat igitur ſapiens, quid facturus ſit, ſi fortunæ, vel alius generis bona amittere contigerit: quod cum evenerit, non inani ſe mœrore conficiat, ſed æquo ferat animo, id à fortuna repeti, quod non dederat, niſi commodato. Tandem ſi ſapiens ex diuturna bonorum fruitione opinionem illam prorſus expungere nequeat, ægritudinem ſaltem levet, avocando mentem à cogitanda moleſtia, & cauſſam illam inducente, & ea cogitando, quæ menti grata, & jucunda eſſe agnovit; ut modo de dolore dictum.

Juſtitia, quæ homines ſocietate nectit, & ſine qua nulla diuturna ſocietas eſſe poteſt, virtus eſt, quæ ad alios dirigitur, nam unicuique quod ſuum eſt, tribuit, & ne ulli injuria fiat, præcavet. Per ſe, ſicut & reliquæ virtutes, optabilis non eſt, ſed quia voluptatem parit: Juſtitia enim animum tranquillum facit. Jus, ſeu Juſtum, à quo Juſtitia dicta eſt, naturale bonum eſt, & à natura ad ipſum expetendum ducimur. Naturalis igitur Juris eſt, ut homines invicem neque lædant, neque lædantur, ſicque ſecure degant. Ex quo homines in ſocietatem coire ſtatuerunt, communia quædam jura ſibi obſervanda fecerunt, ut nemo ipſorum alterum vel in rebus, vel in fama, vel in vita læderet; ſi quis vero contra faceret, lædentem punire omnibus jus eſſet. Ex quo igitur ſocietas fuit, lex prima, & una fuit, ut quiſque juribus tantum ſuis uteretur, aliena vero jura non violaret. Deinde tota ſocietas ſuam illam injuſtos puniendi facultatem in unum, vel paucos, qui optimi, & ſapientes eſſent, tranſtulit. Ex his deducit Epicurus, injuſtitiam non eſſe aliquid ſecundum ſe malum, ſed malum quia contra communem ſocietatis legem; nam quod in una ſocietate, injuſtum eſt, in alia juſtum eſſe poterit, ſi nulla in ea lex ſit, quæ illud prohibeat. Sapiens vero non ex legis metu juſtus eſſe debet, ſed etiam ſi leges non eſſent, juſte vivere. Si tamen aliquid acturi dubii hæreamus, bonus vir aliquis nobis eligendus, & ob oculos ſemper habendus, ut ſic tanquam illo ſpectante omnia faciamus.

Beneficentia, Gratitudo, Pietas, Obſervantia, virtutes ſunt Juſtitiæ affines; ad ipſas enim non ex pacto inito, ſed ex officio quodam Juſtitiæ fere ſimili tenentur homines ſocietate juncti. Ad Beneficentiam nos compellat non

tam eorum, quibus beneficia præſtamus, utilitas, quàm noſtra: ſi enim non præſtemus, barbari, immitis, & inhumani nomen, ac, quod ad moleſte vivendum aptum eſt, contemtum, & odium aliorum incurrimus; ſin contra præſtabimus, benefici, liberales, humani audiemus, &, quod ad beatam vitam conducit, aliorum benevolentiam acquiremus. Qui vero beneficium accepit, ad Gratitudinem tenetur erga beneficum ſuum. Hoc autem nemo melius præſtare novit, quàm ſapiens, qui beneficienti præſenti, & abſenti, vivo, & vita functo, ejus etiam liberis, & amicis ſemper gratus eſt. Pietas etiam Gratitudinis ſanctiſſima ſpecies eſt, quam erga parentes primario colere tenemur; nam ſi cæteris quidem alia debemus, parentibus tamen debemus nos ipſos. Secundo erga conſanguineos, quibus parentum vinculo alligamur. Tertio erga Patriam, quæ nos naſcentes excepit, natos aluit, ac defendit. Quarto erga concives, quibus patriæ nexu juncti ſumus. Tandem erga Principes, & Magiſtratus, qui patriæ caput cum ſint, ipſam repræſentant; & erga homines omnes, quibus natura, communi veluti matre, jungimur. Obſervantia demum nos edocet, eos omnes colendos, ac venerandos, qui vel natura, vel ætate, vel dignitate, vel ſapientia ſupereminent. Hinc ad Obſervantiam Epicurus refert Religionem, qua Deos colere tenemur, non quia ab ipſis bonum aliquod vel accepimus, vel expectamus; non quia malum aliquod timemus, ſed quia naturâ, quæ æterna, & in ſe beatiſſima eſt, nos antecellunt.

Amicitia poſtremò omnibus ſocietate viventibus neceſſaria virtus ad beate vivendum, & quæ ſecuritatem, ac magnas vitæ parit voluptates, ex utili, & dulci ortum ſumſit. Amici tamen cum delectu comparandi; hoc eſt, non querulos, difficiles, moroſos, & ſuſpectos parare oportet; ſed qui candore, ſimplicitate, bona fide, morum probitate, alacritate ſuavem reddere vitam poſſint. Ante igitur videndum cum quibus edas, & bibas, quàm quid edas, & bibas. Tales autem amicos eſſe oportet, ut diuturna Amicitia ſit, ut mutua inter ipſos participatio bonorum ſit, & voluptatum: ex amicorum enim bonis capere plena fiducia amicus poteſt, non ſecus ac ſi ſua ſint; neque ad hoc neceſſe illud eſt, quod quidam putarunt, ut in communi amicorum opes deponantur, hoc enim diffidentium eſt, ſed ſufficit, ſi mutua, ac libera bonorum participatio ſit. In mutua quoque voluptatum, & dolorum participatione vera conſiſtit Amicitia; hoc eſt, verus amicus ille dicendus, qui ut de ſuo, ſic de amici bono lætatur, de malo dolet; & quos labores ipſe ad ſuam voluptatem obtinendam ſumſerit, eoſdem, & mortem ipſam, ſi opus ſit, pro amici bono ſumere paratus ſit. Et ut verbo rem abſolvam, vera, ac diuturna Amicitia in mutua ſincera dilectione conſiſtit. Hæc autem Amicitia nonniſi inter ſimiles eſſe poteſt; unde illud: *Amor ſimiles aut invenit, aut efficit*. Quod & Horatius innuere viſus eſt, dum ait:

Oderunt hilarem triſtes, triſtemque jocoſi.

Tales porro ſunt ſapientes, quos eadem ſapientia inſtruit, ac moribus ſimiles reddit. Atque de Epicuri Ethica, omnique Philoſophia hæc breviter dicta ſufficiant.

Pro hujus capitis coronide illud hic adnotabo, magnam inter ſcriptores fuiſſe controverſiam in decernendo quid Epicurus *Ἡδονῆς Voluptatis* nomine intellexiſſet. Certum enim illud eſt, ipſum unicam actionum omnium cauſſam, ac vitæ finem in delectatione, ex bono, quo animus fruitur, poſuiſſe. Hinc antiquorum plures, Stoici potiſſimum, affirmant, eum vel omnino, vel præcipue à voluptatibus corporis, quas cum beſtiis communes habemus, ſummum bonum metitum fuiſſe; ac variis ejus voluminum locis probare ſatagunt, ipſum Voluptatis nomine eam tantum, quæ à ſenſibus provenit, ſignificaſſe. Quod con-

confirmare videtur Clem. Alex. 2. Strom. ubi de Democrito loquens ſubdit: *Ei autem Epicurus quoque aſſentitur, & quicumque in Voluptate, moleſtiæque, & doloris vacuitate bonum collocant*. Clarius vero ibidem expreſſit, dum ait: *Epicurus autem exiſtimat, omnem effici lætitiam ex carne primo affecta*. Contra vero Laërtius, qui de Epicuro Apologiam confecit, Seneca, licet Stoicus, Divus Hieronymus, aliique, quos refert Gaſſendus in ejus Vita, pluribus tum ex ejus doctrina, modò in Ethicis tradita, tum ex ejus frugali vita deſumtis argumentis probant, Epicurum per hanc Voluptatem eam intellexiſſe, quam ex ſtudiis, illuſtribuſque actionibus habemus, ac ſine qua ad nullas penitus virtutes contenderemus, ſi in earum exercitatione, & adeptione Voluptas non eſſet. Ipſum igitur bonæ frugis Philoſophum, in Deos, patriam, & parentes pium, in reliquos etiam beneficum, gravem, temperantem, & ſolo pane, & aqua contentum tradiderunt, & laudaverunt; cùm vero precioſius epulari voluiſſet, vini, caſeique modico uſum. Maledicum in cunctos fuiſſe, ejuſque maledicentiam Zenonem Epicureum imitatum tradunt. Et Plutarchus in lib. contra Epicurum affirmat, ipſum tam magnifice de ſe ſenſiſſe, ut neminem præter ſe ſapientem diceret, aut eos, qui è Schola ſua prodirent.

Inter præclaros ejus diſcipulos recenſentur tres ejus fratres Neocles, cujus eſt adagium illud: *Occultus vive*; ſive, ut Græca verba ſonant, λάθε βιώσας, *Delitescens vivens*, Chæredemus, & Ariſtobulus; Mus ejus ſervus; tres ejus familiares, quos ex Epicuri contubernio magnos viros prodiiſſe apud Sen. Ep.6. legitur; Metrodorus ſcilicet Lampſacenus, qui pene alter Epicurus dicitur à Cic. 2. de Fin. c. 28. Polyænus, ſive Philodemus à Laërtio dictus, Lampſacenus, Mathematicus, vir modeſtus, & amabilis, ut Cic. ait; & Hermachus Mitylenæus, Epicuri ſucceſſor; hujus vero Dionyſius; & hujus Baſilides; aliique, quos enumerat Laërtius in ejus Vita: ubi etiam Apollodorum Illuſtrem memorat, Zenonis Sidonii præceptorem, cujus Zenonis ſæpe Cicero meminit. Scripſit hic Apollodorus ad 300. tractatus varii argumenti, Epicurique Vitam. Præterea tres feminæ cum Epicuro philoſophatæ ſunt, Leontium, Themiſta, & Philænis. Nec pauci Romanorum huic ſectæ ſe addixerunt, inter quos T. Lucretius Carus, Poëta Latinus, ex illuſtri Romanorum familia ortus, qui Athenas ad diſciplinas comparandas à parentibus miſſus, Epicuream Philoſophiam ſub Zenone, & Phædro Epicureis edoctus, ipſam ſex libris ſub titulo *de Natura Rerum* heroico carmine conſcripſit. Potu philtri amatorii, ipſi à Lucilia exhibiti, mortuus eſt anno æt. 42. vel 43. Olymp. 181. Caſſius etiam, qui Cæſarem ſuſtulit, & Petronius Arbiter. Epicureus fuit etiam Lucianus, amicus Celſi Epicurei, qui adverſus Chriſtianos ſcripſit; & Maro, ut Voſſ. de Sect. c. 7. refert. Notandum poſtremo hic eſt, Epicureos, qui omnium Philoſophorum maxime Chriſtianæ Religioni opponuntur, dicere, quædam eſſe apud ſe arcana, & non permittere omnibus, ut ea ſcripta legant.

CAPUT XVI.

De Secta Eclectica.

CUm nemo ex antiquis Philoſophis omne verum perſpicere, & Syſtema omnibus numeris abſolutum invenire potuiſſet; nova hæc Secta (ſi nova Secta dicenda ſit, quæ nulla condidit nova in Philoſophia dogmata) Alexandriæ effloreſcere viſa eſt; quæ ex eo quod optima quæque à Philoſophis omnibus excogitata, recto judicio, delectuque excerpſerit, & in unum ſelegerit,

Ἐκλε-

Digitized by Google

Ἐκλεκτικὴ Græcis, Latinis *Electiva*, *& Electrix* dicta eſt, ut interpretatur Lipſius de Phil. Stoic. l. 1. & Voſſius de Sect. Phil. c. ultimo. Et quidem cum in omnis ſectæ dogmatis boni, malique aliquid mixtum ſit, Cæſaris Auguſti, & Tiberii temporibus, & paulò ante Laërtii ætatem, πρὸ ὀλίγου, ut ipſe Laërtius ait, rectius ſapere incipientes non pauci,

Nullius addicti jurare in verba magiſtri,

veritatem, ubicumque lateret, inveſtigare cæperunt. Quod philoſophandi genus, reliquis quidem præſtantius, poſtquam ſumme laudavit ex Chriſtianis Philoſophis Clemens Alexandrinus 1. Strom. p. 188. ſic ſectam hanc, cui addictus erat, deſcripſit: *Philoſophiam autem non dico Stoicam, vel Platonicam, aut Epicuream, vel Ariſtotelicam, ſed quæcumque ab his ſectis recte dicta ſunt, quæ docent juſtitiam cum pia ſcientia; hoc totum ſelectum dico Philoſophiam*. Hoc idem pluribus in locis commendatum à Platone legimus, cujus præ cæteris Philoſophis magna in hac ſecta autoritas erat, præcipue vero in Gorgia, ubi ait: *Omnino non tam quis dixerit, ſed quam recte dicatur, conſiderandum eſt*. Et Ariſtoteles, quem poſt Platonem magni faciebat Schola Eclectica, idem ſuadebat 1. Ethic. 4. dicens: *Cum enim & viri illi (à quibus opiniones præconceptas accepimus) & veritas in precio nobis ſit; religio tamen poſtulat, veritatem ut præferamus*. Et Galenus quidem ipſe de ſe teſtatur, à parente admonitum, ne cui Sectæ ſe addiceret, ſed omnes diſcendo, & judicando de omnibus laudem ſibi quæreret: quod diligenter feciſſe gloriatur. Imo & plures ſui ævi medicos Eclecticos Philoſophos fuiſſe refert. Quintilianus etiam Inſtitutionum 3. 19. gloriæ ſibi ducit, quod nulli ſectæ ſe addixerit, hoc eſt, Ἐκλεκτικὸς fuerit. Nec miretur fortaſſe quiſpiam, me inter Græcorum Sectas Eclecticam numeraſſe, quæ Alexandriæ primum orta, & exculta inter Barbarorum Sectas potius eſſet reponenda. Nam præterquam quod Græcorum plures Potamonis ſucceſſores ipſam Alexandria Athenas advectam ad annos plurimos publice docuerunt, & ſic Athenarum civitate donatam dicere æquum eſt; Secta hæc patria quidem Barbara, origine autem Græca dicenda eſt, quod ex Græcorum Philoſophorum excerptis delectu doctrinis orta ſit. Hæc tamen Secta Sanctiſſimæ Chriſtianæ Religioni omnium maxime conſona eſt, quæ ſcilicet ex ſingulis Philoſophorum Sectis, quæ Fidei, rationique concordent, dogmata ſeligens, Chriſtianum, ac undique perfectum Philoſophum conſtituat. Hujus autem tam præclaræ, ac ſumme laudabilis Sectæ Autor extitit.

P O T A M O N

QUem Alexandrinum Suidas, & Laërtius faciunt, quod Alexandriæ, quæ eo tempore ob ſtudia, celebremque Ptolemæorum Bibliothecam, eruditorum vel patria, vel Xenodochium erat, natus ſit, ibique Scholæ præfectus fuerit. De Potamonis tamen hiſtoria nihil ad nos ex antiquitate manavit præter ejus mentionem, quam ſemel Laërtius in Procemio, & bis Suidas facit, in loco ſcilicet, ubi de Potamone, ſed paucis agit, & in explicatione vocis Αἵρεσις, qui locus à Laërtio ad verbum deſumtus eſt. Potamonis ſcripta duo numerantur, Στοιχείωσις à Laërtio memorata, quam Heſychius Interpretatur Διατύπωσις, vel Πρώτη Μάθησις, *Delineatio*, vel *Prima Inſtitutio*, in qua ipſe Philoſophiæ præcepta ex variis ſectis decerpta collegit: alterum à Suida relatum Εἰς Πλάτωνος Πολιτείας Ὑπόμνημα, *In Platonis de Rep. librum Commentarium*; quod clare oſtendit, Potamonem, ejuſque ſectatores Platonis doctrina præcipue delectatos. Hic autem finis Potamoni Electivam ſectam inſtituendi occaſionem dedit, ut ſcilicet Scepticiſmum, & Epicureiſmum confrin-

geret;

geret; quorum ille per ſuam ἀκαταληψίαν & homines ad ſtudia ignavos, Imperitoſque reddebat, ac religionem nullam ſtatuebat; hic vero impiis ſuis dogmatis religionem omnem funditus evertebat. Potamonis

SECTATORES ETHNICI.

QUamvis proprie loquendo, ut ſupra quoque innuimus, hoc philoſophandi genus, ex quorundam eruditorum ſententia, ſectæ nomine inſigniri non debeat, nec qui ipſum ſecuti ſunt, ſectatores appellari; placet tamen hic eos omnes, qui Potamonis mentem, exemplum, & veſtigia ſectati ſunt, Sectatores nuncupare: quos in Ethnicos, & Chriſtianos dividere ordo eſt.

Ex Ethnicis Eclecticis illuſtres fuere Plotinus, Herennius, & Origenes (alter tamen ab Origene Adamantio, qui meritis, & erroribus in Eccleſia celebris fuit, ut teſtantur Valeſius, & Huetius) qui condiſcipuli cum eſſent Ammonii Saccæ (de quo, quum Chriſtianus fuerit, inferius ſermo erit) conjunctim vivebant.

Plotini vitam, & ſcripta prolixe narrat Porphyrius, qui refert, eum vixiſſe à decimotertio Severi Imperatoris anno uſque ad annum ſecundum Claudii: anno ætatis 28. Philoſophiæ operam dediſſe: ac reliquis Alexandrinis Philoſophis, animo tamen non ſatisfacto, auditis, annos 11. Ammonium Saccam audiviſſe: cum Imperatore Gordiano, ad Perſas exercitum ducente, profectum, eoque in Meſopotamiæ finibus interemto, Romam veniſſe, ibique Eclecticam Philoſophiam docuiſſe. Sed quia hic, propterea quod Philoſophiam Romæ docuit, inter Romanorum Philoſophos numerandus eſt; de ipſo in ſequenti libro redibit ſermo; ubi etiam de Porphyrio, Jamblicho, aliiſque Romæ docentibus, iterum ſermo erit. Inter ejus diſcipulos præcipui, & familiares ipſi fuere Amelius Tuſcus, qui Amerius dici malebat, Paulinus Scythopolites, Euſtochius Alexandrinus, Zothicus, Zethus Arabs, Caſtricus Firmus, Marcellus Orontius, Sabinillus, & Rogatianus Senatores Romani, Serapion Alexandrinus, & Porphyrius Tyrius, Malchus patria lingua dictus, deinde Porphyrius, quòd veſte purpurea propter nobilitatem uteretur, ut ait Suidas. Pertinaciſſimus hic Chriſtiani nominis hoſtis fuit, quindecim ſcribens adverſus noſtram Religionem volumina, quibus deinde Methodius, Euſebius, & Apollinaris triginta Apologeticis libris reſponderunt. Porphyrius à Plotino emendandis ſuis ſcriptis præfectus eſt. De Porphyrii vita, & ſcriptis luculentam diſſertationem edidit Lucas Holſtenius. Plotini ſcripta in ſex Enneadas à Porphyrio digeſta Græce, & Latine edidit Marſilius Ficinus Baſileæ a. 1580. De Herennio nonniſi Porphyrius mentionem facit.

Origenes Ammonii diſcipulus, an unus Adamantius fuerit, inter Chriſtianos celeberrimus, an alter præter ipſum, qui Plotini, & Herennii contubernalis, quæſtio eſt inter autores. Adamantium autem Ammonii diſcipulum extitiſſe, Porphyrius, Euſebius, Nicephorus, & Suidas clariſſime teſtantur. Unum quidam fuiſſe affirmant; Valeſius tamen in Annotat. ad Euſeb. Hiſt. & Huetius Origenian. l. 1. c. 1. validis argumentis evincunt, duos diſtinctos fuiſſe Origenes.

Porphyrii diſcipulus fuit Theodorus Aſinenſis, & Jamblichus Chalcidenſis ex Cœleſyria, qui Conſtantini, & Juliani ætate maxime floruit. Hic ab Euſtathio Μέγας Φιλόσοφος, *Magnus Philoſophus* appellatur; ab Eunapio, qui ejus hiſtoriam cum reliquorum Philoſophorum vitis deſcripſit, Φιλόσοφος ὀνομαστότατος, *Philoſophus maximi nominis*, & θαυμάσιος, & διδάσκαλος θειότατος, *admirabilis, & diviniſſimus doctor*; & à Proclo θεῖος Ἰάμβλιχος, *divinus Jamblichus*

blichus nuncupatur. Secundas poſt præceptorem Romæ obtinuit. Scripta ejus hæc præcipue narrantur: *Vita Pythagoræ* (unde & Pythagoricus creditus eſt; verum Eclecticam profeſſus eſt, quam ex Pythagorica, Ægyptiaca, & Platonica ornatam magis reddere conatus eſt) *Adhortationes ad Philoſophiam: De communi Mathematica ſcientia: In Nicomachi Geraſeni Arithmeticam Introductio: De Myſteriis Ægyptiorum: Collectio Pythagoricorum dogmatum*. Diſcipulos habuit præclaros, in quibus Eclecticæ Scholæ ſucceſſio conſervata fuit, Sopatrum Syrum, Ædeſium, & Euſtathium Cappadoces, cujus poſterioris conjux Soſipatra, Chaldaicæ ſapientiæ myſteriis initiata, virum quoque eruditione ſuperaſſe dicitur; atque Theodorum, & Euphraſium Græcos, quos omnes recenſet Eunapius.

ÆDESII diſcipuli extitere Antoninus, Soſipatræ filius, qui Alexandriæ uſque ad Theodoſii tempora Eclecticam profeſſus eſt; Chryſanthius Sardianus; Priſcus Theſprotius; Euſebius Myndius, & Maximus. Imperator quoque Julianus partim ab Ædeſio, partim ab ejus diſcipulis inſtitutus, qui & Jamblichi etiam diſcipulus dicitur à Gregorio Nazianzeno. Orationem ad *Regem Solem* Julianus compoſuit, Eclectica Philoſophia refertam. Chryſanthii diſcipulum ſe fatetur Eunapius, qui poſt Theodoſii imperium floruit. Deinde apud Alexandrinos floruere Syrianus, Hierocles, Plutarcho Athenis philoſophanti coævus, & Olympiodorus, Hieroclis coætaneus, & in Procli præceptoribus clarus. Sunt qui Olympiodorum Peripateticum faciunt. Hujus meminit Suidas. Scripſit Commentaria in Ariſtotelem, & Platonem. Vide Jonſium de Script. Hiſt. Phil. 3. 18. Atque in his Eclectica Philoſophia Alexandriæ finem habuit, quam deinde Alexandriâ Athenas advexit.

SYRIANUS patria Alexandrinus, non Gazæus, ut putavit Jonſius, Jamblichi diſcipulus, qui Athenas adveniens ſub Plutarcho Neſtorei filio, Platonicam Philoſophiam ibi docente, multum in ea profecit; quam deinde Syrianus cum Orphei, & Pythagoræ Philoſophia componens, Eclecticam fecit, ac profeſſus eſt ſect. 5. Ipſi Suidas tribuit *lib. 10. de Orphei Theologia*, *& de Oraculis*, *& conſenſum Orphei*, *Pythagoræ*, *& Platonis*; licet alibi idem Suidas eos libros Proclo, Syriani diſcipulo tribuat. Athenis Philoſophiam docuit, Platoni præ cæteris addictus. Vixit ſec. 5. Scripſit in totum Homerum Commentarios; in Remp. Plat. atque alia. In diſcipulis Syriani à Damaſcio laudatur Hermias Alexandrinus, cujus uxor Ædeſia, cognata Syriani, Philoſophiæ ſtudiis etiam incubuit. Idem Damaſcius, Suidas, & Marinus in Vita Procli c. 26. Syriani diſcipulis, adnumerant Domninum Syrum, Lycium, &

PROCLUM Philoſophum, & Mathematicam inſignem, natum, ut vir clar. Joh. Albert. Fabricius notat, 8. Febr. A. C. 412. mortuum vero a. 487. Præter Syrianum, Plutarchum etiam Athenis brevi tempore, & Olympiodorum Alexandriæ audivit. Vitam, & ſcripta Procli prolixius examinavit Marinus, quem vide. Syriano in Athenienſi ſchola ſucceſſit. Chriſtianos peculiari ſcripto impugnavit. Quare de ipſo Gul. Cave in Chartophylacio ſic ait: *Hic eſt ille Proclus* (*inquit Suidas*) *ſecundus à Porphyrio*, *qui impuram ſuam*, *& contumelioſam linguam adverſus Chriſtianos exacuit. Sed adverſus hunc calamum feliciter ſtrinxit Joh. Philoponus*. Vide etiam Voſſium de Mathem. p. 165. & de Nat. Logic. p. 70. Franc. Bacon. Nov. Organ. l. 1. Aphor. 96. Zonar. in Annal. Caſaub. in Not. Spartian. Petr. Ram. Schol. Math. &c. Ejus ſcripta Latine reddiderunt Franc. Patric. Æmil. Port. & Leo Allatius. Inter innumeros Procli diſcipulos præcipui fuere Heliodorus, & Ammonius, Hermiæ filii, & ejuſdem Procli apud Syrianum condiſcipuli; Hierius Plutarchi filius, Aſclepiodotus, Zenodotus, Severianus, Ulpianus Gazæus, & Marinus Vitæ Procli autor,

& in

Digitized by Google

& in Schola ſucceſſor, natus Flavia Neapoli, urbe Samariæ prope montem Garizim. Ex Marini diſcipulis unus Agapius à Suida memoratur.

Marino in Schola ſucceſſit Hegeſias; huic vero Iſidorus, primùm quidem Procli, deinde vero Marini auditor. Iſidori ſucceſſor fuit Damaſcius Damaſcenus, ejus quoque, & Aſclepiodoti diſcipulus, qui Juſtiniani Imperatoris ætate floruit, ut Agathias refert Hiſt. l. 11. ubi ipſum inter celebres ſui ævi philoſophos recenſet. Hunc Suidas Syrum fuiſſe narrat, & inter Stoicos numerat; aliique, ſcripſiſſe Hiſtoriam Philoſophorum; quæ etiam Voſſii ſententia eſt l. 2. Hiſt. Græc. c. 22. Iſidori ὁμιληταὶ, familiares, ſeu diſcipuli fuere Simplicius, & Eulalius, ambo Phryges. Johannem etiam Philoponum inter Ammonii diſcipulos refert Jonſius. Et de Eclecticis Ethnicis ſatis.

ECLECTICI CHRISTIANI.

Inter Chriſtianos, qui Potamonem ſectati ſunt, primas ſibi vendicat Ammonius, cognomento Saccas, quod mercibus ex portu Alexandrino comportandis victum ſibi quæſiverit. Hic circa Imp. Commodi tempora vivens partim aliquem ex Potamonis diſcipulis audiendo, partim ejus ſcripta, apud Alexandrinos tunc minime obſoleta, legendo, Eclecticam didicit, quam deinde Alexandriæ publice docuit. Hierocles de Provid. apud Photium p. 549. ipſum divinitus edoctum, ejuſque ſapientiam orbi tunc illuxiſſe, prædicat, cum homines contendendi ſtudio magis, quàm veritatis inquirendæ amore, philoſophabantur. Ejus laudes, & doctrinam vide apud Ammian. Marc. lib. 22. fin. Suid. v. Ωριγεν. & cit. Phot. loc. Euſebius, & Hieronymus Ammonium ſumme laudant, & inter Eccleſiaſticos Scriptores numerant: ſcripſit enim, referente Euſebio, librum *de Conformitate Moſis cum Jeſu Chriſto*; & præclaram illam *Harmoniam Evangelii*, qua magno labore, & ſtudio probare conatus eſt, Evangeliſtas *Monoteſſaron* efficere, hoc eſt, ex quatuor Evangeliſtis unum, & conforme Evangelium fieri. Ex hoc opere Euſebius ſuos *Canones Evangelicos* compoſuit. Autores quidam putant, hanc *Concordantiam Evangeliſtarum* eandem eſſe cum ea, quæ ſub Titiani nomine circumfertur: ſed hoc non adeo verum eſt. Quæ autem ſub ejus nomine Bibliothecæ PP. inſerta legitur, neque ipſius, neque Titiani creditur. Vide Morery ſup.

Titus Flavius Clemens patriâ Alexandrinus, vel ſaltem, ſi Athenienſis, ut probabilius quibuſdam viſum, Alexandrinus dictus, quòd Alexandriæ diu vixerit, ibique Eclecticam Philoſophiam, ac Chriſti doctrinam didicerit, & docuerit; circa finem ſecundi Seculi floruit, vel circa principium tertii ſub imperio Alexandri Severi, ejuſque filiorum Getæ, & Caracallæ. Græciam, Italiam, Orientales plagas, Palæſtinam, & Ægyptum, ut ipſe de ſe teſtatur, peragravit ad veritatem, cujus amore tenebatur, cognoſcendam. Poſtremo Pantæni, Alexandriæ inter præceptores omnes Chriſtianos celeberrimi, auditor fuit, cui in Scholæ regimine ſucceſſit, Alexandrinæque Eccleſiæ Presbyter creatus eſt. Eum quidem Stoica Philoſophia animum primo imbuiſſe, tradit Euſebius H. E. 5. 10. forte quòd Stoicorum doctrinas, maxime ad hominum mores ſpectantes, ut Hieronymo Comment. in Ep. 11. obſervatum, propius ad Chriſtianæ diſciplinæ ſeveritatem accedere animadverteret. Deinde vero ex reliquorum Philoſophorum lectione, quæ Religioni, ac rationi conſona eſſent, ſeligens, Eclecticam profeſſus eſt; ſicque veritates, quas ex uno Philoſopho derivare non licebat, ex omnibus conquiſivit. Mos tamen ipſi erat, neminem in Chriſtiana diſciplina inſtituere, niſi

prius Philoſophiæ dogmatis imbutum, quæ *Terram præpararent bono Evangelii ſemini recipiendo*. Magnus hic inter Chriſtianos Philoſophus ſcripta eruditione omnigena refertiſſima plura reliquit, ex quibus majorem ille gloriam conſecutus eſt, quàm ex elogiis, quæ affatim in ipſum veteres contexere. Præcipua ejus opera ſunt: *Protrepticon*, ſive *Oratio Exhortatoria ad Gentes: Pædagogi lib.* 3. & *Stromatum lib.* 8. Quos omnes Tractatus è Græco in Latinum vertit Gentianus Hervetius. Alia ſcripſit Eccleſiaſtica Opera, quorum elenchum, & criſim una cum Vita vide in Biblioth. Univerſ. t. 10. Gul. Cave, qui ejus ſcripta genuina, quæ extant, & quæ non extant, & ſuppoſititia enumerat. Hieron. de Script. Eccleſiaſt. de Clem. Alex. hæc habet: *Feruntur ejus inſignia volumina, plenaque eruditionis, & eloquentiæ, tam de ſcripturis divinis, quàm de ſecularis literaturæ inſtrumento*. Caſaubonius in Exercit. 1. ad Baron. Appar. p. 2. ipſum *inexhauſtæ doctrinæ virum* appellat: Scaliger *ſcriptorem eruditum*: Lipſ. de Stoica Philoſ. *Pararium, & conciliatorem Divinæ, & Humanæ Philoſophiæ:* Blondell. in Apolog. pro ſententia Hieron. de Epiſc. & Presbyr. *Virum ſanctitate, & omnimoda eruditione præſtantem*. Vide etiam ejus elogia apud Euſeb. Præp. Evangel. l. 2. Cyrill. Alexandr. l. 10. in Julianum. Lipſ. Manud. ad Stoic. Philoſ. l. 1. diſſert. 17. Dail. de vero uſu Patr. c. 5. Illyric. Catalog. Teſt. Veritatis. Du Pin in Nova Biblioth. Aut. Eccleſiaſt. Bellarminum, atque alios. Ipſi tandem ex perſecutione Alexandriam relinquere coacto, in ſchola ſucceſſit

ORIGENES ADAMANTIUS ejus primùm diſcipulus, deinde Ammonii Saccæ, inter Eclecticos Chriſtianos inſignis, dictus Adamantius, quòd ejus ſermones adamantis inſtar fortes eſſent, ut ait Photius, ſive quòd erroribus fortis ut adamas reſiſteret, ut Divus Hieronymus aſſerit; ſive ob ejus infatigabile ſtudium, ut alii: natus eſt Alexandriæ A. C. 186. & Leonidæ martyris patris ſui cura in Philoſophiæ, Theologiæ, ac potiſſimum Sacrorum Bibliorum ſtudiis adeo profecit, ut ipſum cit. Hieron. *Magnum ex infantia virum appellaverit*. Eclecticam Philoſophiam & in ſcriptis ſuis expreſſit (quorum Catalogum exacte confecit Euſebius; & Divus Epiphanius, & Rufinus ad ſex millia aſſerunt aſcendiſſe) & in diſcipulos ſuos, quorum vaſta nimis Alexandriæ, & in aliis Orbis partibus, multitudo erat, transfudit.

Quum Celſus, Philoſophus Epicureus, qui ſeculo 2. ſub Adriano vixit, opus contra Chriſtianos ſcripſiſſet, cui titulus *Sermones Veri*; Origenes ipſi reſpondit octo illis libris, ſuorum omnium pulcherrimis, qui inſcribuntur *Contra Celſum*. Hic idem Celſus eſt, cui à Luciano *Pſeudomantis* dedicatus eſt.

Alexandriæ enim Presbyter, & Scholæ Catecheticæ Magiſter floruit a. 230. A Demetrio a. 233. Alexandriâ pulſus, obiit Tyri a. 254. Opera ejus genuina, præter ſuppoſititia, & dubia, innumera fere ſunt. Athanaſius Origenem *fidei ſuæ teſtem locupletiſſimum* vocat. Sixt. Senenſis: *Vir tantæ fuit eruditionis, & ingenii, ut et parem doctiſſima Græcia, feliciſſimorum ingeniorum parens, nunquam habuerit*. Sulpitius Severus aſſerit, eum in illa parte, quæ probatur, neminem poſt Apoſtolos habuiſſe æqualem; in ea vero, quæ jure reprehenditur, neminem deformius erraſſe. Hieronymus quamquam ſatis acerbe in eum invehitur, tamen maxime admiratur ejus eruditionem; eundemque prædicat *Sacrorum omnium expoſitorum victorem*. Card. Bona ipſum dixit *Rerum ſapientiæ ſidus, atque utinam non caducum*. Joh. Wolf. centur. 3. Lection. Memorab. ait: *Hic amore caſtitatis ſe caſtravit; Novum, & Vetus Teſtamentum memoriter novit; jam ſenex Hebraicam linguam didicit*.

Digitized by Google

cit. Vide etiam Petr. Cun. de Rep. Hebr. p. 294, & 295. Eraſmum Epiſt. l. 2. Epiſt. 26. Konig. Theodorum Bezam Epiſt. 28. Bellarm. de Script. Eccleſ. Dall. de uſu Patr. l. 1. c. 1. Du Pin Nov. Biblioth. Aut. Eccleſiaſt. tom. 1. &c. Celebre denique de eo vetuſtatis judicium eſt: *Origenes ubi bene*, *nemo melius*; *ubi male*, *nemo pejus*. Quot labores pro Fide Orthodoxa pertulerit, quot Hæreticos confuderit, quot ab erroribus liberaverit, ejus denique vitam, ſcripta, & laudes legere eſt apud autores plurimos, qui de ipſo, inſignique ejus doctrina locuti ſunt; præcipue apud doctiſſimum Huetium, qui ejus *Commentaria in Sacra Biblia*, & Vitam edidit a. 1668. Ex ejus diſcipulis illuſtris fuit, ab erroribus tamen omnino immunis, magnus ille Theodorus appellatus, deinde vero

GREGORIUS THAUMATURGUS, ſic dictus propter Θαύματα, Miracula, quæ maxima, & frequenter faciebat, qui natus eſt Neocæſareæ, cujus & Epiſcopus factus eſt, vixitque ſeculo III. Moriens 17. Novembris ann. 265. id magno ſibi gaudio duxit, quòd cum 17. tantum Chriſtianos Epiſcopatum ingrediens in ea urbe inveniſſet, in morte 17. tantum Idololatras in ea reliquiſſet. Hic refert, in Orat. Panegyr. ad Origenem, ita ſe cum condiſcipulis ſuis in Philoſophia ab Origene inſtitutum fuiſſe, ut omnia, quotquot extant, veterum tum Philoſophorum, tum Poëtarum ſcripta colligentes, nihil omnino rejicerent, nihil repudiarent, præter ea, quæ impiorum hominum eſſent, & profanorum. Cæterum omnia evolvi, legique ſic oportere, ut nec genus ullum, nec liber, vel ſermo præferatur, nec contra rejiciatur ſive Græcus, ſive Barbarus, ſed omnes audiantur. Hinc concludit cit. Huet. non tam Platonicum, vel Pythagoricum, quàm Potamonicum dici Origenem debere.

Præter Origenem, & Gregorium, plurimoſque eorum diſcipulos, hoc philoſophandi genus alii quoque Eccleſiæ Patres ſecuti ſunt, ex quibus quarti Seculi unus *Lactantius* ſufficiat, qui Eclecticam maxime commendat Div. Inſtit. l. 2. c. 8. inquiens: *Quare cum ſapere, ideſt veritatem quærere omnibus ſit innatum, ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine illo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur &c.* Et Inſtit. 7. 7. *Docemus, nullam Sectam fuiſſe tam deviam, nec Philoſophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero*. Et poſt pauca: *Quod ſi extitiſſet aliquis, qui veritatem ſparſam per ſingulos, per Sectaſque diffuſam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profecto non diſſentiret à nobis &c.* Eclectici quoque fuere Ammonius, Plutarchi magiſter, qui temporibus Neronis, & Veſpaſiani vixit, ideoque ab Ammonio Sacca, & Ammonio Ariſtotelis interprete diſtinguendus; & Sotion, Senecæ præceptor, ut ipſe Sen. teſtatur Ep. 49. inquiens: *Modò apud Sotionem Philoſophum puer ſedi*; quem etſi Lipſ. in Manud. ad Stoicam Philoſophiam l. 1. c. 12. Stoicum faciat; quia tamen Sen. ep. 58. ait: *Non pudebit fateri, quem mihi amorem Pythagoræ Sotion injecerit*; hinc colligitur, ipſum Eclecticum fuiſſe.

DE LUCIO-COELIO LACTANTIO FIRMIANO hæc addenda. Natus creditur ab aliquibus in Piceni oppido, quod Firmum dicitur, unde & Firmianus appellatus; aliis vero Africanus audit. Floruit in fine tertii, & principio quarti ſeculi. Omnium ſui ævi eloquentiſſimus fuit, quare & *Cicero Chriſtianus* dictus eſt. Conſtantinus Imperator ipſum Filii ſui Criſpi Cæſaris præceptorem quæſivit. Divus Hieronymus, eum pauperrimum fuiſſe, refert. Plura ſcripta reliquit, in proſa æque, ac verſu eleganti; quorum præcipuum illud eſt, quod contra Philoſophos, Chriſtianæ Religionis hoſtes, confecit, ac *Inſtitutionum libros* vocavit. Vide Divum Hieron. in Chron. A. C. 317. atque in Ep. 13. ad Paulinum, ubi eum dixit *Fluvium quaſi quendam Tullianæ eloquentiæ*.

Joh. Franciſcus Picus Mirand. l. 3. Epiſt. 10. *Lactantius Ciceronis ſtylum effigiavit, aut, ut quibuſdam placet, ſupergreſſus eſt &c.* Confer etiam Bellarm. de Script. Eccleſ. Du Pin Nova Biblioth. Autor. Eccleſ. t. 1. Thomam Pope Blount In Cenſura celebr. Aut. & Gul. Cave in Vita &c. Et de Eclecticis ſatis.

ECLECTICORUM DISCIPLINA.

CUM Eclecticæ Sectæ peculiare id fuerit, ut omnium Philoſophorum doctrinas ad examen revocaret; præcipuum ejus in Logicæ præceptis ſtudium fuiſſe, certum eſt; qua duce, quod rectæ rationi conſonum eſſet, dijudicare poſſet, & rectum dijudicatum amplecti. Omnis igitur Eclecticorum cura, & ſtudium erat, ut in examinandis aliorum ſententiis non deciperentur, ſed vera à falſis, ratione duce, diſcernendo, ſine mentis anticipatione, vel præoccupatione, nonniſi recta probarent, & tuerentur. Ad veritatem autem cognoſcendam duo Potamon ex Laërtio, & Suida, Criteria ſtatuit; alterum quidem à quo judicium fiat, atque hoc τὸ Ἡγεμονικὸν, *Animi Principatum*, ſive *Mentem*, vel *Rationem* eſſe dixit; alterum vero per quod judicium fiat, quod Ἀκριβεστάτην τῶν φαντασιῶν *Accuratiſſimam imaginationum*, decrevit. Aut igitur aliquid clare, & diſtincte cognoſcitur ἀπὸ τοῦ Ἡγεμονικοῦ, à Mente, ſive Ratione, atque id verum erit: aut clara, & ἀκριβεστάτη, hoc eſt, accuratiſſima, & exquiſitiſſima impreſſio in mentem per ſenſus facta, & objectum repræſentans, talis à mente judicata fuerit, & vera quoque hæc erit.

In Phyſicis Potamon, ut ex cit. Laërt. & Suid. duo rerum naturalium *Principia* poſuit, *Agens*, & *Patiens*, ſive Cauſſam effectricem, & Materiam. Affectiones vero corporum naturalium duas agnoſcebat; *Qualitatem*, & *Locum*. De ſingulis enim rebus naturalibus hæc quæri poſſunt, ex quo ſint, quod ad materiam ſpectat; à quo ſint, quod ſpectat ad cauſſam effectricem; quomodo ſe habeant, id eſt, quæ ſint eorum qualitates; & tandem in quo ſint, ſive quis ſit eorum locus.

In Ethicis *Finem*, ad quem omnia referantur, dicebat eſſe *Vitam omni virtute perfectam, non tamen abſque bonis corporis, atque externis, quæ tamen virtuti conveniant*. Virtutes quatuor Cardinales dictas, *Temperantiam, Juſtitiam, Prudentiam, & Fortitudinem*, Eclectici variis gradibus diſtinguebant; eas enim vel ut Phyſicas virtutes in corpore, ejuſque apta temperie ſpectabant; vel ut Ethicas, & Politicas, quales ſint in viro honeſto; vel ut Purgativas, quales ſint ejus, qui, animo per Philoſophiam purgato, ad ſubliminora contendit; vel ut Theoreticas, quales ſunt animi in contemplatione beati: quibus alii Theurgicas addunt, quibus miracula patrarent: & denique Divinas, quibus humana ſors excederetur. De quibus omnibus fuſius Jamblichus, Plotinus, Porphyrius, Hierocles, Marinus, Simplicius, atque alii; & noviſſime eruditiſſimus Jo. Albert. Fabricius P. III. Prolegom. ad Marini Vitam Procli.

Pro hujus Capitis, & Libri coronide notandum hic eſt, non unum, atque omni ex parte cohærens Eclecticorum Syſtema fuiſſe, cum alter uni, alteri alter magis adhæſerit; in eorum tamen doctrina fere ſemper prædominatur Platonica, Stoica, & Pythagorica ſapientia, multis etiam ex Chaldaicis, Ægyptiacis, & Chriſtianis admiſſis. Et ex Chriſtianæ quidem doctrinæ fonte manarunt, quæ Jamblichus, Porphyrius, Proclus, atque alii de ſenſuum fuga, affectuum προσηλώσει, crucifixione, mentis elevatione in Deum &c. adeo luculenter ſcripſerunt.

Atque

Digitized by Google

Atque de Eclecticorum, Græcorumque omnium Philoſophia hæc breviter dicta ſufficiant. Quam quidem vaſtam nimis materiem diffuſiſſime, à plerìſque tractatam non ignoro; verùm Hiſtoricæ hujus Synopſis ordo, & ratio id poſtulavit, ut ipſa eadem, qua cætera, brevitate tractando, non omnia, quæ hac de re ab aliis plurimis, ſed tantum ἀξιομνημόνευτα, ſcitu ſcilicet neceſſaria, ſcripta ſunt, hic digererem, aliiſque ob oculos ponerem conſideranda.

LIBER

LIBER IV.

De Philoſophis Recentioribus.

DURUM, ac perdifficile opus, & omnibus intentatum adhuc, aggredior. Quæ enim tribus ſuperioribus libris ſive de Philoſophia, ejuſque Origine, ſive de Barbarica, ſive de Græcanica Philoſophia tradita ſunt, ab autoribus, qui plurimi ea de re ſcripſerunt, non mediocri quidem, ſed ad proportionem minori labore carptim ſelecta perſcripſi. Sed Philoſophos omnes, qui ab V. C. ad nos uſque in Latio, & Europa fere omni & dicti, & habiti ſint, annumerare, labor profecto arduus eſt. Pro virili tamen id efficiam, ut quotquot Philoſophia inclaruerunt per edita opera illuſtres Viri, ac quorum memoriam ad nos majores noſtri tot libris tranſmiſerunt, breviter, & quoad potero, clare & ordinatim in medium adducam. Quod ſi quis eorum, qui Philoſophi nomen meruere, me effugerit; id non voluntatis propoſito fiet, ſed meæ ejus nominis, & doctrinæ ignorationi prudens lector ignoſcat. Expertus enim didici, ac certo certius cognovi, quod vir cæteroqui doctiſſimus, mihique familiaris ſumme colendus, prædixerat; me ſcilicet majorem in Philoſophis noſtræ ætati propioribus perquirendis, quam remotioribus indicandis, difficultatem paſſurum eſſe. Atque hinc factum eſt, ut in hujus operis Proœmio ſtatuerim, in quarto hoc Philoſophiæ Hiſtoriæ libro nonniſi de Philoſophis vere Recentioribus, ac nova philoſophandi ratione pertractare. Sed re melius penſitata, ne Opus imperfectum prodiret, de Philoſophis omnibus, qui poſt Græcos primum Romæ, ac deinde in pleriſque omnibus Europæ regionibus inclaruerunt, diſſerere ſtatui: ſicque Philoſophiam ordinata ſerie, ac veluti catena quadam, ſi ita dicere fas eſt, ad nos deductam oſtendere; atque ut à Philoſophis Philoſophi, ab Hebræis ſcilicet Barbari, à Barbaris Græci, à Græcis denique Latini ipſam habuerint. Latinorum autem nomine non eos tantum hic intelligo, qui in Latio orti ſunt; ſed eos omnes, qui Latina lingua, vel literis, longe jam, lateque diffuſis, uſi ſunt. Ex dictis facile quis educet, non mihi vertendum vitio, quod Recentioribus Philoſophis Romanos adnumerem, qui vel primis ab V. C. annis florentes, Græcorum Philoſophorum multis coævi fuerunt, multos etiam ætate præceſſerunt; nam præterquamquod Hiſtoriæ nexus, & ordo id poſtulabat, ut poſt Græcos Romanos ponerem, qui à Græcis Philoſophiam, Juriſprudentiam, & ſcientias omnes mutuati ſunt;

non

Digitized by Google

non hic tam temporis ſeries, quàm Philoſophiæ attenditur derivatio. Accedit, quod Recentiorum nomen Romanis omnibus, etſi antiquiſſimis, etiam competit, quia in ſcientiis fuere Græcis Recentiores.

CAPUT I.

De Philoſophis Romanorum.

NEmo eſt, qui ignoret, Romanos omnes, ut modò etiam dictum, vel Athenas adeuntes, vel Romæ commorantes, à Græcis fuiſſe in Philoſophia, reliquiſque ſcientiis inſtitutos. Multi enim ex Græcis, Philoſophis potiſſimum, Romam, quæ per tot partas ſibi victorias totius ferme Mundi domina habebatur, confluebant, ac docebant; atque Imperatores etiam in diſcipulos habebant. Hinc notandum hic velim, me Romanorum Philoſophos appellare non ſolum eos, qui Romæ, vel in Latio orti, verùm etiam eos omnes, qui Athenis, atque ex aliis Orbis Civitatibus venientes, ibi Philoſophiam profeſſi ſunt: quos eo, quo fieri poterit, ordine ſubnectemus.

NUMA POMPILIUS SECUNDUS ROMANORUM REX.

ROMULO, primo Romanorum Rege, & Patre, repente ſublato, interregnum anni unius Romæ fuit, hoc eſt, regnarunt Patres, & interreges per viciſſitudinem decuriarum Reipublicæ præfuerunt, eo ordine, quem Liv., & Plut. in Numa referunt, data ſingulis Patribus interregia poteſtate quinque dierum tantùm, quibus exactis, alter iterum creabatur interrex, ut obſervat Minellius in notis ad Numam L. Flori. Aliter tamen Plut. in Numa, ubi: *Comparant inter ſe centum quinquaginta Patres, ut loco Quirini ſinguli viciſſim cum inſignibus imperii ſolemnia ſacra obirent, & jus dicerent ſenis horis nocturnis, & ſenis diurnis &c.* Sed orta inter Peregrinos, hoc eſt, inter Sabinos, qui Romanis juncti erant, & Romanos veteres dictos, qui Urbem cum Romulo condiderunt, de novo Rege creando ſeditio eſt; nam utraque gens Regem ex corpore ſuo creari poſtulabat. Et Sabinorum quidem plena æquitatis ratio erat, quod, extincto Rege ſuo Tatio, non inſurrexiſſent adverſus Romulum, ſed regnare unum permiſiſſent; unde & Regem viciſſim eligendum petebant. Contra verò Veteres Romani hoc concedere recuſabant, ne recepti in Civitatem receptoribus imperare molirentur. Ut autem tanta lis componeretur, convenit inter utramque factionem, ut altera Regem ex alterius corpore crearet; putantes, eum, qui creatus eſſet, ſic fore æquabilem utriſque, quod his, qui ipſum creaſſent, eſſet ob beneficium devinctus, illis verò faveret ob neceſſitudinem. Cumque Sabini Veteribus Romanis electionem permitterent, maluerunt ipſi Regnum Sabino deferre, quàm accipere Regem ex illorum ſuffragiis Romanum. Ita re inter ſe deliberata, Romani Regem ex Sabinis creant Numam Pompilium, virum, qui Romam nunquam commigraverat. Verum adeo erat inclyta apud omnes ejus virtus, & fama, ut audito ejus nomine, majore plauſu Sabini, quàm illi, qui detulerant regnum, acciperent. Ubi renunciaverunt in concione quem dixiſſent Regem, primores utriuſque factionis ad eum oratum, ut ad regnum ſuſcipiendum veniret, pariter mittunt. Numa Curibus, quæ opulentiſſima, & celeberrima Sabinarum urbium (ex qua Romani cum receptis Sabinis ſe-

Qui-

Digitized by Google

Quirites appellarunt, quaſi Curites) natus eſt ex patre Pomponio Pompilio, illuſtri viro, ex quatuor ſuis fratribus natu minimus, & miro quodam caſu eadem genitus die, qua Romulus Romam condiderat, quæ eſt undecimo Kal. Majas. Uxorem habuit Tatiam, Tatii Regis, & Romuli in regno conſortis, filiam unicam. Doctrinam, tolerantiam, juſtitiam, ſapientiam, virtutem omnem, & inclytam in Deos religionem ſummo ſtudio excoluit. Cum autem in lucis deorum, ſacriſque pratis, ac ſolitudinibus, urbana vita relicta, plerumque degeret; hinc orta fama eſt, ipſum ex Deæ, ſeu Nymphæ Egeriæ congreſſu, atque conſuetudine vitam beatam adeptum eſſe, & religionem Deorum, rerumque divinarum ſcientiam hauſiſſe: Egeriam autem dictam voluit Feſtus ab egerendo, quia ipſi ſacrificabant prægnantes, quod eam putabant facile fætum utero egerere. Iſtam Egeriam deinde Numa in regem aſſumtus conſulere ſeſe ſuper cultu religionis, & cæremoniarum ſimulabat, ut populum ſuperſtitione captum ad ea, quæ commentabatur, faciliorem redderet. De hoc Numæ commento vide Liv.l.1.Plut. in Numa, alioſque. Hæc Numæ antequam Rex crearetur, vita fuit, ocii, pacis, & literarum ſtudiis ſemper amica. Unde, Romanis Patribus regnum ſibi deferentibus, accipere recuſavit; orationemque ad eos habuit, qua recuſationis cauſſas expoſuit: quarum potiſſima ea fuit, quod Romani armis, belloque adſueti, ardentem potius, & vividum Regem exoptarent, qui belli dux eſſet, & fautor, quàm ſedatum principem, honeſti, rectique cultorem ad civitatem legibus, ac pace temperandam. Sed repudiantem regnum Romani majorem in modum precari, obteſtarique conati ſunt, ne eos iterum in ſeditiones, & civile bellum injiceret, cum alium, in quem conſenſura utraque factio eſſet, non haberent. Non igitur parvi negotii res fuit, ſed multæ perſuaſionis, & contentionis opus, ut ipſum à tenaci propoſito dimoverent; ac ſententiam flecterent, ut tranquillam, quietamque vitam, quam peramabat, ac Græcorum Philoſophorum more opibus, regniſque præferebat, deponens, imperium acciperet civitatis, in bello licet quaſi natæ, & adultæ. Patri etiam, Martioque propinquo ad ſuadendum adhibitis, ut oblatum ſibi imperium, tamquam ingens, & cœleſte donum reciperet, reſpondit, omnem vitæ converſionem lubricam homini eſſe. Orationem tum Numæ regnum recuſantis, tum patris recipere ſuadentis, lege apud Plut. in Numa. Tandem cum fauſta prodigia, ut fertur, tum ejus civium, ut regnum acciperet ſuadentium, ſtudium, contentio, preces acceſſerunt, ut in eam ſententiam deſcenderet. Quare facta re divina, Romam profectus eſt. Prodiit ei obviam ſenatus, populuſque ingenti animi lætitia, & plauſu; ac feminæ eum feſtis acclamationibus exceperunt. Ad ſacras ædes hoſtiæ cæſæ: ac ea omnium fuit hilaritas, ut non civitas Regem, ſed regnum excipere videretur. Omnium ſuffragiis Rex appellatus, Capitolium, collem Tarpejum tunc vocatum, aſcendit; nec delata ſibi regni inſignia recipere voluit, ſed ſuſtinere juſſit, donec Deos de regno conſuleret. Quare Princeps Augurum eum capite velato ad meridiem convertit, atque à tergo aſſiſtens, dextra in capite Numæ impoſita precatus eſt, ut diis ſigna aliqua darentur: quod ex voto accidit; nam ſecundæ, & fauſtæ aves conſpectæ rem confirmarunt. Tunc Numa regia veſte indutus ad populum deſcendit; & omnium plauſu, Patrumque complexu, ut vir religioſiſſimus, & ſanctiſſimus exceptus eſt.

Primum Numæ ſtudium fuit æſtuantem civitatem, civeſque pugnaciſſimos, ac belli cupidiſſimos, injecto deorum metu, domare, eorumque ſpiritus religione reprimere, & ad pacem reflectere. *Inde ſacra, & cæremonias omnemque cultum Deorum immortalium docuit: Pontifices (quorum ipſe Maximus) Augures, ſalios, cæteroſque per ſacerdotia inſtituit: annum quoque in* duo-

duodecim menſes, dies faſtos, nefaſtoſque deſcripſit. Ancilia, atque Palladium, ſecreta quædam imperii pignora, Janumque geminum, fidem pacis, ac belli; in primis focum Veſtæ virginibus colendum dedit; ut ad ſimulacrum cæleſtium ſiderum, cuſtos imperii flamma vigilaret. Hæc autem omnia quaſi monitis Deæ Egeriæ, quò magis barbari acciperent. Eò denique ferocem populum redegit, ut, quod vi, & injuria occupaverat imperium, religione, atque juſtitia gubernaret. L. Ann. Flor. de Numa. Notandum autem hic ad claram dictorum intelligentiam ex Min-ellio in not. ad dictum Flori locum, ſalios ſic dictos à ſaliendo, ſive ſaltando, fuiſſe ſacerdotes duodecim Marti Gradivo dicatos, qui, teſte Liv. 12. Ancilia ferentes cum ſaltibus, atque tripudiis Urbem circumibant. Faſtos, Nefaſtoſque dies ſic clare deſcripſit Ovid. 1. Faſt.

Ille Nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur:
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Erant etiam Romanis dies Comitiales, & Intercisi; quos omnes, cum mei inſtituti non ſint, & quia cunctis noti, prætermitto. *Ancile* eſt ſcutum breve, & rotundum; de quo Virg.

- - - Lævaque ancile gerebat. Dictum autem volunt Ancile ſive ab anciſione, quód ſit ab omni parte anciſum & rotundum,

Idque Ancile vocant, quod ab omni parte reciſum eſt,
Quemque notes oculis, angulus omnis abeſt. Ovid.

Sive quod ἀγκύλον τὸ σχῆμα ποιεῖ, hoc eſt, curvam figuram facit, ut ait Freinshemius In Piut. vitam Numæ. Ferunt enim, regnante Numa, breve ſcutum, atque rotundum de cœlo lapſum: de quo ſic Ovid. 3. Faſt.

Ecce levi ſcutum verſatum leniter aura
Decidit: à populo clamor ad aſtra venit.

Qua de re conſulti haruſpices reſponderunt, ibi futurum totius Imperium orbis, ubi ſcutum illud ſervaretur. Quo reſponſo accepto, & honoris gratia, & quò idem tutius ſervaretur, ne ab hoſtibus ſurripi poſſet, Numa Pompilius 12. alia ad ſimilitudinem cœleſtis illius fabricari juſſit, quæ in templo Martis repoſita fuere: & cum 12. adoleſcentes ſacerdotes Numa ipſi Marti Gradivo delegiſſet, juſſit ipſa cœleſtia arma, quæ Ancilia nominavit, ſuſpenſa collo ab ipſis per Urbem geſtari, & cum ſaltu, atque tripudiis carmina decantari: Unde Ovid. 3. Faſt.

Jam dederat Saliis (à ſaltu nomina ducunt)
Armaque, & ad certos verba canenda modos.

Inter cætera carmina quædam canebantur in celebris Mamurii laudem, qui Numæ juſſu 12. illa cœleſti ſimillima fecerat. *Palladium* erat ſimulacrum Palladis, quod Æneas à Diomede acceptum poſt excidium Trojæ in Italiam tranſportaverat. *Janus* à januis; quibus præeſt, appellatus, dictus etiam *Geminus*, ſive ob ſingularem prudentiam, qua futura prævideri, & præterita ſciverit: ſive quia geminam faciem habebat, tum ad oſtendendos duos Reges Tatium, & Romulum, fœdere inito, junctos, à quibus etiam templum ei ædificatum Romæ quidam volunt, quod a Numa alii ædificatum volunt; tum etiam ad ſignificandum, quod in bellum ituri retrò reſpicere debent; an habeant quo tuto reverti poſſint. Hujus quidem templi portæ tempore belli patebant, pacis verò tempore claudebantur. Unde *Janus Patulejus*, & *Cluſius* cognominabatur. Numa autem regnante, Jani templi portæ ſemper clauſæ fuerunt; nullum enim bellum, nulla ſeditio ejus unquam turbavit imperium, ſed perpetua pax, & quies, ſumma Felicitas & tranquillitas Romæ fuit. Virgines, quæ Veſtæ ſacra curabant, *Veſtales* dicebantur; earumque cura erat, ignem perpetuo accenſum conſervare; qui si forte per negligentiam extinctus fuiſſet, non ex alio igne reparandus erat, ſed accenſa

per ſomites ex ſolis radiis flamma, puriſſimus, ac cœleſtis ignis eliciebatur. Hic autem perpetuum ignem conſervandi mos primum Eccleſiæ Judaicæ fuit. A Judæis, ut & alia, acceperunt Ægyptii, Perſæ & Chaldæi: ab his Græci: a Græcis denique Romani. Vide Plut. in Numa. His de potioribus Numæ factis, & vita adnotatis, ad ejus Philoſophiam gradum facio. Pythagoricus à Cl. Al. 1. Str. habetur, pleriſque etiam Pythagoræ diſcipulus, & familiaris; ajuntque Pythagoram Numæ coævum fuiſſe: alii tamen id prorſus negantes aſſerunt, & forſan rectius, Pythagoram anno Romæ 220. vixiſſe, & Euſebius eum mortuum refert anno quarto Olymp. 70. ut nos etiam in Pythagora notavimus. Sed in re tam varia, quæ à Plut. antiquiſſimo Numæ vitæ ſcriptore habemus, referam: *Cum autem fama obtineat, Pythagoræ Numam auditorem fuiſſe, partim eum Græcas literas negant attigiſſe, quaſi aut ſua indole, & per ſe aſpirare ad virtutem quiverit, aut præſtantiori Pythagora tributi barbaro, neſcio cui inſtitutio poſſit Regis: partim Pythagoram dictitant diu poſt ſecutum, atque ab Numæ ſeculo quinque ferme remotum ætatibus; ſed Spartiatem Pythagoram, qui Olympiis curſu victor fuit circa ſextam decimam Olympiadem, cujus anno tertio eſt regnum Numa adeptus, cum peragraret Italiam, conſuetudinem habuiſſe cum Numa, atque in conſtituendo regno conſiliorum ei fuiſſe adjutorem: quare ex præceptis hujus Pythagoræ non pauca eſſe inſtituta Lacedæmoniorum admixta Romanis. Cæterum ætates adamuſſim exigere haud promtu ſit.* Et ibidem poſt multa: *Unde percrebuit præcipue, ſapientiam hanc, & eruditionem ex Pythagora hauſiſſe Numam. Magna enim ex parte hic Reip. ſuæ inſtitutionem, Philoſophiam ſuperior in rebus divinis poſuit. Exteriorem etiam ſpeciem, & perſonam eadem, ac Pythagoras mente dicitur petiiſſe.* Deinde Numæ, & Pythagoræ inſtitutorum ſimilitudinem oſtendens, ibidem poſt pauca ſubdit. *Pleraſque autem divinationes ſuas contulit in Camænas. Unam peculiariter, atque eximie venerari præcepit Romanis, Tacitam eam nominavit: quæ commemoratio viſa eſt, & obſervatio ſilentii Pythagorici. Jam hujus de ſtatuis ſcita undequaque Pythagoræ placitorum ſunt germana; neque enim ille ſenſui, aut ulli dolori expoſitum rerum principium eſſe, ſed inviſibile, incorruptum, ſola mente exiſtimavit apprehenſibile. Hic vetuit Romanis hominis, vel beſtiæ formam tribuere Deo, neque fuit ulla apud eos ante picta, aut ficta imago Dei, ſed primos 160. annos templa extruxerunt, & cellas Diis; ſimulacrum per id temporis nullum habuerunt, nefas putantes auguſtiora exprimere humilioribus, neque aſpirari aliter ad Deum, quam mente poſſe. Ad hæc hoſtiæ ejus reſpondent plane victimis Pythagoricis, incruentæ enim erant, ac fere farina libaminibus ex vino, & rebus ſimpliciſſimis parabantur. Aliis præterea argumentis urgent remotioribus horum contubernium; quorum unum eſt, quod donaverunt Pythagoram Romani civitate, ut autor in libro quodam Antenori dicato Comicus eſt Epicharmus, Vir antiquus, & ex Schola Pythagorica. Alii, quod unum Numa ex quatuor filiis ſuis nomine Pythagoræ filii appellaverit Mamercum.* Ajunt etiam, qui Numam Pythagoræ coævum faciunt, morem apud Romanos Deum adorandi, quem à Numa acceperunt, eundem fuiſſe cum Pythagoreis, hoc eſt, ut ne quis obiter adoret, & ſupplicet Diis, nec perfunctorie divinis vacet, ſed vacuus curis aliis velut ſummo negocio religionis advertat animum. Numæ etiam edicta omnia magna ex parte præceptorum Pythagoricorum æmula fuiſſe notant. Tandem addunt, Numam ſacras legum, quas vivens Pontificibus tradiderat, tabulas una cum corpore humari juſſiſſe, nec tuto Pythagoricorum more arcana mortuis committi literis exiſtimaſſe, ut lib. 3. in Pythag. nos quoque tradidimus. *Sed ignoſcendum*, verba ſunt Plut. ibid. *iis, qui tam multis concurrentibus affinitati-*

bus

Digitized by Google

bus familiaritatem Numæ conciliare conantur cum Pythagora.Valerius Antias, pergit cit. Autor, *ſcriptum reliquit, 12. volumina de rebus ſacris, 12. item græca alia de ſtudio ſapientiæ in ea arca condita fuiſſe*. Idem etiam affirmat Petrus Crinitus de Honeſta Diſciplina l.9. c. 1. *Notum eſt, Regem Numam, qui leges Romanis condidit, libros 12. ſcripſiſſe, partim græce (ut traditur) partim latine, in quibus Pythagorica Sacra, & Pontificalia continerentur: eoſque voluiſſe in monumento ſuo recondi, ne in vulgus, credo, & propalam, quæ arcana, & ſacra erant, devenirent. Qua in re Pythagoræ ſecutus eſt diſciplinam, quæ profanum vulgus longe arceret. Sed exemplo ſimili relatum de Dardano eſt, qui cum egregie in magicis artibus præſtaret, libros à ſe conſcriptos in ſepulcro fertur conſtituiſſe: quos Abderites Democritus, vir ſagacis ingenii in perſcrutandis naturæ viribus diligentiſſime requiſivit: tum commentariis editis illuſtravit, diſciplinamque ex illis reconditam, atque multiplicem accepit; quod & C. Plinius ad Cæſarem Veſpaſianum teſtatur*.

Vulgaris igitur opinio eſt, Numam Pythagoræ ſectatorem, imo & auditorem fuiſſe. Cicero tamen de Orat. lib. 1. aſſerit, Numam duobus ſeculis Pythagoram præceſſiſſe. Dionyſius Halicarnaſſæus erudite probat, Numam quatuor pene ætates ante Pythagoram vixiſſe. Sed illud plane certum omnibus fermo habetur, Numam multis ante Pythagoram annis extitiſſe. Atqui Cic. Tuſcul. l. 4. in principio Numæ ætatem aſſignans ait: *Erat enim illis pene in conſpectu præſtanti ſapientia, & nobilitate Pythagoras, qui fuit in Italia temporibus iiſdem, quibus L. Brutus patriam liberavit*. Sed unde vulgaris hæc opinio ortum duxit? Probabilis eſt Ciceronis conjectura loc. cit. ubi ſic: *Quin etiam arbitror propter Pythagoreorum admirationem Numam quoque Regem Pythagoreum à poſterioribus exiſtimatum. Nam quum Pythagoræ diſciplinam, & inſtituta cognoſcerent, Regiſque ejus æquitatem, & ſapientiam à majoribus ſuis accepiſſent; ætates autem, & tempora ignorarent propter vetuſtatem, eum, qui ſapientia excelleret, Pythagoræ auditorem fuiſſe crediderunt*. Pythagoram autem omnium ſapientiſſimum à Romanis exiſtimatum fuiſſe, confirmat Plin. Hiſt. Nat. l. 34. ubi narrat, Romanos in bello contra Samnites Apollinem Pythium conſuluiſſe, qui juſſit, duas ſtatuas in Urbe celebri loco, Græcorum gentis ſapientiſſimo unam, alteram fortiſſimo, dicari: Romanos autem alteram Pythagoræ, Alcibiadi alteram dicaſſe. Quicquid tamen de hac quæſtione ſit; id certum fateri poſſumus, Numam cum Pythagora, ſive ipſi coævus, ſive poſt ipſum vixerit, in Metaphyſica, Ethica, & Politica, in dogmatis conſenſiſſe; unde hac ratione ipſum Pythagoricum cum Clem. Alex. vocare licebit.

De Numæ liberis, & Uxoribus quæſtio adhuc eſt inter Autores. Alii dicunt, eum præter Tatiam conjugem non habuiſſe, nec alios ex ea liberos præter filiam Pompiliam, quam Tullo Hoſtilio, qui Numæ in regno ſucceſſit, nuptam tradit Morery in ſuo Lex. Hiſt. Alii tamen non ex Tatia editam dicunt, ſed ex Lucretia, quam poſt adeptum regnum Numa uxorem duxerat; eamque non Tullo Hoſtilio, ſed Martio nuptam aſſerunt. Quod confirmare videtur Plut. in Numa, dum ait: *Omnes certe conſentiunt Martio nupſiſſe. Martius hic filius fuit illius Martii, qui ad regnum ſuſcipiendum Numam impulit: is enim ſimul cum eo commigravit Romam, & honoris cauſſa allectus in Senatum fuit*. Sunt denique, qui aſſerunt (quæ & Morery ſententia eſt) præter Pompiliam ex Tatia Numam quatuor habuiſſe filios, Pomponem, ex quo Pomponii, Pinum, ex quo Pinarii, Calpum, ex quo Calpurnii, & Mamercum, ex quo Mamercii originem duxere: quæ quatuor familiæ nobilitate illuſtres Romæ extiterunt. Hoc etiam ut falſum alii inſectantur.

Suſtulit Numa ex Urbe Romuli, & Tatii factiones, juſſitque unum omnes

nes eſſe, unoque Romanorum nomine vocari. Magnus fuit legum conditor, vel corrector: correxit enim, præ cæteris, legem, qua Patri erat liberos diſtrahendi poteſtas. Tandem ſenio, & lenta ægritudine confectus, anno ætatis circiter 82. regni autem 42. deceſſit clarus hic Philoſophus, Legiſlator, magnum Regum exemplar, juſtitiæ, pietatis, religionis, paciſque cultor egregius: cujus laudes præter Liv. l. 1. Flor. l. 1. c. 2. Aurel. Victor. de Vir. illuſtr. c. 3. Dionyſ. Halicarnaſ. l. 2. Hiſt. & Plut. in Vita, habet etiam Cic. pluribus in locis. Et lib. 3. de Nat. Deorum. *Mihique ita perſuaſi, Romulum auſpiciis, Numam ſacris conſtitutis fundamenta jeciſſe noſtræ Civitatis: quæ nunquam profecto ſine ſumma placatione Deorum immortalium tanta eſſe potuiſſet.* Et de leg. l. 1. *Nec dubito, quin iidem & cum Egeria collocutum Numam &c.* Et de leg. l. 2. *Concluſa quidem eſt à te tam magna lex ſane quambrevi: & , ut mihi quidem videtur, non multum diſcrepat iſta conſtitutio religionum à legibus Numæ, noſtriſque moribus.* Et ibid. poſt multa: *Quod inſtitutum perite à Numa, poſteriorum pontificum negligentia diſſolutum eſt.*

Notandum hic, me de Philoſophis Recentioribus hoc quarto Hiſtoriæ libro acturum, in ipſis numerandis non ſectarum differentiam, ſed temporum ſeriem ſervare decreviſſe. Verùm cum in aliis libris, & tertio potiſſimum, qui Græcorum eſt, eos per ſectas, non per ætatem, diſtinctos tradiderim; rectius duxi, eundem in hoc libro ordinem conſervare. Romanorum igitur Philoſophos per ſectas diſtinguens, à Pythagoreis initium feci (licet eorum titulus in hoc capite ſit prætermiſſus) namque illorum Secta reliquarum fuit vetuſtiſſima. In unaquaque autem ſecta ſuus cuique Philoſopho ſecundum ætatem locus erit. Sed quum de Numa, qui Pythagoreus ſi non extitit, ſaltem habitus eſt, ſatis ſuperque dictum ſit, ad alios Pythagoreos accedamus.

Q. ENNIUS.

POëta vetuſtiſſimus, quem, ut Silius Italicus refert,

Rudiæ genuere vetuſtæ;

ſecundum tamen Euſeb. in Chron. qui ejus nativitatem ſignat an. 4. Olymp. 134. Tarentinus fuit. Euſebii verba ſunt: *Q. Ennius Poëta Tarenti naſcitur, qui à Catone Quæſtore Romam translatus habitavit in monte Aventino, parco admodum ſumtu contentus, & unius ancillæ miniſterio.* Pythagoricæ ſectæ fuiſſe oſtendit ſuorum Annalium initium, in quo Metempſychoſim pertractat, referente Cozzando l. 5. de Magiſterio Antiqu. Philoſ. c. 2. Perſius etiam Pythagoricum deſtinat Sat. 6. ubi ait:

Cor jubet hoc Ennj, poſtquam deſtertuit eſſe
Mæonides quintus pavone ex Pythagoreo.

Quod etiam confirmatur ex eo, quod ipſe Homeri animam in ſe immigraſſe dicebat: unde & Latinorum Homerus ſemper habitus fuit, ut notat Lævin. Torrent. not. in Horat. l. 2. ep. 1.

Magnam habuit conſuetudinem cum P. Scipione, qui Africam devicit: hic enim cum eruditis, præcipue cum Ennio familiaritatem amabat; cum quo ludes in marmore communes habuit, ut notat C. Rhodig. l. 7. Antiqu. lect. c. 1. M. Fulvium Nobiliorem, cujus etiam filium erudivit, ad bellum Ætolium ſecutus eſt, & Catoni jam ſeni Græcarum literarum præceptor fuit, ut Sext. Aurel. Victor. refert, an. V. C. 550. vel 551. Romæ degens Annalium libros 18. vel ſecundem alios, 12. heroico verſu compoſuit. Macrobius Saturnal. 6. ait, Virgilium in multis Ennium imitatum fuiſſe, poëtam cæteroqui non valde inſignem: nam in ſententiarum quidem gravitate excelluit, in verborum tamen

cultu

Digitized by Google

cultu non enituit. Hinc Lil. Gyraldus: *Ingenio acri fuit, atque ad ſcribendum promtiſſimus, vehemens in ſententiis, in verbis rudis, ut qui non diſcederet à communi more verborum.* Sic etiam Ovid. de Triſt.

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Et Statius l. 1. Sylv. *Rudem Ennii muſam* dixit, ad patriæ Rudiæ nomen alludens. Poſſevin. vero in Biblioth. *Ennius primum inter Latinos Poëtas Epicos locum obtinet, quem & Virg. ſibi imitandum propoſuit, & M. Varro diſcipulum Muſarum, quemadmodum M. T. Cic. Summum Epicorum poëtam vocat.* De Virg. Ennii Poëſin legente ſæpius, illud dictum:

Ennj de ſtercore colligit aurum.

J. Lipſius l. 2. Antiqu. lect. c. 22. *Ennii verſus immortalitate omnium temporum digniſſimi extant apud A. Gellium l. 12. cap. 4. de Amici veri officio: qui & à verbis ejuſmodi ſunt, ut in iis vernaculus ille, & ſine fuco, ac cincinnis nativus color hominem eruditum mirifice delectet: & à rebus ita ſalubres, ut adoleſcentium aures circumſonare ejuſmodi vocibus potius multo ſit, quam ſexcentum Philoſophorum præceptis.* Voſſ. de Hiſt. Lat. *Quemadmodum ea eſt laus Nævii, quod primus carmine ſignarit bellum Romanum, & luculente quidem,* ut ait M. Tullius: *ita Ennio debemus, quod non paulo id politius fecerit, & perfectius, idque verſibus Heroicis, ob quorum majeſtatem ita eum celebrat Lucretius in* 1.

Ennius ut noſter cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

Tandem maximam Ennii laudem habet Scaligerana 1. p. 78. *Ennius Poëta antiquus, magnifico ingenio: utinam hunc haberemus integrum, & amiſiſſemus Lucanum, Statium, Silium Italicum, omneſque pueriles ejuſmodi Poëtas.* Ennius præter *Annales*, ſcripſit *Satyras*, *Comœdias*, & *Tragœdias*, ex quibus ad nos nihil pervenit, exceptis aliquot verſibus, à Scriptoribus veteribus paſſim citatis. Ennii fragmenta, præter alios, commentariis adjectis edidit Hieron. Columna, & magis luculente Paulus Merula Lugd. Bat. 1595. in 4.

Denique Ennius, qui ex communi omnium opinione Rudiis natus in Calabria, anno V. C. 514. ſive 515. C. Mamilio Turrino, & Q. Valerio Faltone Coſſ. & è Sardiniæ inſula, in qua vitæ partem duxerat, à Catone Cenſorino Romam translatus eſt; ſeptuagenarius ex morbo articulari; quem ab immodico vini potu contraxerat, mortuus eſt, Q. Marcio Philippo, & C. Servilio Cæpione Coſſ. ut Cic. in Bruto aſſerit. Sepultus autem traditur in eodem Scipionis, familiaris ſui, monumento, viâ Appia: cui hoc Epitaphium impoſitum, ut ex eodem Cicerone:

Adſpicite, ò Cives, Senis Ennii imaginis formam:
Hic veſtrum panxit maxima facta patrum.
Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
Faxit: Cur? volito vivus per ora virûm.

PUBLIUS NIGIDIUS FIGULUS

PHiloſophus fuit ſecta Pythagoreus, poſt Varronem Romanorum doctiſſimus habitus. Verum cum Pythagorei Magiæ ſuſpecti omnes haberentur; in exſilium pulſus, & ibi mortuus eſt an. Romæ 709. Olymp. 184. Ejus teſtimonium, & laudes habet Cic. initio libri de Univerſitate, in quo: *Multa ſunt à nobis & in Academicis conſcripta contra phyſicos; & ſæpe cum P. Nigidio, Carneadeo more, & modo diſputata: fuit enim vir ille cum cæteris artibus, quæ quidem dignæ libero eſſent, ornatus omnibus, tum acer inveſtigator, & di-*

diligens earum rerum, quæ à Natura involutæ videntur. Denique ſic judico, poſt illos nobiles Pythagoreos, quorum diſciplina extincta eſt quodam modo, cum aliquot ſecula in Italia, Siciliaque viguiſſent, hunc extitiſſe, qui illam renovaret, qui cum me &c. Extat etiam lib. 4. Ep. Cic. ad familiares Epiſtola 13. ad Nigidium ſcripta, qua exſulantem ſpe reditus ſolatur, eumque unum omnium appellat diviniſſimum, atque ſanctiſſimum. Imo & ejus opera Cic. in multis, arduiſque Reip. negociis uſus eſt, ut teſtatur Agellius: qui lib. 19. c. 14. de Nigidio, ſcriptore nimis obſcuro, hæc habet: *Ætas Ciceronis, & C. Cæſaris præſtanti facundia viros paucos habuit: doctrinarum autem multiformium, variarumque artium, quibus humanitas erudita eſt, columina habuit M. Varronem, & P. Nigidium. Sed Varronis quidem monumenta rerum, ac diſciplinarum, quæ per literas condidit, in propatulo, frequentique uſu ſunt. Nigidianæ autem commentationes non proinde in vulgus exeunt: & obſcuritas, ſubtilitaſque earum tanquam parum utilis derelicta eſt.* Pythagoricæ diſciplinæ, ac proinde Matheſeos, & Magiæ callentiſſimus fuit. Hinc Lucan. Bell. Civil. l. 1.

At Figulus, cui vera Deos, ſecretaque Cœli
Noſſe fuit; quem non Stellarum Ægyptia Memphis
Æquaret viſu, numeriſque moventibus aſtra:

Et Suet. in Auguſto narrat, Nigidium, comperta hora geniture Octavii, pronunciaſſe, Dominum terrarum orbi genitum. Dion etiam in Auguſto ſic: *Quumque puer jam natus eſſet, Nigidius Figulus Senator ſtatim ei filii ſummum imperium prædixit. Noverat is ſupra omnes homines ſuæ ætatis totius Cœli ordinem, & curſum: tenebat ſtellarum vim, atque differentiam, quid ipſæ per ſe, aut cum aliis conjunctæ poſſint, & efficiant: quorum tamen ſtudiorum (quod occulta eſſe, & vana videbantur) culpam ſuſtinuit. Is igitur, ut vidit Octavium ſerius propter partum Uxoris in curiam venientem (nam tum forte Senatus erat) ſtatim exclamat: Nobis, Octavi, dominum genuiſti. Deinde ea de re perculſum Octavium, atque idcirco puerulum necare volentem prohibuit &c.* Ejus & alii cum laude meminere. Janus Rutgerſius Nigidii fragmenta, quæ apud autores extant; diligenti cura collegit. Vide etiam la Popeliniere lib. 5. de Hiſt. & Agell. l. 4. c. 9. *Nigidius Figulus, homo, ut ego arbitror, juxta M. Varronem doctiſſimus.*

ANAXILAVS.

EUſebius in Chron. ad Olymp. 188. *Anaxilaus Lariſſæus, Pythagoricus, & Magicus ab Auguſto Urbe, Italiaque pellitur.* Quod & Nigidio Figulo, aliiſque Pythagoricis accidit: quippe Pythagorici magna Magiæ ſuſpicione, & infamia tenebantur; unde à Rerumpubl. rectoribus in exſilium mittebantur. Atque hinc factum, ut Domitianus, barbari, ac feri ingenii Princeps, cum videret, multos Philoſophos Magicis artibus operam dare; omnes Philoſophos ſeveriſſimo edicto tota Italia proſcripſit: & Antoninus Pius nonniſi quatuor ſectas publice admiſit, Platonicam, Epicuream, Peripateticam, & Stoicam, ut refert Lucianus in Eunucho. Neque mirum, Pythagoricos Magiæ nimium addictos fuiſſe, nam & ipſe Sectæ conditor Pythagoras Magiæ indulſit, & Magus à Timone Phliaſio in Sillis appellatus eſt.

Atque hæc de Pythagoricis, qui numero omnium Philoſophorum pauciſſimi; nam, ut diximus, Urbe vel arcebantur, vel ejiciebantur, quia Magiæ ſuſpecti. Ad aliarum igitur Sectarum Philoſophos accedamus.

PLA-

PLATONICI, ET ACADEMICI.

M. TERENTIUS VARRO

PHiloſophus, Hiſtoricus, Poëta, & Grammaticus Romanorum omnium doctiſſimus, natus eſt anno U. C. 638. ejus elogia plures contexerunt; quorum potiora hic referam. Plut. in Romulo. *Varro Philoſophus Romanorum plurimæ fuit in hiſtoria lectionis*. Apul. in Apolog. *Vir accuratiſſime doctus, atque eruditus*. Arnob. adverſ. Gent. l. 5. *Varro ille Romanus multiformibus eminens diſciplinis, & in vetuſtatis indagatione rimator*. Lactant. l. 1. Divin. Inſt. c. 6. *M. Varro, quo nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, ne dum apud Latinos vixit*. Auguſt. de Civ. Dei l. 6. c. 2. de Diis Gentium loquens ait: *Quis M. Varrone curioſius iſta quæſivit? quis invenit doctius? quis conſideravit attentius? quis diſtinxit acutius? quis diligentius, pleniuſque conſcripſit? qui tametſi minus eſt ſuavis eloquio, doctrina tamen, atque ſcientiis tam refertus eſt, ut in omni eruditione, quam nos ſecularem, illi autem liberalem vocant, ſtudioſum rerum tantum iſte doceat, quantum ſtudioſum verborum Cicero delectat*. Quintil. Inſt. l. 10. c. 1. *Terentius Varro, vir Romanorum eruditiſſimus. Plurimos hic libros, & doctiſſimos compoſuit, peritiſſimus linguæ latinæ, & omnis antiquitatis; & rerum græcarum, noſtrarumque plus tamen ſcientiæ collaturus, quàm eloquentiæ*. Lipſ. l. 3 var. Lect. c. 19. *Terentius quidem Varro, vir cùm Græcis literis perfectus, & Latinis, tum antiquitatis cum primis imitator diligens*. Scaligerana prima pag: 146. & 147. *Unicum Varronem inter Latinos habemus libris tribus de Re Ruſtica, qui vere ac μεθοδικῶς philoſophatus ſit: imo nullus eſt Græcorum, qui tam bene, inter eos ſaltem, qui ad nos pervenerunt. O excellens opus, ex quo qualia ejus reliqua erant opera, conjectare quivis poteſt! Sed, quod mirum, non minus in Poëſi valuiſſe, fragmenta Poëmatum indicant*. Baron. volum. 1. Annal. p. 35. *Rerum antiquarum Varrone doctiorem neminem fuiſſe conſtat*. Et Petrus Crinitus de Honeſta diſciplina l. 10. c. 11. *De Varrone Terentio notum eſt omnibus, quantum omnis antiquitas ejus ſtudium, atque multiplices doctrinas extulerit; ut omnium quidem togatorum doctiſſimus habitus ſit. Cui ſententiæ M. Cicero, & Fabius Quintil. calculum adjecerunt. Itaque ſic Maurus Terentianus ad Novatemum:*

Vir doctiſſimus undequaque Varro.

Qui tam multa legit, ut eſt autor Auguſtinus, ut aliquid ei ſcribere vacaſſe miremur, tam multa ſcripſit, quam multa vix quemquam legere potuiſſe credamus. Poſt hæc notat cit. Crinitus, & ſumme miratur, Varronem diſciplinarum omnium parentem, & principem, à Rhemnio Palæmone imperitum hominem, & porcum fuiſſe appellatum. In Etymologiis tamen tradendis reprehenditur à Quintil. Joſ. Scaligero, Manutio, atque aliis. Et Scal. quidem: *Varro more ſuo anxie Etymologias comminiſcitur*. Manut. l. 3. epiſt. 23: *Varro in Etymologiis Varro non videtur: itaque à Quintiliano ridetur meritò.*

Compoſuit *libros 24. de Lingua Latina*, quos Ciceroni dedicaverat; de iis, qui nunc extant, ita Lud. Viv. de Tradend. diſcipl. p. 225. *Varronis de Lingua Latina libri tres intricati ex illo dicendi more ipſi peculiari*. Scripſit octogeſimum agens annum *libros tres de Re Ruſtica*: *Satyras Menippeas*; Antiquitates rerum humanarum, divinarumque: *Libros de vita Pop. Romani*: Opus Hebdomadum, quod continebat imagines, & elogia doctorum virorum: *librum de Poëtis, & Scenicis Originibus, &c.* Horum tamen nonniſi fragmenta quædam ad nos pervenerunt.

Secta fuit Academicus, Ciceroni cum primis familiaris, & condiſcipulus, ut

Digitized by Google

ut idem Cic. teſtatur Acad. Quæſt. l. 1. Edit. ſecundæ, his verbis: *Quin videremus hominem nobiſcum & ſtudiis iiſdem, & vetuſtate amicitiæ conjunctum*. In quo libro Varronem de Philoſophia diſertiſſime per Dialogum loquentem inducit. Ibidem Varro Ciceroni interroganti, cur ipſe, qui in Philoſophia excellit, & multum ſcribit, genus hoc prætermittat? reſpondet. *Rem à me ſæpe deliberatam, & multum agitatam requiris. Itaque non multum hæſitans, reſpondebo: ſed ea dicam, quæ mihi ſunt in promtu; quod iſta ipſa de re multum, ut dixi, & cogitavi: Nam cum Philoſophiam viderem diligentiſſime literis Græcis explicatam, exiſtimavi, ſi qui de noſtris eo ſtudio tenerentur, ſi eſſent Græcis doctrinis eruditi, Græca potius, quam noſtra lecturos; ſin à Græcorum artibus, & diſciplinis abhorrerent, ne hæc quidem curaturos, quæ ſine eruditione Græca intelligi non poſſunt: itaque ea nolui ſcribere, quæ nec indocti intelligere poſſent, nec docti legere curarent*. Veteris autem Academiæ Sectatorem fuiſſe, ipſe de ſe teſtatur, inquiens: *Si vero Academiam Veterem perſequamur, quam nos, ut ſcis, probamus; quam erit illa acute explicanda nobis?* Quare ſuam in Phyſica ſententiam de rerum principiis ibidem exponens, inquit: *Noſtra tu phyſica noſti, quæ contineantur ex effectione, & ex materia ea, quam fingit, & format effectio. Adhibenda etiam Geometria eſt, &c.* cauſſam etiam addit, cur ad Græcorum ſtudium amicos mittat, his verbis: *Sed meos amicos, in quibus eſt ſtudium, in Græciam mitto; id eſt, ad Græcos ire jubeo, ut ea à fontibus potius hauriant, quàm rivulos conſectentur*. Tandem Varronis, ejuſque operum laudes ibi à Cic. deſcriptas ſic optime invenies. *Nam nos in noſtra Urbe peregrinantes, erranteſque tanquam hoſpites, tui libri quaſi domum reduxerunt; ut poſſemus aliquando, qui, & ubi eſſemus agnoſcere. Tu ætatem Patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum jura, tu ſacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum, locorum, tu omnium divinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſſas aperuiſti: plurimumque Poëtis noſtris, omninoque Latinis, & literis luminis attuliſti, & verbis: atque ipſe varium, & elegans, omni fere numero poëma feciſti: Philoſophiamque multis locis inchoaſti ad impellendum ſatis, ad docendum parum. Cauſſam autem probabilem, &c.*

Mortuus tandem eſt doctiſſimus hic Senator, & Philoſophus, anno U.C. 726. ætatis ſuæ 90. Ejus vitam ſcripſit Verranius Maurus; qui ſuorum etiam operum titulos digeſſit; quem vide, & Scalig. Voſs. Turneb. Geſner. & alios.

C. AURELIUS COTTA

INſignis Orator, & Philoſophus Academicus fuit, ex Illuſtri familia Cotta Romæ natus. Unus ex quatuor Sectarum principibus eſt, quos Cic. l. 1. de Nat. Deor. ad propriam Sectam tuendam patronos loquentes inducit: ubi Cotta, eloquentiſſimus inter Academicos, ea tempeſtate florentes, princeps, Academicorum partes tuetur; C. Vellejus Epicureis; Q. Lucilius Balbus Stoicis; & M. Piſo Peripateticis patrocinatur. Sic itaque Cic. l. c. *Tres enim trium diſciplinarum principes conveniſtis. M. enim Piſo ſi adeſſet, nullius Philoſophiæ, earum quidem, quæ in honore ſunt, vacaret locus, &c.* Hæ namque quatuor, ut alias dictum, Philoſophiæ Sectæ Ciceronis ævo, & fere ſemper, Romæ in honore habitæ, imo & permiſſæ ſunt, Academica, ſive Platonica, Epicurea, Stoica, & Peripatetica. Verum hi Sectarum Principes ante Ciceronem deceſſerant, ut ex Ep. 19. lib. 13. Ep. ad Att. educitur. Vide etiam Leonardum Cozzandum de Magiſterio Antiquorum Philoſophorum l. 1. c. 9.

M. TUL-

M. TULLIUS CICERO.

NOn ultima Ciceronis laus eſt, oratorum omnium, Romanæque Eloquentiæ Principem fuiſſe; ſed & Romanorum Philoſophus vel primus extitit: ut ex ejus ſtudiis, & operibus, de quibus mox, clariſſime evincitur. Arpini, quod celebre Volſcorum oppidum, natus eſt 3. Nonas Januarias a. Romæ 648. Olymp. 168. unde Arpinas appellatus. Mater ei Helvia, claro genere, & honeſta vita mulier. De Patre quæſtio eſt inter autores. Alii enim, referente Plut. in vita, in officina fullonia & natum volunt, & educatum. Alii ad Appium (ſive potius Accium, cujus meminit Liv. l. 2.) Tullium, clarum Volſcorum Regem originem familiæ ejus referunt. Cujus ſententiæ eſſe videtur Euſeb. Cæſar. Chron. p. 65. ubi: *Marcus Tullius Cicero Arpini naſcitur, Matre Helvia, Patre equeſtris ordinis, ex regio Volſcorum genere.* Alii denique teſte Roſcio, quem ſequitur Morery, & reliqui fere omnes, eum ex Equite Romano, à Tito Tatio Sabinorum Rege origine ducente, ortum contendunt. Hac autem de cauſſa Ciceronis cognomen ipſum habuiſſe refert Plut. ib. *Habuit ille in extremo naſi ad modum ciceris cæcam inciſuram, unde cognomen quæſivit. Ipſe quidem, quo de hic ſcribimus, Cicero, admonentibus amicis, cum primum honores peteret, & Remp. attingeret, ut abjiceret hoc nomen, immutaretve, fertur glorians dixiſſe, eniſurum ſe illuſtrius Ciceronis nomen Scauris, & Catulis reddere.* Ex puero magnum ingenii in diſcendo acumen, & ſolertiam habuit; ita ut ad omnes ingenuas artes, omneque eruditionis genus complectendum natus videretur. Condiſcipulis omnibus magnæ erat admirationi; eorumque caterva ſtipatus medius ad ludum literarium ſemper pergebat. Adhuc puer Poema conſcripſit, cui titulus *Pontius Glaucus*: poeſi enim maxime delectabatur; imo & Poeta inter Romanos tunc præſtantiſſimus habitus eſt. Puerili ſchola defunctus Philoni Academico, tunc Romæ Philoſophiam docenti, operam dedit: deinde Mutio Scævolæ, viro conſulto, & Senatus Principi, à quo Juriſprudentiam hauſit.

Annos natus 23. ut refert Nepos, vel 25. ut alii, Roſcio Amerino, parricidii reo, patrocinatus eſt. Sed metuens Syllam, tunc Romæ potentiſſimum, quem in ea cauſſa offenderat, ſimulata infirmæ valetudinis cauſſa, in Græciam, Aſiamque abiit: ubi ſe, ut ipſe teſtatur, recoquendum præceptoribus dicendi dedit. Et profecto erat corpore gracili, & macilento, ſtomachoque infirmo; unde ſæpius in Ep. ſe κακοςόμαχον dicit; ac propterea modicum cibi admodum ſero capiebat. Vox ei erat canora, & bona, ſed dura, & incondita. Ut igitur Athenas venit, Antiochum Aſcalonitam, Academicum audivit; ut infra in Antiocho ex Plut. ipſiuſque Ciceronis teſtimoniis adnotabimus, iterumque Academicæ Philoſophiæ ſtudiis ſe addixit, ſtatuens tranquillam in Philoſophia ibi vitam ducere, ſi nullus in foro, & Rep. adminiſtranda locus ei Romæ daretur. Diodoti etiam Stoici ſe diſcipulum fatetur Acad. Qu. l. 2. 37. his verbis: *Diodoto quid faciam Stoico? quem à puero audivi, qui mecum vivit tot annos, qui habitat apud me, quem & admiror, & diligo.* Et de Nat. D. 1. 5. huic alios ſuos etiam adnumerat Præceptores; magnamque in Philoſophiæ ſtudiis ſui animi contentionem refert, inquiens: *Nos autem nec ſubito cœpimus philoſophari: nec mediocrem à primo tempore ætatis in eo ſtudio operam, curamque conſumſimus: &, cum minime videbamur, tunc maxime philoſophabamur. Quod & orationes declarant refertæ Philoſophorum ſententiis; & doctiſſimorum hominum familiaritates, quibus ſemper domus noſtra floruit; & principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Poſidonius, à quibus inſtituti ſumus, &c.* Unde ingenue ipſe l. 2. de Fin. fatetur, ipſum, & Romanos omnes Græcis Philoſophiam, & ſcien-

Digitized by Google

tias acceptas ferre, inquiens: *Sint iſta Græcorum: quamquam ab his Philoſophiam, & omnes ingenuas diſciplinas habemus*. Ut & nos ſupra innuimus. Sed ubi Syllæ mortem accepit, ac corpore exercitatione firmato, & voce jucundiore reddita, cohortantibus amicis, ipſoque etiam Antiocho, ut ad oratorium munus, Reipublicæque regimen rediret; totum ſe oratoriæ facultati devovit, atque ideo in Aſiam, Rhodumque navigavit. Et in Aſia quidem Xenoclem Adramittenum, Dionyſium Magneſium, & Menippum Charem audivit: Rhodi verò Apollonium Molonetum, Molonis filium, Philoſophum, & Oratorem omnium ſui ævi eloquentiſſimum, dicendi Magiſtrum habuit. Hic à Cicerone contendit, ut græce declamaret: quem ubi declamantem græce audivit, diu cogitabundus, ac triſtis ſedens, tandem de triſtitiæ cauſsa interrogatus exclamavit: *Te quidem laudo, Cicero, & admiror, Græciæ verò miſeret me conditionis, cum cernam, quæ reliqua nobis ſola erant ornamenta, ea quoque te ad Romanos tranſtuliſſe, literas, & Eloquentiam.*

Hinc Romam venit, ubi in foro omnium optime oratoriam exercuit. Dicitur autem hic, non ſecus ac Demoſthenes, in actione laboraviſſe: quare, ut in re oratoribus tam neceſſaria proficeret, nunc Roſcio Comœdo, nunc Æſopo Tragœdo operam dedit. Etſi rem familiarem modicam quidem habebat, & ad victum neceſſarium vix ſufficientem; patrocinii tamen cauſſa neq; mercedem neq; munera capiebat. Sed ejus doctrina, ac prudentia cognita, Quæſtor in annonæ difficultate deſignatus, ac Siciliam ſortitus, rectiſſime commiſſam ſibi provinciam adminiſtravit an. U. C. 679. atque ita ex provincia deceſſit, ut Siculis omnibus jucundam, diuturnamque memoriam quæſturæ, nominiſque ſui relinqueret. Deinde Ædilis factus Verrem de luxuria in flagitiis, crudelitate in ſuppliciis, avaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis, Deorum è delubris raptu ſacrilego, ac de totius Siciliæ, cui Verres per triennium Prætor fuerat, populatione accuſavit a. U. C. 683. ætatis ſuæ 37. ſuiſque in Verrem actionibus in Senatu habitis ipſum impulit, coegitque, ut in Verrem, quem repetundarum reum Siculi poſtulabant, ſententiam ferret. Quare Verres de repetundis damnatus; Siculiſque illata damna ex ejus pecunia refecta ſunt. Siculi, ut ſe gratos oſtenderent, multa ex ea inſula advecta Ciceroni obtulerunt; verum ipſe omnia non in proprium uſum, ſed ad annonæ egeſtatem levandam, publicumque uſum convertit. Prætor electus ſumma laude hoc munere defunctus eſt: & licet multos, atque inſignes haberet competitores, omnium tamen primus renunciatus eſt.

Anno 690. ſive 691. una cum C. Antonio Nepote ad Conſulatum non minus ab Optimatibus, quam à plebe provectus, Urbis proditores detexit, qui, duce L. Catilina, homine audaci, inquieto, verſipelle, flagitioſo, Urbi ferrum, flammamque minabantur. Patefacta Catilinæ in Remp. conjuratione, Cicero Orationem in Senatu habuit in L. Catilinam: qua oratione perterritus Catilina Urbe auſugit cum ſociis. Hinc Cicero alia Oratione ad Populum R. gratulatur ei de Catilina jam ejecto, ac profligato; cujus nefarium conſilium erat, ut Flori verbis utar, Senatum confodere, Conſules trucidare, diſtringere incendiis Urbem, diripere Ærarium, ac totam denique Remp. funditus tollere: quibus ſceleribus patrandis opportuna erat occaſio, quod in extremis mundi partibus arma Romana peregrinabantur. Catilinarium bellum conſcripſere Liv. Salluſt. Val. Max. Plut. in Vitis Syllæ, Ciceronis, & Cæſaris. Pauca tamen hic ex Floro l. 4. c. 1. ubi breviter, eleganterque ipſum deſcripſit, adducam . . . *Lentulus quoque cum maxime Prætor: hos omnes immaniſſimi facinoris ſatellites habuit. Additum eſt pignus conjurationis, ſanguis humanus: quem circumlatum pateris bibere: ſummum nefas; niſi amplius eſſet, propter quod bibe-*

biberunt. Actum erat de pulcherrimo imperio, niſi illa conjuratio in Ciceronem, & Antonium Conſules incidiſſet: quorum alter induſtria rem patefecit, alter manu oppreſſit. Tanti ſceleris indicium per Fulviam emerſit, viliſſimum ſcortum, ſed parricidii innocens . . . . . & ille quidem (Catilina) ad præparatum à Manlio in Etruria exercitum proficiſcitur, ſigna illaturus Urbi. Lentulus deſtinatum familiæ ſuæ ſibyllinis verſibus regnum ſibi vaticinans, ad præſtitutum à Catilina diem, Urbe tota viros, faces, tela diſponit. Nec civili conſpiratione contentus, legatis Allobrogum, qui tum forte aderant, in arma ſollicitatis, iiſſet ultra Alpes furor, niſi altera proditione Vulturcii, Prætoris literæ tenerentur. Statim Ciceronis imperio injecta eſt barbaris manus, Palam Prætor in Senatu convincitur. De ſupplicio agentibus, Cæſar parcendum dignitati: Cato animadvertendum pro ſcelere cenſebat. Quam ſententiam ſecutis omnibus, in carcere parricidæ ſtrangulantur. Quamvis parte conjurationis oppreſſa, tamen ab incepto Catilina non deſtitit: ſed infeſtis ab Etruria ſignis patriam petens, obvio Antonii exercitu opprimitur. Quam atrociter dimicatum ſit, exitus docuit: nemo hoſtium bello ſuperfuit: quem quis in pugnando cœperat locum, eum, amiſſa anima, corpore tegebat. Catilina longe à ſuis inter hoſtium cadavera repertus eſt; pulcherrima morte, ſi pro patria ſic concidiſſet. Præclaro hoc facinore celeberrimus Cicero factus, & à Populo plauſibus, & acclamationibus exceptus, optimatibus ſtipatus, patriæ ſervator, & conditor dictus eſt; ſecuritatem, & ſalutem uni tantum Ciceroni acceptam quique ferentes acclamabant; quod tantum, ac tam ſævum ipſorum periculum diſcuſſiſſet. Et à Catone, tunc Tribuno plebis, Ciceronis Conſulatus ſuis concionibus ſumme laudatus, & ampliſſimis honoribus inſignitus, *Pater Patriæ* primum appellatus eſt. Hoc tamen Ciceroni vitio vertunt, quod ſeipſum ſive in Senatu, ſive in concionibus, ſive in judiciis, ſive in ſcriptis, cæteroqui jucundiſſimis, atque elegantiſſimis, ſemper laudaverit, & celebraverit: quod multorum odium in eum peperit. Verum ut gloriæ cupidus in ſe laudando aſſiduus; ſic & in laudandis aliis candidus ſemper fuit.

Anno ab U. C. 696. Clodius genere quidem nobilis, ſed ſtupris, aliiſque nefariis ſceleribus infamis, ut à Judicibus accepta pecunia abſolutus, & Tribunus Plebis factus fuit, protinus Ciceronem, qui teſtimonium in ipſum dixerat, appetivit; corruptiſque Conſulibus Piſone, & Gabino, de Lentulo, & Cethego non jure necatis Ciceronem in Senatu accuſavit; ac dicta in eum exſilii ſententia, ipſum aqua, & igni interdixit, ac ne quis eum intra quingenta millia paſſuum ab Italia tecto exciperet, lege ſancivit. Sed cum id equeſter ordo, populus, & Patres quidam ægre tuliſſent; Pompejo etiam mutata ſententia Ciceroni favente, ipſe ab exſilio revocatur, quod ſexdecim, vel decem menſes, ut alii volunt, pertulerat. De Ciceronis reditu hæc notat Plut. in Vita: *Proditum memoriæ eſt, nullam rem unquam tanto conſenſu ſciviſſe Populum. Senatus cum populo certans decrevit, ut bonos haberetur civitatibus, quæ in Ciceronem, dum exſulaſſet, fuiſſent officioſæ, domus ejus; & Villæ, quas diruerat Clodius, ut ex publico inſtaurarentur. Reverſus ab exſilio Cicero eſt menſe decimoſexto: tantâque municipiorum omnium lætitia, & favore hominum proditum ei obviam eſt, ut, quod jactavit poſtea Cicero, minus eſſet vero. Ait enim, Italiæ ſe humeris reportatum, &c.* Reverſus ab exſilio orationem εὐχαριστηρίαν ad Quirites unam, alteram in Senatu habuit: acta Clodii, tabulis inſcripta è Capitolio revellit; & Milonem, qui Clodium occiderat, defendit. Hæc omnia anno ætatis ſuæ 50. patrata ſunt.

Proconſul Ciliciæ factus anno Romæ 702. eximia integritate demandatam ſibi provinciam adminiſtravit: ubi ob partas victorias, fuſos, fugatoſque

latrones, qui Amaſum tenebant, Imperator ab exercitu appellatus eſt. Provincia inde decedens primum Rhodum appulit; poſtea priſtinæ converſationis deſiderio Athenas venit. Inde viſis, quos ibi habebat, doctiſſimis Viris, & amicis, acceptiſque eximiis à Græcia honoribus, Romam reverſus eſt. Decretum ſibi à Senatu triumphum recuſans ait: *Malle ſe, facta concordia, Cæſaris ſequi currum*. Civile tunc, atque omnium atrociſſimum bellum inter Cæſarem, & Pompejum erat: cui ſedando cum Cicero, utrique ſcribens, nihil proficeret, diu hæſit dubitans, cuinam Principum magis adhæreret; ut ipſe in Ep. inquit de ſe: *Utrò te convertas? Specioſam habet Pompejus, & honeſtam belli materiam: paratior eſt Cæſar, rectiuſque ſibi, & amicis conſulit. Itaque quem fugiam, habeo, non habeo, ad quem fugiam*. Tandem Pompejum ſequi decrevit, Catone improbante. Cæſar autem de Pompejo victoriam habens, Ciceroni ne dum induiſit, ſed & ſumme coluit, & in caris habuit. Imo & Ligarium, Cæſaris hoſtem habitum, eximia Cicero oratione defendit, ac Cæſari reconciliavit anno 706.

Sed Romana per Cæſarem Rep. in Regnum converſa, Cicero publicis actionibus ſe abdicavit, ac totum ſe Philoſophiæ ſtudiis addixit, domi cum familiaribus vacans ſcribendis philoſophicis libris, qui ſunt: *Academicarum Quæſtionum libri 2. De Finibus bonorum, & malorum libri 5. Tuſculanarum Quæſtionum libri 5. De Natura Deorum: De Divinatione: De Fato: De Legibus: De Univerſitate: Arati verſus in latinum converſi: Q. Ciceronis de petitione conſulatus, &c.* In quibus fere ſemper Platonem imitatus eſt per Dialogos ſcribens, Novæ Academiæ dogmatis addictus. De Cæſare (cujus gratia præ cæteris fruebatur) everſas, dejectaſque Pompeji ſtatuas erigi jubente, Cicero dixit: *Ipſum ex humanitate, dum Pompeji ſtatuas erigit, ſuas ſtabilire.*

Cicero Terentiam uxorem repudiavit, quod ipſum in bello ſine viatico dimiſerit; & ne dum opitulata ei nunquam fuerit, ſed & parum benevola ſemper viſa, atque domum ære alieno oppreſſam, dum è bello rediret, invenerit. Terentiâ repudiata, virginem puellam duxit locupletem, cujus patrimonium Cicero, hæres fiduciarius inſtitutus, adminiſtraverat. In Cæſaris necem Cicero, licet Bruto familiaris, non conſpiravit.

Cæſare in Senatu à Bruto, ſociiſque interemto, Octavius Cæſar, Lepidus, & Antonius (qui Ciceronem ſumme oderat, tum quia Cicero, cujus maxima tunc Romæ poteſtas erat, ipſum exſulem Urbe expulerat; tum ob Orationes, Philippicas etiam nunc vocatas, contra ipſum habitas) Triumviratus poteſtatem nacti, Ciceronem proſcripſerunt, atque Aſtyra, maritimam villam, ei ſtatuerunt, ut peteret, atque inde in Macedoniam iret ad Brutum una cum Q. Cicerone. Cicero ad Aſtyra delatus, & navigium ibi nactus ad Circejos venit. Quum autem Q. Cicero domum rediret ad viaticum ſumendum (neceſſariis enim omnibus deſtituebatur) à ſervis ſuis proditus percuſſoribus, interemtus eſt cum filio. Refert Plut. in Vita, nonnullos ſcriptores memoriæ prodidiſſe, Pomponiam Q. Ciceronis uxorem, accepta ab Antonio poteſtate Philologum, viri ſui proditorem, præter alia dira ſupplicia, proprias carnes paullatim præcidere, eas aſſare, inde vorare adegiſſe. Sed, ut ad Ciceronem revertar, dum ipſe fugam capiebat, ab Herennio Centurione, & Popilio Tribuno (quem parricidii reum quondam Cicero defenderat) ſicariis ab Antonio miſſis, circumventus, necatus eſt Olymp. 184. anno Romæ 711. ætatis 64. atque ejus capite, & manibus, quibus Philippicas ſcripſerat, Antonii juſſu præciſis, ea Romam Popilius adduxit; quæ membra pro roſtris in Tribunali figi Antonius juſſit, juxtaque coronata imago Popilii militis, qui eum occiderat, ut ait Euſeb. in Chron Horrendum ſpectaculum! Verum non longe

poſtea

poſtea Cæſarem pœnituit, quod in Ciceronis proſcriptionem conſenſerat. Quare eum ſæpe laudavit, &, debellato Antonio, Ciceronis filium Conſul collegam cooptavit: in cujus Magiſtratu Antonii ſtatuas Senatus dejecit, ac Ciceronis memoriam honoravit.

Scripſit præter Philoſophica, de quibus ſupra, libros ad Rhetoricam pertinentes; ut ſunt *De Oratore* 3. *De Inventione* 2. *De Claris Oratoribus*, *ſive Brutus*, *&c. Orationes*, *& Epiſtolas*. Præterea libros tres verſuum de iis, quæ ſub conſulatu ſuo acciderant, ſcripſit. Vide ejus Vitam apud cit. Plut. & Vitam à Lambino, & Fabricio compoſitam, & operum initio appoſitam. Omnium tamen primus Ciceronis Vitam tribus voluminibus ſcripſit, teſte Pediano, Tiro Tullius ejus libertus.

Sunt & alia plura Ciceronis ſcripta opera, quæ non extant. Unde merito M. Anton. Muret. l. 15. variar. lect. c. 1. ait: *Ciceronis ſcriptorum vix decimam partem reliquam habemus, eamque multis partibus mancam, & mutilam. Inter amiſſos libros refero libros de Rep. quos viri eruditi magnopere deſiderant*. Et Lud. Vives addit: *Neque enim dubito, quin opus fuerit admirabile*. Et Eraſm. Epiſt. 28. 1. de Ciceronis libris ait: *Quam illic eſt varia lectio voluminum, quæ doctiſſimi Græci de recte, beateque vivendo reliquerunt? quanta vis, quanta copia ſalubrium, ac ſanctiſſimorum præceptorum? quanta cognitio, quantaque memoria priſcarum ſimul, & recentium hiſtoriarum. Tum autem quam altæ cogitationes de vera hominis felicitate, quæ plane declarant, illum hoc egiſſe, quod docebat*. In Scaligerana tamen prima p. 49. Ciceronis libri Philoſophici talem incurrunt reprehenſionem: *Libros omnes Philoſophicos Ciceronis nihili facio; nihil enim in iis eſt, quod demonſtret, & doceat, ac cogat, nihil Ariſtotelicum, &c.* Vide Thom. Pope Blount in Cenſura.

ANTIOCHUS ASCALONITA.

Quamvis de Antiocho in hujus Hiſt. l. 3. c. 7. ubi de Academicis, actum ſit; quia tamen Romæ docuit, atque ideo inter Romanos Philoſophos recenſendus hic eſt; quædam de ipſo hoc loco ſubnectere opus erit. Vixit Antiochus Olymp. 165. ab U. C. 674. Hunc Cic. ejus primum Athenis, deinde Romæ diſcipulus pluribus commendat. Acad. Qu. 2. 6. ipſum ingenio, & ſcientia excellere ait: & ibidem 8. *Homo naturaleniſſimus, nihil enim fieri poterat mitius*: ibid. 36. *Antiochus in primis, qui me valde movet, vel quod amavi hominem ſicut ille me; vel quod ita judico, politiſſimum, & acutiſſimum omnium noſtræ memoriæ Philoſophorum*. Et de leg. 1. 183. *Vir iſte fuit ille quidem prudens, & acutus, & in ſuo genere perfectus, mihique ut ſcis, familiaris*. Idem Cic. ſe Antiochi diſcipulum fatetur Acad. Qu. 2. ubi: *Agam igitur, ſicut Antiochus. Nota mihi res eſt, nam & vacuo animo illum audiebam, & magno ſtudio, eadem de re etiam ſæpius*. Quod confirmat l. 1. de Nat. Deor. & alibi. Hoc tamen ei vitio vertit idem Cic. Ac. Qu. l. 2. 24. quod primum recens Academicus, deinde in multis Stoicus, tandem veteris Academiæ ſectator fuerit. Ejus verba ſunt: *Quamvis igitur fuerit acutus, ut fuit; tamen inconſtantia levatur autoritas*. Et poſt pauca ibid. cauſam addit hujus inconſtantiæ, quod ſcilicet ſperaret, ſe novæ Sectæ autorem fore dicendum; inquit enim: *Quod erant, qui illum gloriæ cauſa facerent ſperare, etiam fore, ut qui ſequerentur, Antiochii vocarentur*. Quæ omnia confirmat Plut. in Cic. inquiens: *Ut applicuit Athenas, Antiochum Aſcalonitam audivit, volubilitate captus, & venuſtate ejus orationis: opinionum verò ejus non probavit novationem. Jam enim à vetere, quam vocant, Academia deſciverat Carneadeæ Sectæ Antiochus*

deſer-

deſertor, vel evidentia permotus, & ſenſibus, vel, ut alii dictitant, ambitione aliqua, & diſſentione cum Clitomachi, & Philonis diſcipulis, Stoica præcepta ubique fere mutata ſententia amplexus. Cicero autem maluit illis inhærere, & illa ſequi. Atticus, Ciceronis amicus, licet Secta Epicureus, Antiochi tamen familiaris fuit; ut ipſemet teſtatur apud Cic. de leg. 1. his verbis: *Ergo ſi aſſentiris Antiocho familiari meo (magiſtro enim non audeo dicere) quo cum vixi, & qui ex noſtris pene convellit hortulis, deduxitque in Academiam perpauculis paſſibus.* L. Licinius Lucullus dum in Aſia Quæſtor eſſet, ſecum familiariter vixit; Suaſitque ut Romam veniret, quod fecit, fuitque ibi magno in honore apud omnes; ut ex Cic. Ac. Qu. 2. 6. ubi de Lucullo loquens ait: *Cum autem è Philoſophis ingenio, ſcientiaque putaretur Antiochus, Philonis auditor excellere: eum ſecum & Quæſtor habuit, & poſt aliquot annos imperator.* Et ibid. 44. *Hæc tibi, Luculle, ſi es aſſenſus Lucullo, familiari tuo, tam ſunt defendenda, quam mœnia.* Et paullò ante ipſum Antiochi etiam diſcipulum feciſſe videtur, dum ait: *Tamen expecto ea, quæ te pollicitus es, Luculle, ab Antiocho audita dicturum.* Etiam M. Brutus ipſum in admiratione habuit perpetuo, ut Plut. in Bruto ait; Ariſtique ſive Ariſtonis, qui Antiochi frater erat, diſciplina uſus eſt; ut infra in Bruto fuſius. Scripſit librum de Academia, & alterum de Diis; atque alia. Vide cit. lib. 3. hujus Hiſtoriæ. Cic. Plut. in Cic. Strab. l. 16. Voſs. l. 4. de Hiſt. Græc. & de Phil. Sect. c. 15.

L. LICINIUS LUCULLUS

GEnere fuit illuſtris, avum enim habuit conſularem; bellica virtute inſignis, literarum ſtudio præclarus; eloquens enim valde fuit, atque utraque lingua pollens, & exercitatus. Nam de eximia ejus eruditione hoc præcipue commemoratur, quod Hortenſio cauſſidico, & Siſenna hiſtoriographo, ſuis in dicendi arte præceptoribus, profeſſus eſt, propoſito carmine, & oratione ſoluta, Græca pariter, & Latina, utram earum dictionum ſors dediſſet, ea bellum Marſicum ſe conſcripturum. Atque obtigiſſe ſorte videtur ei Oratio Græca; ejus enim extat de Bello Marſico Hiſtoria Græce conſcripta. *Ætate verò provectiore*, inquit Plut. in Vit. *mentem ex multis certaminibus laxatam ad ocium, & quietem detulit Philoſophiæ, eamque ad rerum cognitionem excitavit.* Et ib. in fine clarius ipſum Platonicum memorat inquiens: *Colebat ille quidem omnem Philoſophiam, neque ab ullo genere abhorrebat, aut alienus erat: proprie tamen ab ineunte ætate dilexit, & ſecutus eſt Academiam, non illam, quam Novam vocabant, quamvis eo tempore Carneadis præceptis per Philonem floreret; ſed veterem, quæ acrem antiſtitem, & facundum habebat Aſcalonitem Antiochum, quem omni ſtudio amicum paravit, & convictorem Lucullus, qui eum Philonis opponeret auditoribus, in quibus erat Cic. qui librum admodum doctum pro Secta ſua ſcripſit. In eo diſputationem pro comprehenſione Lucullo, ſibi tribuit diverſam. Titulus libri Lucullus eſt: ſiquidem erant hi ſummi amici, & conſiliorum in Rep. ſocii.* Plures bellicas expeditiones Lucullus, ſtrenuus belli dux, ſapiens, prudenſque exercituum Imperator in Ægyptum, Pontum, & Aſiam feliciter egit; urbibus, provinciis, regnis, & Regibus victis, plurimis fuit victoriis coronatus. Inter ſubjugatos Reges magni illi numerantur Mithridates, Rex Ponti, qui tanta animi, & corporis vi pollebat, ut ſex juges equos regeret, duabus & viginti linguis loqueretur, & omnes ferme milites proprio nomine vocaret: qui victus à Lucullo eſt a. U. C. 683. Et Tigranes, Rex Armeniæ Mithridatis gener, de quo memorabilem tulit victoriam a. Romæ 685. *Mithridates*, inquit Flor. l. 3. c. 5. *omnium longe maximus;*

quippe

quippe cum quatuor Pyrrho, decem, & ſeptem anni Annibali ſuffecerint; ille per quadraginta annos reſtitit, donec tribus ingentibus bellis ſubactus, felicitate Syllæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeji conſumeretur. Portentoſum etiam hoc in Mithridatico bello cit. Flor. ib. narrat de Lucullo. *Qui (horribile dictu) per medias hoſtium naves utre ſuſpenſus, & pedibus iter adgubernans, videntibus procul quaſi marina piſtrix evaſerat*. Cyrenæis etiam leges dedit, quos cum tyrannide, & bello cruciatos offendiſſet, recreavit; eorumque Remp. conſtituit.

Verum non in finem uſque hic vir Philoſophia & armis optimus, felix fuit. Nam ſuis militibus ſeditionem facientibus, & ab ipſo diſcedentibus, eos potiſſimum comitante P. Clodio, Luculli uxoris fratre, ſed cum ipſa ſtupri conſuetudinem habente, & dolente plurimum, quod in Luculli exercitu (ſed ob ſuos nefarios mores, & quod eſſet multis inferior) primas non teneret; Romam redire à Populo Romano coactus eſt. Acceſſit etiam, quod qui Romæ in concionibus regnabant, per invidiam Lucullum criminabantur, imperii, & pecuniæ aviditate bellum ducere: unum propemodum Ciliciam, Aſiam, Bithyniam, Paphlagoniam, Galatiam, Pontum, Armeniam, omnes denique provincias uſque ad Phaſim obtinere: nunc verò etiam Tigranis regias deprædatum: quaſi ad exuendos Reges foret, non ad debellandos miſſus; ut ex Plut. habemus. Quare Populus Romanus provinciæ ſucceſſorem Lucullo mittendum ſtatuit; Pompejumque ad id decrevit. Senatui tamen, & optimatibus affici Lucullum injuria viſum eſt; cui non belli, ſed triumphi ſucceſſor mitteretur. Sed æmulorum invidia prævaluit. Imo in tot partas Luculli victorias, Regeſque ſubactos Romani adeo ingrati fuere, ut ei Romam ingredienti Triumphum, non ut aliis, pompæ prolixitate, & rerum traductarum copia portentoſum, ſed parum magnificum conceſſerint. Lucullus Romæ reliquum vitæ tempus degens, repudiata primum Clodia, laſciva, & improba uxore, Serviliam duxit, Catonis ſororem, quæ & ipſa flagitioſa, & laſciva, ab ipſo tandem tolerari non potuit; Remp. abdicavit, ac deſeruit; & placidiſſimæ, molliſſimæque vitæ bonorum plenus, ex certaminibus, quæ tamen felicem exitum non habuerant, feſſus ſe dedidit. Ædificiis, cœna, ludis, pretioſa ſupellectili, luxu, comeſſationibus, quibus nunquam paria, diffluebat: ita ut ea contemplatus Tubero Stoicus, Lucullum Xerſem togatum appellaverit. Et Cato Lucullo licet amicus, & familiaris, ejus luxum, & quotidianas cœnas non modo ſtragulis purpureis, poculis gemmatis, choris, & acroamatis acceſſoriis, ſed obſoniorum plurium, etiam bellariorum apparatu magnificas, adeo improbabat, ut cum juvenis quidam odioſam, & prolixam orationem de frugalitate, & temperantia in Senatu intempeſtive haberet: Tace, inquit, qui divitiis affluis, ut Craſſus, vivis ut Lucullus, & dicis ut Cato. Alii dictum quidem hoc ferunt, ſed non à Catone. *At commendandus eſt Pompejus*, ait Plut. in Vita, *qui ægrotans, cum præcepiſſet ei Medicus, ut turdo veſceretur, negarent autem ſervi æſtivo tempore eas uſquam, niſi in Luculli vivariis reperiri; prohibuit inde peti, & ad Medicum ait: Ergo niſi Lucullus perditus deliciis eſſet, non viveret Pompejus? ac aliud, quod parabile eſſet, juſſit parari*. Liberalitate, & comitate eximius facilem ſe cunctis præbebat: exteros omnes, græcos præcipue magnificentiſſime hoſpitio excipiebat, atque ipſis neceſſaria cuncta ſplendide miniſtrabat. Bibliothecam librorum numero, & delectu commendandam, magnis impenſis ſuo, & amicorum uſui comparavit: cujus mentionem, ac laudes habet præ cæteris Cic. Denique ſenio confectus, & mœrore, quod Cicero in exſilium pulſus, & Cato in Cyprum miſſus fuerat, mente motus eſt; eique M. Lucullus frater, quem peramaverat, vitæ, ac bono-

bonorum curator deſignatus . Cornelius tamen nepos negat , ipſum vel ſenio , vel morbo mente motum fuiſſe , ſed ex philtro , ſeu amatorio poculo , quod libertus Caliſthenes ei ad amorem captandum potandum dederat. Obiit autem perquam ſenex ; eique Romanus Populus , & optimates , de tanti viri morte dolentes maxime , juſta honorificentiſſime perſolverunt . Addam , quod habet Plut. in Vita : *Itaque rerum ſuarum geſtarum commentarios ab ſe ſcriptos Lucullo dedicavit Sylla ad concinnandam , & digerendam politius hiſtoriam .* Sylla enim Lucullo amiciſſimus ſemper fuit ; ejuſque opera maximis quibuſque in rebus perpetuo uſus eſt ; præcipue in monetæ negocio : Siquidem bello Mithridatico pleraque in Peloponneſo per eum ſignata eſt , à quo Lucullia eſt dicta , diuque duravit in bello . Etiam moriens , præterito Pompejo , tutorem filio ſcripſit.

Sed cum ſcriptorum nemo Cicerone elegantius de Lucullo ſcripſerit ; libet hic ejus verba exſcribere , quibus initio libri ſecundi Acad. Qu. editionis primæ, qui Lucullus inſcribitur (quod in ea Lucullum de Philoſophia cum aliis Philoſophis differentem inducit) compendiariam ejus vitam , & laudes omnium doctiſſime ſic habet . *Magnum ingenium L. Luculli , magnumque optimarum artium ſtudium , tum omnis liberalis , & digna homine nobili ab eo percepta doctrina , quibus temporibus florere in foro maxime potuit , caruit omnibus rebus urbanis . Ut enim admodum adoleſcens cum fratre , pari pietate , & induſtria prædito, paternas inimicitias magna cum gloria eſt perſecutus ; in Aſiam Quæſtor profectus , ibi per multos annos admirabili quadam laude provinciæ præfuit ; deinde , abſens factus Ædilis , continuo Prætor (licebat enim celerius legis præmio) poſt in Africam , inde ad Conſulatum : quem ita geſſit , ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium agnoſcerent . Poſt ad Mithridaticum bellum miſſus à Senatu , non modo opinionem vicit omnium , quæ de virtute ejus erat , ſed etiam gloriam ſuperiorum . Idque eo fuit mirabilius , quod ab eo laus imperatoria non admodum expectabatur , qui adoleſcentiam in forenſi opera , quæſturæ diuturnum tempus , Muræna bellum in Ponto gerente , in Aſiæ pace conſumſerat . Sed incredibilis quædam ingenii magnitudo non deſideravit indocilem uſus diſciplinam . Itaque cum totum iter , & navigationem conſumſiſſet partim in percunctando à peritis , partim rebus geſtis legendis , in Aſiam factus imperator venit , cum eſſet Roma profectus rei militaris rudis . Habuit enim divinam quamdam memoriam rerum , verborum majorem Hortenſius . Sed quo plus in negociis gerendis res , quam verba proſunt ; hoc erat memoria illa præſtantior : quam fuiſſe in Themiſtocle , quem facile Græciæ principem ponimus, ſingularem ferunt . Qui quidem etiam pollicenti cuidam , ſe artem ei memoriæ, quæ tum primum proferebatur , traditurum , reſpondiſſe dicitur , obliviſci , ſe malle diſcere : credo quod hærebant in memoria , quæcumque audierat , aut viderat . Tali ingenio præditus Lucullus adjunxerat & illam , quam Themiſtocles ſpreverat , diſciplinam . Itaque ut literis conſignamus , quæ monumentis mandare volumus ; ſic ille in animo res inſculptas habebat . Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit , præliis , oppugnationibus , navalibus pugnis , totiuſque belli inſtrumento , & apparatu , ut ille rex poſt Alexandrum maximus hunc à ſe majorem ducem cognitum , quam quemquam eorum , quos legiſſet , fateretur . In eodem tanta prudentia fuit in conſtituendis , temperandiſque civitatibus , ut hodie ſtet Aſia Luculli inſtitutis ſervandis , & quaſi veſtigiis perſequendis . Sed etſi magna cum utilitate Reip. tamen diutius , quam vellem , tanta vis ingenii , atque virtutis peregrinata abfuit ab oculis & fori , & curiæ, quin etiam cum victor à Mithridatico bello revertiſſet , inimicorum calumnia triennio tardius , quam debuerat , triumphavit . Nos enim Conſules introdu-*

ximus

ximus pene in Urbem currum clariſſimi viri : cujus mihi conſilium, & autoritas quid tum in maximis rebus profuiſset, dicerem, niſi de me ipſo dicendum eſset : quod hoc tempore non eſt neceſse. Itaque privabo illum potius debito teſtimonio, quam id cum mea laude communicem. Sed, quæ populari gloria decorari in Lucullo debuerunt, ea fére ſunt & græcis literis, & latinis celebrata : nos autem illa exteriora cum multis, hæc interiora cum paucis ex ipſo ſæpe cognovimus : majore enim ſtudio Lucullus cum omni Literarum generi, tum Philoſophiæ deditus fuit, quàm, qui illum ignorabant, arbitrabantur : nec verò ineunte ætate ſolum, ſed & Proquæſtor aliquot annos, & in ipſo bello, in quo ita magna rei militaris eſſe occupatio ſolet, ut non multum imperatori ſub ipſis pellibus ocii relinquatur. Cum autem è Philoſophis ingenio, ſcientiaque putaretur Antiochus, Philonis auditor, excellere; eum ſecum & Quæſtor habuit, & poſt aliquot annos Imperator. Cumque eſset ea memoria, quam ante dixi; ea ſæpe audiendo facile cognovit, quæ vel ſemel audita meminiſse potuiſset. Delectabatur autem mirifice lectione librorum, de quibus audiebat. Ac vereor interdum, ne talium perſonarum, cum amplificare velim, imminuam etiam gloriam. Vide Cic. l.c. alibique pluries, Aur. Vict. de Vir. illuſtr. c. 74. Plut. in Vita, Flor. l.c. alioſque.

M. BRUTUS

Stemma ad Junium Brutum refert generis autorem, cui priſci Romani in Capitolio mediam inter Reges poſuere ſtatuam ex ære, quæ ſtrictum tenet enſem: quod fortiſſime regno pepuliſſet Tarquinios . . . . Mater ejus Servilia genus repetebat à Servilio Hala, &c. Plut. in Vita. Sunt, qui ob necem Cæſaris odium in Brutum exercentes, inter quos Dionyſius Halicarnaſſeus, hanc ſtirpis originem Bruto non conſentiunt : quos tamen Poſſidonii autoritate refellit Plut. ibid. Sed ante ipſos Cic. in Philip. Oration. & de Claris Orat. eum patricium, & ex Junio Bruto genus ducentem dixerat. Floruit circa annum Romæ 700. Magno fuit, lenique ingenio, nam doctrina, & Philoſophiæ præceptis mores temperaverat. Avunculus ei fuit Cato Philoſophus, Serviliæ frater, quem æmulatus eſt : quem etiam comitatus eſt adhuc adoleſcens, dum ille in Cyprum contra Ptolemæum miſſus eſt. Cæſari carus ſemper fuit matris ſuæ Serviliæ cauſſa, quam Cæſar peramaverat : imo & ſuus ex Servilia filius ab ipſo cenſebatur, ut notat Plut. ibid. Hinc etſi contra Cæſarem Pompeji caſtra ſecutus; ab eo tamen veniam ſæpe obtinuit, & præ cæteris dilectus extitit ; ſuis enim ducibus Cæſar præcepit in pugna, ut parcerent Bruto, & incolumem ad ſe adducerent. Sic ex pugna Pharſalica à Cæſare ſervatus, & inter præcipuos amicos in honore habitus eſt ; atque Galliæ Ciſalpinæ Præfectus ab eo factus. Brutus cum Caſſio, qui Juniam ſororem ſuam in matrimonio habebat, de Prætura contendit. Erat Caſſio à prima ætate ingenitum odium adverſus Tyrannorum gentem : quare ut Patriam à Cæſaris tyrannide liberaret, Brutum cum aliis in Cæſaris necem conjuratis ſibi adſociavit. Sed omnes Ciceronem de hac in Cæſarem conjuratione celaverunt. Cæſarem igitur in Senatu interfecerunt an. U. C. 710. ante Chr. 44. ac in Capitolium fugerunt ſanguinolentis manibus nudos præferentes pugiones, civeſque in libertatem adduxerunt. Multi ex Patribus, & popularibus fidenter ad eos in Capitolium aſcenderunt : ad quos Brutus orationem habuit blandam, ac factis conſentaneam. Ipſis autem eum laudantibus, & ut in forum deſcenderent, precantibus, fidenti animo in forum deſcenderunt, quò frequentes Principes circumfuſi ipſos perquam magnifice deduxerunt. Bruti conſpectum plebs reverita eſt; ipſique exorſo dicere

Digitized by Google

omnes ſilentium, attentionemque præſtitere. Cum autem Brutus non adhuc plebi tuto ſe crederet, & ipſe, & ſocii Capitolium Principibus ſtipati repetierunt. Metuens tamen hic obſidionem, remiſit optimos quoſque ne & ipſi facti exſortes periculum ſecum ſubirent. Verùm omne ſuſtulit periculum Senatus, qui poſtridie in Ædem Telluris coactus; cum Antonius, Plancus, & Cicero de præteritorum oblivione verba feciſſent; non modo illis impunitatem decrevit, ſed & ut Conſules de illorum honoribus referrent. Dimiſſo Senatu, Antonius filium ſuum in Capitolium ipſis miſit obſidem; ſicque iterum Brutus cum ſociis deſcendit, ſalutationeſque & amplexus omnium habuit. Poſtquam illuxit, iterum Senatus convenit, qui gratias Antonio egit, quod belli civilis initium ſedaſſet; ac Brutum, & ſocios præſentes laudibus celebravit, atque ſingulis ipſorum Provincias demandavit: decrevitque Bruto Cretam, Africam Caſſio, Trebonio Aſiam, Cimbro Bithyniam, Decio Bruto Galliam Circumpadanam. Brutus, & ſocii ſibi paventes Urbe exceſſerunt, manſeruntque primum Antii, ut ſimul atque elanguiſſet, & deferbuiſſet ira populi, Urbem redirent. Sed Octavio, Cæſaris ex ſorore nepote (quem Cæſar tabulis filium, & hæredem nuncupaverat) recepto nuncio de ejus nece, Romam veniente, Brutus Antonii, Octavii, & plebis iram metuens, Athenas ſe contulit: *Eum populus Athenienſis propenſo animo, feſtiſque vocibus, & decretis excepit. Diverſatus eſt apud hoſpitem quendam ſuum, audiens Theomneſtum quendam Academicum, & Cratippum Peripateticum, unaque cum his vacans literis omnino feriari videbatur, & ociari: verum in occulto parabat bellum. Nam in Macedoniam Heroſtratum ad conciliandos eos, qui præerant ibi exercitibus, miſit: & adoleſcentes Romanos, qui Athenis operam dabant literis, fovebat, ſibique adjungebat; in quibus erat Ciceronis filius, quem laudibus in cœlum fert, aitque ſive vigilet, ſive dormiat, mirari ſe illum adeo fortem juvenem, & Tyrannis infeſtum*. Opem quoque ad parandum bellum ſibi attulit prætor, vir probus, ſibique familiaris, qui ex Aſia cum navigiis Romanis, argento onuſtis Athenas curſum dirigebat; cui circa Caryſton occurrit, ſibique cum navigiis adjunxit. Brutus, & Caſſius junctis copiis pugnantes, Rhodios, Lycios, Xanthios, alioſque ſuperarunt. Brutum ex oblato ſibi adhuc vigilanti horrendo ſpectro (quod interrogatum ab eo, quis hominum, vel Deorum eſſet, reſpondit: Tuus ſum, Brute, malus Genius, in Philippis me videbis) animo hærentem lenivit Caſſius, qui præceptis imbutus Epicuri, & de his pugnare ſolitus cum Bruto, inquit, neq; hæc vera eſſe, neq; verè exiſtere, ſed à noſtra imaginatione formari; mens enim & quod fingitur, & quod fingit, in ſe habet. Quod Spectrum, iterum, ut promiſit, ſed mutum ſe in Philippis Bruto obtulit, pridie quam ultimo bello Brutus ſuperaretur. Verum & alia infauſta prodigia Bruto, & Caſſio oblata infelicem belli cum Cæſare, & Antonio futuri exitum prædixerunt. Enimverò in Campis, quos Romani Philippos vocant, in Urbe ſcilicet Macedoniæ, caſtra Cæſari ex adverſo Brutus, Caſſius Antonio poſuit; unde & hoc bellum Philippenſe vocatur; eodem nempe loco, qui Cn. Pompejo fatalis fuerat. Hinc Virg. 2. Georg. 490. *Romanas acies iterum videre Philippi*. Commiſſa acie ardore pari aliquamdiu dimicatum fuit, ac primo quidem par utrinque diſcrimen, & anceps prælii exitus viſus eſt. Deinde poſt variam prælii fortunam Caſſius, & Brutus à Cæſare, & Antonio ſuperati; Caſſius liberto ſuo Pindaro caput obtruncandum præbuit; Brutus comitum ſuorum uni Stratoni dicto confodiendum tradidit latus, poſtquam ſecundum, & hoc navale prælium cum Cæſare, & Antonio Brutus ſolus commiſit, in quo victor quidem prius erat, ſed victoriæ ignoratio, ut advertit Plut. eundem perdidit: Sicque fortiſſimi ſapientiſſimique viri, virtute pares,

pari

Digitized by Google

pari etiam infortunio diem ultimum obierunt an. U. C. 712. Porcia vero Bruti uxor, & conſobrina, nam Catonis Philoſophi, Serviliæ fratris, filia erat; quæ ardenter, & pluſquam verbis dici poſſit, virum amabat, audito de viri morte nuncio, ſe ipſam occidere decrevit; ſed cum à propinquis, & amicis arma omnia è domo ablata fuiſſent, & caute ſervaretur, ne ſibi mortem inferret; ipſa ardentibus carbonibus è foco abreptis, & ore clauſo, & compreſſo detentis, obiit, ut Nicolaus Philoſophus, Valer. Max. & Plut. in Bruto teſtantur. Dederat & alterum perfecti, ardentiſque in ſuum Brutum amoris ſignum, cum hic Cæſarem necare ſtatuit, accepto cultello, quo ungues tonſores reſcindere ſolent, & omnibus è cubiculo exactis pediſſequis, altum femori vulnus infligens, ex quo ſanguinis magna effluxit copia, dolores ingentes, graviſque febris mox ſecuti; ſicque periculum ſuæ conſtantiæ feciſſe dixit, & an digna Catonis filia, & Bruti conjux eſſent, quæ, ſi in necando Cæſarem vir periret, ſe ipſam paveret interimere. Trepidantem deinde Brutum, & diſcruciatum, quod dolor eſſet intenſiſſimus, ſic affata eſt: *Ego, Brute, in domum tuam Catonis filia nupſi, non ſicut pellices ad lecti tantum, & menſæ conſortium, ſed etiam ad proſperorum, & adverſorum ſocietatem, &c.* Sic fata oſtendit ei vulnus, & quod feciſſet ſui amoris, & conſtantiæ periculum expoſuit, quo probaret, ſe ad dolorem eſſe invictam. Brutus tam grande amoris, magnique animi portentum miratus attonitus, Deos precatus eſt, ut conſilio ſuo adeſſe vellent, quò dignum ſe Porcia præſtaret virum. Neque hoc tam mirum videtur in femina, quæ muliebri ſexu ſuperiorem habebat animum, ac Philoſophiæ, cui totam ſe addixerat, præceptis imbutum. Porcia ex primo viro (Brutus enim ipſam adhuc adoleſcentulam priore viro defuncto duxerat) filium habuit, cui Bibulo nomen fuit; cujus extat commentarius rerum à Bruto geſtarum.

In Philoſophia Veterem Academiam ſecutus eſt, Præceptorem namque Athenis habuit, præter dictos, Ariſtum. Qualis autem, ac quantus in Philoſophia vir fuerit, oſtendunt præ cæteris Plut. & Cic. Et ille quidem in vita hæc habet: *A Philoſophorum Græcorum nulla Secta, ut ſemel dicam, audienda peregrinus, aut alienus fuit: præcipue verò aſſeclarum Platonis extitit ſtudioſus. Ac Nova, & Media, quam vocant, Academia parum probata, Veterem ſectatus eſt: & Antiochum quidem Aſcalonitam in admiratione habuit perpetuo; fratrem verò ejus amicum, & convictorem paravit Ariſtonem, eruditionis ſane excellentia multis Philoſophis inferiorem; at modeſtia, & placiditate comparem vel principibus.* Et poſt pauca ipſum Oratorem, & in ſcribendis epiſtolis peritum oſtendit, inquiens: *Latine fuit Brutus ad caſtrenſem, & forenſem dictionem ſatis exercitatus. Græce verò conciſam, & laconicam dicendi brevitatem notatus eſt in Epiſtolis interim captaſſe.* Cic. verò Acad. Qu. 1. 50. ſic de Bruto; quem cæteroqui ſumme diligebat: *Brutus quidem noſter excellens omni genere laudis, ſic Philoſophiam latinis literis perſequitur, nihil ut iiſdem de rebus Græca deſideres. Et eandem quidem ſententiam ſequitur, quam tu; nam Ariſtum Athenis audivit aliquamdiu; cujus tu fratrem Antiochum.* Et 1. de Fin. 60. & ipſum laudat, & librum de Virtute ab ipſo elaboratum, & ad ſe miſſum memorat, inquiens: *Ego autem quem timeam lectorem, cum ad te, ne Græcis quidem cedentem in Philoſophia audeam ſcribere? quamquam à te ipſo id quidem facio provocatus gratiſſimo mihi libro, quem ad me de virtute miſiſti.* Cum ex allatis Plutarchi, & Cic. teſtimoniis clare pateat, Brutum Platonicum fuiſſe; neſcio quo innixus argumento M. Morery ipſum Stoicam Philoſophiam reliquis prætuliſſe aſſerat. Scripſit Brutus præter dictum de virtute librum, Annales etiam Fannii, & Cœlii, &c.

PLUTARCHUS

C*Hæroneæ Boeotiæ natus, Trajani Cæſaris principatu vixit, atque etiam ante eum. Dedit ei Trajanus dignitatem Conſularem; mandavitque ne quid ille, qui cum imperio præeſset Illyrico, niſi de hujus ſententia ageret. Scripſit multos libros, in quibus Vitarum Comparatarum pulcherrimam, atque ſumme frugiferam Hiſtoriam*. Ex Suida. Meminit idem avi ſui Lampriæ, & Nicarchi proavi. Philoſophus, Hiſtoricus, & Orator perhibetur eximius. Poſtquam ſub Ammonio multum in Philoſophia profecit; Græciam, & Ægyptum luſtravit, ut doctos noſceret, ac doctrinas ediſceret: ac quicquid in hac peregrinatione notatu dignum invenit, literis conſignavit. Inde Romam venit, ubi ab omnibus, Trajano præcipue magni æſtimatus fuit: imo & ejuſdem Imperatoris præceptor à quibuſdam traditur; unde Dempſter. in Elench. ſcriptor. ait: *Plutarchus Chæronenſis, Trajani Principis educator, Philoſophus, Hiſtoricus, Politicus, Antiquarius ſummi, limatiſſimique judicii*. Verum cum non Græca, ſed Latina Epiſtola ſit, in qua Plutarchus Trajani præceptor dicitur; peritiſſimi Critici jure dubitant de hujus rei veritate, atque hanc Epiſtolam non Plutarchi, ſed alterius eſse contendunt. Fertur etiam Chæroneæ Prætor, ſive Archon fuiſse; ibique obiiſse valde ſenex: nam Divus Hieronym. affirmat, ipſum ad tertium Adriani annum vixiſse: alii uſque ad Antonini Pii imperium vitam perduxiſse ex eo evincunt, quod ipſe in Tractatu *An ſenes Reip. regimen ferre poſſint*, ſcriptum reliquit.

Autores vel etiam Critici Plutarchum uno ore laudibus ornant dignis. Voſs. de Hiſt. Græc. *Sane fuit Plutarcus vir undecumque doctiſſimus; idem Philologus, Philoſophus, & Hiſtoricus ſummus. Magnam enim horum trium ſcientiam undique ejus ſpirant ſcripta. Quin etiam habitus fuit Orator bonus. Tamen diſſimulare non poſſum, dictionem ejus gravem quidem eſſe, ſed duriuſculam videri. Verum leviculum hunc defectum multijuga adeo ſcientia abunde ſummus vir compenſat*. Scaligerana prima p.174. *Plutarchus totius ſapientiæ ocellus*. Jacob. Palmer. in Exercit. ad Plutarch. Lyſandr. Φιλοβοιώτατος (*hoc eſt Boeotiæ amiciſſimus*) *fuit Plutarchus, & patriæ ſuæ gloriæ ſemper veliſicatur*. Lipſ. in Not. ad l.1. Politic. c.9. *Inter Græcos medios Plutarchus eſt; qui non Hiſtoriam proprie, ſed particulas Hiſtoriæ ſcripſit, & ablegit Illuſtrium Virorum vitas. Sed dignus tamen, ſi quis alius, Principe ſcriptor: qui judicium mirifice format, & diffuſa, ac plana quadam ſcribendi via ad virtutem ubique ac prudentiam ducit; ſed ad illam magis, &, ni fallor, melior omnino, quam acutior doctor*. Jacob. Pontan. Adnotat. ad vol. 2. Progymn. 44. *Quid Plutarcho excogitari poteſt eruditius? quid fuit unquam poſt homines natos ſapientius?* Viv. de Trad. Diſcipl. l. 5. *Plenus eſt autor ille rerum, plenus monitorum ad virtutem*. Scripſit magnus hic Philoſophus, & dignus Ammonii diſcipulus *Ethica, Hiſtorica, & Politica*, quæ duobus tomis Gr. Lat. continentur. Vide, præter citatos Autores, Photium Cod. 245. 259. & 269. Marc. Ant. Muret. vol. 2. Orat. 15. Petr. Victor. var. Lect. l. 23. c. 21. Bodin. Meth. Hiſt. c.4. p.62. Claud. Verder. Cenſ. in Autores. Joh. Ruald. in vit. Plutar. &c. Illud non præteream, quod habet Roland. Mareſ. l. 1. Epiſt. 24. *Ego quidem cum Theodoro Gaza ſentio, qui interrogatus, ſi libri omnes perdendi eſſent, & ipſi optio daretur, quem ſervatum vellet, reſpondit, Plutarchum. Eſt enim vere Theſaurus eorum, quæ præſtantiſſima in omnibus aliis ſcriptoribus ſparſim inveniuntur, ſive Philoſophiam, & alias diſciplinas, ſive Hiſtoriam Græcam, & Romanam ſpectes. Tanto verò judicio pollet, &c.*

CLAU-

Digitized by Google

CLAUDIUS GALENUS

Pergamenus, quia ex Pergamo, Aſiæ Urbe, inſignis Philoſophus, Medicus inſignior fuit; qui ſub Trajano uſque ad Antoninum Pium, & juxta Suidam, etiam uſque ad Marcum (Antoninum ſcilicet Philoſophum) Commodum, & Pertinacem Cæſares Athenis, & Romæ floruit. Niconis, celebris Geometræ, & Architecti Pergameni filius extitit. Dialecticam, omneſque Philoſophiæ partes primum didicit, in quibus maxime profecit; deinde verò Medicinæ ſub Satyrone, aliiſque ſui ævi celebrioribus medicis, operam dedit. Alexandriam petiit inſigne tunc ſcientiarum emporium, ac literatorum domicilium, ut literas, & literatos ejus urbis coleret. Inde Romam venit, ibique annum agens quartum ſupra triceſimum plura volumina compoſuit. Anno Chriſti 137. in Aſiam rediit: ſed paulo poſt urgentibus Veri, & Marci Antonini epiſtolis iterum Romam accitus, ibi ad ultimi mortem manſit: Quo defuncto in Patriam reverſus eſt, ubi & conſenuit. Cum infirmæ valetudinis eſſet, ſobrius, frugaliſque vivens, ætatem ad ſeptuageſimum, & juxta alios, ad quadrageſimum & centeſimum annum traduxit; id in primis obſervando, ut nunquam ſtomacho undique pleno è menſa ſurgeret, ut ipſe in ſuis operibus teſtatus eſt. Incomparabilis profecto vir, magnuſque Philoſophus, qui omnium Sectarum ſecreta noverat: quod vel ejus opuſculum de Hiſtoria Philoſophiæ demonſtrat. Verùm cum periculoſiſſimum morbum, quem fluxionem vocant, ſola ſanguinis miſſione expuliſſet, atque epilepticos radice Pæoniæ collo ſuſpenſa ſanaſſet; Magiæ ſuſpicione notatus, Roma diſcedere coactus eſt. Pergami obiit anno Chriſti 200. Hofmannus vero anno 140. ætatis 70. obiiſſe affirmat. Methodum medendi invenit, quam noſtro etiam ævo plures ſequuti ſunt, qui Methodici, & Galeniſtæ exinde dicti ſunt. Judæorum, & Chriſtianorum hoſtem profeſſum vocat ipſum Hofmannus in Lexic. Et quidem eos ſumme oderat, quod incomprehenſibilia, & quæ demonſtrari nullo modo poſſunt, ut cæci crederent. Sed quam inepte id aſſereret, quiſque videt, cum Fidem cum Scientia perperam confunderet. Si enim noſtra Chriſtianorum Fides nobis credenda argumentis demonſtraret, jam non fides, & meritorum parens, ſed pura ſcientia eſſet. Sed ad Galenum redeamus. Cum ſæva peſtis Romæ graſſaretur; Galenus inde ſtatim diſceſſit, tutiorem putans fugam, quam incerta artis remedia.

Scripſit volumina bis centum, ut ex duobus libris, in quibus de ſuis operibus agit, apparet: quæ tamen in Templi Pacis incendio periere. Suidas refert, ipſum præter Philoſophica, & Medica, Grammatica etiam, & Rhetorica ſcripſiſſe. Ex iis, quæ extant, jam cunctis nota recenſenda non duxi, quæ Græcè Tom. 5. Latine Tom. 7. in fol. extant. Silentio tamen non prætereunda ejus *Hiſtoria Philoſophiæ*.

Galenum Alexander Trallianus *diviniſſimum*, quoties eum nominat, appellat, teſte Zacuto Luſitano: Caſaubonus *Criticorum non minus, quam Medicorum Principem*: Cardanus *Unum ex duodecim ſubtiliſſimis orbis ingeniis*. Præcipua de Galeno Autorum teſtimonia hæc ſunt. Voſſius de Philoſophia cap. 12. ſect. 19. *Hoc nemo plura, ac majori undique doctrina ſcripſit; ut de eo ſatius ſit tacere, quàm plura addere*. Cœlius Rhod. *Philoſophus, ac Medicus ſingularis, cujus ſcientiſſima, & plurima extant ingenii monumenta, quæ genuinam ſapiunt eruditionem: memoriæ proditum à nonnullis, cibi, & potus abſtinentia centum, & 40. annos vitam protelaſſe, & odorificum ſemper anhelitum ſpiraſſe. Unde Adagium, ut Galeni valetudinem dicamus pro ea, quæ ultra humanum captum nimis ſit proſpera, nimiſque inoffenſa*. Lud. Viv. de Trad. diſcipl.

Digitized by Google

diſcipl. *Fuſus eſt Galenus plenuſque verborum, nempe Aſianus, ſed bonorum, atque elegantium.*

THRASYLLUS

PHliaſius, ſive Mendeſius, quem Tacit. Thraſullum vocat, Platonicis Philoſophis à Cozzando lib. 1. cap. 9. de Magiſt. Antiqu. Philoſoph. adnumeratur. Verùm hoc de ipſo inter Autores conſtat, fuiſſe Aſtrologum celeberrimum, & Tiberio propterea carum: illi enim ne dum varia prædixit, ſed cogitationes etiam novit, & patefecit. Memorabile illud, quod de eo Dion Nicæus in Auguſto, & Tacit. 6. Annal. referunt. Et primus quidem loco citato de Tiberio, dum in Rhodi inſula ab Auguſto relegatus morabatur, hæc habet: *Is propter ſtellarum cognitionem erat Vates exercitatiſſimus, habebatque Thraſyllum, virum in Aſtronomia peritiſſimum, qui ſciebat optime, quid ſibi, atque illis eſſet eventurum. Nam ferunt, Tiberium aliquando ſtatuiſſe Rhodi Thraſyllum è muro præcipitare, quod is ſolus omnes cogitationes ejus cognoſceret: ſed ut eum mæſtum eſſe animadvertit, rogavitque cauſſam mæroris, atque is reſpondit, ſe periculi cujuſdam ſuſpicionem habere, Tiberium admiratum, quod propoſuerat, non feciſſe. Sic enim omnia certò ſciebat, ut cum vidiſset procul navem, in qua nuntius vehebatur, quem de reditu in Urbem mater, & Auguſtus ad Tiberium mittebant, ſtatim, quod ille nuntiaturus erat, prædixit.* Tacit. vero loco citato Thraſulli in Chaldæorum arte peritiam memorans ait de Tiberio: . . . . *Scientia Chaldæorum artis, cujus apiſcendæ otium apud Rhodum magiſtrum Thraſullum habuit, peritiam ejus hoc modo expertus: Quoties ſuper negocio conſultaret, edita domus parte, ac liberti unius conſcientia utebatur. Is literarum ignarus, corpore valido, per avia, ac derupta (nam ſaxis domus imminet) præibat eum, cujus artem experiri Tiberius ſtatuiſſet; & regredientem, ſi vanitatis, aut fraudum ſuſpicio inceſſerat, in ſubjectum mare præcipitabat, ne index arcani exiſteret. Igitur Thraſullus iiſdem rupibus inductus, poſtquam percunctantem commoverat, imperium ipſi, & futura ſollerter patefaciens; interrogatur, an ſuam etiam genitalem horam compeiſſet; quem tum annum, quem diem haberet? Ille poſitus ſiderum, ac ſpatia dimenſus, hærere primum, dein paveſcere; & quantum introſpiceret magis, ac magis trepidus admirationis, & metus, poſtremo exclamat, ambiguum ſibi, ac prope ultimum diſcrimen inſtare. Tum complexus eum Tiberius, præſcium periculorum, & incolumem fore gratatur; quæque dixerat, Oraculi vice accipiens, inter intimos amicorum tenet.* A filio etiam ejuſdem Thraſulli prædictum Neronis imperium refert Tacitus ibidem. Thraſylli meminit etiam Juvenalis Sat. 6. & ejus Scholiaſtes; Sueton. &c.

ARISTIDES

PHiloſophus, Patria Athenienſis, Secta Platonicus, religione Chriſtianus fuit. Ut Chriſti Evangelium per Philoſophiam propugnaret, præclaram *Apologiam* pro Chriſtianis compoſuit, quam Adriano Imperatori obtulit: Eam memorat Euſeb. in Chron. & Hiſt. lib. 4. cap. 3. & 5. atque ſuo etiam tempore extare aſſerit Divus Hieronym. de Script. Eccleſ. 5. 20. atque alibi. Vide etiam Baronium in Annal. & Martyrol. Verba Euſebii in Chron. pag. 76. ſunt: *Quadratus diſcipulus Apoſtolorum, & Ariſtides Athenienſis noſter Philoſophus, libros pro Chriſtiana religione Adriano dedere compoſitos. Et Serenus Granius legatus, vir apprime nobilis, literas ad Imperatorem mittit, iniquiſſimum*

eſſe,

eſſe, dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum ſanguinem concedi, & ſine ullo crimine nominis tantum, & ſectæ reos fieri. Quibus commotus Adrianus Minuto Fundano Proconſuli Aſiæ ſcripſit, ſine objectu criminum Chriſtianos non condemnandos. Cujus epiſtolæ uſque ad noſtram memoriam durat exemplum.

APOLLONIUS

SEnator Romanus, genere quidem clarus, clarior tamen pietate, ſpiritu, ac Chriſtiana religione fuit: quam, non ſecus, ac modo dictus Ariſtides, ac plurimi eo tempore Platonicorum per Platonicam Philoſophiam defendit. Cum enim à quodam ſervo ſuo Chriſtiani nominis reus delatus eſſet; Senatui *Apologiam*, quam pro Chriſti fide tuenda confecerat, exhibuit. Unde & Martyrii coronam, obtruncato capite, promeruit anno Chriſti 186. vel 190. ſub imperio Commodi. Perperam tamen Nicephorus, ut Hieronym. & Euſeb. advertunt, hunc cum Apollonio cunfundit, doctiſſimo quidem viro, qui *Inſigne, & longum volumen*, ut Hieronym. ait, in Montanum, Priſcillam, & Maximillam, quæ Montano pro Prophetis erant, compoſuit anno Chriſti 213. ſub Commodo, & Severo.

Diverſus autem ab his fuit *Apollonius Chalcidenſis* Philoſophus Stoicus, Imperatorum Marci Antonini Philoſophi, & L. Veri præceptor ſec. 2. qui totis viribus conatus eſt Bardeſanem Syrum è Chriſtiana religione dimovere. Hic verò ne dum Apollonio Apoſtaſiam ſuadenti, reſtitit; ſed plures Tractatus compoſuit, quibus Chriſtianam religionem tueretur. Scripſit enim contra Valentinum, Marcionitas, alioſque ſui ævi hæreticos. Verùm id ſuo malo factum eſt, ut eoſdem hæreticorum errores, quos oppugnaverat, propugnaret; imo & hæreſiarchæ infamiam nactus, doctrinæ ſuæ ſectatoribus Bardeſaniſtarum nomen reliquit. Scripſit etiam Bardeſanes præclarum opus, quod Hieronym. admiratus eſt, contra Abydam Aſtronomum, Imperatori M. Antonino dicatum.

Fuit & alter Bardeſanes Babylonius, qui ſec. 3. vixit tempore Alexandri Severi, & Tractatum de Brachm. & Gymnoſoph. compoſuit. Sed ad Apollonium redeamus. Hic cum ab Antonino Pio accitus Chalcide Romam veniſſet; ſui plenus Imperatori ait, non quidem decorum eſſe, magiſtrum ad diſcipulum viſendum venire, ſed contra. Quam ejus vanitatem Imperator deſpicatam habens, ridens ſubdit, Apollonio facilius fuiſſe Chalcide Romam venire, quam ex hoſpitio in Palatium regium. Multa vero Imperatoris gratia illi fuit. Vide Jul. Capitol. in Marco Antonino, & alibi.

ATHENAGORAS

ATherienſis Presbyter, Philoſophus Chriſtianus, Romam ad Chriſtianorum defenſionem circa annum 170. veniens, *Apologiam* confecit, quā ipſorum innocentiam, & morum probitatem oſtendit; eamque M. Antonino obtulit. Auctor etiam eſt operis *De Reſurrectione mortuorum*: quod opus tum ſeorſum editum, tum Bibliothecæ Patrum inſertum habetur. Baron. teſtatur, *Apologiam* ab Athenagora Imperatori traditam fuiſſe anno 179. ſed probabilius videtur, id paucis antea annis fuiſſe. *Apologiam* Latinam fecit Conradus Geſnerus, & Suffridus Petri. Tractatum vero *de Reſurrectione* Nannius, & Henricus Stephanus. Vide Trithemium, Bellarm. Poſſev. Le Mire, &c.

MA-

MAXIMUS TYRIUS

SIc dictus à Tyro, Phœniciæ Urbe, ubi natus eſt. Philoſophus hic Platonicus Romam venit anno Chr. 146. ibique Apollonium, Arrianum, alioſque Philoſophos familiares habuit. M. Antoninus Imperator Maximi diſcipulus fuit, eumque & gratia, & honore dignum fecit. Fertur vixiſſe ad Commodi uſque imperium; ac 41. Diſſertationes ſcripſiſſe, quæ adhuc extant, quas Coſmas Pazzi, ſive Pactius initio ſec. 16. traduxit: eas tamen mendis expurgatas correctiores edidit, ac notis illuſtravit Heinſius an. 1624. Notandum hic, Suidam, & hunc ſecutos Coſmam Pactium in ejus vita ad Julium Secundum Pontificem Maximum, & Raphaëlem Volaterranum, referre, Maximum Tyrium non ſub Antonino Pio, ut putat Euſebius in Chron. ſed ſub Commodo vixiſſe. Et quidem Suidas de Maximo Tyrio hæc habet: *Maximus Tyrius Philoſophus docuit Romæ ſub Commodo: Scripſit in Homerum: eſt & ejus Antiqua Philoſophia*, &c. Occaſione Maximi Tyrii, qui Romæ docuit, de aliis hujus nominis Philoſophis hic agere, quamvis non eſſet his locus, facultas ſit.

Maximus Epheſius, Ædeſii auditor, Philoſophus Cynicus, Idololatra, & magicus, ſec. 4. vixit, ac cum Juliano Apoſtata in Urbe Nicomediæ familiariter egit: cui in Chriſtianam religionem odium inſpiravit. Julianus Maximum tanti fecit, ut ei ad ſe venienti obviam iverit. Ipſum etiam ſibi conſiliarium, ac operum ſuorum cenſorem elegit: certus enim ab ipſo redditus erat, ſe ad imperium perventurum. Cum autem Julianus Perſis bellum indicere in animo haberet, plura conſuluit oracula de bello gerendo: verùm audiens à Maximo, ipſum inſignem de Perſis triumphum, atque Alexandri Magni ſimilem conſecuturum, ſui plenus adeo fuit, ut certo certius duxerit, Alexandri animam per Metempſychoſim ſuum ipſius corpus ſubiiſſe. Sed tandem miſerrime obiit impius Julianus anno 363. fruſtra adhibitis Magici conſiliis, quibus adductus tot, ac tanta in Chriſtianam religionem mala patravit. Jovianus, Juliani ſucceſſor, Maximum etiam ob ſuam virtutem magno habuit in honore. Verùm male habuit à Valente, qui edictum contra Philoſophos magos promulgavit: unde ipſe Epheſum rediens, juſtam ſuorum ſcelerum pœnam paſſus eſt, ibi moriens anno circiter 366. Eunap. in vit. Philoſoph. Socrates, Sozomenus, &c.

Maximus Alexandriæ natus, & ipſe Cynicus, ſed Chriſtianus fuit. Hic vaferrimus cum eſſet, Conſtantinopolim venit circa annum 379. ac Martyris filium ſe eſſe ſimulans, atque pro Chriſti fide in ſolitudine Oaſis exſilium ſuſtuliſſe; à Gregorio Nazianzeno humaniſſime acceptus, & eâdem cum ipſo menſâ dignus fuit: ipſum enim ut Chriſti defenſorem habebat; unde & publica oratione ipſum laudavit. Atqui Maximus tot Gregorii beneficiis ingratus, ipſum de Epiſcopatu detrudere, & ſe in ipſum intrudere contendit. Quare ad Imperatorem Gratianum venit, Mediolani tunc commorantem, eique ut ſibi gratioſus fieret, librum contra Arianos obtulit, quem Hieronym. ſumme laudat. Deinde Conſtantinopolim rediens, ibi à ſeptem Epiſcopis, à Petro Alexandrino, Maximum protegente, miſſis, Epiſcopus creatus eſt clam populo, & Gregorio ruri degente. Hinc ſchiſma in Conſtantinopolitana Eccleſia ortum, Presbytero quodam, qui Gregorio infenſus erat, Maximum tutante. Sed à Gregorio, & à populo ut ſeditioſus Conſtantinopoli ejectus, à Petro Alexandrino, magni tunc nominis Epiſcopo, derelictus, & à Theodoſio, Gratiano in Imperio ſocio, minis affectus, in Apollinaris hæreſim incidit. Quare ab Epiſcopis damnatus, miſere obiit. Vide Greg. in ſua vita, & Orat. ad Maximum; Caſſiod. Baron. &c.

Deni-

Denique *Maximus Epirota*, *ſive Byzantius*, *Philoſophus*, *Magiſter Juliani Cæſaris Apoſtatæ*, *ſcripſit de Inſolubilibus Antitheſibus*, *de Exordiis*, *de Numeris*, *Commentarium in Ariſt. & alia quædam ad eundem Julianum*. Verba ſunt Suidæ in Maximo. Secta Platonicus fuit.

S. JUSTINUS MARTYR

PHiloſophus inſignis, Secta Platonicus (quam Sectam plurimi SS. PP. primis Eccleſiæ ſeculis ſecuti ſunt) natus Neapoli Palæſtinæ, patre Priſco Bacchio, ad Chriſtum vero converſus cum Chriſtianorum in Martyriis perferendis conſtantiam miraretur. Non philoſophica tantum ſcientia, ſed & habitu quoque philoſophico ornatus erat, referente Suida; quo etiam habitu Chriſtum prædicabat, teſte Euſebio; cujus fidem, & vitæ probitate, & doctiſſimis Apologiis ad martyrii coronam uſque propugnavit. Cum enim ſub Antonino Pio magna in Chriſtianos perſecutio orta eſſet, ipſe duas Apologias ad Imperatorem, & Senatum compoſuit, quibus Chriſtianam religionem innoxiam, juſtam, & ſanctam probavit, & Chriſtianos à criminibus vindicavit, quæ falſo ipſis Ethnici objiciebant, potiſſimum vero Creſcens Cynicus; ut præter cæteros teſtatur Euſeb. ad an. Chr. 154. his verbis: *Creſcens Cynicus Philoſophus*, *qui Juſtino*, *noſtri dogmatis Philoſopho*, *qui ſe guloſum*, *& prævaricatorem Philoſophiæ arguebat*, *perſecutionem ſuſcitavit*, *in qua ille glorioſe pro Chriſto ſanguinem fudit*. Martyrium Juſtini ponit Morery ad an. Chr. 163. Cal. Jun. ex Menologio Græco, vel Id ib. April. ex Martyrol. Romano; Euſebius tamen in Chron. ad annum 154. alii ad annum 164. Apologias tamen Antonino tradidit circa annum 140. vel 143. ut vult Euſeb. Romanorum autem Philoſophis Juſtinum adnumeravimus, quia ἦν ἐν τῇ Ῥώμῃ ἔχων τὰς διατριβὰς, &c. *hic Romæ habens exercitationes*, *&c.* inquit Suidas.

Scripſit, præter dictas duas *Apologias* pro Chriſtianis, plurima, quorum alia quidem genuina, alia dubia, alia ſuppoſititia, alia extantia, alia non; quæ Suidas, & alii memorant. Ea vero Gul. Cave ſic partitur. Opera genuina ſunt *Paræneſis ad Græcos*. *Elenchus*, *ſive Oratio ad Græcos*. *Apologiæ pro Chriſtianis*, Prima ſcilicet & Secunda. *Liber de Monarchia Dei*, forſan in fine mutilus. *Dialogus cum Tryphone Judæo*. *Epiſtola ad Diognetum*. Opera, quæ non extant: *Liber de Anima*. *Liber Pſaltes* dictus. *Contra omnes hæreſes*. *Contra Marcionem*. *Commentarius in Hexameron*. *De Reſurrectione carnis*, teſte Damaſceno. Opera dubia: *Ariſtotelicorum quorumdam Dogmatum Everſio*. *Epiſtola ad Zenam*, *& Serenum*. Opera ſuppoſititia: *Quæſtiones*, *& Reſponſiones ad Græcos*. *Quæſtiones Græcanicæ de Incorporeo*, *&c. Et ad eaſdem Chriſtianæ reſponſiones*. *Quæſtionum* 146. *Reſponſio ad Orthodoxos*. *Dubitationum adverſus Religionem ſummariæ ſolutiones*. *Expoſitio Fidei de S. Trinitate*.

Juſtinus Martyr, quia vicinus Apoſtolorum temporibus fuit, Apoſtolorum doctrinam bene perſpectam habuit. Quare ipſum, ut Apoſtolicum virum citant Euſeb. Baſil. Epiphan. & alii PP. & Euſeb. quidem ait: *Reliquit nobis Juſtinus plurima eruditi animi monumenta*, *ac omnis generis utilitatis plena*. Photius in Biblioth. *Eſt vir ille ad Philoſophiæ tum noſtræ*, *tum potiſſimum profanæ ſummum evectus faſtigium*, *multiplicique eruditionis*, *& hiſtoriarum copia circumfluens*, *&c.* Et Eraſm. in Epiſt. *Libros erudititiſſimos Juſtinus ſcripſit adverſus Valentinianos*, *& Marcionem*. *Præterea de Hæreſibus*, *& Hæreticorum præſcriptis*, *quos ſi quis legere non gravabitur*, *rectius intelliget Irenæi libros*. Scaligerana poſterior. *Juſtinus Martyr ſimplex eſt*: *juvat tamen quid dicat*

Cc

Digitized by Google

dicat inſpicere. Anaſtaſius Biblioth. in Hiſt. Eccleſ. ipſum vocat *Philoſophum Divinum*. *Gravis*, & *Pius ſcriptor* ab aliis, & *Vir maxima dignus admiratione &c.* dicitur. Dallæus de Uſu Patrum pag. 255. ipſum prius laudat, dicens: *Omnium Patrum antiquiſſimus eſt Juſtinus, magni apud veterum hiſtorias nominis, non ſolùm propter inſignem rerum divinarum, & Philoſophiæ cognitionem, ſed etiam propter zelum illum, quem luculentiſſime, & magna cum laude exercuit, cum mortem pro Chriſto fortiter oppetiit*. Verum poſtea in multis reprehendit, aſſerens, ipſum cum Chiliaſtis ſentire, quod ſcilicet Fideles Hieroſolymis mille annos regnaturi ſint, antequam Reſurrectio penitus perficiatur. Quod Dei eſſentiam quodammodo finitam putet. Quod de Angelis abſurda locutus ſit &c. Sed quanta Dallæi verbis fides adhibenda ſit, judicent alii. Caſaubonus Exercit. 1. ad Apparat. Annal. Baron. num. 69. aſſirmat, eum Prochroniſmo, & Metachroniſmo in Hiſtoria peccare. Dionyſius Petavius Juſtinum refert inter eos, qui idem, quod Arius, ante tradiderunt, ideoque rejicit Expoſitionem Fidei, quæ ſub nomine Juſtini circumfertur. Sed ſupra notavimus, hoc opus ex Suppoſititiis eſſe. Du Pin In Nov. Biblioth. Aut. Eccleſ. tom. 1. pag. 160. & 161. ejus veluti Apologiam texuit, aſſerens, eum à nobis circa Trinitatem diſſentire videri, quod Platonicorum principiis inſiſtat; verùm non re, ſed ſuos ſenſus enunciandi modo diſſentire: cæterum ipſum laudat. Vide etiam Gul. Cave in Hiſt. Literat. ubi eum excuſat, quod Hebraicarum literarum rudis fuerit, Græcis diſciplinis totus addictus, Græciſque parentibus ortus. Extant ejus Opera Gr. Lat. cum notis Sylburgii, Perionii, Billii, & Petri Lauſſelii. Fol. Pariſiis 1636. Fuit & alter Juſtinus Hiſtoricus, Martyris coævus.

TATIANUS

JUſtini diſcipulus fuit, genere Syrus, ſecta & ipſe Platonicus, qui Romæ docens innumera ferme volumina conſcripſit, inter quæ maxime elucet *Liber contra Gentes*, qui in Biblioth: SS. PP. tom. 3. extat; & quem ipſe in Catholicæ Fidei defenſionem fecerat. Sed Romà digreſſus in Orientem rediens, & in ſuperbiam elatus, à Fide Orthodoxa defecit, in varios incidens Valentini, Marcionis, & Saturnini errores. *Diateſſaron*, ſive *Concordiam Evangeliſtarum* compoſuit; ab Evangeliis tamen, quæ ſuis erroribus contraria erant, prius abſtulit. Contra hunc ſcripſit Muſanus, Apollinaris Hieropolitanus, Clemens Alexandr. &c.

PHILO.

QUamvis hic de gente Judæo-Alexandrina fuerit, & eorum unus, qui Ἑλληνισταὶ Helleniſtæ, hoc eſt, Judæi Græciſſantes vocabantur, & Alexandriæ fere ſemper vixerit, quia tamen an. Chr. 40. Princeps Judaicæ legationis Romam ad Caligulam miſſus primo fuit, inde iterum ad Claudium venit, quo tempore cum Apoſtolorum Principe & ſermonem habuit, & amicitiam coluit, teſte tum Hieronymo, tum Photio; merito Romanorum Philoſophis adſcribendus. Addit Photius (qua tamen autoritate ductus non liquet) Philonem Chriſtianorum etiam ſacris initiatum, ab iis tandem deſciviſſe. Atqui à Divo Hieronymo, teſte Bellarm. de Script. Eccleſ. inter Eccleſiaſticos Scriptores numeratur, tum quia ſcripſit in laudem Chriſtianorum, qui ſub S. Marco Evangeliſta in Ægypto religioſiſſime vivebant; tum etiam quia divinas Veteris Teſtamenti Scripturas primus expoſuit. Quod tamen

ſub

ſub nomine Philonis circumfertur *Breviarium Temporum*, ab omnibus rejicitur; ſicut & alii Hiſtorici, qui cum hoc Breviario ſimul editi ſunt. Scripſit etiam librum, cui titulus *Cajus reprehenſus*, & alterum, qui *Flaccus reprehenſus* dicitur. His libris Philo Caligulam, & Claudium fictis nominibus increpat; nam male nimis ab ipſis acceptus eſt. *Quibus in libris magis, quam in aliis dicendi vis ejus, ac venuſtas apparet. Peccat tamen non raro ideis transmutandis, cæteriſque à Judaica ſecta alienis deſcribendis.* Phot. Biblioth. cod. 105. Ejus opera cum verſione Sigiſmundi Gelenii, aliorumque Pariſiis edita anno 1640. in tres partes diſtincta ſunt; quarum prima continet *Coſmopoëtica*: ſecunda vero *Hiſtorica*: tertia denique *Juridica*, ſeu *Legalia*. Hæc autem de Philone autorum teſtimonia ſunt.

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. 11. c. 17. *Philo verbis copioſus, ſententiis locuples, & in divinis Scripturis explicandis altus, inque ſublime ſe tollens.* Vide etiam eundem l. 2. c. 4. ubi plura laudabiliter in eum congeſſit. Keckermann. in Auctuar. ad Comm. de nat. & propriet. Hiſt. c. 3. *Scripſit de Vita Moſis, vir ſecretioris Philoſophiæ peritiſſimus, ex genere Sacerdotum Judaicorum, & Alexandri Alabarchæ frater, inter primores Alexandrinos merito numerandus: plurimum curæ, & laboris poſuit in divinis, & patriis inſtitutis percipiendis, itemque in Philoſophicis, & externæ literaturæ diſciplinis, ſecutus doctrinam præcipue Pythagoræ, & Platonis, itaùt inter cunctos ſuæ ætatis viros doctos præemineret.* Divus Hieron. Epiſt. 84. *Quid loquar de Philone, quem vel alterum, vel ſecundum Platonem Critici pronunciant?* Et de Script. Eccleſ. *Philo diſertiſſimus Judæorum. De hoc vulgo apud Græcos dicitur: Aut Plato Philonem ſequitur, aut Platonem Philo: tanta eſt ſimilitudo ſenſuum, & eloquii.* Sixt. Senenſ. l. 4. Biblioth. *Hic ſane vir fuit Pythagoricæ, Platonicæ, & Ariſtotelicæ Philoſophiæ peritia omnibus ſuæ memoriæ hominibus longe ſuperior, ſed & Græcæ facundiæ inter omnes tam Chriſtianos, quam Judæos, & Ethnicos ætatis ſuæ facile principem locum obtinuit. Non defuere tamen, qui ei propriæ, hoc eſt Hebraicæ linguæ imperitiam adſcripſerint. Hujus Opera in tantum admirati ſunt Romani, ut digna exiſtimarint, quæ in ipſorum publica Bibliotheca, tanquam monumenta quædam, reponerentur. Fuit præterea, ultra quàm dici queat, admirabilis in divinis ſcripturis exponendis.* A Baron. vol. 1. appellatur. *Vir diſertiſſimus, qui res Judaicas præ cæteris calluit.* Scaliger Elench. Trihæres. Scripta ejus pigmentis Platonicis condita, & multis luminibus Helleniſmi lita eſſe, ait; ipſumque vocat ibi hominem Græce tantum loquentem, Helleniſmi vero adeo imperitum, ut dubitet, an etiam legere ſciret Hebraice: cujus rei cauſſam addit Epiſt. 13. Verum in Conjectan. ad Verr. p. 72. ipſum Platonis æmulum ac magnum imprimis virum appellat: Vide etiam Clem. Alex. Epiph. Auguſt. Theodoret. Suid. Nicephor. Trithem. Poſſevin. &c.

Quæſtio inter autores eſt, an Liber Sapientiæ, qui in Sacris Bibliis Salomoni inſcribitur, Philonis ſit, adſcribi autem Salomoni, ut libro conciliaretur autoritas. De quo ita ſentit Voſſ. l. 1. Idololatr. c. 11. ubi de veneratione animarum loquitur: *Qui cultus unde originem traxerit, oſtendit liber Sapientiæ, Salomoni à multis etiam veterum attributus, quum ſine dubio alterius ſit, &, ut credibile, Philonis, non illius, qui Claudii vixit ætate, & Moſes Atticiſſans dictus fuit, ſed longe vetuſtioris, qui ſub Onia Sacerdote, annis ante Chriſtum 160. tot pulcras ſententias vel ſcripſerit, vel congeſſerit.*

CYNICI.

DEMETRIUS

SEcta Cynicus ſub Caligula vixit ſec. 1. Hunc à natura productum, ait Seneca, ad oſtendendum, poſſe quempiam in media hominum perverſa multitudine probum, & juſtum conſervari. Cum eximiam omnium exiſtimationem in ſua Philoſophicæ libertatis profeſſione indeptus eſſet; Caligula ut eum ſibi familiarem adjungeret, dono id conſequi poſſe putavit. Hoc autem Demetrius deſpectui habens, ait: *Toto eram illi experiendus Imperio*. Veſpaſiani juſſu Romà exulavit; ac Corinthi tunc diu tempus degit. Romani enim ſicuti Pythagoricos ob Magiam, quam colebant, Urbe eliminabant; ita & Cynicos propter ſuperbiam, qua cunctos deſpectui habebant, & nimiam linguæ procacitatem, qua omnes feriebant, non ſuſtinebant. Et quidem Demetrius obviam in itinere Veſpaſiano factus, neque aſſurgere, neque illum ſalutare dignatus eſt; ſed oblatravit neſcio quid; Imperator autem tunc ſatis habuit canem eum appellare: Diogenem vero juniorem ob linguæ procacitatem virgis cædi juſſit. Iſidorus etiam Cynicus Neronem in publico tranſeuntem clara, & alta voce corrigere non eſt veritus, quod Nauplii mala bene cantitaret, ſua bona male diſponeret. Vide Cozzandum de Magiſterio Antiquorum Philoſophorum l. 3. c. 2. Phavorinus in Orat. de Demetrio loquitur, & Philoſtratus de Vita Apollonii Tyan. l. 4. c. 8. cujus etiam Apoll. diſcipulum fuiſſe refert. Tacit. in fine Annal. de Pæto Thraſea, morti à Nerone damnato, loquens ait: *Maxime intentus Demetrio, Cynicæ inſtitutionis doctori: cum quo, ut conjectare erat intentione vultus, & auditu, ſi qua clarius proloquebantur de natura animæ, & diſſociatione ſpiritus, corporiſque inquirebat*. Vide etiam Senecam de Benef. l. 6. c. 8.

STOICI.

ATHENODORUS TARSENSIS

SIc dictus, quod Tarſi civis ab omnibus fere habetur, etſi Cedrenus, atque alii, ſed minus recte, Alexandriæ ortum ſcribunt. Tarſenſis autem vel ex eo fuiſſe videtur, quod ab Auguſto, cui familiaris, & magiſter, teſte Luciano, fuit, obtinuit, ut Tarſus vectigalia nulla ſolveret. Dictus etiam eſt *Bonavita*, ſive ut alii malunt, *Cananita*, à Tarſi vico quodam ad differentiam alterius Athenodori Tarſenſis, & Stoici, qui Cordilion dicebatur, de quo infra. De primo ſic Strabo libro 14. *Athenodorus Sandonis, quem & Cananitam à pago quodam vocant, Cæſaris præceptor fuit, magnoſque eſt honores conſecutus*. Dictus autem Sandonis, quia Sandonis filius erat. Athenodorus, de quo nunc, cum Auguſtum ad iram procliviorem videret, hoc ei præcepit, referente Suida: *Cùm ira, Cæſar, te ceperit, nihil prius neque dixeris, neque feceris, quam ipſa 24. Elementa literarum Græcarum tecum ipſe percurreris, ut ita concitatio illa, quæ momentoſa eſt, parvi temporis interjectu langueſcat*. Secta Stoicus fuit, eumque Auguſtus Tiberii magiſtrum deſignavit. Opus quoddam Octavio inſcripſit. Scripſit & ſeria quædam, alia jocoſa, atque opus de diſſertationibus; atque alia. Strabo lib. 14. Euſebius in Chron. ad an. Chr. 10. Vignierus, Voſſius, atque alii.

Fuit & alter Athenodorus Tarſenſis, & Stoicus, cognomine *Cordilion* appellatus ut modo dictum, qui Catoni Minori familiaris fuit, & apud quem obiiſſe

obiiſſe dicitur. De hoc ita Plut. in Cat. *Athenodorum autem cum intellexiſſet, Cordilionem cognomine, in Stoica diſciplina excellentem apud Pergamum agere ætate jam provectum, qui; pertinaciſſime omnium, Imperatorum, Regumque uſum, & amicitiam repulerat: nihil arbitrabatur ſe nunciis, & literis apud eum effecturum: verum quod in duos menſes haberet jus liberæ legationis, in Aſiam eſt ad eum profectus, confidens virtutibus ſuis non fruſtratum iri ſe præda. Collocutus cum eo &c.*

Athenodorum Athenienſem, ſecta etiam Stoicum, Dionyſii Areopagitæ diſcipulum, miſſum facio; nec enim hujus eſt loci.

CATO MINOR,

SIVE PRÆTOR, ET UTICENSIS

A Marco Porcio Catone (quem ab ætate *Majorem*, ab officio *Cenſorem* appellant) proavo ſuo Stoico, ob virtutem Romæ tunc clariſſimo, & potentiſſimo, claram duxit originem. Ex Prætura, quam ſumma laude obivit, PRÆTOR dicitur: UTICENSIS autem, quia Uticæ mortuus eſt, ut infra notabitur. Cum Fratre Cæpione, & Porcia ſorore adhuc adoleſcens parentibus orbatus, à Livio Druſo avunculo, & principe tunc Civitatis educatus eſt. Serviliam etiam ſororem habuit uterinam Lucullo nuptam, ſed propter impudicitiam inde repudiatam; ut ſupra in Lucullo. A prima ætate ſapientiæ, probitatis, ac prudentiæ, vultu, verbis, & actione ſigna dedit. A riſu alienus, raro vel ad levem riſum ora deflexit. Ad iram tardus; ſed ubi exarſerit, placatu difficilis. Literis addiſcendis addictus piger, & fere ſtupidus ad percipiendum fuit; ſed quæ labore memoriæ mandaverat, nunquam oblitus eſt. Primus ei præceptor Sarpedo. Major inde redditus, & Sacerdos Apollinis factus, accepta ſua hæreditatis portione centum viginti talentorum, atque Antipatro Tyrio, Stoicæ Sectæ Philoſopho, domum accerſito, Ethicæ, & Politicæ ſtudiis potiſſimum ſe dedidit; unde & juſtitiam, ad benignitatem, vel gratiam ſemper inflexam, amplexatus eſt. Cum etiam dicendi facultati vacaret, & nemo unquam declamantem ipſum audiret, dicenti amico: *Homines ſilentium tuum, Cato, reprehendunt*; reſpondit: *Modò ne vitam. Tunc ad dicendum accingar, cum non dicturus ſim ſilentio digna*. Athenodorum etiam Stoicum, Cordilionem dictum, in Aſiam pergens domeſticum ſemper habuit præceptorem. Quantus Syllæ imperii majeſtate terribilis, & tyrannidem Romæ exercentis, in Catonem puerum amor erat; tantus & Catonis in Tyrannum ardor erat odii. Nam cum ſæpe Sarpedo ipſum ad Syllam obſequium præſtandi cauſſa adduceret: videns Cato multos civium in palatio, tanquam in carnificina, torqueri, illuſtriumque virorum capita efferri; magiſtrum interrogavit: *Cur eum hominum nemo interficeret?* Cui Sarpedo: *Quia eum timent*. Tum Cato annum agens 14. ei ira percitus ſubdit: *Cur mihi gladium non dediſti, ut, eo interemto, aſſervarim e ſervitute Patriam?* Hanc autem animi magnitudinem, incorruptam juſtitiam, & amorem in patriam è Philoſophiæ Stoicæ præceptis hauſerat vel à puero: cujus etiam ſæpe in vita ſpecimen exhibuit. Attillam, Sorani filiam, duxit; quam ob impudicitiam, poſt duos ex ea acceptos filios, repudiavit, & Martiam duxit, Philippi filiam, probam, & magni nominis mulierem. Q. Hortenſius, Catonis familiaris, vir magna autoritate, & probatis moribus, ipſam in uxorem à Catone petiit, quod ei neceſſaria non eſſet amplius; ſuſceperat enim ex ipſa prolem ſatis magnam. Cui Cato reſpondit, nolle ſe huic Hortenſii deſiderio adverſari; ſed oportere, ut Philippus, Mar-

tiæ

Digitized by Google

tiæ parens, in id etiam conſentiret. Quare Philippo præſente, & ſponſalia comprobante, eam Hortenſio ceſſit: quo mortuo, in ſuam iterum aſſumſit; ut refert Thraſeas ex Munatio, Catonis contubernali. Quod occaſionem dedit Cæſari hoc in Catonem convicium dicendi, quod uxorem pauperem dederit, ut locupletiorem reciperet: ſive, ut Plutarchi verbis utar, juvenem commodavit, ut reciperet divitem: quare ipſum *Mercenarium Maritum* appellavit; Hortenſius enim dives nimis ipſam hæredem fecerat.

Cato Cæpionis fratris ſui cauſſa, quem peramabat, & qui militum Tribunus erat, voluntaria ſtipendia in bello fecit ſervili; quod ſcilicet ſervi conjurati ſub Duce Spartacio excitaverant; unde & Spartacium bellum vocatum eſt. In hoc bello inde Tribunus militum factus in Macedoniam miſſus eſt ad Rubrium Prætorem an. ab U. C. 681. Mirum quam ſimiles ſibi verbis, & exemplo milites reddiderit, bellicoſos ſcilicet, alacres, & fortes. Interea Cæpio Aſiam petens ex morbo obiit Æni in Tracia. Cato, accepto per literas mortis nuncio, eò perrexit; quem ubi jam mortuum invenit, pluſquam Philoſophum decebat, ploravit inconſolabili luctu; atque in monumento ex Thaſio marmore confecto, quod octo talentis emit, honorifice ſepelivit. Hac prima militia defunctus Cato, cum in animo haberet, priuſquam ad Remp. accederet, viſere Aſiam, ac mores, & inſtituta populorum inveſtigare; militibus ſuis valere dixit: qui non votis ſolum, & præconiis, ſed lacrymis, & amplexibus ipſum ſunt proſecuti, veſtes in via, qua pergebat, ſternentes, manuſque ejus deoſculantes: quæ vix paucis Imperatoribus præſtabant illius temporis Romani milites. Cum ad Pompejum ſalutandum, exercitu, & dignitate præpotentem, divertiſſet; hic tanquam uni ex primoribus e ſede exurgens proceſſit obviam, ſummoque honore, & amplexibus excepit; ipſum licet magis ſuſpiceret, quam amaret. Similiter & omnes civitates, quas peragrabat, ipſum cœna, & hoſpitio honorifice excipiebant. A Dejotaro Rege Galatiæ, populi Romani amiciſſimo, & Pompeij partes in Pharſalico bello ſecuto, invitatus, & rogatus, ut oblata ſibi dona acciperet, Philoſophorum more recuſavit; imo & poſtridie ab ipſo diſceſſit. Facto autem unius diei itinere, plura prioribus dona Peſſinunte oblata ei ſunt cum Regiis literis, quibus Rex ipſum obteſtabatur, ut ea ſibi, vel ſociis acciperet: Sed hæc iterum omnino repudiavit, Dejotaroque remiſit.

Poſt Aſiæ peregrinationem Romam una cum Cæpionis reliquiis reverſus, Quæſturam obtinuit; ad quam tamen non acceſſit, quin prius Quæſtorias leges perlegiſſet, ac Quæſturæ ſcientiam ex peritis adeptus eſſet. Unde ſimul ac factus Quæſtor fuit, multa in miniſtris Ærarii, ac Scribis novavit, eorum muneris inſcitiam coarguit, ſceleſte agentes mulctavit; adeo ſtrenue negocium hoc capeſſens, ut non ſatis habuerit nomen, & honorem dignitatis habere, ſed creditam ſibi Quæſturam rigide adminiſtrando, & à Juſtitiæ propoſito nec hominum dignitate, nec precibus, nec minis dimoveri unquam potuit; & Curiæ Ærarium brevi tempore reddidit auguſtius. Unde id omnes ferebant, Conſularem amplitudinem à Catone quæſturæ adjunctam fuiſſe. Reverebatur eum populus, & ut Quæſtorem integerrimum habebat: nam & ab Ærarii debitoribus rigide exigebat, & ejuſdem creditoribus cito, & promte ſolvebat; ſicque effecit ſimul, ut Reſp. nec quempiam fraudaret, nec à quopiam fraudaretur. Ab iis, quibus Sylla Dictator duodecies millenos denarios in capita largitus erat, atque ab omnibus, qui pecuniam publicam injuſte tenebant, rigide ipſam exegit; Ærarium ad ſummum auxit: ſicque docuit, poſſe Remp. citra ullius injuriam eſſe locupletem. Ejus igitur Quæſtura ad noviſſimum uſque diem celebris, ſingularis, & admiranda fuit. Hanc in rem notanda

hic,

hic, quæ habet Plut in vita. Cum Cato Clodium Urbe cedere coëgiſset, nequiſſimum, ſed potentem nimis hominem; Cicero gratias ei egit; cui Cato: *Reip. potius agendæ, cujus cauſſa omnia facio*. Ejus in Rep. fides, & autoritas tanta fuit, ut cum unum teſtimonium in judicio proferretur, orator ad Judices dixerit: *Uni teſti, ne Catoni quidem, ſtandum eſt*. Vulgus etiam de rebus abſonis, & incredibilibus proverbio dicebat: *Ne ſi Cato quidem autor ſit, eſſe credendum*. Cum publicorum negociorum vacatio erat, liberos, & Philoſophos ad prædia ſua in Lucaniam deportabat. Detecta à Cicerone Catilinæ conjuratione, Cato in dicenda in reos capitis ſententia Ciceroni ſe adjunxit, ac Cæſari, pœnam minuenti, reſtitit; ut ſupra in Cicerone dictum. Et tunc quidem Tribunus Plebis erat Cato: quo munere, ut & aliis, integerrima juſtitia functus eſt. Illud autem dignum, quò notetur, Tribunus Plebis exiſtens fecit; ne Comitia ſcilicet Conſularia venalia amplius eſſent. Quare juravit, ſe cujuſcumque nomen delaturum, qui nummos ad id dediſſet.

Quæſturæ ſuæ tempore Cato à Reip. miniſtris, Calpurnio Piſone, Cæſaris amico, & Aulo Gabinio, Pompeji cliente, Conſulibus, & P. Clodio Tribuno Plebis, qui ei infenſi erant, in Cyprum miſſus eſt, ut hoc Regno, quod Romani injuſte, ac nulla ratione ſibi publicaverant, potiretur, ac Byzantinorum exules reduceret. Quam decoram quidem, ſed difficilem, & periculi plenam legationem videns Cato, ipſam recuſans Clodio offerenti dixit, non hoc beneficium eſſe, ſed inſidias, & quæſitam ſuæ famæ ſugillationem. Hinc Clodius, cui mens ſollicita erat Catonem eliminandi, ut in ſuo Tribunatu quam diutiſſime abeſſet, quia eum timebat verbis, & opere potentem; atque facilius Ciceronem, quem ſumme oderat, Catone abſente, perdendi; legem pertulit de Catonis legatione, eique recuſanti ſubdit: Si gratum non eſt, ingratis ibis. Ipſum igitur dimiſerunt ſine navi, ſine milite, & ſine miniſtris, præter duos ſcribas, quorum alter fur, & improbiſſimus, alter Clodii cliens erat. Ptolemæus, Ægypti Rex, qui ex diſſenſione cum ſuis, relicta Alexandria, Romam navigabat, ut à Cæſare, & Pompejo cum exercitu reduceretur; ad Catonem venit, ut ſuum in hac re conſilium experiretur. Cato ipſum monuit, ne ſuppetias ab illis peteret, ſed ad ſuos libenter rediret. Quod conſilium ſpreviſſe eum poſtea pœnituit; ac ſe veneno necavit. Cato autem ſic optime ſupra omnem expectationem in hac legatione ſe geſſit, ut omnibus eſſet admirationi. Byzantio enim concordia compoſito, navigavit in Cyprum, quò Brutum, ſororis filium, præmiſerat. Inventum ibi regium theſaurum, quem ad ſeptem millia argenti talentorum coëgit, totum Reip. Romanæ Ærario ſumma fide, & integritate aſſervavit, ac Romam in navibus portavit; nec amicos querentes curavit, qui ægre tulerunt, ipſum nullam theſauri partem ipſis diripiendam permiſiſſe: unde & ipſum ut inimicum habuerunt. Catoni cum theſauro Romam venienti Senatus, Magiſtratus omnes, & Sacerdotes, & populi multitudo triumphi inſtar obviam proceſſerunt: cujus theſauri magnitudo per forum tranſlata cunctis admirationem peperit nimiam. Publicis inde laudibus eum Senatus extulit; eique præturam extra ordinem, & jus ſpectandi ludos in prætexta decrevit. Hos tamen honores Philoſophus noſter recuſavit.

Pompejo, & Craſſo ſecundum conſulatum petentibus, & eorum pactæ cum Cæſare conditioni prorogandi ei provinciam ad quinquennium, forti animo obſtitit. Sed ex poſitis à Pompejo in foro inſidiis Domitius, & Cato vulnerati ſunt. Iiſdem Pompejo, & Craſſo conſulibus creatis ſolus Cato decretas provincias contradicere auſus eſt; ac Pompejo, quæ ei à Cæſare eventura erant, prædixit. In proximum annum Cato Prætor factus eſt: cui magi-

ſtra-

ſtratui legum ſanctione, & recta adminiſtratione majeſtatem adjecit. Bibuli ſententiam de ſolo Pompejo Conſule creando Cato præter omnium expectationem probavit, & propugnavit: quare Pompejus per Catonis ſententiam conſul ſolus creatus, cum ipſo amicitiæ fœdus iniit; rogavitque, ut in ſuo conſulatu conſilio ſibi adeſſe vellet, & præeſſe.

Contra vero Cæſari infenſus ſemper fuit. Ipſi enim conſulatum petenti obſtitit in Senatu: & ut ſucceſſor ei mitteretur, autor extitit. Ejus etiam tyrannidem prædixit, atque jugiter adverſatus eſt. Cato conſulatum petens repulſam tulit; ac Pompejo, Urbem deſerenti, ſe adjunxit. Inde Siciliam ſortitus, Syracuſas venit. Sed Aſinio Pollione cum exercitu eò ab hoſtibus miſſo, Siciliam ſtatim relinquere coactus eſt; & ad Pompejum venit, quem Reip. defenſorem contra Cæſaris tyrannidem exiſtimabat.

Pompeio tandem in Theſſalico bello à Cæſare ſuperato, & in Peluſio litore à Septimio deſertore ſuo trucidato, ac ſub oculis uxoris ſuæ, liberorumque mortuo; Cato copiis à militibus præficitur; quibus ſuas Scipio, Cnæi Pompeij ſocer, & Juba Mauritaniæ Rex, adjunxerunt: unde acrius, atque vehementius Theſſalici belli cineres recaluere; ſed ut latius Cæſar vinceret. Cæſaris enim milites indignantes, bellum poſt Pompeij mortem creviſſe, acriori impetu in hoſtes irruerunt; ac Juba, Scipioneque in fugam verſis, quorum primus in Regiam ſe ſe recipiens, Petrejo, Pompejano Duci, ac ſuæ fugæ comiti, ſe interficiendum præbuit; alterum navi fugientem, hoſtes aſſecuti occiderunt; bello finem dedere.

Cato pugnæ non interfuit, ſed Uticæ, quam muris, armis, militibus, munierat, præerat. Tum audito per nuncium ſuorum exitio, cives omnes, & Senatores ſolatus, & cohortans, ut fidem in Remp. ſervarent, & fuga ſuæ vitæ conſulerent, vel Uticæ, quam inexpugnabilem, & frumenti, aliorumque copia refertam reddiderat, ſe continerent; filio ſuaſit, ut ſibi ſuperſtes Victoris clementiam experiretur: tum lecto decumbens, Platonis librum de Immortalitate Animæ ad ſe deportari juſſit: quo ſemel atque iterum lecto, omnibuſque e cubili dimiſſis, diſtrictum enſem ſub pectore impreſſit. Cubili decidens fragorem edidit: unde filius cum Medico, & miniſtris, qui foris ſtabant, accurrit: Medicus effuſa inteſtina reponere, & vulnus conſuere curavit; ſed ipſe ut ad ſe rediit, Medicum repulit, viſcera dilaceravit, & divulſo vulnere exſpiravit, an. ætatis 48. Romæ 708. Olymp. 183. an. 3. & ante Chr. Nat. circiter 45. Uticenſis populus accurrens luctu, & lachrymis ipſum ſervatorem, liberatorem ſuum, virumque invictum appellans, corpus magnifice, & ſplendidis elatum exequiis funeraverunt juxta mare; ubi nunc etiam ejus ſtatua, diſtrictum enſem tenens poſita eſt. Mox Cæſar Uticam appulit; atque Catonis fatum audivit, dixiſſe fertur: *Invideo tibi, Cato, mortem, quando ſalutem mihi tuam invidiſti.*

Ampliſſima de Catone teſtimonia vide apud Senec. de Tranquill. Vitæ, Lucan. l. 9. Bell. Civ. Cic. Salluſt. & alios. Vellejus Paterculus Catonem ad Vinicium ſic deſcribit: *Hic genitus proavo M. Catone, principe illo familiæ Porciæ, homo virtuti ſimillimus, & per omnia ingenio Diis, quam hominibus propior: qui nunquam recte fecit, ut facere videretur, ſed quia aliter facere non poterat: cuique id ſolum viſum eſt rationem habere, quod haberet juſtitiam: omnibus humanis vitiis immunis, ſemper fortunam in ſua poteſtate habuit.* Juvenalis è Cœlo lapſum, hoc eſt divinum eum appellat, dum Sat. 2. ait: *Tertius è Cœlo cecidit Cato.* Lactant. tamen Div. Inſt. l. 3. c. 18. hæc habet: *Ex Romanis Cato, qui fuit in omni ſua vita Stoicæ vanitatis imitator.* Et poſt pauca: *Cato videtur mihi cauſſam quæſiſſe moriendi, non tam ut Cæ-*

ſarem

ſarem fugeret, quam ut Stoicorum decretis obtemperaret, quos ſectabatur, nomenque ſuum grandi aliquo facinore clarificaret. Vide etiam Divum Aug. de Civ. Dei pluribus in locis. Munatius Catonis familiaris librum de rebus à Catone geſtis ſcripſit. Notandum denique, tantum Græcos Catonem hunc dilexiſſe, quantum Cenſorius Cato ſuus proavus oderat.

STRABO.

G*Eographorum Princeps*, & *Scriptor apprime ſerius*, ab Iſaac. Caſaub. appellatus: *Geographus, inſignis judicii, & prudentiæ Vir*, à Lipſ. atque aliis præclaris nominibus à pleriſque inſignitus; ſcriptor cæteroqui peritiſſimus, genere Cappadox, eruditione Græcus, judicio priſcus, incolatu Romanus, terrarum multarum peragrator fuit, ut notat Petr. Bert. *Natus Amaſiæ, civitate Ponti, Philoſophus fuit Stoicus, quanquam & Philoſophiam Peripateticam attigit* (in qua Xenarchum habuit præceptorem) *Geographus præſtantiſſimus fuit, cujus 17. Geographiæ libri, quos Tiberio Cæſare rerum potiente conſcripſit, etiamnum hodie extant. Scripſit & alios, ac inter eos, Commentarios Hiſtoricos utiles, ad Moralem, & Civilem Philoſophiam: ſed ad nos non pervenerunt. Obiit circa annum 12. Imperii Tiberii Cæſaris, extremæ ſenectutis.* Ex Hofman. Et quidem maxime ſenem eum obiiſſe, vel ex hoc deducitur, quod Cornelius Gallus, Ægypti Gubernator, ipſius familiaris fuerit præcipuus; ut ipſe de ſe teſtatur. Hæc autem de Strabone potiora Autorum judicia ſunt. Voſſ. de Hiſt. Græc. l. 1 1. c. 6. *Strabo vir profecto maximus. Extant ejus 17. Geographiæ libri, quos non una de cauſſa maximi facere oportet. Fuit enim egregius Philoſophus. Alterum etiam eſt, quod labores Strabonis maximopere nobis commendat: ſiquidem priorum Geographorum nemo plus terrarum luſtravit. Geographiam ſuam ſcribebat an. U. C. 771. quarto an. Imperii Tiberii Cæſaris.* Iſaac. Caſaub. in Epiſt. ad Jac. Strabonis Geograph. præfixa. *Unus extitit Strabo Philoſophus,* αἱρέσει *quidem Stoicus, cæterum doctus, Deus bone, & laborioſus, prorſuſque ad unguem factus homo, qui omni doctrina eruditus, iiſque omnibus præſidiis abunde inſtructus, quæ ad rem Geographicam deſiderari poſſunt, rem & magno animo ſuſcepit, & tanta felicitate confecit, ut perſuaſum habeam, ſi quis ejus ſcripta diligenter verſare voluerit, eum antiquorum Geographorum jacturam patienter ferre: opus namque relictum nobis eſt à ſummo Scriptore, quod præter accuratiſſimam totius orbis, tunc cogniti, deſcriptionem, tanta doctrina, tamque varia omnium rerum ſcientia refertum eſt; ea denique arte contextum, ut ſi unius, aut alterius è Veteribus ſcripta excipias, nihil plane in tota vetuſtate reperiam cum hoc opere comparandum.* Rhodig. l. 21. lect. Antiqu. c. 25. *Strabo non Hiſtoricus modo inſignis, ſed Philoſophus quoque, & Mathematicus, adeo celebris, & pervulgati nominis, ut eum Theſſalonicenſis Euſtathius per quandam exochen Geographi nomine perſæpe ſignificet.* Et Coler. Epiſt. de ſtudio Politic. p. 212. addit: *Cura ei non tantum* τῶν τόπων, *ſed etiam* τῶν τρόπων. Voſ. de Philolog. p. 56. *Satis prædicari nequit doctrina, & induſtria Strabonis Amaſeni, ſcriptoris graviſſimi, quem Stratonem vocari debere, perperam in Peripateticis ſuis Diſcuſſionibus contendit Franciſcus Patricius.* Card. Joh. Bona. *Strabo Amaſenus, Princeps Geographorum, quem fruſtra conatur de ſui operis poſſeſſione dejicere Franciſcus Patricius in Peripat. Diſcuſſ. ut Stratoni cuidam tribuat. Caſtigandus autem videtur Strabo, quod Hiſtorias, & Philoſophicas Diſputationes Geographiæ miſcuerit.* Notandum denique, Iſaaci Caſaub. Commentarios in Strabonem permitti cum expurgationibus. Vide Ind. Madrit. edit. an. 1667.

PÆTUS THRASEA, ET HELVIDIVS PRISCUS.

PÆtus Patria Patavinus, dignitate Senator, Secta Stoicus fuit; vixitque ſub Nerone, a quo ad ſanguinis totius è venis effuſionem, non ſecus, ac Seneca, damnatus eſt. Ejus ſcientiam, & probitatem omnes veteres Autores extollunt; potiſſimum vero Tacit. l. 16. Annal. ſic optime ejus laudes paucis expreſſit. *Trucidatis tot inſignibus viris, ad poſtremum Nero virtutem ipſam exſcindere concupivit, interfecto Thraſea Pæto &c.* Cum Conſul Marcellus, Neronis juſſu, Prætoris, læſæ Majeſtatis accuſati, mortem peteret; Pætus animi conſtantia, & fortitudine vere philoſophica Conſuli ſe oppoſuit: unde & alii, qui ob Neronis metum Marcello contradicere non audebant, conſpecta Thraſeæ animi firmitate, in ipſum conſentientes, Prætorem è morte liberarunt. Verba Tacit. l. 14. Annal. ſunt. *Libertas Thraſeæ ſervitium aliorum rupit, & poſtquam diſceſſionem Conſul permiſerat, pedibus in ſententiam ejus ivere &c.* Ex animi magnitudine magnum vocat ipſum Martial. l. 1. Epigr. ubi ait:

Quod magni Thraſeæ, conſummatique Catonis
Dogmata ſic ſequeris, ſalvus ut eſse velis.

Ejuſdem Thraſeæ mortem ſic deſcripſit Tacit. in fine Annal. *Tum ad Thraſeam in hortis agentem Quæſtor Conſulis miſſus, veſperaſcente jam die. Illuſtrium virorum, feminarumque cœtus frequentes egerat, maxime intentus Demetrio, Cynicæ inſtitutionis doctori: eum quo, ut conjectare erat intentione vultus, & auditu, ſi qua clarius proloquebantur, de natura animæ, & diſſociatione ſpiritus, corporiſque inquirebat. Donec advenit Domitius Cæcilianus ex intimis amicis, & ei, quid Senatus cenſuiſset, expoſuit. Igitur flentes, quiritanteſque, qui aderant, faceſsere propere Thraſea, neu pericula ſua miſcere cum ſorte damnati, hortatur. Arriamque tentantem Mariti ſuprema, & Arriæ Matris exemplum ſequi, monet retinere vitam, filiæque communi ſubſidium unicum non adimere. Tum progreſsus in porticum, illic à Quæſtore reperitur, lætitiæ propior, quia Helvidium generum ſuum Italia tantum arceri cognoverat. Accepto dehinc Senatuſconſulto, Helvidium, & Demetrium in cubiculum inducit: porrectiſque utriuſque brachii venis, poſtquam cruorem effudit, humum ſuper ſpargens, propius vocato Quæſtore, Libemus, inquit, Jovi Liberatori &c.* Arriam cum viro ſuo Thraſea mori cupientem hoc epigrammate celebravit Martial. l. 1. Epigr. 14.

Caſta ſuo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Thraſeæ virtutes, & illuſtria facta vide apud Tacit. in Annal.

Notandum hic, hunc *Helvidium Priſcum*, Pæti generum, Quæſtorem, atque inſignem Stoicum fuiſſe; de quo Tacitus laudabiliter ſæpe loquitur; potiſſimum vero Hiſt. l. 4. ubi his verbis ejus laudes contexit: *Res poſcere videtur, quia iterum in mentionem incidimus viri ſæpius memorandi, ut vitam, ſtudiaque ejus, & quali fortuna ſit uſus, paucis repetam. Helvidius Priſcus Regione Italiæ, Terracinæ municipio, Cluvio patre, qui ordinem Primipili duxiſset, ingenium illuſtre altioribus ſtudiis juvenis admodum dedit: non ut plerique, ut nomine magnifico ſegne otium velaret, ſed quo firmior adverſus fortuita, Remp. capeſseret, doctores ſapientiæ ſecutus eſt, qui ſola bona, quæ honeſta, mala tantum quæ turpia: potentiam, nobilitatem, cæteraque extra animum, neque bonis, neque malis adnumerant. Quæſtorius ad-*

huc

huc à Pæto Thraſea gener delectus , è moribus ſoceri nihil æque , ac libertatem hauſit ; civis , ſenator , maritus , gener , amicus , cunctis vitæ officiis æquabilis , opum contemtor , recti pervicax , conſtans adverſus metus . Erant quibus appetentior famæ videretur , quando etiam ſapientibus cupido gloriæ noviſſima exuitur . Ruina Soceri in exilium pulſus , ut Galbæ principatu rediit , Marcellum Eprium , delatorem Thraſeæ accuſare aggreditur &c. Hinc inter Helvidium , & Eprium acre jurgium &c.

LUCIUS ANNÆUS SENECA

E Gente Annæa , quæ equeſtris ordinis erat , ut ex ipſo Seneca apud Tacitum l. 14. paullo ante Auguſti mortem , natus eſt Cordubæ , quæ vetus , inſignis , ac prima in Hiſpania Bætica urbs eſt . Pater ei *Marcus Annæus Seneca* , *quem Declamatoris* agnomine à filio fere diſtinguunt : in hoc enim dicendi genere valde excelluit . Hæc nominis conformitas in cauſſa fuit , cur quidam Patris Declamationes , ſive potius aliorum , ut Lipſius affirmat , ab ipſo tamen digeſtas , & Præloquiis , aut Interloquiis diſtinctas , Filio tribuerint . Senecæ noſtri mater Elbia , ſive Helvia , nobilis item Hiſpanienſis , magni animi , atque ingenii femina ; ut Filius eam in Conſolatione ad ipſam ſatis deſcripſit . Pater cum uxore , & liberis Romam Auguſti temporibus venit : quo tempore noſter Seneca puer erat , ut ipſe indicat , ubi materteram laudat Conſolat. ad Helviam c. 17. *Illius manibus in Urbem perlatus ſum : illius pio , maternoque nutricio , per longum tempus æger , convalui* . Diu Pater ibi in gratia , & fama vixit , & ad ultima Tiberii tempora vitam produxit . Fratres duos habuit , ſorores nullas , ut ex ejus verbis ad Matrem : *Cariſſimum virum , ex quo trium liberorum mater eras , extuliſti* . Major natu *M. Annæus Novatus* , ut à Gallione ſive neceſſitudine , ſive patria , ſive cognatione , Senecæ devincto , adoptatus , mutato nomine *Junius Gallio* , & in Chronico Euſebiano *Junius Annæus Gallio* dictus eſt . Hunc L. Annæus noſter *Novatum* in libris de Ira quos ad ipſum ſcripſit , & miſit (non enim adhuc nomen mutaverat) *Gallionem* vero de vita Beata , & in Epiſt. nominat. Gallionis eloquii ſuavitatem ſic Statius commendat.

Hoc plus , quam Senecam dediſſe terris ,
Et dulcem generaſſe Gallionem.

Cujus eloquentiam ſonantem , & tinnientem memorat autor de Cauſſis corruptæ Eloquentiæ , dum refert *Tinnitus Gallionis* . Eruditione , & Senatoria dignitate recte adminiſtrata , hic clarus fuit . Sed natu minimus *Annæus Mela* dictus , patris ſorte contentus , Eques Romanus fuit , ac Lucanum poëtam genuit ; *Grande adjumentum claritudinis* , ut Tacitus ait . Atque his tribus Senecæ Declamatoris filiis alluſiſſe videtur Martialis , dum ait :

Et docti Senecæ ter numeranda domus.

Ubi doctum vocat Senecam Declamatorem , ac tres filiorum familias refert.

In Eloquentia , præter ipſum Patrem , præceptores habuit Hyginum , Ceſtium , & Aſinium Gallum : quam dicendi artem patris juſſu vel invitus , Caji etiam temporibus , magna eloquii gratia , & fama exercuit ; neque enim ante id temporis Senecæ ſcripta ulla Philoſophica exſtant . Hac tamen dicendi arte ultro ſe abdicavit , ne Cajo Caligulæ , qui ſolus hominum & videri , & haberi eloquens volebat , inviſior eſſet . Scribit enim Dio : *Cum cauſſam quandam in Senatu egregie , & feliciter Seneca egiſſet , livore ſuffuſum illum Principem , qui ſolus videri eloquens volebat , cogitaſſet de Seneca tollendo & feciſſet , niſi una e concubinis admonuiſſet , fruſtra mortem parari jam morituro :*

tabe quippe laborare &c. Infirma igitur valetudo ſaluti Senecæ fuit. Et forſan huc adſpiciens verum Seneca ſcripſit: *Multorum mortem diſtulit morbus, & ſaluti illis fuit videri perire.* Et quidem corpore fuit à pueritia infirmo, ſicco, non formoſo, & ab aſthmate, diſtillationibus, febriculis, parvo victu, magis autem à ſtudiis, ad extremum exhauſto; ut ipſe de ſe in Epiſt. & alibi refert. Quare infirmum corpus cultu agri & durioribus exercitiis firmabat: unde *Diligentem vinearum foſſorem* in Nat. Quæſt. ſe appellat: quod opus *Artificium ſuum* etiam vocat.

Puer adhuc Philoſophiæ ſtudiis operam dedit ſub Sotione Alexandrino, Stoicæ ſectæ Philoſopho (etſi Pythagoriſſare etiam viſus vel ipſi Senecæ, qui epiſt. 108. ait: *Non pudebit fateri, quem mihi amorem Pythagoræ injecerit Sotion. Docebat quare ille animalibus abſtinuiſſet &c.*) quod & ipſe de ſe aſſerit Epiſt. 49. *Modo apud Sotionem Philoſophum puer ſedi.* In Philoſophia præceptores item habuit Attalum Stoicum, & Papirium Fabianum, quos, dum nominat, grata memoria laudat. Notandum tamen hic, hunc Sotionem non confundendum cum Sotione, qui Ptolemæi tempore vixit; ac librum de Succeſſionibus ſcripſit, quem ſæpe citat Laërtius; & alia. Demetrium quoque Cynicum, de quo ſupra, & domi, & in Aula, & in via, & in peregrinatione ſemper coluit, ac familiarem habuit. Quantum autem in Stoica Philoſophia profecerit; ejus vita, & doctiſſimi libri, de quibus infra, ſatis, ſuperque demonſtrant.

Adoleſcens in Ægypto fuit occaſione, quod Avunculus Præfectus ibi eſſet. Nam de matertera ad matrem ſcribens Conſol. ad Helv. c. 21. ait: *Exemplum tibi ſuum, cujus ipſe ſpectator fui, narrabit;* de navigatione ibi loquitur, cum matertera ex Ægypto rediret. Unde factum, ut de Ægypto & Nilo in ſuis libris, ac præcipue in Quæſt. Nat. loqueretur. Ante exſilium uxorem habuit, ut teſtatur Epiſt. 1. *Harpaſten, uxoris meæ fatuam ſcis hæreditarium onus in familia mea remanſiſſe.* Loquitur igitur hic de uxore jam defuncta; at Paullina, altera uxor, ipſi ſuperſtes fuit. Sed clarius 3. de Ira: *Cum ſublatum eſt lumen, & uxor moris mei jam conſcia, conticuit.* Sed libri de Ira ſcripti ſunt, ipſo adhuc Juvene, inter primos, Cajo nondum mortuo. Ex hac *Marcum* filium habuiſſe conſtat ex his ejus verſibus:

Sic dulci Marcus, qui jam ſermone fritinnit,
Facundo patruos provocet ore duos.

Jam ſenex, & in Aula potens, Paullinam duxit, nobilem feminam, quæ virum ad mortem uſque amavit. Sic enim ipſe Epiſt. 104. *Hoc ego Paullinæ meæ dixi, quæ mihi valetudinem meam commendat: venit mihi in mentem, in hoc ſene, & adoleſcentem eſſe, cui parcitur.* Præter opes, quas magnas pater ei reliquerat, immenſas etiam congeſſit ex Neronis liberalitate intra quadriennium regiæ amicitiæ: quas ad ter millies HSS adſcendiſſe refert Suillius; & ſeptuagies quinquies centena millia Philippicorum æquare aſſerit Lipſius. Villas, prædia, opes nedum Romæ, & in Campania, ſed etiam in Ægypto habuiſſe educitur ex ipſius Epiſtola 67. Jure igitur Juvenalis memorat .... *Senecæ prædivitis opes.* Teſtatur etiam ipſemet in oratione ad Neronem apud Tacitum Annal. 14. & ipſe Tacitus ibidem.

His autem præclaris opibus uſus eſt, non abuſus: quod vel ejus in menſa frugalitas, & in voluptatibus abſtinentia declarant. Audiamus ipſum Epiſt. 108. *Non tantum ab illicitis voluptatibus, ſed etiam ſupervacuis licebat circumſcribere gulam, & ventrem ..... Ex bene cæptis pauca ſervavi. Inde oſtreis, boletiſque in omnem vitam renunciatum eſt: inde in omnem vitam unguento abſtinemus: inde vino caret ſtomachus: inde in omnem vitam balneum fugimus.*

Digitized by Google

mus. Etſi in Aula præpotens, animum ab omni prorſus adulatione alienum habuit; quod & ipſe confeſſus eſt 2. de Clem. his ad Neronem verbis: *Diutius morari me hic patere, non ut blandiar auribus tuis: nec enim mihi hic mos eſt: maluerim veris offendere, quam placere adulando*. Et apud Tacit. 15. Annal. *Non ſibi promtum in adulationes ingenium: idque nulli magis gnarum, quam Neroni, qui ſæpius libertatem Senecæ, quam ſervitium expertus eſt*. De ſingulis in die dictis, factis, & erroribus, rigidum examen, Pythagoreorum more, inſtituebat, ut caſtigaret, corrigeret, emendaret. Sic enim ipſe 3. de Ira: *Utor hac poteſtate & quotidie apud me cauſſam dico. Cum ſublatum è conſpectu lumen eſt, & conticuit uxor moris mei jam conſcia, totum diem mecum ſcrutor, facta, ac dicta mea remetior. Nihil mihi abſcondo, nihil tranſeo: quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cum poſſim dicere: vide ne iſtud amplius facias, nunc tibi ignoſco?* Ejus eximia in Deum pietas, mentis adhæſio, voluntatis ſubmiſſio, vel perfectioribus chriſtianam vitam profitentibus exemplar eſſe deberent. Quod clare docuit, præter alia loca, Epiſt. 96. *Si quid credis mihi, intimos affectus meos tibi cum maxime detego. In omnibus, quæ aſpera videntur, & dura, ſic formatus ſum. Non pareo Deo, ſed aſſentior: ex animo illum, non quia neceſſe eſt, ſequor. Nihil unquam mihi incidet, quod triſtis excipiam, quod malo vultu. Nullum tributum invitus conferam.* Hinc non immerito Tertullianus, & priſci Patres ipſum *Noſtrum* appellant: & Otho Friſingenſis dicere auſus eſt, *Senecam non tam Philoſophum, quam Chriſtianum dicendum*. Ob eminentes has virtutes eximia ſemper de eo opinio apud omnes fuit: imo vel imperio viventem ipſum deſtinabant, ut notat Tacit. 15. Annal. *Ut traderetur imperium Senecæ, quaſi inſonti, claritudine virtutum ad ſummum faſtigium dilecto*. Nec audiendi ejus famæ detractores, qui ipſum aliud factis, aliud verbis oſtendiſſe, contendunt. De Senecæ virtutibus vide, præter alios, Lipſium in Manuductione, & Phyſiologia.

Ex Reipublicæ dignitatibus Quæſturam primo geſſit, quam materteræ ſuæ ſuffragio adeptus eſt, ut ipſe inquit Conſolat. ad Helv. cap. 17. *Illa pro Quæſtura mea gratiam ſuam extendit, & quæ ne ſermonis quidem, aut claræ ſalutationis ſuſtinuit audaciam, pro me vicit indulgentia verecundiam*. Primo autem Claudii Imperii anno, cum Julia Germanici filia, à Meſſallina, ſcorto impudiciſſimo, accuſata adulterii eſſet, ipſa extorris eſt acta, & Seneca, quaſi adulterii reus, in Corſicam eſt relegatus. Ejus tamen innocentiam Lipſius in vita ex Taciti verbis Annal. 12. arguit, qui de Senecæ exſilio loquens ait: *Seneca infenſus Claudio memoria injuriæ credebatur*. Ubi Lipſius ex illata ſibi à Claudio injuria ejus innocentiam deducit. Sed ubi Claudius Imperator poſt mortem Meſſallinæ Juliam Agrippinam Germanici fratris ſui filiam, Cn. Ænobarbi viduam, & Neronis Domitii matrem, uxorem duxit, & nuptiæ decreto Senatus firmatæ, & legitimæ habitæ; *Agrippina* (verba ſunt Taciti 12. Annal.) *veniam exſilii pro Annæo Seneca, ſimul Præturam impetrat, lætum in publicum rata ob claritudinem ſtudiorum ejus, utque Domitii pueritia tali Magiſtro adoleſceret, & conſiliis ejuſdem ad ſpem dominationis uteretur*. Exſilii tempus ad annos duos ponitur à Morery in Lex. Hiſt. ſed accuratior Lipſius ipſum ad annos circiter octo in exſilio fortiter, & feliciter vixiſſe, affirmat. Quo tempore optimis ſtudiis, meditationibuſque philoſophicis intentus ad matrem ſcripſit cap. 4. *Qualem me cogites, accipe: lætum, & alacrem, velut optimis rebus: Sunt autem optimæ, cum animus, omnis cogitationis expers, vacat operibus ſuis, & modo ſe levioribus ſtudiis oblectat, modo ad conſiderandam ſui, univerſique naturam, veri avidus inſurgit*. Ubi per *leviora ſtudia* Poëtica cenſet Lipſius. Sic etiam Senecæ in exſi-

Digitized by Google

exſilio animi felicitatem expreſſit Auctor Octaviæ Tragœdiæ, in qua ipſum ita loquentem inducit.

Melius latebam procul ab invidiæ malis
Remotus, inter Corſici rupes maris.
Ubi liber animus, & ſui juris, mihi
Semper vacabat, ſtudia recolenti mea.
O quam juvabat (quo nihil majus parens
Natura genuit, operis immenſi artifex)
Cœlum intueri, ſolis & currus Sacros.

Scripſit in Exſilio degens librum *de Conſolatione ad Matrem Helviam* unum; alterum *de Conſolatione ad Polybium*, præpotentem Claudii libertum. Romam igitur rediens, Prætor factus eſt a. V. C. 802. Sed an poſtea Conſul? Affirmant libri legum, ad S. C. Trebellianum; ita enim Ulpianus. *Temporibus Neronis, octavo Kal. Septembres, Annæo Seneca, & Trebellio Maximo CSS. factum eſt SC.* Idem & in Juſtiniani 2. Inſtit. ſcriptum reperitur. Negant alii, quia Auſonius Gratiarum Actione palam ait: *Dives Seneca, nec tamen Conſul.* Sed qui conſulem fuiſſe volunt, aſſerunt Auſonium de Ordinariis Conſulibus locutum, non vero de ſuffectis, quales Senecam, & Trebellium a. V. C. 815. fuiſſe, contendunt.

Primus autem, ac præcipuus Senecæ honor fuit, Neronem Imperatorem in Eloquentia, & moribus inſtituiſſe. Et ſane primis quinque imperii annis, quamdiu ſcilicet Senecæ monitis, conſiliiſque uſus, nedum optimus Princeps, ſed Principum exemplar, quod imitarentur, fuit. Tacit. Annal. 13. duos memorat, quibus utiliter Princeps ſe permiſit. *Ibatur in cædes, niſi Afranius Burrhus, & Annæus Seneca obviam iſſent. Hi rectores imperatoriæ juventæ, & pari in ſocietate potentiæ concordes, diverſa arte ex æquo pollebant: Burrhus militaribus curis, & ſeveritate morum; Seneca præceptis Eloquentiæ, & comitate honeſta: juvantes invicem, quò facilius lubricam Principis ætatem, ſi virtutem aſpernaretur, voluptatibus conceſſis retinerent.* Et ibid. 14. de Burrhi morte ait: *Conceſſitque vitâ Burrhus, incertum valetudine, an veneno . . . . Et Burrhum, intellecto ſcelere, cum ad viſendum eum Princeps veniſſet, adſpectum ejus averſatum; ſciſcitantique hactenus reſpondiſſe: Ego me bene habeo. Civitati grande deſiderium ejus manſit per memoriam virtutis &c.*

Neronis quoque præceptor fuit, ut ex Suida habemus, Alexander, patria Ægæus, ſecta Peripateticus, qui Neroni, ut Ariſtotelis doctrinam acciperet, ſuadere non potuit: nam Seneca, & Burrhus, ambo Stoici, in Neronis animum, cui dominabantur, Stoicam Philoſophiam indiderant.

Verum ubi Nero, repulſa Octavia, Poppææ, impuriſſimo Scorto nupſit; ac Sophonii Tigellini fœdiſſimis, ſceleſtiſſimiſque conſiliis à recta rationis norma declinavit; omni vitiorum generi ſe dedidit, hominum peſtis, immane, horrendum crudelitatis monſtrum. Qualis Poppæa Sabina fuerit, vide apud Tacit. in Annal. ex quorum libro 13. paucis oſtendam: *Huic mulieri cuncta alia fuere præter honeſtum animum . . . . modeſtiam præferre, & laſcivia uti . . . . . Famæ nunquam pepercit, maritos, & adulteros non diſtinguens; neque affectui ſuo, aut alieno obnoxia, unde utilitas oſtenderetur, illuc libinem transferebat.* Neroni nupta libidini ſævitiam copulavit. Mortem autem ejus talem deſcripſit Annal. 16. *Poſt finem ludicri Poppæa mortem obiit, fortuitâ mariti iracundiâ, à quo gravida ictu calcis afflicta eſt; neque enim venenum crediderim; quamvis quidam ſcriptores tradant, odio magis, quam ex fide: quippe liberorum cupiens, & amori uxoris obnoxius erat &c.* Sophonii Tigellini infamiam en paucis ab eodem accipe Annal. 14. *Sophonium Tigellinum, ve-*

veterem impudicitiam, atque infamiam in eo ſecutus . . . . Validior Tigellinus in animo Principis, ex intimis libidinibus aſſumtus. Et Hiſt. lib. 1. *Sophonius Tigellinus obſcuris parentibus, fœda pueritia, impudica ſenecta, Præfecturam vigilum, & prætoria, & alia præmia virtutum, quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam, & virilia ſcelera exercuit: corrupto ad omne ſcelus Nerone, quædam ignaro auſus, ac poſtremo ejuſdem deſertor, & proditor*. Et poſt pauca Populi Romani ingenti in Tigellinum odio æſtuantis perſecutionem, & turpiſſimam ejus mortem talibus oſtendit: *Eò infenſior populus, addita ad vetus Tigellini odium recenti T. Vinii invidia, concurrere è tota Urbe in Palatium, & fora, & ubi plurima vulgi licentia, in circum, & theatra effuſi, ſeditioſis vocibus obſtrepere: donec Tigellinus, accepto apud Sinveſſanas aquas ſupremæ neceſſitatis nuncio, inter ſtupra concubinarum, & oſcula, & deformes moras, ſectis novaculâ faucibus, infamem vitam fœdavit, etiam exitu fero, & inhoneſto*.

Sed ut ad Senecam redeam; cum Neroni, Poppææ, & Tigellino inviſus eſſet, quod ejus virtutes eorundem vitia reprehenderent, & accuſarent; Nero, conjurationis reum ipſum ſimulans, mortis tandem damnavit, ut boni, rectique doctore ſublato, ingratum reverentiæ frænum, quo gravabatur, excuteret: etſi juraverat, nunquam ei nociturum, ut ait Suetonius: *Senecam præceptorem ad necem compulit, quamvis ſæpe commeatum petenti, boniſque cedenti, perſancte juraſſet, ſuſpectum ſe fruſtra, periturumque potius, quam nociturum ei*. Atqui, ut Tacit. ait loc. cit. *Infenſus Senecæ omnes ad eum opprimendum artes conquirebat*. Quare venenum tentaverat, ut ex eodem Tacito ibidem: *Tradidere quidam, venenum Senecæ per libertum ipſius Cleonicum paratum juſſu Neronis, vitatumque à Seneca proditione liberti, ſeu propria formidine, dum ſimplici victu, & agreſtibus pomis, ac ſi ſitis admoneret; profluente aqua vitam tolerat*. Senecæ mortem fidiſſimus ſcriptorum Tacit. ſic deſcripſit Annal. 15. *Sequitur cædes Annæi Senecæ lætiſſima Principi, non quia conjurationis manifeſtum compererat, ſed ut ferro graſſaretur, quando venenum non proceſſerat . . . . . Propinqua veſpera Tribunus venit, & villam globus militum ſepſit: tum ipſi cum Pompeja Paullina uxore, & amicis duobus epulanti mandata Imperatoris edidit. Seneca miſſum ad ſe Natalem, conqueſtumque nomine Piſonis, quòd viſendo eo prohiberetur, ſe ratione valetudinis, & amore quietis excuſaſſe, reſpondit . . . . . Ubi hæc à Tribuno relata ſunt, Poppæa, & Tigellino coram, quod erat ſævienti Principi intimum conſiliorum, interrogat, an Seneca voluntariam mortem pararet. Tum Tribunus nulla pavoris ſigna, nihil triſte in verbis ejus, aut vultu deprehenſum confirmavit. Ergo regredi, & indicere mortem jubetur . . . . Intromiſitque ad Senecam unum ex Centurionibus, qui neceſſitatem ultimam denunciaret. Ille interritus poſcit teſtamenti tabulas: ac denegante Centurione, converſus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum jam tamen & pulcherrimum habebat, imaginem vitæ ſuæ relinquere teſtatur, cujus ſi memores eſſent, bonarum artium famam tam conſtantis amicitiæ laturos. Simul lacrymas eorum modò ſermone, modo intenſior in modum coërcentis, ad firmitudinem revocat, interrogans: Ubi præcepta ſapientiæ? Ubi tot per annos meditata ratio adverſum imminentia? cui enim ignaram fuiſſe ſævitiam Neronis? neque aliud ſupereſſe poſt matrem, fratremque interfectos, quam ut educatoris, præceptoriſque necem adjiceret. Ubi hæc, atque talia velut in commune diſſeruit, complectitur uxorem; & paululum adverſus præſentem formidinem mollitus, rogat, oratque temperet dolori, ne æternum ſuſciperet; ſed in contemplatione vitæ per virtutem actæ, deſiderium mariti ſolatiis honeſtis*

ſole-

toleraret. Illa contra ſibi etiam deſtinatam mortem adſeverat, manumque percuſſoris expoſcit. Tum Seneca gloriæ ejus non adverſus; ſimul amore, ne ſibi unicè dilectam ad injurias relinqueret: Vitæ, inquit, delinimenta monſtraveram tibi, tu mortis decus mavis: non invidebo exemplo. Sit hujus tam fortis exitus conſtantia penes utroſque par, claritudinis plus in tuo fine. Poſt quæ eodem ictu brachia ferro exſolvunt. Seneca, quoniam ſenile corpus, & parvo victu tenuatum, lenta effugia ſanguini præbebat, crurum quoque, & poplitum venas abrumpit. Sæviſque cruciationibus defeſſus, ne dolore ſuo animum uxoris infringeret, atque ipſe viſendo ejus tormenta ad impatientiam dilaberetur, ſuadet, in alium cubiculum abſcederet. Et noviſſimo quoque momento ſuppeditante eloquentia, advocatis ſcriptoribus, pleraque tradidit, quæ in vulgus edita ejus verbis, invertere ſuperſedeo. At Nero nullo in Paullinam proprio odio, ac ne gliſceret invidia crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Hortantibus militibus, ſervi, libertique obligant brachia, premunt ſanguinem, incertum an ignaræ. Nam ut eſt vulgus ad deteriora promtum, non defuere, qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam ſociatæ cum marito mortis petiviſſe: deinde oblata mitiore ſpe, blandimentis vitæ evictam: cui addidit paucos poſtea annos laudabili in maritum memoria, & ore, ac verbis in eum pallorem albentibus, ut oſtentui eſſet, multum vitalis ſpiritus egeſtum. Seneca interim durante tractu, & lentitudine mortis, Statium Annæum diu ſibi amicitiæ fide, & arte Medicinæ probatum, orat proviſum pridem venenum, quo damnati publico Athenienſium ſupplicio exſtinguerentur, promeret: allatumque hauſit fruſtra, frigidis jam artubus, & clauſo corpore adverſum vim veneni. Poſtremo ſtagnum calidæ aquæ introiit, reſpergens proximos ſervorum, addita voce, Libare ſe liquorem illum Jovi Liberatori. Exin balneo illatus, & vapore ejus exanimatus, ſine ullo funeris ſollenni crematur. Ita codicillis præſcripſerat, cum etiam tum prædives, & præpotens, ſupremis ſuis conſuleret. Obiit an. Chriſti 65. regni Neronis 12. ætatis verò, ut ſcribit Lipſius 63. vel 64.

En mortem Philoſopho, & quidem Stoico, dignam, hilari vultu, forti, conſtantique animo toleratam. Jure igitur Divus Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis ejus vitam, & mortem, æque miram utramque attendens, ait: *Lucius Annæus Seneca Cordubenſis, Sotionis Stoici diſcipulus, & patruus Lucani poëtæ, continentiſſimæ vitæ fuit: quem non ponerem in Catalogo Sanctorum, niſi me illæ Epiſtolæ provocarent, quæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum: in quibus, cum eſſet Neronis magiſter, & illius temporis potentiſſimus, optare ſe dicit, Ejus eſſe loci apud ſuos, cujus ſit Paulus apud Chriſtianos. Hic ante biennium, quam Petrus, & Paulus coronarentur martyrio, à Nerone interfectus eſt.* Verum epiſtolas, quæ nunc horum autorum nomine circumferuntur, utroque autore indignas Critici fatentur omnes. Et Lipſius addit, eas à ſemidocto aliquo compoſitas. Fuiſſe tamen inter eos amicitiam, & forſan literarum uſum, ſed aliarum ab iis, quæ nunc habentur, plures cum Hieronymo loco citato, Auguſtino Epiſt. 53. ad Maced. & 6. de Civ. Dei 10. & his antiquiore Lino Pontifice de Paſſione Divi Pauli, contendunt. Unde Joh. Sariſberienſis lib. 8. Policrat. cap. 13. ait: *Deſipere videntur, qui non venerantur eum, quem Apoſtolicam familiaritatem habuiſſe conſtat.* Vulgatas tamen has literas, earumque fidem, præter alios, tuentur Salmeron Comment. in Philip. cap. 4. & Binius tom. 7. Bibl. Patrum. Sed Eraſmus ſcholiis in Hieronym. loc. cit. ait: *Nihil in illis eſſe neque Paulo dignum, neque Seneca.*

Scripſit plurima magnus hic Philoſophus, ingenio excellenti, & amœno, co-

Digitized by Google

copia, doctrinaque inſigni, admiratione magis, quam laude proſequendus. Eorum, quæ extant, vel cunctis nota, brevem catalogum ſubtexere ſufficiat. Sunt igitur *De Ira libri tres ad Novatum Fratrem*. *De Conſolatione ad Helviam Matrem lib.* 1. (in exſilio ſcriptus) *De Conſolatione ad Polybium lib.* 1. (etiam in exſilio, ut ſupra dictum) *De Conſolatione ad Marciam lib.* 1. *De Providentia lib.* 1. *ad Lucilium* (in exſilio, vel ſtatim à reditu) *De Tranquillitate animi lib.* 1. *ad Serenum* (poſt reditum ab exſilio) *De Conſtantia Sapientis, ſive quod in ſapientem non cadit injuria*; *ad Serenum*. *De Clementia lib.* 2. *ad Neronem Cæſarem* (annum 19. ætatis agentem) *De Brevitate Vitæ lib.* 1. *ad Paullinum* (quem Paullinæ uxoris ſuæ fratrem arbitratur Lipſius) *De Vita Beata lib.* 1. *ad Gallionem fratrem* (ſcripſit jam ſenex) *De Ocio*, *aut Seceſſu Sapientis* (libri pars, vel Epiſtola, atque etiam manca cenſetur) *De Beneficiis lib.* 7. *ad Ebucium Liberalem* (ſub Nerone poſt mortem Claudii) *Epiſtolæ* 124. *ad Lucilium* (Senex ſcripſit) *Naturalium Quæſtionum lib.* 7. *ad Lucilium* (ſcripſit valde ſenex) *Claudii Cæſaris* Ἀποκολοκύντωσις: qua Satyra Claudium carpit, quod cum vivens inſulſa cucurbita fuerit, poſt mortem in Deum mutari ambiverit. Quæ vox Ἀποκολοκύντωσις latine verti poſſet *Cucurbitæ Transfiguratio*. Verum *de Tragœdiis*, quæ Senecæ adſcribuntur, en Voſſii cenſuram in Hiſt. de Poëtis Latinis: *In Poëtis Senecæ locum dedimus, non quaſi omnium eum Tragœdiarum parentem putemus, quas tribui vulgo videmus: ſed quia non dubium, quin in illis quædam ſint genuini ejus fructus*. Poëtam ipſum fuiſſe, ac verſus tum in exſilio, tum in Aula feciſſe, conſtat ex multis, præcipue ex Tacit. 14. Annal.

Senecæ opera, quæ interciderunt, extantibus licet plura, hæc tamen ab auctoribus relata eruit Lipſius: *Verſus*, *& Poëmata*. *Orationes*. *De Terræmotu liber*; quem juvenem ſe ſcripſiſſe teſtatur 6. Nat. Quæſt. c. 4 quem poſtea in iiſdem Quæſtionibus retractavit. *De Matrimonio*; quod opus citat Hieronym. lib. 1. adv. Jovinianum. *Hiſtoria*, ſive *Compendium*; ex Lactant. 7. cap. 15. *De Superſtitione*; laudat, & excerpit quædam Aug. 6. de Civ. Meminit & Tertul. in Apologet. *Moralium libri*: citat Lactant. l. 2. c. 2. atque alibi, & ipſe Seneca Ep. 106. & 109. *Exhortationum libri*; atque alia, quorum fragmenta apud autores memorantur.

Tandem laudes in ipſum ab optimis autoribus affatim congeſtas, & de iis, quæ ſcripſit, judicium, vide apud cit. Lipſium in Vita, in Manuductione, & Phyſiologia Stoicæ Philoſophiæ; Tacit. in Annal. à lib. 11. uſque ad 15. Dionem lib. ultimo; Suetonium, & Xiphilinum in Nerone; Plutarchum in Othone; Thomam-Pope Blount &c. Quare pauca hic notaſſe ſufficiat. Scaligerana 1. *Seneca Moralis Philoſophiæ primas tenet*. *Digniſſimus, qui ſemel, atque iterum legatur, & fideli memoriæ commendetur*. Franciſcus Petrarcha Epiſt. contra Gallum: *Et cum Tullio Senecam pono, de quo Plutarchus magnus vir, & Græcus, ultro fatetur, nullum in Græcia fuiſſe, qui ſibi in Moralibus poſſit comparari*. Eraſm. hæc de Seneca acutiſſime ſcripſit: *Si Chriſtianus, ſcripſit Paganice; ſi Paganus; Chriſtiane*. Hornius lib. 4. Hiſt. Philoſophiæ cap. 6. *Fuit Seneca vir excitati, & audacis ingenii, morum, vitiorumque publicorum & deſcriptor veriſſimus, & inſectator acerrimus*. Dio lib. 59. *Annæus Seneca, qui omnes ſui ævi Romanos, multos vero & alios ſapientia anteivit*. Et Quintil. de Seneca ait: *Foret optandum, pares, aut ſaltem proximos illi viro fieri*. Notandum denique, tres ex veteribus Senecam ex profeſſo culpaſſe, Caligulam, Quintilianum, & Agellium.

EPICTETUS

P*Hiloſophus Stoicus, ex Hierapoli Phrygiæ urbe, Romæ Epaphrodito cuidam Neronis familiari ſervivit, atque ad Marci uſque Antonini tempora pervenit. Domitiano autem imperante, ejus dominatu offenſus Româ Hierapolin migravit, ratus, verum eſſe quod eſt Tragicum, Patriam eſſe cujuſque ubi quis recte ageret. Tanta vero apud omnes homines ejus vitæ admiratio extitit, ut Lucianus Syrus lucernam ejus fictilem tribus drachmarum millibus, ob ejus autoritatem, veniiſſe tradat.* Ex Hofmanno. Verùm Româ non ſponte migravit, ſed Senatuſconſulto extorris fuit; ut cum aliis notat Agellius l. 15. c. 11. *Neque illis ſolum temporibus nimis rudibus, nec dum Græca doctrina expolitis, Philoſophi ex urbe Roma pulſi ſunt: verum etiam Domitiano imperante Senatuſconſulto ejecti, atque Urbe, & Italia interdicti ſunt. Qua tempeſtate Epictetus quoque Philoſophus propter id Senatuſconſultum Nicopolin Româ deceſſit.* Et l. 2. c. 18. ubi Philoſophos, qui compluſculi ſervitutem ſervierunt, enumerat, de Epicteto hæc habet; *De Epicteto autem Philoſopho nobili, quod is quoque ſervus fuit, recentior eſt memoria, quam ut ſcribi quaſi obliteratum debuerit. Ejus Epicteti etiam de ſe ſcripti duo verſus feruntur &c.* Verſus autem hi ſunt.

Δοῦλος Ε'πίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς,
Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.
Servus Epictetus factus ſum, corpore mancus,
Fortunâ Irus inops; Dis ſed amicus ero.

Et quidem claudum ipſum fecerat ſuus Dominus Epaphroditus, Vigilum Præfectus, qui crus ei ingenti ictu fregerat. Ajunt tamen, Epictetum Domino, primum ictum infligenti, dixiſſe: *Cave, ne crus diſrumpas.* Secundum vero majorem ictum, quo crus tandem ei diſruptum, patienter accipiens, ait: *Nonne dixi, à te crus mihi fractum iri?* Arrianus Hiſtoricus ejus diſcipulus Præceptoris collegit ſcripta, & in quatuor *Diſſertationum libros digeſſit; & Enchiridion*, ſive *Manuale* compoſuit; quod opus ſane egregium eſt, & Stoicæ Moralis Philoſophiæ velut anima, ut ait Lipſius. Styli genus ei conciſum, & fractum, ſed acrimonia, & ardore plenum. Abraham Berkel. in Ep. Dedic. quæ Epicteti Enchir. præmittitur: *Unum hoc Enchiridion plus hominum moribus formandis valet, quàm univerſa Ariſtotelis Ethica, imo & omnium poſt illum Philoſophorum, qui Moralem Philoſophiam magna verborum pompa ſcriptis mandarunt.*

Hinc jure optimo Divus Auguſtinus Epictetum magni æſtimabat; & Divus Carolus ſemper ejus opera præ manibus habebat; quæ non Stoici; ſed vere Chriſtiani ſcripta videntur. Omnem autem Moralem Philoſophiam his duobus verbis contineri dicebat, Ἀνέχου, καὶ Ἀπέχου, hoc eſt, *Suſtine*, & *Abſtine*. Hominibus nequam, & impuris, Philoſophiam ſtudioſe tractantibus dicere ſolebat, Philoſophos eſſe hujuſcemodi ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν, hoc eſt *factis procul*, *verborum tenus*, ut ait Agell. lib. 17 cap. 19. quod totum de Epicteto habet; ubi in fine hæc addit: *Præterea idem ille Epictetus, quod ex eodem Favorino audivimus, ſolitus dicere eſt, duo eſſe vitia, multo omnium graviſſima, & teterrima Intolerantiam, & Incontinentiam*; quum aut injurias, quæ ſunt ferendæ, non toleramus, neque ferimus: aut à quibus rebus, voluptatibuſque nos tenere debemus, non tenemus. Itaque, inquit, ſi quis hæc duo verba cordi habeat, eaque ſibi imperando, aut obſervando curet; is erit pleraque impeccabilis, vitamque vivet tranquilliſſimam. Verba

duo

duo hæc dicebat; Ἀνέχου, καὶ Ἀπέχου, *Suſtine*, & *Abſtine*. De Epicteto celebriorum autorum, præter dicta, hoc eſt judicium. Lipſ. Manuduct. ad Stoic. Philoſ. l. 1. Diſſert. 19. *De Seneca habes: clarum aliud Sidus ſe oſtendit, Epictetus, ævo, non merito, poſterior; & ſcriptorum pondere, ſi non numero, comparandus, vitâ præponendus. Ille vir totus à ſe, & à Deo, nihil à fortuna fuit. Origine vilis, & inter ſervos; corpore claudus, ac debilis, mente nobiliſſimus, & inter omnis ævi lumina refulſit. Vitâ emendatiſſimâ fuit, & plane adſcitum, quod in ore habebat*, Ἀνέχου, καὶ Ἀπέχου, *Contine*, & *Abſtine. Item hoſtis fucorum, qui Philoſophos habitu, & verbis præferrent, vitâ degenerarent; quos ille appellare ſolitus Philoſophos ſine factis, verborum tenus*. Mornæus de Verit. Relig. Chriſtian. c. 3. *Epicteti ſingulæ voces Proclo, Simplicio, Luciano ipſi oraculorum inſtar ſunt*. Remus ad Themiſt. *Gravis hercle rerum magis pondere, quam mole magnus liber, & exoſculandus, diurna, nocturnaque manu verſandus*. Vide, præter citatos autores, etiam Lucianum, Simplicium in Vita &c. Notandum denique, Epictetum, mortuo Domitiano, Romam rediiſſe, ibique ad Antonini imperium vixiſſe: qui Diis gratias agebat, quod Epicteti ſcripta accepiſſet. Adriano Imperatori carus fuit, ut notat Ælius Spartianus in Adriano, his verbis: *In ſumma familiaritate Epictetum, & Heliodorum Philoſophos habuit*.

ARRIANUS.

PHiloſophus, & Hiſtoricus inſignis, patria Nicomedienſis, ex Bythinia, ſecta Stoicus, nam Epicteti diſcipulus fuit, cujus Ethicam in quatuor Diſſertationum libros digeſſit, ſuumque confecit Enchiridion, ut modo dictum, in Epicteto. Romæ Adriani, Antonini Pii, & Marci Antonini Imperatorum temporibus vixit; ac poſtquam alios in Rep. Magiſtratus geſſit; ad Supremam Conſulatus dignitatem evectus eſt. Eximii Philoſophi, excellentis Hiſtorici, ac Ducis etiam Militaris fortiſſimi laudem apud omnes promeruit: quam ejus opera, tum quæ exſtant, tum quæ interciderunt, elegantia, ac dulcedine ſermonis commendata, ipſi congeſſerunt. Sunt qui Arrianum Jureconſultum etiam faciunt doctiſſimum. Hoc tamen ut falſum pluribus evincunt optimi Critici. Arrianus enim Juriſconſultus alius ab hoc fuit. Traditur etiam Cereris, & Proſerpinæ Sacerdos fuiſſe. Opera, quæ ad nos non pervenerunt, ex Photio, & aliis, qui ea ſæpe citant, collecta numerantur in Act. Erudit. an. 1684. p. 122. *Parthicorum libri* 17. in quibus bella à Parthis, & Romanis, ductu, & auſpiciis Trajani Imperatoris geſta deſcripſit. *Bithynicorum*, in quibus patriæ ſuæ Hiſtoriam pertexit. Quam Hiſtoriam à temporibus uſque, fabuloſis inceptam, ad Regem Nicomedem perduxit; qui Romanos imperii hæredes inſtituiſſe fertur. *Alanicorum Commentarii. Vita Tillibori Latronis. De rebus Dionyſii, Syracuſarum Tyranni. De Timoleontis Corinthii in Sicilia geſtis liber. De rebus poſt Alexandrum geſtis libri decem*. Opera vero, quæ exſtant, numerantur à Voſſio l. 2. de Hiſt. Græc. ubi hæc habet: *Arriani nihil hodie habemus præter libros quatuor de Diſſertationibus Epicteti. Item Periplum, ſive luſtrationem tum Ponti Euxini, tum Ponti Erythræi, quod ſcripſit exemplo Xenophontis, cujus totidem habemus libros de Expeditione Cyri. In his maxime ſecutum ſe ait Ptolemæum Lagi, & Ariſtobulum, Ariſtobuli filium, quorum uterque ſub Alexandro militarat. Superſunt quoque Indica Arriani. At ratio plane fugit doctiſſimum Guil. Stuckium, cum opus hoc ait temporum injuriis intercidiſſe. Nam Indica nihil aliud ſunt, quam qui vulgo creditur liber octavus de Expeditione Alexandri. Quem ſeorſim à prioribus ſeptem*

ſcriptum eſſe, cum ex Photio conſtat, tum ex fine libri ſeptimi de Alexandro: ac vel maxime ex Indicorum, ſive, ut vulgo vocant, libri octavi fine. A Suida *Juvenis Xenophon* dictus fuit.

Autorum de Arriano præclara teſtimonia hæc potiora notanda duxi. Photius de 10. Arriani libris de Rebus poſt Alexandrum geſtis: *eſt ſane ſcriptor hic nemini eorum, qui hiſtoriam contexuerunt, poſtponendus: nam & narrationum brevitate præſtat, & importunis digreſſionibus, aut crebra parentheſi continentem hiſtoriæ tenorem minime lædit. Decori inſuper obſervans, nova orationis compoſitione magis, quam vocabulis uſque eo eſt, ut plane alio nullo modo, neque clarior, neque dilucidior fieri narratio poſſit.* Cæl. Rhodig. l.1. Lect. Antiqu. c. 22. *Arrianus in Græcos Hiſtoricos tantæ eſt in ſcribendo integritatis, ut* φιλαλήθης, *ideſt, Veritatis conſectator, ſtudioſuſque ſit vulgo cognominatus, atque ita etiamnum honeſtatur in libris*. Bodin. in Method. Hiſtor. c. 4. p. 60. *Arrianus tanto ſe reliquis Hiſtoricis, qui vitam Alexandri Magni ſcripſerant, ſuperiorem putat, quanto reliquis Imperatoribus Alexander fuit. Certe Arrianus ſummo vir ingenio, ſummaque doctrina præditus, ut planum ſit ex ejus Commentariis in Epictetum &c.* Lipſ. Epiſt. Cent. 1. Miſcell. Epiſt. 33. *Scio, non alios e priſcis magis conſentire cum Chriſtiana pietate, quam eos, qui e Stoica domo. In quo numero etiam Arrianus eſt, qui digeſſit Græcè Diſſertationes Epicteti, mihi valde probatas*. Nicol. Blancard. in Dedicat. præfixa Arriano: *Huic auctori adſunt divina ſermonis lumina, puritas, perſpicuitas, & cum ornatu decorum: omnia feliciter, ac veluti ſine cura, & arte, licet plurimum artis emineat, repræſentata. Nam & proprietatis Græcæ linguæ retinens eſt &c.* Lucianus in Pſeudomante: *Arrianus Epicteti diſcipulus, vir inter Romanos imprimis laudatus, ac per omnem vitam in literarum ſtudiis verſatus &c.* Vide ejus vitam à Dione Caſſio, qui cognomento Coccejus, conſcriptam.

ANNÆUS CORNUTUS LEPTITES

PHiloſophus fuit genere Africanus, ſecta Stoicus; qui ſub Claudio, & Nerone Romæ vixit; à quorum ultimo nece affectus eſt. De ipſo ſic Suidas verbo Κορνοῦτος: *Hic Cornutus Leptites Philoſophus fuit. Leptis autem Lybiæ civitas eſt. Floruit Romæ ſub Nerone, & ante ipſum; interfectus vero cum Muſonio. Scripſit autem multa Philoſophica, & Rhetorica*. Præceptor dicitur Perſii Poëtæ, & Lucani item Poëtæ. Ejus laudes prolixe deſcribit idem Perſius Sat. 3. Grammaticus enim, & Poëta fertur extitiſſe; quem ſæpe etiam Gellius, Euſebius, Suidas, & Macrobius, ac vitæ Perſii autor memorant; Macrobius eum magnum virum, & Græcarum literarum doctiſſimum appellat. Fuit & alter *Cornutus*, quem refert Macrobius in Virgilium Commentaria ſcripſiſſe. Hunc Cornutum Annæum vocat l.2. c.6. Gellius & Grammaticis adnumerat; & l.9. c. 10. eum virum doctum, & prudentem vocat. Diverſus tamen hic eſt à *Cornuto Hiſtorico*, qui T. Livii contemporaneus vixit, & æmulus. Cicero etiam memorat *Cornutum* quendam Prætorem. Sunt qui Cornutum Hiſtoricum Cornuti, Perſii præceptoris, patrem faciunt. Vide Voſſ. l.1. de Hiſt. Lat. c.26. Euſeb. in Chron. &c.

RUBELLIUS PLAUTUS

PHiloſophus fuit ſecta Stoicus, L. Veteris gener: cujus laudes Tacit. Annal. 14. 22. ita expreſſit: *Igitur quaſi jam depulſo Nerone, quiſnam de-*

lige-

ligeretur, inquirebant: & omnium ore Rubellius Plautus celebrabatur, cui nobilitas per matrem ex Julia familia. Ipſe placita majorum colebat, habitu ſevero, caſta, ſecretaque domo, quantoque metu occultior, tanto plus famæ adeptus. Auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. Nam quia diſcumbentis Neronis apud Simbruina ſtagna, cui Sublaqueum nomen eſt, ictæ dapes, menſaque disjecta erat, idque finibus Tiburtum acciderat, unde paterna Plauto origo; hunc illum numine deum deſtinari credebant, fovebantque multi, quibus nova, & ancipitia præcolere avida, & plerumque fallax ambitio eſt. Ergo permotus iis Nero componit ad Plautum literas, conſuleret quieti Urbis, ſeque prave diffamantibus ſubtraheret. Eſſe illi per Aſiam avitos agros, in quibus tuta, & inturbida juventa frueretur. Itaque illuc cum conjuge Antiſtia, & paucis familiarium conceſſit. Et ibid 57. *Plautus magnis opibus, ne fingere quidem cupidinem otii, ſed veterum Romanorum imitamenta præferre: aſſumta etiam Stoicorum arrogantia, ſectaque, quæ turbidos, & negociorum appetentes faciat.* Et ſequentibus articulis Plauti necem, factam a Centurione cum Pelagone ſpadone, quem ſatellitum manipulo Nero præfecerat, narrat, inquiens: *Plauto parari necem, non perinde occultum fuit &c.* Vide eundem Annal. 16. 10. Interfectus autem Plautus dicitur à Cozzando octavo Neronis anno.

P. EGNATIVS

ET ipſe Philoſophus Stoicus fuit, vixitque Neronis tempore. Verum ob vitæ pravitatem honeſtorum hominum deſpicationem incurrit. Hinc Tacit. Annal. 16. 32. loquens de Sorani accuſatoribus, ſic ipſum amici proditorem carpit: *Mox datus teſtibus locus: & quantum miſericordiæ ſævitia accuſationis permoverat, tantum iræ P. Egnatius teſtis concivit. Cliens hic Sorani, & tunc emtus ad opprimendum amicum, autoritatem Stoicæ ſectæ præferebat, habitu & ore ad exprimendam imaginem honeſti exercitus, cæterum animo perfidioſus, ac ſubdolus, avaritiam, & libidinem occultans. Quæ poſtquam pecunia recluſa ſunt, dedit exemplum præcavendi, quomodo fraudibus involutos, aut flagitiis commaculatos, ſic ſpecie bonarum artium falſos, & amicitiæ fallaces.*

C. MUSONIUS RUFUS

EQueſtris ordinis, ortu τυῤῥηνὸς, πόλεως Βουλσινίου, ut ait Suidas; hoc eſt Thuſci generis, ut ait Tacit. Annal. l. 14. 59. ſec. 1. & 2. ſub Nerone vixit, Philoſophus ſecta Stoicus inſignis, qui ſapientis cognomen ſæpe obtinuit. Cozzandus de Magiſt. Antiqu. Philoſ. l. 3. c. 4. ex Phot. Biblioth. c. 243. ait, Himecium hunc laudaſſe in Orat. funebri filii ſui Rufini, ubi ipſum Nicagora graviorem, Minuciano vehementiorem, Sexto fortiorem, Plutarcho diſertiorem, Muſonio ſapientiorem, futurum affirmat ſe ſperaſſe. Verum Morery Lex. Magn. Hiſtor. ſup. contendit, Himecium non de noſtro Muſonio locutum fuiſſe, ſed de Muſonio, Proëreſii diſcipulo, & Rhetoricam Athenis primum profeſſo, deinde Aſiæ Vicario, ſive Locumtenente electo, ad quem extat Libanii epiſtola 453. qui Muſonius ſec. 4. ſub Valentis imperio floruit, atque Achajæ etiam Præfectus fuit.

Hagna quidem, fateor, confuſio eſt inter autores de Muſonio ſcribentes. Morery enim in Lex. Magn. Hiſtor. Muſonios duos agnoſcere videtur dum ait: *Muſonius eques Romanus, & Philoſophus ſecta Stoicus, quem Nero urbe*

extor-

extorrem fecit. Deinde articulo ſequenti ſubdit: *Muſonius Philoſophus inſignis 1. & 2. ſec. familiaris fuit Apollonii Tyanei, quorum reciprocæ alterius ad alterum extant literæ.* Atque pro utroque eosdem citat autores Plinium, Philoſtratum, Suidam, & Tacitum. In ſupplemento tamen primò Muſonium refert Rhetorices profeſſorem, Aſiæ Vicarium, quem eundem cum Proconſule Achajæ facit, ut modo dictum: deinde Muſonium memorat Philoſophum Stoicum ex ordine Equeſtri in Hetruria natum, à Nerone ad Gyaron inſulam exſilio damnatum ob nimiam flagitioſum Principem arguendi libertatem; & ab eodem exſilio à Veſpaſiano, ut vult Morery in ſupplemento, ſive à Tito, Veſpaſiani filio, avocatum anno Chr. 83. ut Euſebius in Chron. teſtatur. His tertium addit Muſonium Philoſophum Chriſtianum, qui Romæ Juliani Imperatoris tempore vixit.

Suidas unum tantum memorat Muſonium, Stoicum egregium, Tuſci generis (nam Muſonium, quem ſub Joviano vixiſſe refert, nunquam Philoſophum fuiſſe ſcribit) ſub Nerone florentem, & ab eodem exſilio mulctatum, Apollonio Tyaneo, aliisque carum; cujus ad Apollonium, & Apollonii ad ipſum epiſtolas extare, & de Philoſophia ſcripſiſſe, affirmat.

Tacitus unius ſemper meminit in Annal. & in Hiſtor. quem Muſonium Rufum jugiter appellat. Expreſſius autem lib. 3. Hiſt. 81. his verbis. *Miſcuerat ſe legatis Muſonius Rufus Equeſtris ordinis, ſtudium Philoſophiæ, & placita Stoicorum æmulatus &c.*

Tandem Cozzandus l. c. iis, quæ modo adduximus, ſubdit: *Patria Babylonium in Anthropol. agnoſcit R. Volaterranus l. 17. nec dubium, quin à Philoſtrato hauſerit in vita Apollonii Tyanei l. 4. c. 12., qui ejus familiarem fuiſſe ait, ac literas ultro, citroque miſſas ejuſdem libri c. 15. habet. Cornelius Tacitus l. 14. Annal. Tuſci generis Muſonium fuiſſe ſcribit, ejuſque non ſemel meminit l. 14. & 15. Annal. libro 3. & 4. Hiſtor. Nero, quod Philoſophiam oderit, in carcerem trudit, ut Philoſtratus ſcribit l. c. cum Annæo Cornuto Leptite interfectum ſcriptum reliquit Suidas. At non morte Euſebius, ſed exſilio ſcribit ambos mulctatos. Et quidem à Tito Imper. Muſonium ab exſilio revocatum anno ſalutis 83. idem Euſebius notat. Muſonii dicta, & facta Aſinius Pollio Trallianus collegit .... Muſonii ſæpe meminit A. Gell. apud quem l. 16. c. 1. celebris ejus ſententia extat: Si per laborem honeſti quidpiam egeris, labor abit, honeſtum manet; ſi per voluptatem turpe feceris quidpiam, quod ſuave eſt, abit, quod turpe eſt, manet.* Hoc autem morale præceptum vere ἐνθυμημάτιον, hoc eſt, quod animo recolatur, multis ante annis à Catone Numantiæ ad equites dictum, idem Gellius memorat ibidem. Atqui alteram habet l. 9. c. 2. Muſonii ſententiam ab Herode Attico relatam de iis, qui falſo cultu, amictuque nomen, habitumque Philoſophi mentiuntur: *Muſonius æruſcanti cuipiam id genus, & Philoſophum ſe ſe oſtentanti, dari juſſit mille nummum. Et, quum plerique dicerent, nebulonem eſſe hominem, malum, & malicioſum, & nulla re bona dignum; tum Muſonium ſubridentem dixiſſe ajunt: Dignus ergo eſt argento. Sed hoc potius dolori mihi, & ægritudini eſt, quod iſtiuſmodi animalia ſpurca, atque probra, nomen uſurpant ſanctiſſimum, & Philoſophi appellantur &c.* Vide etiam de Muſonii ſententiis Agellium l. 5. c. 1.

M. ANTONINUS PHILOSOPHUS.

M*Arco Antonino in omni vita philoſophanti viro, & qui ſanctitate vitæ omnibus principibus antecellit, pater Annius Verus, qui in prætura de-*

deceſſit: avus Annius Verus item conſul, & præfectus urbi, adſcitus in patritios à principibus Veſpaſiano, & Tito cenſoribus: patruus Annius Libo conſul: amita Galeria Fauſtina Auguſta: mater Domitia Calvilla, Calviſii Tulli bis conſulis filia: proavus paternus Annius Verus prætorius ex Succubitano municipio ex Hiſpania factus ſenator: proavus maternus Catilius Severus, bis conſul, & præfectus urbi: avia paterna Rupilia Fauſtina, Rupilii Boni conſularis filia, fuere; Natus eſt Marcus Romæ ſexto Cal. Majas in monte Cœlio in hortis, avo ſuo iterum, & Augure Coſſ. Cujus familia in originem recurrens, à Numa probatur ſanguinem trahere, ut Marius Maximus docet. Item à Rege Salentino Malennio, Deſunni filio, qui Lupios condidit. Educatus eſt in eo loco, in quo natus eſt, & in domo avi ſui Veri juxta ædes Laterani. Habuit & ſororem natu minorem Anniam Cornificiam: uxorem Anniam Fauſtinam conſobrinam ſuam. M. Antonius principio avi ſui nomen habuit, & Catilii Severi materni proavi. Poſt exceſſum vero patris ab Adriano Annius Veriſſimus vocatus eſt: poſt virilem autem togam, Annius Verus, patre mortuo, ab avo paterno adoptatus eſt, & educatus. Fuit à prima ætate gravis. At ubi egreſſus eſt annos, qui nutricum foventur auxilio, magnis præceptoribus traditus ad Philoſophiæ ſcita pervenit. Uſus eſt magiſtris ad prima elementa Euphorione literatore, & Gemino comœdo, muſico Androne, eodemque geometra: quibus omnibus ut diſciplinarum autoribus plurimum detulit. Uſus præterea grammaticis, Græco, Alexandro: quotidianis Latinis, Troſio Apro, & Pollione, & Eutychio Proculo Siccenſi. Oratoribus uſus eſt, Græcis, Annio Marco, Caninio Celere, & Herode Attico: Latino Frontone Cornelio. Sed multum ex his Frontoni detulit, cui & ſtatuam in ſenatu petiit: Proculum vero uſque ad proconſulatum provexit, oneribus in ſe receptis. Philoſophiæ operam vehementer dedit, & quidem adhuc puer. Nam duodecimum annum ingreſſus, habitum Philoſophi aſſumſit: & deinceps tolerantiam, quum ſtuderet in pallio, & humi cubaret, vix autem matre agente, inſtrato pellibus lectulo accubaret. Uſus eſt etiam Commodo magiſtro, cujus ei affinitas fuerat deſtinata. Uſus eſt & Apollonio Chalcedonio Stoico Philoſopho. Tantum autem ſtudium in eo Philoſophiæ fuit, ut adſcitus jam in Imperatoriam dignitatem, tamen domum Apollonii diſcendi cauſſa veniret. Audivit & Sextum Chæronenſem, Plutarchi nepotem: Junium Ruſticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catulum, Stoicos. Peripateticæ vero ſtudioſos audivit Claudium Severum, & præcipue Junium Ruſticum; quem & reveritus eſt, & ſectatus: qui domi, militiæque pollebat, Stoicæ diſciplinæ peritiſſimum, cum quo omnia communicavit publica, privataque conſilia: cui etiam ante præfectos prætorio ſemper oſculum dedit: quem & conſulem iterum deſignavit, cui poſt obitum à ſenatu ſtatuas poſtulavit. Tantum autem honoris magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac ſepulcra eorum aditu, hoſtiis, floribus ſemper honoraret. Studuit & juri &c. Hæc ex Julio Capitolino, ejus vitæ ſcriptore, omnium accuratiſſimo, tranſcribere placuit, in quo reliqua ad ejus præclaram philoſophicam, & omni virtute decoratam vitam ſpectantia, videre eſt.

Addam ex eodem Capitolino quæ potiora viſa ſunt. *Quum frugi eſſet ſine contumacia, verecundus ſine ignavia, ſine triſtitia gravis. His ita ſe habentibus, quum poſt obitum L. Cæſaris Adrianus ſucceſſorem imperii quæreret, nec idoneus, utpote decem & octo annos agens, Marcus haberetur, amitæ Marci virum Antoninum Pium Adrianus ea lege in adoptionem legit, ut ſibi Marcum Pius adoptaret: ita tamen, ut & Marcus ſibi Lucium Commodum adoptaret. Sane ea die, qua adoptatus eſt Verus, in ſomnis humeros eburneos habere vidit: ſciſcitatuſque an apti eſſent oneri ferundo, ſolito reperit fortiores. Ubi autem comperit,*

rit, ſe ab Adriano adoptatum, magis eſt deterritus, quam lætatus: juſſuſque in Adriani privatam domum migrare, invitus de maternis hortis receſſit. Quumque ab eo domeſtici quærerent, cur triſtis in adoptionem regiam tranſiret, diſputavit quæ mala in ſe contineret imperium. Tunc primum pro Annio Aurelius cœpit vocari, quod in Aureliam, hoc eſt, Antonini, adoptionis jure tranſiſſet &c. Poſt exceſſum divi Pii à Senatu coactus regimen publicum capere, fratrem ſibi participem in imperio deſignavit, quem Lucium Aurelium Verum Commodum appellavit, Cæſaremque, atque Auguſtum dixit, atque ex eo pariter cœperunt Remp. regere. Tuncque primùm Romanum imperium duos Auguſtos habere cœpit . . . . . Dabat ſe totum Marcus & Philoſophiæ, amorem civium affectans. Sed interpellavit iſtam felicitatem, ſecuritatemque Imperatoris prima Tiberis inundatio, quæ ſub illis graviſſima fuit: quæ res & multa Urbis ædificia vexavit, & plurimum animalium interemit, & famem graviſſimam peperit. Quæ omnia mala Marcus, & Verus ſua cura, & præſentia temperarunt . . . . Erat autem ipſe tantæ tranquillitatis, ut vultum nunquam mutaverit mœrore, vel gaudio, Philoſophiæ deditus Stoicæ, quam & per optimos quoſque magiſtros acceperat, & undique ipſe collegerat.

Ad cæteras ejus virtutes accedunt ſequentes. Pater Patriæ appellatus à Senatu, hunc honorem ad Veri fratris ſui adventum diſtulit. Hinc ubi Verus e Syria victor rediit, Patris Patriæ nomen ambobus decretum eſt. Contra vero Lucius Verus petiit, ut ſecum Marcus triumpharet, & Marci filii Cæſares appellarentur. Multas leges condidit: Senatus autoritatem reddidit ampliorem, nec quemquam in eum ordinem legit, niſi quem ipſe bene ſciſſet. Hoc quoque Senatoribus detulit, ut quoties de eorum capite eſſet judicium, ſecreto pertractaret. Semper autem, cum potuit, Senatui, Comitiis etiam uſque ad noctem interfuit; neque unquam è Curia receſſit, niſi Conſul dixiſſet: *Nihil vos moramur, Patres conſcripti*. Judiciariæ rei ſingularem diligentiam adhibuit: nam & Faſtis dies judiciarios addidit. Cavit ſumtibus publicis: ac falſos delatores notâ ſignavit: delationes vero, quibus fiſcus augeretur, contemſit. Frumentariæ etiam rei optime conſuluit; atque Italicis civitatibus famis tempore frumentum ex Urbe donavit. Vias Urbis, & itinerum diligenter curavit. Eos, qui ultra vectigalia quicquam acciperent, à præfecto Urbis, vel curatoribus viarum puniendos ſancivit. Addam quod habet Xiphilinus ex Dione, quo inſignis Marci de publicis ſtudiis cura probatur: *Marcus poſtquam Athenas venit, initiatuſque fuit, magnos honores tribuit Athenienſibus, quorum in urbe doctores omnis doctrinæ annua mercede conductos conſtituit ad omnium gentium utilitatem*. Imperator cum eſset, ac omnium dominus, omnia non ſua, ſed Senatus, ac populi eſse dicebat; quod ex eodem Xiphil. hic adnotandum: *Marcus pecuniam ex ærario petivit à Senatu, non quod ea non eſſet in principis poteſtate, ſed quod diceret, eam, cæteraque omnia eſſe Senatus, populique Romani. Non enim, inquit (id dicebat in Senatu) uſque adeo nihil habemus proprium, ut etiam veſtras ædes habitemus*. Et ut verbo rem abſolvam, per omnia moderatiſſimus, Sanctiſſimis legibus, diligentia, & vigilantia in regimine adhibitis, ac optimis ſuis moribus, fecit ex malis bonos, ex bonis optimos.

De bello Germanico, Parthico, Marcomannico, & Victovalorum feliciter acto, & ut Pannonias, Marcomannis, Sarmatis, Wandalis, & Quadis extinctis, ſervitio liberaverit; vide Marci vitæ ſcriptores, ac potiſſimum ſæpe citatum Jul. Capitolinum, ex quo exemplum eximiæ pietatis in populos, in Marcomannico bello oſtenſum, tranſcribam: *Quum autem ad hoc bellum omne ærarium exhauſiſſet ſuum, neque in animum induceret, ut extra ordinem provincialibus aliquid imperaret; in foro Divi Trajani auctionem ornamentorum im-*

peria-

perialium fecit, vendiditque aurea pocula, & cryſtallina, & myrrhina, vaſa etiam regia, & veſtem uxoriam ſericam, & auratam, gemmaſque etiam, quas multas in repoſtorio ſanctiore Adriani repererat: & per duos quidem menſes hæc venditio celebrata eſt; tantumque auri redactum, ut reliquias belli Marcomannici ex ſententia perſecutus, poſtea dederit poteſtatem emtoribus, ut ſi quis vellet emta reddere, atque aurum recipere, ſciret licere. Nec moleſtus ulli fuit, qui vel non reddidit emta, vel reddidit.

Erat famæ ſuæ curioſiſſimus, & requirens ad verum quid quiſque de ſe diceret, emendans quæ bene reprehenſa viderentur . . . Semper ſane cum optimatibus non ſolum bellicas res, ſed etiam civiles, priuſquam faceret aliquid, contulit. Denique ſententia illius præcipua ſemper hæc fuit: Æquius eſt, ut ego tot, & talium amicorum conſilium ſequar, quam ut tot, & tales amici meam unius voluntatem ſequantur. Sane quia durus videbatur ex Philoſophiæ inſtitutione Marcus ad militiæ labores, atque ad omnem vitam graviter carpebatur: ſed male loquentium dictis vel literis, vel ſermone reſpondebat . . . . Erat mos iſte Antonino, ut omnia crimina minore ſupplicio, quam legibus plecti ſolent, puniret: quamvis nonnunquam contra manifeſtos, & gravium criminum reos inexorabilis permaneret. Capitales cauſſas hominum honeſtorum ipſe cognovit, & quidem ſumma æquitate, itaut prætorem reprehenderet, qui cito reorum cauſſas audierat, juberetque illum iterum cognoſcere, dignitatis eorum intereſſe dicens, ut ab eo audirentur, qui pro populo judicaret . . . Omnibus orientalibus provinciis cariſſimus fuit: apud multas etiam Philoſophiæ veſtigia reliquit: Apud Ægyptios civem ſe egit, & Philoſophum. Cum autem Avidius Caſſius, pro Romana Rep. in oriente bellum gerens, à Marco imperante defeciſſet, ac ſe Imperatorem appellaſſet; Marcus non ſatis defectione Caſſii motus eſt, nec in ipſum ſæviit, ſed per Senatum hoſtis eſt judicatus, bonaque ejus proſcripta per ærarium publicum. Quare nec exultavit interfectione Caſſii, caputque ejus Romam delatum humari juſſit. Ipſum enim per clementiam occidi paſſus eſt, non juſſit: imo & doluit extinctum Caſſium, dicens, voluiſſe ſe ſine Senatorio Sanguine imperium tranſigere. Talis denique hujus magni Principis, & Philoſophi vita fuit, ut veterem illam Platonis ſententiam, quam ſemper in ore habebat, veram oſtenderet: *Florere Civitates, ſi aut Philoſophi imperarent, aut Imperatores philoſopharentur.* Petiit à Senatu, ut Fauſtinæ uxori ſuæ, quam in radicibus montis Tauri in vico Halalæ ſubito morbo exanimatam amiſerat, honores, ædeſque decernerentur; eamque laudavit, ejus impudicitiam vel neſciens, vel diſſimulans: ac vicum, in quo obierat, coloniam fecit, & ædem illi extruxit; novaſque puellas, Fauſtinianas appellatas, in ejus honorem inſtituit: atque gaviſus eſt, ipſam à Senatu Divam Fauſtinam appellatam fuiſſe.

Tandem de ejus morte hæc ex Capitolino addenda: *Quum ægrotare cœpiſſet, filium advocavit, atque ab eo primum petiit, ut belli reliquias non contemneret, ne videretur Remp. prodere . . . . . . Deinde abſtinuit cibo, potuque, mori cupiens, auxitque morbum. Sexta die, vocatis amicis, & ridens res humanas, mortem autem contemnens, dixit ad amicos: Quid me fletis, & non magis de peſtilentia, & communi morte cogitatis? Et quum illi vellent recedere, ingemiſcens ait: Si jam me dimittitis, vale vobis dico, vos præcedens. Et quum ab eo quæreretur, cui filium commendaret, ille reſpondit: Vobis, ſi dignus fuerit, & Diis immortalibus. Exercitus, cognita mala valetudine, vehementiſſime dolebant, quia illum unice amabant. Septima die gravatus eſt, & ſolum filium admiſit, quem ſtatim dimiſit, ne in eum morbus tranſiret. Dimiſſo filio, caput operuit quaſi volens dormire: Sed nocte animam effla-*

efflavit. Fertur, illum mori voluiſſe, quum filium talem videret futurum, qualis extitit poſt ejus mortem, ne, ut ipſe dicebat, ſimilis Neroni, Caligulæ, & Domitiano eſſet. Hunc autem Commodum Antoninum ejus filium, & Succeſſorem, & quem duobus annis ante mortem conſortem regni fecit, non de eo natum ferunt, ſed de adulterio unde & fabellam de hac re commenti ſunt, quam vide apud cit. Capitolinum.

De ingenti poſt mortem Marci luctu, ac ſummis honoribus ei à Senatu, populoque delatis, hæc habet cit. autor. *Quum igitur in amore omnium imperaſſet, atque ab aliis modo frater, modo pater, modo filius, ut cujuſque ætas ſinebat, & diceretur, & amaretur, decimo octavo anno imperii ſui, ſexageſimo, & primo vitæ diem ultimum clauſit. Tantuſque illius amor eo die regii funeris claruit, ut nemo illum plangendum cenſuerit, certis omnibus, quod à diis commodatus, ad deos rediiſſet. Denique priuſquam funus conderetur, ut plerique dicunt (quod nunquam antea factum fuerat, neque poſtea) Senatus, populuſque non diviſis locis, ſed in una ſede propitium Deum dixit. Hic ſane vir tantus, & talis, ac diis vita, & morte conjunctus, filium Commodum dereliquit: qui ſi felix fuiſſet, filium non reliquiſſet. Et parum ſane fuit, quod illi honores divinos omnis ætas, omnis ſexus, omnis conditio & dignitas dedit, niſi quod etiam ſacrilegus judicatus eſt, qui ejus imaginem in ſua domo non habuit, qui per fortunam vel potuit habere, vel debuit. Denique hodieque in multis domibus M. Antonini ſtatuæ conſiſtunt inter Deos penates: nec defuerunt homines, qui ſomniis eum multa prædixiſſe futura, & vera concinuerunt. Unde etiam templum ei conſtitutum, dati Sacerdotes Antoniniani, & ſodales, & flamines, & omnia, quæ de ſacratis decrevit antiquitas.*

Itaque mortuus eſt Marcus, omnium hominum, qui unquam principatum tenuerunt, optimus: verum mortis tempus & modus, vitæ, & regni duratio, variant apud ejus vitæ ſcriptores. Capitolinus, ut diximus, eum vixiſſe annos 61. imperaſſe 18. aſſerit, ac morbo extinctum. Morbo & in Pannonia periiſſe confirmat Euſeb. in Chron. regnaſſe autem annos 19. & menſem unum. Sed Joh. Xiphilinus ex Dione Nicæo in vita affirmat, eum vixiſſe annos 58. menſes decem, & dies 20. regnaſſe vero annos decem, & dies undecim: mortuum denique non morbo, ſed à Medicis peremtum. Ejus verba ſunt: *Sed is deceſſit e vita 17. Cal. April. non morbo, quo laborabat, ſed (ut ego certo accepi) peremtus à Medicis, qui Commodo gratificabantur.* Mortuus traditur ab Euſeb. in Chron. a. Chr. 182. ab Hank. vero 180.

Scripſit *de Vita ſua libros* 12. qui libelli revera omnis humanæ Sapientiæ ſunt apex, & ſumma, ut ait Caſp. Barth. Adverſar. l. 60. c. 8. Et Lil. Gyrald. de Poët. Dial. 5. p. 203. *Ejus certe librum Græce ſcriptum legi, cui titulus.* Μάρκου Ἀντωνίνου ἐκ τῶν καθ' ἑαυτὸν, *ex quo variam, & multiplicem illius ſapientiam facile colligere poſſumus: fuit hic unus inter Cæſares omnes æquiſſimus, ac optimus.* Notandum tamen hoc, quod habet Voſſ. de Hiſt. Græc. *Vita illa Marci Antonini, quæ ab Antonino Guevara Mendonenſi Epiſcopo, & Cæſari Carolo V. à conſiliis, Hiſpanice edita eſt, eaque e lingua in alias permultas translata fuit, nihil Antonini habet; ſed tota eſt ſuppoſititia, ac genuinus Guevaræ ipſius fœtus; qui turpiter os oblevit Lectori, plane contra officium hominis candidi, maxime Epiſcopi. Habet interim plurima lectu nec injucunda: imprimis vero Principi, unde & Horologium Principum inſcribitur.* Opus hoc erutum è Palatina Bibliotheca primus in lucem emiſit Conradus Geſnerus. Latine vertit Gulielmus Xylander: ejus poſtea translationem ad incudem revocavit vir clariſ-

ſimus

ſimus Mericus Caſaubonus, Iſaaci filius, eruditas præterea notas, & emendationes addidit. Poſtea vero recenſuit, ac perpetuo commentario illuſtravit Thomas Gatakerus, vir κριτικώτατος Cantabrig. anno 1652.

Præclari hujus Imperatoris, & Philoſophi teſtimonia plurima ſunt apud autores, quorum præcipua hic adducam: Suidas: *Quem facilius eſt tacite admirari, quam laudare, quod oratio nulla hujus viri virtutibus exæquari poſſit. Cum enim à prima ætate conſtantem, & quietam vitam ſibi ſequendam propoſuiſſet, neque propter metum, neque propter voluptatem, aut lætitiam vultu mutato unquam eſt conſpectus. Philoſophos autem ſtoicos laudat. Fuit autem illorum imitator non ſolum vitæ inſtituto, ſed etiam diſciplinarum ſtudio.* Iſaac Caſaub. ad Henr. 4. Franc. Reg. Epiſt. quam Polyb. præmiſit: *Omnium ſapientiſſimus, atque doctiſſimus M. Antoninus, quem propter aſſiduam operam ſtudiis navatam, vulgo Hiſtorici Philoſophum cognominant, in libris aureis de Vita ſua &c.* Caſp. Barth. Adverſar. l. 51. *Videtur autem ſummus omnis memoriæ Imperator omnia Hominis, Principis, & Philoſophi ſua officia, monita, rationes, his libris complexus, nec magnopere tamen ordini ſtuduiſſe, aut eloquentiæ.* Gul. Canter. Nov. Lect. l. 7. c. 1. *Imperator optimus, atque idem Philoſophus tantus, ut hoc meruerit proprium cognomen. Duodecim conſcripſit de Officio ſuo libros, maximæ pietatis, humanitatis, temperantiæ, eruditionis, aliarum rerum præclararum teſtes pleniſſimos, & cum quibus multorum operoſa præcepta collata merito ſordere poſſint.*

Illud tamen æterna memoria dignum non omittam, quod Euſeb. in Chron. ad an. Chr. 177. & Joh. Xiphilinus ex Dione Nicæo in Vita, notant, Marco in bello contra Germanos, & Sarmatas, accidiſſe. Marco cum exercitu adverſus Quados pugnante, exercitus à Quadis in locis opportunis interclusus eſt; quumque aquam habere nullo poſſent modo, ſolis calore, & ſiti jam jam periturus videbatur exercitus, qui nec pugnare, nec ſecedere ſatis erat. Sed, addit ex Dione Xiphilinus, *Nubes repente ita coactæ ſunt, ut maximus imber aquæ ceciderit, non ſine Dei beneficio.* Modus autem, quo portentum hoc ad Chriſtianorum preces accidit, talis ab eodem habetur: *Quum Marcus legionem unam haberet ex militibus Melitenes (hi omnes Chriſtum colunt) ad eum præfectus prætorianorum venit, neſcientem in illo prælio quid conſilii caperet, timentemque toti exercitui, eique fertur dixiſſe, nihil eſſe, quod ii, qui Chriſtiani nominantur, precibus impetrare non poſſint, eſſeque legionem unam in exercitu hominum hujus generis. Quare cognita, Marcum ab iis petiiſſe, ut Deo ſuo ſupplicarent. Quod quum feciſſent, Deum eos exaudiſſe ſubito, percuſſiſſeque hoſtes fulmine, ac Romanos pluvia recreaſſe. His rebus Marcum vehementer obſtupefactum, edicto Chriſtianos honore affeciſſe, ipſamque legionem* Κεραυνοβόλον *(hoc eſt Fulmina Jaculantem) appellaſſe, atque his de rebus Epiſtola Marci extare dicitur. Græci quidem ſciunt, eam legionem* Κεραυνοβόλον *appellari, ejuſque rei teſtes ſunt; cauſſam vero cur ita appellata ſit, non dicunt. Dion addit &c.* Idem confirmat Euſeb. in Chron. inquiens. *Exercitui, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, ſiti oppreſſo, pluvia divinitus miſſa eſt; cum e contrario Germanos, & Sarmatas fulmina perſequerentur, & plurimos eorum interficerent. Extant literæ M. Aurelii graviſſimi Imperatoris, quibus illam Germanicam ſitim, Chriſtianorum forte militum precationibus impetrato imbri diſcuſſam, conteſtantur.*

Baſilidem Scythopolitam, incertæ ſectæ Philoſophum, hic memorandum duxi, nam M. Antonini tempore Romæ vixit, cui familiaris, & cariſſimus fuit, ut Geſnerus, & Simlerus ajunt. L. Veri præceptor quibuſdam dicitur: ſed à Jul. Capitolino non memoratur. Veri etiam præceptorem facit Euſeb. in

Chron. ad an. Chr. 150. ubi: *Apollonius Stoicus, natione Chalcidicus, & Baſilides Syropolitanus* (legendum Scythopolitanus) *Philoſophi illuſtres habentur, qui Veri quoque Cæſaris præceptores fuerunt*. Sed in nullo vitæ Veri ſcriptore Baſilidis mentio invenitur.

FAVORINUS.

HUic patria Arelas, ſive Arelate, civitas Galliæ Narbonenſis, regum etiam olim ſedes: inde profectus Athenis primum docuit, poſtea Romæ Sec. 2. Adriani ſcil. Imperat. ævo, cui ſupra omnes carus fuit, ut ait Ælius Spartianus in Adriano Cæſare: *In ſumma familiaritate Epictetum, & Heliodorum Philoſophos . . . habuit; præ cæteris, ut multi aſſerunt, eminente Favorino*. Et ibid. Adriani morem omnibus profeſſoribus contradicendi, quod omnium doctiſſimus videri ambitione tenebatur, exprimens his verbis: *Et quamvis eſſet oratione, & verſu promtiſſimus, & in omnibus artibus peritiſſimus, tamen profeſſores omnium artium ſemper ut doctior riſit, contemſit, obtrivit. Cum his ipſis profeſſoribus, & Philoſophis, libris, vel carminibus invicem editis ſæpe certavit*. Adriani de quodam Favorini verbo prolato reprehenſionem, & Favorini ad amicos, qui eum de ſilentio in injuſta reprehenſione objurgabant, lepidum reſponſum referens, ſubdit: *Et Favorinus quidem, quum verbum ejus quoddam ab Adriano reprehenſum eſſet, atque ille ceſſiſſet, arguentibus amicis, quod male cederet Adriano de verbo, quod idonei autores uſurpaſſent, riſum jucundiſſimum movit. Ait enim: Non recte ſuadetis, familiares, qui non patimini, me illum Doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.*

Quidam aſſerunt, ipſum Hermaphroditum fuiſſe, ſed rectius alii eum Eunuchum faciunt. Hinc non immerito Favorinum hæc tria miratum aſſerunt, Quod Gallus quum eſſet, optime græce loqueretur: Quod eunuchus adulterii accuſaretur: & quod Imperator, cui in literariis rebus contrarius erat, ipſum in vivis adhuc detinuerit. Plura ſcripſit, præcipue *Omnigenas Hiſtoricas Sylvas*, à Laërtio, ac ſui ævi autoribus allegatas. Favorini præter Philoſtratum in lib. 1. Vit. Sophiſt. & Spartian. in Adriano, meminit ſæpiſſime Agellius, ut lib. 12. c. 1. ubi ejus diſſertationem narrat, qua nobili feminæ ſuaſit, ut liberos, quos peperiſſet, non nutricum adhibitarum, ſed ſuo ſibi lacte aleret, & lib. 14. c. 1. ubi adverſus eos, qui Chaldæi appellantur, magos, & divinatores, diſſerit; & c. 2. in quo ab Agellio ipſo de officio judicis conſultus loquitur: & lib. 16. c. 3. in quo eum fandi dulciſſimum etiam appellat: & lib. 4. c. 1. ubi cum Grammatico quodam jactantiore ſermonem habet. Potiſſimum vero lib. 2. c. 26. ubi Favorini, ac M. Frontonis de generibus colorum, eorumque vocabulis philoſophicos ſermones narrat, & alibi frequentiſſime, & ſemper laudabiliter.

PERIPATETICI.

MARCUS PISO

NObilis Romanus, Ciceronis & ipſe familiaris, qui l. 1 de Nat. Deor. Peripateticorum eo tempore primus & creditus, & habitus, Ariſtotelis partes contra aliarum Sectarum patronos tuendas ſuſcepit.

XE-

Digitized by Google

XENARCHUS

Natus eſt Seleuciæ, quæ Ciliciæ in Minori Aſia Urbs eſt; Philoſophus Peripateticus fuit; ac primum Alexandriæ, & Athenis, deinde Romæ docuit, ubi Arii Philoſophi, ac Cæſaris Auguſti amicitia clarus extitit. Strabonem adhuc juvenem docuit; quem vide in lib. 14. Paulo ante mortem oculorum lumen amiſit.

ANDRONICUS RHODIUS

A Patria dictus, ſecta Peripateticus, Romam venit Ciceronis ætate, & Ariſtotelis ſcripta à Tyrannione Grammatico emit, cui Syllæ Bibliothecarius dederat. Hæc in cryptis diu abſcondita, ſitu, tempore, & negligentia fere corroſa, & conſumta ad Apelliconem Tejum Athenienſem pervenerant; e cujus bibliotheca Sylla, Athenis captis, Romam adduxerat; ut ex Plut. in Sylla, ubi: *Deſumſit ſibi Bibliothecam Apelliconis Teii, in qua plerique Ariſtotelis, & Theophraſti libri erant, haud dum ſatis in vulgus noti. Ex ea, ubi deportata Romam fuit, ferunt, plurima intervertiſse Tyrannidem Grammaticum, à quo accepiſse Andronicum Rhodium exemplaria, eaque in lucem edidiſse, & vulgaſse hos, qui nunc manibus teruntur indices. Enim vero Peripatetici antiquiores videntur illi quidem elegantes fuiſse, & eruditi, ſed Ariſtotelis, & Theophraſti ſcripta neque pleraque, neque exacte volviſse: verum ob hæredem Nelei Scepſii, cui libros ſuos reliquit Theophraſtus, ea ad inertes homines cecidiſse atque indoctos.* Primus igitur Andronicus Ariſtotelis ſcripta omni cura emendavit, inſtauravit, & publici juris fecit. Vide etiam hujus Hiſt. Phil. lib. 3. c. 8. p. 107. ubi de Ariſt.

NICOLAUS DAMASCENUS

Quia Damaſci natus, Philoſophus Secta Peripateticus, Poëta, & Hiſtoricus omnium ſui ævi celeberrimus, Auguſti tempore vixit; cui cariſſimus fuit, ſicut etiam Herodi magno Judæorum Regi. Scripſit Hiſtoriam univerſalem Aſſyriæ libris 80. ex Suida 124. ex Joſepho, vel 144. ex Athenæo; quæ tamen intercidit: quicquid dicat Geſnerus, qui ait extare Venetiis. Alia etiam ſcripſit, quæ nonniſi ab autoribus citata inveniuntur. Ejus tamen fragmenta à Porphyrogeneta Conſtantino collecta, & quæ D. Pereſcius ex Cypri inſula ſibi adducenda curavit, Henricus de Valois Pariſiis Greco-Latina edidit a. 1634.

ATHENÆUS

Philoſophus Peripateticus, & Orator, Seleuciæ in Cilicia natus, Murenæ familiaris vixit tempore Auguſti, ſub cujus imperio Romam venit, & tempore Pertinacis, atque Severi. Detecta Murenæ in Auguſtum conſpiratione, cum ipſo Urbe aufugit. Sed Athenæi innocentiâ perſpectâ, libertate donatus eſt. Ex caſu tamen domus, in qua degebat, obiit. Ex Strabone l. 14.

Fuit & alter *Athenæus Naucratita Grammaticus*, qui ſec. 2. ſub M. Aur. claruit, & libros 15. Δειπνοσοφιστῶν, *Dipnoſophiſtarum*, varia eruditione refertos, conſcripſit, ſic dictos, quia in ipſis Sapientes, dum menſæ aſſident, varia erudita multa colloquentes proponuntur; itaut Philoſophos convivantes, ſive convivas Philoſophantes dicas. Hoc opus haud integrum ad nos pervenit, ut

Digitized by Google

ut notat Hofmannus, quod ſane varium, & eruditum eſt; Sed ejus tantum Epitome ab Hermolao Byzantino relicta. Hos libros commentariis illuſtravit doctiſſimus Iſaac Caſaubonus; qui in Proleg. ipſum Scriptorem πολυμαθέστατον, *Multiſcium, Græcorum Varronem, aut Plinium*, vocat. Vide Suidam in Athen. & Voſſ. de Hiſt. Græc. l. 2. ubi: *Maximos ingenii, doctrinæque ſuæ fructus percipit à poſteritate quindecim libris Dipnoſophiſtarum, quorum & excerpta ſuperſunt, ſive, ut mutilator ipſe appellavit*, Παρεμβολαί.

ALEXANDER ÆGÆUS

Philoſophus Peripateticus, præceptor Neronis Imperatoris una cum Chæremone Philoſopho: filium autem habuit Cælium nomine. Hic vocabat Neronem Lutum ſanguine inquinatum: malis diſcipulis, ut puto, pejores magiſtri. Suid. in Alexand. de hoc etiam dictum ſupra in Seneca.

ALEXANDER APHRODISIENSIS

Sic dictus, quia in Cariæ promontorio, quod Aphrodiſium dicitur, natus eſt. Vixit in fine ſecundi, & principio tertii ſeculi, uſque ſcilicet, ut ajunt, ad Severi, ejuſque filii Caracallæ imperium. Primus hic Peripateticam Philoſophiam, quam M. Antoninus Philoſophus, ejuſque frater, & Imperii conſors L. Verus, Romæ inſtituerant, profeſſus eſt, & commentariis illuſtravit, ut ipſe in iiſdem Commentariis affirmat: unde Ἐξηγητὴς Interpres à Græcis dictus eſt. Nam præterquam quod omnium interpretum antiquiſſimus extitit (Hermini enim, Alexandro vetuſtioris, præter pauca fragmenta, quæ nunc extant, Commentaria in Ariſt. perierunt) Ariſtotelis doctrinam omnium optime ſequitur, & defendit: unde particularem ſectam inſtituiſſe viſus eſt, Alexandream dictam: nec quiſquam Ariſtotelicus habebatur, niſi & idem eſſet Alexandreus. Hic cæteris, iiſque innumeris, Ariſtotelis Commentatoribus dux fuit, unde, quia reliquis præſtat, ipſe præ aliis legendus multorum judicio ducitur. Ex his Alexandri Commentariis veros Ariſtotelicorum ſenſus Plotinus didicit; atque ipſum, refert Divus Hieronymus, eoſdem latinitate donaſſe, ut magis in Ariſtotelis doctrina proficeret.

Alius ab hoc omnino fuit Alexander M. Craſſi Præceptor, Philoſophus item Peripateticus; de quo ita Plutarch. in vita M. Craſſi. *Et verò etiam aliquid Philoſophiæ operæ dediſſe addictus Ariſtotelis ſcriptis, quorum habuit Alexandrum doctorem. Is facilitatis, & manſuetudinis documentum ex Craſſi contubernio dedit: quippe non facile dixeris, egentior ad illum venerit, an apud eum factus ſit. Solus enim ex amicis peregrinantem ſemper comitans lecticam accipiebat, quam repoſcebatur reverſus. Hem patientiam: cum tamen paupertatem hujus miſeri profeſſio non numeraret indifferentem*.

THEMISTIUS

Cognomento Euphrades ab eloquentia dictus, Philoſophus Peripateticus, & Orator eximius, patre natus Eugenio, Philoſophiæ in Paphlagonia Profeſſore ſapientiſſimo, ſub quo in Philoſophia multum profecit: deinde in Ponto Aſiæ præclaris artibus fuit inſtitutus. Sub Juliano Apoſtata vixit, à quo Conſtantinopolis Ὕπαρχος hoc eſt, Proprinceps, ſive Proprætor & à Conſtantio Prætor factus eſt. Floruit etiam ſub Joviano, Valente, & Valentinia-

niano Imperatoribus, Apoſtatæ ſucceſſoribus. Quamvis hic religione paganus eſſet, Chriſtianos tamen non oderat: imo & ipſis totis viribus patrocinatus eſt apud Valentem Imperatorem, qui, quod hæreticus eſſet, & Arianorum Epiſcoporum conſilio, ipſos perſequebatur. Quum igitur plurimum in Aula valeret, forti quidem oratione Imperatorem mitem reddere conatus eſt, qua id potiſſimum probabat, majorem eſſe ſententiæ diviſionem inter Idololatras, quam inter Chriſtianos, & quod homines frugi, & immeritos perſequeretur: atque ideo Chriſtianos ad necem uſque non eſſe perſequendos. Scripſit hic Commentarios l. 8. in Phyſicam Ariſtotelis: In Analytica l. 2. in libros de Anima l. 7. Librum unum de ſcopo, & Titulo libri Categoriarum &c. Proprias etiam concinnavit Diſſertationes, de Interpretatione ſcilicet & Inſcriptione Prædicamentorum: & Diſputationes quaſdam. Libros Themiſtii Paraphraſticos Hermolaus Barbarus Latinos reddidit: Hæc autem tralatio improbatur à Voſſ. de Philoſ. p. 8. qui veterem, quæ apud Carpetanos deliteſcere dicitur, deſiderat. Philoſophiam Antiochiæ imprimis, Nicomediæ, & in Galatia, & Conſtantinopoli, & Romæ profeſſus eſt. Romani eouſque ipſum demirati ſunt, ut ad Imperatorem viros delegaverint, qui procurarent, ut illum apud ſe remanere adigeret. Quod tamen conſequi nequiverunt, nam Conſtantinopolim repetere maluit. Cum Gregorio Nazianzeno familiariter vixit, ut ex Gregorii literis ad eum ſcriptis conſtat. Vide Acta Erudit. Menſ. Octobr. 1685. Falſo autem quidam aſſerunt, Themiſtium Alexandri Aphrodiſienſis *abbreviatorem* fuiſſe; nam ab eo & ſerie variat, & ſæpe etiam ſententia. Themiſtium Divus Auguſtinus lib. de Categor. c. 22. præceptorem ſuum, egregium ſua memoria Philoſophum; & Caſſiodorus diligentiſſimum ſcriptorem, ac lucidum, & omnia ad facultatem intelligentiæ reducentem, vocant. Extant & ejus Orationes ad Imperatores, ſub quibus vixit, à Mureto commendatæ, & à Dionyſio Petavio, & Ioh. Harduino Soc. Jeſu notis illuſtratæ; Pariſiis editæ in fol. 1684. Vide Phot. in Biblioth. Sozom. Suid. Caſaub.

ANICIUS MANLIUS TORQVATUS SEVERINUS BOETHIUS

Romæ ex nobili Aniciorum, & Torquatorum genere natus claruit in fine quinti, & principio ſexti ſeculi, tempore ſcilicet Anaſtaſii Imperatoris, & Theodorici Gothorum Regis. P. Cauſſinus in vita aſſerit, ejus familiam nobilem mille ante ipſum annis extitiſſe. Et profecto inter Manlios celeberrimus primus fuit M. Manlius, qui Capitolinus, & Conſervator patriæ dictus eſt, quia anno Urbis 364. Capitolium in extrema Urbis neceſſitate contra Gallos fortiſſimus dux defendit. Sed in judicium delatus, quod Reip. ſtatum hac ſtrenua defenſione pro Pop. Romano habita immutare vellet; ex eodem Capitolio, quod propugnaverat, præceps miſſus obiit, an. Urb. 370. Qua de re ita Agel. l. 17. c. 21. *Et M. Manlius Romæ, qui Gallos in obſidione Capitolii obrepenteis per ardua depulerat, convictus eſt, conſilium de regno occupando iniiſſe; damnatuſque capitis ſaxo Tarpejo, ut M. Varro ait, præceps datus; ut Cornelius autem Nepos ſcriptum reliquit, verberando necatus eſt.*

Secundus in hac familia fortiſſimus ille fuit Manlius, qui, dum Tribunus Militum eſſet, ducem quendam Gallum ſingulari certamine interfecit coram exercitibus Romano, & Gallo. Quo necato, torquem peremti ducis proprio ſuſpendit collo: unde & Torquati nomen accepit, quod in omnes familiæ poſteros derivavit. De hoc ſic Cic. 1. de Fin. *Neque eum Torquatum, qui hoc*

hoc prius cognomen invenerit, aut torquem illum hoſti detraxiſſe &c.

Hic idem illuſtris hujus familiæ Heros ille fuit, qui Conſul à Rep. deſignatus exercitibus imperans an.V.414. proprium filium capitis damnavit, quod ipſius & Conſulis, & patris dignitatem non ſit veritus, dum ipſo inconſulto hoſtem diſſipavit: ſicque leges à Rep. conditas, ne quis ſcilicet inconſulto maximo exercitus duce, in hoſtem irrueret, proprio filii ſanguine firmavit, ut juſtus Conſul magis, quam amans pater eſſe videretur. Tandem divus Hieron. Boëthii familiam adeo illuſtrem fuiſſe affirmat, ut vix unum in ea repereris, qui Conſulis dignitatem vel non habuerit, vel non meruerit. Obſerva hic, labi penitus P. Cauſſinum in Vita Boëthii, ubi ait, Manlium hunc Conſulem, qui proprium filium morti dedit, alium à Manlio fuiſſe, qui Torquati cognomen à torque conquiſito familiæ dedit; unde & tertium Heroëm hunc Manlium appellat. Cicero enim, præ ceteris, omnibus 1. de fin. eundem fuiſſe oſtendit, dum ait: *Sed ita prorſus exiſtimo, neque eum Torquatum, qui hoc primus cognomen invenerit, aut torquem illum hoſti detraxiſſe, ut aliquam ex eo perciperet corporis voluptatem, aut cum Latinis tertio conſulatu conflixiſſe apud Veſerim propter voluptatem. Quod vero ſecuri filium percuſſerit, privaviſſe ſe etiam multis voluptatibus: cum ipſi naturæ, patrioque amori prætulerit jus majeſtatis, & imperii.* Ex quibus Ciceronis verbis id etiam educitur, Torquatos hos Manlios, Boëthii majores, Epicureos fuiſſe. Imo & Epicuri partes acerrime cit. Cic. l. tuetur Torquatus.

Quum Theodoricus Gothorum Rex Imperii dignitatem aſſumſit, Boëthius elegantem habuit orationem ad populum. Quare ſtatim ab Imperatore & Conſul, & primus Aulæ miniſter factus an. Chr. 510. ab ipſo ut oculi pupilla diligebatur; ac nihil pro regno, niſi conſulto Boëthio, decernebat. Primus miniſter, ac ſupremus Imperatoris Conſiliarius electus, juſta quæque, & Sancta Principi inſinuabat. Nedum autem ipſe ter Conſul ab Imperatore electus, ſed & ejus filii in tenera adhuc ætate Conſulatus dignitate, honoraria tamen, inſigniti, curru, honoris dicto, vecti, Senatoribus, & populo ſtipati per Urbem ibant. Gebertus l.2. Epigram.

Tu pater, & patriæ lumen, Severine Boëthi,
Conſulis officio rerum diſponis habenas,
Infundis lumen ſtudiis, & cedere neſcis
Græcorum ingeniis . . . .

Philoſophiam, Theologiam, Matheſeos partes omnes optime callebat. Præclaram ejus diſciplinarum omnium, quas Athenis didicerat, eruditionem ſummis laudibus teſtatus eſt idem Theodoricus in epiſtola ad ipſum miſſa, quam magnus Caſſiodorus Theodorico à Secretis, & epiſtolis l. 1. Variarum Epiſt. 45. notavit: in qua ſcribit, Boëthium Athenienſium ſpoliis ditatum eſſe, per quæ etiam Italis Pythagoræ, Ptolemæi, Nicomachi, Euclidis, Platonis, Ariſtotelis, & Archimedis ſcripta innoteſcere curavit. Ariſtotelis Philoſophiæ addictus fuit; cujus libros primus Latinorum & Latinos reddidit, & doctiſſimis Commentariis illuſtravit.

Sed ò inſtabilem Principum gratiam! ò varios, & mutabiles fortunæ caſus! Gothorum quidam primores, quos Theodoricus ad ſupremos Aulæ honores exaltaverat, quod Boëthio inimici eſſent, ipſum proditionis reum Theodorico accuſarunt; atque ad hanc ipſorum calumniam probandam fictas Boëthii ad Anaſtaſium in Oriente Imperatorem literas oſtenderunt, quibus ipſe Regnum prodere videretur. Quare Theodoricus Boëthium ut proditorem putans, quod recuperandæ Reip. libertati ſtuderet, extorrem una cum ſocero Symmacho Senatore, Romanorum nobiliſſimo, graviſſimoque viro, Ticinum miſit, eorum

po-

Digitized by Google

potentiam timens, quia ſenatores erant potiores. Ibi cum Symmacho ſex menſes cuſtodia detentus, aureos illos, ac nunquam ſatis laudatos *Libros quinque de conſolatione Philoſophiæ* compoſuit: ac tandem die 23. Octobris an. 524. una cum ſocero capitis pœna damnatus ultimum diem obiit. Baronius Boëthium inter Martyres adnumeratum aſſerit. Julius Martianus Rota, qui Boëthii vitam accuratius ſcripſit, ait ipſum obtruncatum caput propriis manibus geſtaſſe, uſquedum animam ante altare cujuſdam Ædiculæ, non longe à Martyrii loco ſitæ, efflaret. Ejuſdem etiam Theodorici juſſu Johannes Pontifex hujus nominis Primus, eandemque ob cauſſam, Ravennæ in carcere obiit.

Scripſit præterea Philoſophica, & Theologica multa, quæ Henricus Loricius Glareanus collecta ſimul edidit an. 1546. Duos reliquit filios Boëthium, & Symmachum, qui & ipſi Conſules, honorarii tamen, a. 522. fuerunt, ut modo dictum. Quidam Boëthio alios Tractatus tribuunt, qui ejus non ſunt; ut *De Diſciplina Scholarum*, cujus autor eſt Dionyſius Carthuſianus. Vide cit. Jul. Martianum Rota in ejus vita, Baron. Poſſevin. Voſſ. Cauſſin. atque alios. De ejus ſcriptis hæc autorum quorundam cenſura.

Julius Scaliger in Hypercritico p. 825. *Boëthii Severini ingenium, eruditio, ars, Sapientia, facile provocat omnes autores, ſive illi Græci ſint, ſive Latini. Seculi barbarie ejus Oratio ſoluta deterior invenitur; at quæ libuit ludere in Poëſi, divina ſane ſunt, nihil illis cultius, nihil gravius; neque denſitas ſententiarum venerem, neque acumen abſtulit ardorem. Equidem cenſeo, paucos cum illo comparari poſſe &c.* Voſſius de Poëtis Latinis: *Vir Latine, & Græce doctiſſimus, in omni diſciplinarum genere excellens, & quo Roma à Varronis temporibus non habuit undecumque doctiorem. Quantum idem carmine valuerit, oſtendunt libri quinque de Conſolatione Philoſophiæ, quos exſul Ticini ſcripſit. Omnino nihil in Poëſi venuſtius habuit vel illud ævum, vel etiam quod proxime anteceſſit.* Lilius Gyraldus de Poëtis: *Fuit Boëthius in omni diſciplina egregie doctus, quod liquido ex ejus monumentis conſtare poteſt. In pangendis verſibus mira uſus eſt facilitate.* Politianus in Miſcellaneis: *Quis Boëthio vel in dialecticis acutior, vel ſubtilior in Mathematicis, vel in Philoſophia locupletior, vel in Theologia ſublimior.* Atque idem Politianus Alberti Magni, & Divi Thomæ, qui ejus opera commentariis illuſtrarunt, in hanc rem ſententiam adjecit. Barthius Adverſar. l. 17. c. 13. *Severini Boëthii ingenium neque ante ſe multos, neque poſt ſe aliquem toto Romani Imperii tempore habuit ſimilem.* Vide etiam Eraſmum in Ciceroniano; Rapin. in Reflexionibus; Bettihum in Præfat. ad Conſolat. Philoſoph. &c.

GEORGIUS TRAPEZUNTIUS

CRetenſis, ſed ex paterna origine Trapezuntius dictus, natus eſt an. 1396. obiit verò maxime ſenex, itaut ultimis vitæ ſuæ temporibus, abſumtis ſpiritibus, ac cerebro debili reddito, literarum prorſus oblitus fuerit. Romam venit ſub Eugenio IV. ibique plures annos Rhetoricam, & Philoſophiam docuit Peripateticam, cui unice addictus, & propugnator fuit acerrimus; Platoni tamen iniquior ſemper extitit, cujus nec laudem ferre unquam potuit. Ejus etiam dogmata, & mores peracerbe, & inſolenter, edito famoſo volumine laceravit. Quam arrogantiam Cardinalis Beſſarion, eximius Platonis patronus oppugnavit. Eugenii ſucceſſor Nicolaus V. eum Pontificium ſcribam

 fecit.

fecit. Græcos autores quoſdam Latinos fecit, inter quos Ariſtoteles, Hermogenes, & Euſebius Cæſarienſis ſunt; ab hoc tamen Arianorum erroribus prius amputatis, ſenſu perverſo, phraſibus labefactatis, capitibus pluribus ab opere ablatis, totoque decimoquinto libro prætermiſſo, ut vel ipſe Euſebius, ſi reviviſceret, ſe ipſum apud Trapezuntium non agnoſceret, ut notat Baillet in Eruditorum Judiciis Gall. Dallæus, & Perroniana ipſum ſic arguunt: *Sæpe labitur, & haud fidelem ſe præſtitit in transferendis è Græco autoribus*. Boiſſardus Trapezuntii ἀμνησίαν literarum, in extremo ſenio affligentem, quæ legendi, ſcribendique penitus oblitus eſt, enarrans, hanc oblivionis cauſam ſubdit: *Propterea quod ejus opera Pontifici Maximo oblata, centum ducatis tantum compenſata fuiſſent. Is autem è Vaticano Palatio domum ſe conferens, indignatione percitus ex ponte Ælio pecuniam ab ingrato acceptam in Tiberim abjecit, addita exclamatione: Periere labores, pereat & eorum ingrata merces*. Raphael Volaterranus ejus ſe diſcipulum fatetur l. 21. ubi ait: *Quem ego ſenem puer docentem audivi. In extrema ſenectute oblitus erat omnino literarum, ſoluſque per Urbem baculo nixus incedere malebat*. Voſſ. Inſt. Orat. l. 4. c. 3. . . . *Minime profecto conferri meruit cum Theodoro Gaza, cui eum æquiparavit Angelus Politianus, &c.* Vide eundem etiam de Hiſt. Lat. l. 3. c. 8. Paul. Jov. Leon. Allat. Huet. & Iſaac. Bullart. in Acad. Scient. Fama etiam eſt, ejus filios Joh. Regiomontanum veneno ſuſtuliſſe, quod hujus gloria patris gloriam obſcuraſſet. Mortuus eſt a. 1468. ut ait Morery, ſive 1486. ut vult Konig. ejuſque Apologiam filius, infelici tamen fama, contexit.

E P I C U R E I.

C. VELLEJUS

SEnator Romanus L. Craſſi, & Ciceronis familiaris, qui in Dialogo Cic. l. 1. de Nat. Deorum Epicuri partes tuetur adverſus Cottam, qui Platonis, Piſonem, qui Ariſtotelis, & Balbum, qui Stoicorum doctrinam propugnabant. De Vellejo ſic Cic. l. c. . . . *& cum C. Vellejo Senatore diſputantem, ad quem Epicurei primas ex noſtris hominibus deferebant*. Ubi omnem de Diis Epicuri doctrinam exponit ita luculenter, ut pauci Græcorum cum ipſo conferri poſſint. Zenonis diſcipulus fuit.

C A T I U S

EPicureus Inſuber, qui ante Ciceronem & vixit, & obiit; de quo idem Cic. epiſt. ad Caſſium lib. 15. *Nam, ne te fugiat, Catius Inſuber Epicureus, qui nuper eſt mortuus, quæ ille Gargettius, etiam ante Democritus* εἴδωλα, *hic ſpectra nominat*. Idem eod. lib. eundem Catium, & Amafanium (ſeu Amafinium) malos verborum interpretes appellat. Vide etiam Horat. ſat. 4. l. 2. quæ incipit: *Unde, & quo Catius?* & Lambinum in Comment. ubi ait. *Hunc inducit Horatius apud ſe quærentem, & cogitantem, quibus nominibus utatur in interpretandis, & Latine exprimendis Epicureis quibuſdam præceptis, quæ ad artem culinariam, conviviique apparatum, obſonia, condimenta, & ſimilia pertinent*.

T. POMPONIUS ATTICUS

EQues Romanus, à patre literarum amantiſſimo ortus, à quo ſumma cura in optimarum artium ſtudiis inſtitutus fuit. Ciceroni coævus, & perpetuo fami-

familiaritatis jure conjunctus vixit; ut ipſe in Epiſt. ad eundem Atticum teſtatur his verbis: *Mihi nemo eſt nec amicior, nec jucundior Attico*. Excellenti vir ingenio ob civile bellum inter Cinnam, & Syllam Athenas ſeceſſit; ubi diu moratus Athenienſium omnium gratiam ſuis moribus elegantiſſimis, & liberalitate promeruit. Unde & ſtatuas, quas ſibi præſenti erigi paſſus non fuit, abſenti tamen, ut Corn. Nep. ait, ſanctiſſimis locis erexerunt. Ibi ingenuas diſciplinas, ac in primis Philoſophiam didicit Epicuream, ut Cic. ſæpe teſtatur; ſic enim de Fin. 1. *Omnes mihi Epicuri ſententiæ ſatis notæ ſunt; atque eos, quos nominavi, cum Attico noſtro frequenter audivi*; atque alibi paſſim. Et 3. de Leg. ipſum laudans ait: *Quid enim eſt elegantia tua dignius? cujus & vita, & oratio conſecuta mihi videtur difficillimam illam ſocietatem gravitatis cum humanitate*. L. etiam Sauſejum, equitem Romanum, æqualem ſui, qui complures annos, ſtudio ductus Philoſophiæ, Athenis habitavit, ejuſdemque Sectæ Philoſophum, amiciſſimum habuit. Atticus Philoſophicæ probitatis, omniſque virtutis exemplar fuit: de quo, omiſſis aliis, hæc præcipue ex Corn. Nep. adnotanda. *Mendacium neque dicebat, neque pati poterat. Itaque ejus comitas non ſine ſeveritate erat, neque gravitas ſine facilitate: ut difficile eſſet intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarent. Quicquid rogabatur, religioſe promittebat; quod non liberalis, ſed levis arbitrabatur polliceri, quod præſtare non poſſet, &c.* Ejus autem virtutum hanc rationem addit: *Nam & principum Philoſophorum ita percepta habuit præcepta, ut iis ad vitam agendam, non ad oſtentationem uteretur*. Græcam autem linguam ſic optime didicit, ut ipſâ non ſecus ac Romanâ loqueretur, & Attici inde nomen aſſequeretur. Cic. 5. de Fin. *Athenis ſe collocavit, ut ſit pene unus ex Atticis, ut id etiam cognomine videatur habiturus*. Et Corn. Nep. in Vita: *Sic enim Græce loquebatur, ut Athenis natus videretur*. Ipſum Sulla Athenas ex Aſia veniens, quamdiu ibi fuit, ſecum habuit: cui omnia munera, quæ Athenis acceperat, proficiſcens juſſit deferri. Atticus pecunioſus cum eſſet; ejus tamen liberalitas neque temporaria, neque callida unquam fuit. Deinde pacatis in Rep. omnibus, Romam reverſus, hæres ex dodrante à Q. Cæcilio avunculo ſuo factus eſt. Attici ſororem Q. Cicero, M. Tulli germanus, uxorem duxit: ex quo M. Tullius Cicero cum Attico amicitiam arctius conſtrinxit. Cum Attico etiam familiaritatem Q. Hortenſius, Orator celebris, inſignem habuit. Cæſare, & Pompejo, M. Antonio, & Bruto Urbem civili bello vexantibus, Atticus, quia nemini magis adhæſit, omnibus æque carus fuit. Agrippa quoque Atticum tanti ſemper fecit, ut filiam ejus Pomponiam uxorem duxerit. Oblatos ſibi honores, & Reip. dignitates omnes Atticus, quod veri Philoſophi eſt, abdicavit. Atqui privatam vitam agens, ſtudiis, Philoſophiæ potiſſimum, ſemper vacabat: atque ideo ſervos, qui coram ipſo legere, vel exſcribere callerent, ſibi adſociavit. Extrema ſenectute, magis autem ſtudiis confectus obiit an. ab U. C. 721. ætatis verò 77. ex teneſmo, & inde exorto inteſtinorum ulcere. Scripſit *Annales*, quorum meminit etiam Plut. in Annibale; *Elogia virorum illuſtrium*: atque alia Græce æque, ac Latine. Librum Græce confecit de *Conſulatu Ciceronis*. Verſibus etiam plura ſcripſit. Philoſophice vixit, philoſophice mortuus eſt, contentus equeſtri ordine, quo erat ortus, qui ſua virtute omnibus ſemper carus, & gratus, in affinitatem etiam pervenit Imperatoris Divi Julii filii, cum jam ante familiaritatem ejus eſſet conſecutus. Vide Cornel. Nep. in Vita: Cic. in Bruto, in Epiſt. ad Atticum, atque alibi: Plin. l. 35. c. 2. &c.

Fuit & alter Atticus Platonicus, qui ſub Commodi imperio floruit. Scripſit hic Hiſtorica quædam. Hujus meminit Euſebius ſub anno 179. Vignier ſub

an. 177. Scripſit etiam libros 7. quibus Platonis cum Ariſtotele, contra Taurum Berytium, probavit conſenſum: Dialogum in Categorias, hodie quoque ſuperſtitem: ſeptem item libros in eaſdem, Simplicio allegatos: Commentarium in librum de Interpretatione, allegatum Boëthio. Ut taceam quæ in libros de Anima ſcripſit, cum pateat ex Suida, eos Atticum confutaſſe potius, quam explicaſſe; quod & Theodoritus confirmat.

T. LUCRETIUS CARUS.

De hoc dictum eſt lib. 3. c. 15. hujus Hiſt. in Epicuro, Poëtam Latinum fuiſſe, ex illuſtri Romanorum familia ortum; qui Athenas ad diſciplinas comparandas à parentibus miſſus, Epicuream Philoſophiam ſub Zenone, & Phædro Epicureis edoctus, ipſam ſex libris ſub titulo de *Natura rerum* (Phyſicam enim tantum tractat) heroico carmine deſcripſit: ac tandem potu philtri amatorii, ipſi à Lucilia exhibiti mortuus eſt an. ætat. 42. vel 43. Olymp. 181. Quum autem ei præcipuus inter Romanos locus debeatur; addenda de ipſo hic quædam ſunt. Euſeb. in Chron ad Olymp. 171. *Titus Lucretius Poëta naſcitur, qui poſtea amatorio poculo in furorem verſus, quum aliquot libros per intervalla inſaniæ conſcripſiſſet, quos poſtea Cicero emendavit, propria ſe manu interfecit an. ætat* 43. Et Ciceronem quidem, & Varronem parum ætate præceſſit. Lucretium in ſua natura elegantem, ſed difficilem eſſe teſtatur Quintilianus. Quam Quintiliani Sententiam miratus Gaſpar Barth. Adverſar. l. 43. c. 2. ait: *Itane difficilis Lucretius, qui ſimul & elegans? . . . . Itaque quid difficultatis, aut quos nodos hic reperit Fabius, ego fateor, me perſpicere minime poſſe*. A Corn. Nep. Vellejo Paterculo, & Cic. laudatur: à Voſſio de Art. Grammat. *Optimus Latinitatis autor*; & ab Agell. l. 1. c. 21. *Poëta ingenio, & facundia præcellens*, dicitur. Fur. Albinus apud Macrob. *Nemo debet antiquiores Poëtas ea ratione vidiores putare, quod eorum verſus nobis ſcabri videntur. Ille enim ſtylus maxime tum placebat: diuque laboravit ætas ſecuta, ut magis huic molliori ſtylo acquieſceret. Itaque minime defuerunt, imperantibus Veſpaſianis, qui Lucretium pro Virgilio, & Lucilium pro Horatio legerint*. Ovidius etiam Lucretium magni æſtimavit. Inquit enim 1. Am. el. 15.

Carmina ſublimis tunc ſunt peritura Lucreti,
Exitio terras quum dabit una dies.

Et Gaſp. Sciopp. de Arte Critic. p. 93. dicere audet: *Et verò ſemel, ut cum Lambino dicam, ſciat lector, neminem in tota lingua Latina Lucretio melius latine eſſe locutum: non M. Tulli, non C. Cæſaris orationem eſt puriorem*. Quod confirmat Scaligerana 1. p. 104 *Lucretius bonus liber eſt: nec melior alius autor linguæ latinæ. Virgilius ab eo multa deſumſit*. Et Jul. Cæſ. Scal. Comment. in Ariſt. Hiſt. Animal. Lucretium *Virum divinum, atque incomparabilem* appellat. Sed ſanior videtur cenſura, quæ habetur in Liter. Rep. Novell. Gall. Jul. 1685. p. 812. *In Lucretii verſificatione tot ad eloquentiam diſpoſitiones elucent, ut, ſi Auguſti tempore vixiſſet, cum Virgilio de palma certare potuiſſet . . . . Sunt tamen Critici quidam, qui Lucretium ſupra omnes Latinos Autores extulerunt. Nimium hoc eſt; ſufficit illum inter bonos collocare*. Vide etiam P. Crinitum, Gaſſend. in Vit. Epic. Poſſevinum in Biblioth. Select. atque alios.

LUCIANUS

SAmoſatenſis, quod Samoſatæ ortus ſit, quæ Syriæ civitas eſt Comagenes caput, non longe ab Euphrate: unde ſe ipſum Syrum, & Aſſyrium non ſemel nominat. In *Bis Accuſato* ſe Syrum Rhetorem vocat; & ſub finem *Apologiæ pro mercede conductis* inter quæſtuoſos Rhetores locum ſibi fuiſſe ait: etiam cauſſidicum ſe dicit in *Piſcatore*, ubi cauſſas quoque agere cur deſierit, & animum ad ſcribendum appulerit, docet. Quadragenarius philoſophari cœpit, ut eſt in *Hermotimo*. Aperte ſe Philoſophum profitetur in *Piſcatore*: Suum genus, educationem, & ſtudia exponit in *Somnio*, ubi ſtatuariæ artis primis vitæ annis initiatum videbis. Jam ſenior in Aulam, & familiam Cæſaris ſe contulit, & Procuratoris Principis in Ægypto conditionem accepit, ut eſt in Apologia pro Mercede conductis. De eo ſic Suid. *Lucianus Samoſatenſis, cognomento blaſphemus, ſive maledicus, aut atheus potius appellatus, eo quod in Dialogis ſuis ridicula etiam illa eſſe proponit, quæ de rebus divinis, & ſacris prodita ſunt. Dicitur autem vixiſſe temporibus Trajani Cæſaris, & deinceps. Cæterum fuit ab initio cauſſidicus Antiochiæ, quæ in Syria eſt. Sed cum ea res illi non ſatis ex ſententia ſuccederet, ad ſcribendum ſeſe convertit, ſcripſitque adeo infinita. Obiiſſe autem ipſum, fama eſt, à canibus laceratum, quoniam & contra veritatem velut rabiem exercuiſſet. Nam & in vita Peregrini Chriſtianiſmum quoque inſectatur, ipſum Chriſtum contumelioſe inceſſit, ſceleſtus ille. Quare & rabiei iſtius pœnas ſufficienter in præſenti vita dedit, & in futurum hæres æterni ignis una cum Satana erit.* Michaël Volaterranus, quo autore neſcio, addit, eum ab initio Chriſtianum fuiſſe; deinde ejuſdem Fidei deſertorem factum, dixiſſe, ſe nihil ex ea conſecutum præter ſui nominis corruptionem, quod ex Lucio Lucianus dictus fuerit.

Omni Deorum metu ſublato, Epicureorum Sectam ſecutus eſt. Philoſophiæ, & Mathematicæ, & Aſtrologiæ potiſſimum operam dedit, de qua etiam ſcripſit. *Nugator feſtivus* ab Eraſmo appellatur, & à Lud. Viv. *ſubſannator Deorum, & hominum*: quæ enim in Deos omnes, præcipue in Chriſtum Dominum fœdiſſimo ore δύσφημος, καὶ βλάσφημος ille evomuerit, ne dum lingua referre, ſed & calamus horret exſcribere. Et acriter quidem contra Deos Ethnicos, ipſorumque ridiculos cultus invehitur in Dialogis Deorum omnibus, præcipue in *Concilio Deorum*, atque in *Jove Tragœdo*. Religionem omnem, tum Chriſtianam in *Philopatre*, tum Ethnicam in *Cyniſco* ludibrio habet. Nullus eſt, quem attingens non aliquo feriat ſcommate. Philoſophos comica dicacitate inſectatur: ac contra ipſos, eorumque Sectas declamat in *Bis Accuſato*, in *Hermotimo*, ſive *de Sectis*, in Dialogo *contra Indoctum multos libros ementem*, in *Timone Myſanthropo*, in *Navigio*, in *Cynico*, &c. nullam Philoſophorum Sectam probans, quod nec eorum doctrina, nec qui eam profeſſi ſunt, quod promiſerant, præſtiterunt. Hinc Gilbertus Cognatus, & Eraſmus, Luciani cæteroqui patronus in Epiſt. *Præcipue Philoſophis infeſtus, atque inter hos Pythagoricis potiſſimum, ac Platonicis ob præſtigias: Stoicis item propter intolerandum ſupercilium, hos punctim, ac cæſim, hos omni telorum genere petit; idque jure optimo. Quid enim odioſius, quid minus ferendum, quam improbitas, virtutis profeſſione perſonata?* &c. Ad Philoſophos tamen inſectandos, ac proſcindendam Philoſophiam impulſum eum fuiſſe, ſcribit Vives, invidia Plutarchi Chæronenſis, quem in magno honore eſſe apud Trajanum Cæſarem invitus, & dolens videbat. Scripſit autem *Dialogos*, Platonis exemplum ſecutus, præter hos, plures: *Vitam Demonactis*; librum *de Longævis*, atque alia, quæ multorum opera è Græco in Latinum verſa habemus.

Quam-

Digitized by Google

Quamvis autem libri ab eo conſcripti plurimi ſint ; ad nos tamen nonniſi 171. pervenerunt. Luciani porro Epigrammata 32. leguntur paſſim in magno volumine Epigrammatum Græcorum. Billius etiam Epiſtolas, quæ Phalaridis nomine circumferuntur, eidem tribuit, & Guilhelmus Philander Caſtilionius in ſuo in Vitruvium Comment. Vitam Apollonii Tyanei octo libris conſcriptam ipſi adſcribit.

Mortuum tradit Suidas, ut diximus, & hunc ſecuti Hieronym. in Catologo, Hofmannus in Lex. atque alii, à canibus devoratum. Verum Gilbertus Cognatus ipſum podagra conſumtum obiiſſe putat annos natum 80. ut in 6. Narrat. ſcribit.

De ejus ſcriptis, in quibus Hiſtorica, Philoſophica, & Erudita, dicacitatis tamen ſemper referta, continentur, hæc eſt autorum cenſura. *Declamator inſignis, & ſcriptor præſtantiſſimus* à Hieronym. & Hoſman. dicitur, & facetiſſimus. Lactant. de Falſ. Relig. c.9. *Lucianus nec Diis, nec hominibus pepercit*. Lud. Viv. de Verit. Fid. Chriſt. l.2. p.126. *Peſſime Lucianus Samoſatenus Sophiſta, qui adimens hominibus veterem, ac receptam religionem, non ſaltem reponebat novam aliquam. Quod irrideret antiquas dementias, ac inſanias, recte id quidem; ſed alia debebat ſubſtituere potiora. Sublatis enim prorſus religionibus, quid aliud, quam hominem ſine humanitate relinquebat?* Cœl. Rhodig. l.9. Lect. Antiqu. c.19. *Lucianus homo fœdiſſimus, loquentiæ multæ, at ſapientiæ minimæ*. Ejus phraſim laudat Lud. Viv. de Trad. Diſcipl. *Luciani verba ſunt terſa, & phraſis dilucida*. Iſaac Caſaub. de Rom. Satyr. l.2. p.268. *Lucianum à Menippo non pauca eſſe mutuatum, & in multis æmulatum fuiſſe, non dubito: ſed facies orationis tota diverſa. Quin ipſe gloriatur, novum ſcribendi genus ſe inveniſſe: ac ſub comica jocoſitate gravitatem Philoſophicam occuluiſſe:* Tandem ejus encomiaſta Eraſmus Epiſt. l.29. ep.5. ſic ejus laudes contexit: *Tantum obtinet in dicendo gratiæ, tantum in inveniendo felicitatis, tantum in jocando leporis, in mordendo aceti, ſic titillat alluſionibus, ſic ſeria nugis, nugas ſeriis miſcet: ſic ridens vera dicit, vera dicendo ridet: Sic hominum mores, affectus, ſtudia quaſi penicillo depingit: neque legenda, ſed plane ſpectanda oculis exponit, ut nulla comœdia, nulla ſatyra cum hujus Dialogis conferri debeat, ſeu voluptatem ſpectes, ſeu ſpectes utilitatem*. Vide etiam Phot. cod.128. Voſſ. de Philoſ. ſect. p.57. Gilbert. Cognatum, & Jacob. Luingerum.

RELIQUI EPICUREI.

SEquentes etiam Epicureis Philoſophis accenſentur à L. Cozzando de Magiſt. Veter. Philoſ. lib.6. cap. ultimo: quos ex eodem propriis verbis exſcribere, & quædam, quum extant, ex aliis decerpta addere fas ſit.

PHILODEMUS GADARENSIS nobiliſſimo genere ſatus Sectam ſecutus eſt Epicuream, claruſque in ea Philoſophus fuit. Meminit ejus Aſconius Pædianus, & Strabo, qui lib.16. inter illuſtres Gadaræ viros eum commemorat. Vixit Ciceronis ætate, & fortaſſe Horatii. Nimirum Lilius Gregorius Gyraldus eundem plane eſſe ſuſpicatur, quem nominat Horat. lib.1. Serm. Sat.2. Poeta hic fuit, cujus meminit Cic. Orat. in Piſonem. Vide etiam Gaſſendum in Vita Epic. l.2. c.6.

POMPILIUS ANDRONICUS natione Syrus, ſtudio Epicureæ Sectæ Romæ illuſtris emicuit, docuitque tempore M. Antonii Gnifonis, quem Cicero audivit etiam cum Prætura fungeretur: cujus quidem Attejus Philologus Athenienſis diſcipulus fuit, duobuſque claris hiſtoricis Salluſtio, & Aſinio Pollioni fami-

ſamiliaris. Atteji verò diſcipuli Appius, Pulcher, & Claudii fratres, quorum etiam comes in Provincia fuit. Neſcio unde hauſerit Cozzandus, hunc M. Pompilium Andronicum Philoſophum fuiſſe; cum à Suetonio de Illuſtribus Grammat. aliiſque Grammaticus tantum eximius memoretur. Hic Julii Cæſaris præceptor fuit; atque Cumam receſſiſſe fertur; ubi ad ultimam egeſtatem deveniens, Annales, quos compoſuerat, ad vitam traducendam vendidit.

PHIDAMUS Poeta laſcivus Secta Epicureus fuit, apudque vixit Piſonem, in quem Ciceronis Oratio, Aſconio Pædiano autore. Sed quis hic Phidamus, ò Cozzande? non eſt, neque fuit ullibi. Philodamum te dicere voluiſſe, credo, de quo Cic. Orat. in Piſ. Hic tamen Philodamus idem eſt cum Philodemo, de quo ſupra. Sic enim Lamb. in Comm. ad citatum locum Sat. 2. l. 1. *Fuit autem Philodemus, ſeu Philodamus, Philoſophus Epicureus, idemque Poeta: qui cum L. Piſone aliquandiu vixit: de quo M. Tullius in Orat. in Piſonem: Eſt quidam Græcus, qui cum iſto vivit, homo, vere ut dicam, ſic enim cognovi, humanus; ſed tandiu, quandiu cum aliis eſt, aut ipſe ſecum, &c. Et lib. 2. de Fin. bon. & mal. in extremo: Credo, Syronem dicis, & Philodamum cum optimos viros, tum doctiſſimos homines*. Nonne hic tuus Phidamus Poeta fuit, Epicureus, Piſoni familiaris, à Pædiano memoratus, &c. ſicut & Philodemus, ſive Philodamus ille? Ergo non alius ab illo eſt, ſed idem.

PLATO quidem Sardianus Secta Epicureus fuit. Ejus ad Q. Fratrem meminit Cic. lib. 1. Epiſt. 2. qui ſibi ſynchronos.

L. CESTIUS SMYRNÆUS Rhetor cognomento Pius, Epicureæ Sectæ fuit addictus, docuitque Romæ Latine Auguſtæo ævo. Ejus auditor fuit FABIANUS Philoſophus, cujus ſub Tiberio præcipua fama. Et ARGENTARIUS, qui ne dum Ceſtii auditor, ſed plane imitator, & ut Voſſ. ex Seneca ait de Rhetor. nat. & conſtit. cap. 12. ſimius. Nimirum M. Annæi Senecæ verba ſunt Controv. 26. Fuerat enim Argentarius Ceſtii auditor, & erat imitator. Ajebat invicem: Quid putatis eſſe Ceſtium, niſi Ceſtii cinerem? Et ſic ſolebat jurare: Per manes præceptoris mei Ceſtii, dum Ceſtius viveret. Omnibus autem inſiſtebat veſtigiis Ceſtii: æque ex tempore dicebat; æque contumelioſe multa interponebat, &c.

PETRONIUS ARBITER Secta Epicureus fuit. Floruit ſub Nerone, & ſub eodem defloruit, ab eodem necatus, ut ex Tacito habemus lib. 16. Annal. Is Epicurum præclaro ſane ornavit elogio. Quod quia attuli ſupra, huc parco referre. Sed ſuper hoc magni nominis viro aliquid immorandum. Hunc autorum quidam Titum Petronium Arbitrum, alii Cajum Petronium Arbitrum appellant; aliique utrumque dicunt. Verſus, quibus ipſe Epicurum laudat, ſunt:

Ipſe pater veri doctis Epicurus in hortis
Juſſit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Verba Taciti 16. Annal. 18. ex quibus quis ille, ac quæ vita fuerit, habetur, ſunt: *De C. Petronio ſupra pauca repetenda ſunt. Nam illi dies per ſomnum, nox officiis, & oblectamentis vitæ tranſigebatur. Utque alios induſtria, ita hunc ignavia ad famam protulerat, habebaturque ganeo, & profligator, ut plerique ſua haurientium, ſed erudito luxu. Ac dicta, factaque ejus quanto ſolutiora, & quandam ſui negligentiam præferentia, tanto gratius in ſpeciem ſimplicitatis accipiebantur. Proconſul tamen Bithyniæ, & mox Conſul, vigentem ſe, ac parem negociis oſtendit: dein revolutus ad vitia, ſeu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni aſſumtus eſt, elegantiæ arbiter, dum nihil amœnum, & molle affluentia putat, niſi quod ei Petronius approbaviſſet.*

viſſet. Unde invidia Tigellini, quaſi adverſus æmulum, & ſcientia voluptatum potiorem. Ergo crudelitatem Principis, cui cæteræ libidines cedebant, aggreditur, amicitiam Scevini Petronio objectans, corrupto ad indicium ſervo, ademtaque defenſione, & majore parte familiæ in vincla rapta. Et ſtatim ſequenti cap.19. Petronii mortem ſic expreſſit: *Forte illis diebus Campaniam petiverat Cæſar, & Cumas uſque progreſſus Petronius illic attinebatur. Nec tulit ultra timoris, aut ſpei moras; neque tamen præceps vitam expulit; ſed inciſas venas, ut libitum obligatas, aperire rurſum, & alloqui amicos, non per ſeria, aut quibus conſtantiæ gloriam peteret. Audiebatque referentes, nihil de immortalitate animæ, & ſapientium placitis, ſed levia carmina, & faciles verſus. Servorum alios largitione, quoſdam verberibus affecit. Iniit & vias, & ſomno indulſit, ut, quamquam coacta mors, fortuitæ ſimilis eſſet. Ne codicillis quidem (quod plerique pereuntium) Neronem, aut Tigellinum, aut quem alium potentium adulatus eſt: Sed flagitia Principis ſub nomine exoletorum, feminarumque, & novitate cujuſque ſtupri perſcripſit, atque obſignata miſit Neroni: fregitque annulum, ne mox uſui eſſet ad facienda pericula.* Plinius addit, eum in morte vas confregiſſe, quod 300. ſeſtertiis emerat, ne Imperator eo regiam ſuam menſam ornaret. Mortuus traditur an. Chr. 66. De hac Neronis vitiorum propagatione ita Iſaac Caſaub. l. 2. de Satyra c. 2. *Neronis, & aliorum procerum flagitia horrenda non minore flagitio publicavit.*

Scripſit quædam, quorum ad nos non pervenerunt niſi ſuum *Satyricum*, & *Fragmenta verſuum*; quorum venuſtatem ſpurciſſimis amoribus inquinavit: unde *Nequitiæ Arbiter*, & *puriſſimæ impuritatis ſcriptor appellatur*. Lipſ. Antiqu. Lect. l.1. c.8. *Scriptor terſus, & venuſtus, & niſi quod in re illa voluptatum nimis Latine interdum loquatur, cætera laudatus.* Lil. Gyral. *Hic Satyricum opus varium, &, ut ſic dicam, miſcellum compoſuit. Cujus licet fragmenta ad nos pervenerint, eademque parum caſtigata; multæ tamen eruditionis hominem fuiſſe, facile cognoſcimus, nam in taxandis moribus cum acrem, tum feſtivum maxime, & jocis ſeria miſcentem videmus.* Claud. Salmaſius: *Conſervatus eſt elegantiorum nequitiarum curioſis Petronius Arbiter. Quod enim ex ejus Satyrico habemus, mera excerpta ſunt alicujus ſtudioſi, qui, quæ ad guſtum ſuum in illo autore invenerat, eodem, quo opus legebat, ordine, adverſariis ſuis commendavit. Qui putant, à Monachis ſic eviratum eſſe, vehementer errant. Qualis hæc caſtigatio foret, quæ reſectis à reliquo corpore membris, vel potius ipſo corpore abjecto, ſolas pudendas poteſtates reliquiſſe videatur? Certe deſiderantur, vix videri poſſunt ſalaciora, ac nequitiora fuiſſe his, quæ relicta ſunt. Imo iſta nullam procacitatis, & protervitatis ὑπερβολῶ, vel ipſis lenonibus uſurpandam reliquam faciunt.* Gaſp. Sciop. l. Veriſimil. c.16. *Elegans profecto, & luculentus eſt Scriptor Petronius, quemque non abs re tantopere amant viri docti.* Vide eundem Conſult. p.42. Rapin. Reflex. in Poëſin ſect. 15. *Petronius in brevi Poëmate ſuo de Romana Corruptione in omnia, quæ ab ipſo damnantur, vitia labitur. Nemo unquam ſanioris judicii præcepta circa Poëſin tradidit, nec eadem ullus unquam illo minus obſervavit.* Scaligerana 2. *Plus quam octo voces apud Petronium leguntur, quarum ignoratur prorſus ſignificatio, ut Odepta, & aliæ.*

Sunt inter Autores, qui Petronium Maſſilienſem fuiſſe dicunt, Sidonii Apollinaris verſus ad hoc referentes.

Et te Maſſilienſium per hortos
Sacri ſtipitis Arbiter Colonum,
Helleſpontiaco parem Priapo.

Morery tamen in Lex. Hiſt. putat, Apollinarem non genere, ſed more, & libertate loquendi inhoneſte, ipſum Maſſilienſem congruenter pronunciaſſe, juxta vetus Adagium: *Maſſiliam naviges*. Alii verò Maſſilienſem ex Africæ populo malunt.

Denique notandum ex citato Morery, non multis ab hinc annis Tragurii, quæ Dalmatiæ urbs eſt, in Archiepiſcopatu Spalatenſi, inventum fuiſſe *Fragmentum Petronii Arbitri ex libro* 15. *&* 16. quod Criticorum quidam genuinum, alii falſum putant. Extat Commentariis illuſtratum.

CELSUS, contra quem Origenes libros ſcripſit octonos, Philoſophus Secta Epicureus fuit. Is ex variis, quæ ſua tempeſtate emerſerant, hæreſibus, argumentum arripuit inſultandi Chriſtianis de ſua ipſorum diſſentione: cui reſpondit Origenes libris illis octonis. Et præterea in eundem ſtyli acumen ſtrinxere Iſidorus Peluſiota l.2. Epiſt. 90. & Lactant. Firmianus l.4. c.ult. Georgius Hornius l.5. Hiſt. Philoſoph. c.4. Celſum hunc Philoſophum Stoicum facit: Duo autem Celſi fuerunt, unus Neronis temporibus: alter Adriani, qui in Chriſtianam Religionem invectus eſt, Sectaque fuit Epicureus. Hic Luciani amicitiam coluit: eique Lucianus Pſeudomantin dicavit. Opus, quod contra Chriſtianos ſcripſit, cui citati autores reſponderunt, *Sermones veri*, inſcribitur. Celſus aliud opus ſe editurum promiſerat, quo doceret, quomodo vivere deberent, qui ſecundum Philoſophiæ regulas vellent vivere. Origenes mittens ad Ambroſium quendam ſibi amicum libros, quibus iis, qui *Sermones veri* appellabantur, reſpondebat; ipſum rogavit, ut ſi ſecundum hoc opus in lucem editum eſſet, ad ſe mitteret. Sed an Celſus ipſum confecerit, ignoratur. De Celſo dictum etiam lib.3. hujus Hiſt.c.16. p.170. Vide Origen. contra Celſum: Euſeb. Hiſt. l. 6. c.26. Baron. A.C.132. n.16. Volaterran. l. 14. Anthropol. & Gaſſend. l.2. de vita Epic. c.6. Adduntur Epicureis à Cozzando l.6. c.1.

L. SAUFEJUS Eques Romanus, cujus pluribus in locis meminit Cicero, Corneliuſque Nepos in Pomponii Attici vita.

C MEMMIUS, qui & neſcio quid in honorem Epicuri ædificare voluit, ut ſcribit Cic.l.13. Epiſt.pr. Familiarium. Hic L. Memmii filius fuit, ac Lucretio familiaris, qui ei ſuum Poëma dicavit. Cum de malo Bithyniæ regimine apud Julium Cæſarem accuſatus eſſet; ab eo impunis abivit. Sed cum iterum eadem cauſſa delatus fuiſſet, in exſilium miſſus eſt an. U. C. 690. Orator fuit, & Poëta, ſed parum ſeverus, cujus carmina dura vocat Agellius l.19. c.9. Vide Cic. in Bruto, & Ovid. 2. Triſt.

C. CASSIUS clariſſimus Imperator, de quo Cic. l. 15. Epiſt. 16. in qua & Catii meminit Epicurei, qui jam naturæ conceſſerat 17. 18. Familiar. & alibi: Ex quarum ultima & PANSAM ex Hortis haud ægre agnoſces. Quibus addatur PAPIRIUS POETUS clariſſimus in Rep. vir, & STALLIO M. Bruti ſodalis, quem Brutus in conſpiratione in Cæſarem cum Favonio Catonis imitatore dimiſit; quod è longinquo inter diſputandum, ac philoſophandum ſermone circuito illius animum expertus erat, ut narrat Plutarchus in M. Bruti vita. Ex Hortis ſub hæc tempora erant L. THORIUS BALBUS LANUINUS, cujus pluribus meminit Cic. lib.2. de Fin. Poſtumius, quem ſe ignorare ſcholiis in locum Ciceronis citatum Paulus Manutius fatetur. CHIUS, C. SERGIUS ORATA, de quibus Cic. loco cit. Quid affers, cur Thorius Poſtumius, cur Chius, cur omnium Magiſter Orata non jucundiſſime vixerit? Sergius Orata cognominatus eſt, ut Macrob. ſcribit l.3. Saturnal. c. 15. quod ei piſces, qui Auratæ vocantur, cariſſimi fuerint. Hic eſt Sergius Orata, qui primus balneas penſiles habuit, primus oſtrearia in Bajano locavit, primus optimum ſaporem oſtreis Lucrinis adjudicavit. Fuit autem ætate L. Craſſi illius diſerti, qui quam gra-

Digitized by Google

vis, & ſerius habitus ſit, etiam Cicero docet. Meminit Val. Max. l. 9. c. 1. Plin. l. 9. c. 54. à quibus ſuperiora Macrobius deſumſit, laverna bonorum auterum. Ejuſdem etiam C. Sergii Oratæ itidem meminit Cic. l. 3. de Offic. L. MANLIUS TORQUATUS, qui fuit Conſul anno U. C. 688. propugnator inducitur à Cic. l. 1. de Fin. ſententiæ Epicureæ de Voluptate: erat enim Torquatus homo doctrina omni eruditus. Et poſt pauca idem Cozzandus de Epicurea Secta loquens, ſubdit: *Eandem ſecutus eſt SEXTUS PROPERTIUS delicium, & amor Poëtarum, ut ex verſibus ejus modo allatis ex lib. 3. ad Cynthiam propalam fit. MARCUS VALERIUS MARTIALIS, autore M. Zuerio in C. Plinii Secundi Novocomenſis vita, Martiali qui amicus, ut ex epiſtola habemus 21. l. 3. in qua Valerii Martialis laudes exequitur: ex quo etiam ejus ætatem cognoſcimus.* Sed parum in his immorandum.

De C. Caſſio Imperatore vide etiam in M. Bruto. Neſcio, cur Cozzandus Manutium reprehendat, quod Poſtumium ignoraverit, cum ex iiſdem Ciceronis verbis appareat, Poſtumium non alium à Thorio eſſe, ſed eundem. Ait enim: *Cur Thorius Poſtumius, cur Chius, &c.* L. Thorii, inſignis ſui temporis Epicurei vitam, & mores ſic optime expreſſit Cicero l. 2. de Fin. *L. Thorius Balbus fuit Lanuinus: quem meminiſſe tu non potes. Is ita vivebat, ut nulla tam exquiſita poſſet inveniri voluptas, qua non abundaret. Erat cupidus voluptatum, & cujuſvis generis ejus intelligens, & copioſus; ita non ſuperſtitioſus, ut illa plurima in ſua patria ſacrificia, & phana contemneret; ita non timidus ad mortem, ut in acie ſit ob Remp. interfectus. Cupiditates non Epicuri diviſione finiebat, ſed ſua ſatietate: habebat tamen rationem valetudinis: utebatur iis exercitationibus, ut ad cœnam & eſuriens, & ſitiens veniret; eo cibo, qui & ſuaviſſimus eſſet, & idem facillimus ad concoquendum; vino & ad voluptatem, & ne noceret. Cætera illa adhibebat, quibus demtis negat ſe Epicurus intelligere quid ſit bonum. Aberat omnis dolor; qui ſi adeſſet, nec molliter ferret, & tamen medicis plus, quam Philoſophis uteretur. Color egregius, integra valetudo, ſumma gratia; vita denique conferta voluptatum omnium varietate, &c.* De L. Manlio Torqoato videri etiam poſſunt, quæ in Boëthio à nobis adnotantur. Propertium, & Martialem (quem Ælius Verus Imperator ſuum Virgilium vocabat) Epicureis à Cozzando addictos ex ſola, puto, laſciva eorum vita: ex ipſa autem Philoſophos fuiſſe, non conſtat.

PYRRHONII.

CORNELIUS CELSUS

Sub primis Cæſaribus vixit, quo tempore Latini ſermonis puritas, & elegantia effloruit. Jus civile, & Philoſophiam monumentis illuſtravit: Rei militaris, & Rei ruſticæ libros edidit: qui & dignus, ut ait Fabius, vel ipſo propoſito, ut eum illa omnia tenuiſſe credamus. Columella citat ejus libros de Re ruſtica: & libro undecimo ipſum fuiſſe tradit non ſolum Agricolationis, ſed etiam univerſæ naturæ prudentem. Fabius Quintilianus in Rhetoricis, quamvis artis æmulus Celſum perſtringat, tamen ipſa veritate coactus ipſum eruditum virum appellat libro nono, & ſequenti ſic tradit: *Scripſit non parum multa Cornelius Celſus, Scepticos ſequutus, non ſine cultu, ac nitore.* Plinius vero ſæpe Celſum inter autores retulit in Indice librorum, qui primus inſcribitur. Apud Marcellum Empiricum autem quædam Epiſtolæ Celſo falſo tribuuntur. Hæc eſt Celſi vita ejus operibus præfixa. Addendum, ipſum ſcripſiſſe

Digitized by Google

etiam *de Rhetorica*, *& libros* 8. *de Re Medica*, qui & Latini ſermonis puritate, & rei doctrina, omnibus in precio ſunt. Vide Quintil. l.9. 10. & 12. Voſſ. de Philoſ. c.12. §.4. &c.

SEXTUS EMPIRICUS
ET
SEXTUS CHÆRONEUS.

SExtus Empiricus, ſic dictus quod Empiricæ Medicinæ ſectator erat, Herodoti Tarſenſis, Ariei filii, diſcipulus fuit, Philoſophus ſecta Pyrrhonius, profeſſione Medicus, in rebus Naturalibus, & in omni diſciplinarum genere longe verſatus. Scripſit hic *Pyrrhoniarum Hypotypoſeων libros tres*, varia eruditione refertos, quibus in tres Philoſophiæ partes acerrime inquiritur, quos latinos fecit Henricus Stephanus; & *libros decem adverſus Mathematicos*, opus quidem eruditum, quo omnium dogmata reprobare, ac nullas exſtare diſciplinas, nullumque certum docendi modum probare ſatagit. Qui autem ipſi tribuitur Tractatus de Medicina Animalium, non ejus, ſed cujuſdam Platonici eſt, ut ait Morery in Lex.

SEXTUS CHÆRONEUS, Plutarchi ex ſorore nepos, fuit tempore Marci Antonini Cæſaris Philoſophus, diſcipulus Herodoti Philadelphæi; erat autem Pyrrhoniæ ſectæ; & adeo in honore apud Regem, ut in judicando ſibi fecerit aſſeſſorem. Scripſit Ethica, & Epiſcepticos libros decem, &c. Verba ſunt Suidæ in Sexto. Præceptor hic fuit Marci Antonini Philoſophi, ut in ejus vita tradidit Julius Capitolinus, ubi ait: *Audivit & Sextum Chæronenſem, Plutarchi nepotem.*

Ingens tamen inter autores quæſtio eſt, ſitne Sextus Chæroneus idem qui Sextus Empiricus. Eundem multi faciunt ex allatis Suidæ verbis, qui Sextum Chæroneum, Plutarchi nepotem, Pyrrhoneum, Marci Antonini in judiciis aſſeſſorem, & de Sceptica doctrina ſcripſiſſe, affirmant. Dubitant alii: at omnino diverſum aſſerunt Caſaubonus, & Salmaſius in Notis ad Jul. Capitolinum in vita M. Antonini. Et primus quidem ait: *Marcus Sextum nominat tantum: Philoſtratus Sextum ex Bœotia Philoſophum: Suidas etiam Plutarchi nepotem, cum Capitolino. Sane in Græco, qui penes nos eſt, Codice, nuſquam aliter, quam* Σέξτος ὁ Ἐμπειρικὸς *autor ille nominatur. Adde, quod ille Empiricus, nullius dogmatis approbator, ne dum autor, omnium fuit everſor. Sextus hic Marci præceptor, non ea ſolum, quæ priores ſciverant ſapientes, nota habuit exacte: ſed ipſe etiam nonnullorum ſcitorum fuit autor, & primus inventor.* Salmaſius vero: *Dubitant viri docti, ſitne Sextus hic, cujus hodieque habemus adverſus reliquas Philoſophorum ſectas, diſſertationes. Sane Pyrrhoneum fuiſſe hunc Sextum Chæronenſem ſcribit Suidas: at in Græcis exemplaribus manuſcriptis* Ἐμπειρικὸς *vocatur ille Sextus. Hujus mentionem à Galeno factam reperi, qui quidem Galenus* σύγχρονος *hujus Sexti Chæronenſis fuit ſub Marco nempe Imperatore, ut videatur paullo antiquior Empiricus ille hoc noſtro Chæronenſi.*

Alius tamen fuit *Sextus*, ſive potius *Xiſtus*, Philoſophus Pythagoricus, quem eodem anno, ac Chriſtus Dominus, natum ait Euſeb. in Chronico. Hic celebre illud Ἐγχειρίδιον *Enchiridion ſententiarum* compoſuit, quod è Græco in Latinum vertit Rufinus. Riſu planè dignum eſt hunc confundere cum S. Xiſto Papa, & Martyre, ut quidam faciunt.

Sextum denique *Africanum* non præteream, qui, præter Chronologiam, ſcripſit etiam 9. libros Κεστῶν, quos Alexandro Mammææ filio dicavit.

ECLECTICI.

DE Eclecticorum Secta, ejus præcipuis Sectatoribus affatim ſupra in fine libri tertii hujus Hiſtoriæ dictum eſt. Nunc autem, ut de ipſis ſermo iterum inſtituatur, operæ pretium eſt; tum quia de iis, quos ibi retulimus, quædam addenda; tum quia Romanorum plerique hanc ſectam ſecuti ſunt. Imo, ſi verum fateri velimus, ſapientiſſimi quique Romanorum non uni ſectæ ſe addicere plerunque ſolebant; ſed omnium ſectarum doctrinæ ſtudebant, ut ex ſingulis, quæ ad veritatem magis accederent, ſeligentes, non ſectam, ſed veritatem ſequi viderentur: ut ex dicendis clarum fiet.

P. VIRGILIUS MARO.

EUſebius in Chron. ad Olympiad. 177. *Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, haud procul à Mantua naſcitur, Pompejo, & Craſſo Coſſ.* Natalis dies refertur ad annum 3. Olymp. 177. diem verò 15. Octobris anno Romæ 684. Patrem habuit Maronem figulum, ſive, ut plures tradunt, Magi cujuſdam viatoris mercenarium, deinde generum, quem agricolationi, reique ruſticæ ille præfecit. Matrem vero Majam, ſive Meliſſam, ſive Pollam, ut ſcribunt multi, quæ duplici præſagio ipſum in ſubjecta foſſa in itinere, quod cum marito, rus petente, faciebat, enixa eſt. Nocte enim, quæ partum præceſſit, ſomniavit, ſe laureum ramum enixam, qui vix terræ adhærens ſtatim coaluit, & in maturam arborem excrevit. Secundum præſagium hoc dicitur. Virga populea, more regionis in puerperiis eodem ſtatim loco depacta, ita brevi coaluit, ut populos multo ante ſatas æquaverit. Quæ arbor Virgilii ex eo dicta, atque conſecrata eſt, ſumma gravidarum, & fœtarum, religione ſuſcipientium ibi, & ſolventium vota, ut notat Donatus in Vita. A virga igitur, ſive illa laurea, ſive hac populea Virgilium potius dicendum cum Minutiano, Apulejo, Donato, aliiſque duxerim, cui Calvi illud ſuffragatur:

It vates, cui Virga dedit memorabile nomen
Laurea.

Græcique Codices adſtipulantur; quam Vergilium à Vergiliarum ſidere, ut Politianus cum aliis contendit; quamvis & Suidas ipſum, & Euſthatius etiam Οὐεργίλιον dicant. Tertium præſagium alii ejus vitæ ſcriptores addunt, & quartum. Quod ſcilicet, ut Phocas ait:

Læta cohors apium ſubito per rura, jacentis
Labra favis texit. - - - -

Tum etiam quod

Infantem vagiſſe negant: nam fronte ſerena
Conſpexit Mundum, cui commoda tanta ferebat.

Vide cit. Phocam in carmine Natalis Virgilii, Jovian. l. 5. Eridani, & 2. Uraniæ. Politianum in Manto, &c.

Ætatis initia, ad ſeptimum ſcil. annum, Cremonæ egit: anno deinde 17. virilem togam ſumſit, iiſdem Conſulibus, quibus natus eſt: quo ipſo die Lucretius Poëta deceſſit; quamvis alii malint, Lucretium eodem die obiiſſe, quo Virgilius natus eſt, ut refert P. Crinitus de Honeſta Diſcipl. l. 24. c. 4. Euſeb. etiam ad Olymp. 180. ait, Virgilium Cremonæ ſtuduiſſe. Ad Olymp. autem 182. *Virgilius ſumta toga Mediolanum tranſgreditur, & poſt breve tempus Romam pergit.* Verum Donatus ait: *Sed Virgilius Cremona Mediolanum, & inde paulo poſt Neapolim tranſiit: ubi cum literis & Græcis, & Latinis vehementiſſimam operam dediſſet, tandem omni cura, omnique ſtudio indulſit Medicinæ, & Mathematicæ. Quibus rebus cum ante*

alios

alios eruditior, peritiorque eſſet, ſe in Urbem contulit; ſtatimque Magiſtri ſtabuli equorum Auguſti amicitiam nactus, multos, varioſque morbos incidentes equis curavit. At ille in mercedem ſingulis diebus panes Virgilio, ut uni è ſtabulariis, dari juſsit. Interea à Crotoniatis pullus equi miræ pulcritudinis Cæſari dono fuit miſſus: qui omnium judicio ſpem portendebat virtutis, & celeritatis immenſæ. Hunc cùm adſpexiſſet Maro, magiſtro ſtabuli dixit, natum eſſe ex morboſa equa, & nec viribus valiturum, nec celeritate: idque verum fuiſſe inventum eſt. Quod cum magiſter ſtabuli Auguſto recitaſſet, duplicari ipſi in mercedem panes juſſit. Cum item ex Hiſpania Auguſto canes dono mitterentur, & parentes eorum; dixit Virgilius & animum, celeritatemque futuram. Quo cognito, mandat iterum Virgilio panes duplicari. Deinde narrat idem autor celebrem hanc ad Auguſtum facetiam. Quum de Auguſto dubitaretur, Octavii, an alius eſſet filius; Virgilium ipſe ſolum in penitiorem Aulæ partem vocans, ab eo quæſivit, ut ſi ex ſua divinandi arte, quam perfecte callere in equorum, & canum naturæ abditis cognoſcendis oſtenderat, ſcire poſſet, cujuſnam ipſe filius eſſet, ſibi oſtenderet; quod ſi verum pro rogatu dixerit, beatum ipſum, ac felicem redderet. Cui Maro: Si impune, ò Cæſar, licenterque quæ ſentio loqui dabitur, id dicam: Cumque Cæſar jurejurando affirmaſſet, ſe nullum ejus dictum ægre laturum, immo nonniſi donatum ab eo diſceſſurum; Maro ſic locutus eſt: *Quantum, ò Cæſar, rem intelligere poſſum, piſtoris filius es.* Obſtupeſcens Auguſtus, quomodo id fuerit, quæſivit. Ex eo id conjicio, inquit Maro, quia mihi abſcondita quædam de animalium natura ſecreta enuncianti, & prædicenti, iterum atque iterum panes in mercedem dari juſſiſti: quod piſtoris, vel piſtore nati proprium eſt. Placuit Cæſari arguta hæc facetia. Deinde inquit: Deinceps non à piſtore, ſed à Rege magnanimo dona accipies. Quare eum & plurimi ſemper fecit, & Pollioni commendavit; cui, & aliis Aulæ primoribus, cariſſimus fuit.

Quod autem ad corporis temperiem ſpectat, hæc Donatus: *Corpore, & ſtatura fuit grandi, aquilino colore, facie ruſticana, valetudine varia, nam plerumque ab ſtomacho, & faucibus, ac dolore capitis laborabat: ſanguinem etiam ſæpius ejecit.* De Virgilii moribus ex Pediano habemus, benignum fuiſſe, invidiæ expertem, bonorum, atque eruditorum hominum cultorem, & amicum; liberalem præterea, cujus Bibliotheca omnibus patebat. Illud ſæpe repetebat: *Omnia amicorum ſunt communia*: patiens, comis, humanus, bonos laudabat, vituperabat neminem. Quare Poëtæ omnes ſibi coævi ipſum ſumme diligebant, Varius, Tucca, Horatius, Propertius, & Gallus. Ejus patientiæ vel hoc argumentum eſſe poterit. Cum diſtichon, quod Auguſti laudem continebat, feciſſet, ac in valvis, non nominato autore, poſuiſſet:

Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula mane:
Diviſum imperium cum Jove Cæſar habet.

Cæſar diu, ſed fruſtra verſuum autorem quæſivit. Quare cæteris tacentibus, Bathyllus quidam, Poëta mediocris ſibi adſcripſit: unde & honorem, & dona à Cæſare tulit. Cujus rei Maro vindictam nullam ferens; tantum iiſdem valvulis hoc verſiculi principium, quater replicatum affixit: *Sic vos non vobis.* Poſtulabat Auguſtus, ut verſus complerentur. Quod cum alii fruſtra conati eſſent; Virgilius præpoſito diſticho ſic ſubjunxit:

Hos ego verſiculos feci; tulit alter honores.
Sic vos non vobis nidificatis, aves.
Sic vos non vobis vellera fertis, oves.
Sic vos non vobis mellificatis, apes.
Sic vos non vobis fertis aratra, boves.

Autore

Autore igitur cognito, Bathyllus fabula Romæ fuit, Virgilius vero majorem gloriam indeptus eſt; atque Auguſto tam gratioſus fuit, ut quæcumque peteret, obtineret. Cæſare tamen bona cujuſdam exſulantis offerente, Maro recipere paſſus non eſt. Domum habuit juxta hortos Mecœnatis, atque ex amicorum liberalitate prope centies ſeſtertium poſſedit.

Poſtremo de ejus morte, mortiſque occaſione, & loco, hæc habet Donatus: *Anno vero quinquageſimo ſecundo, ut ultimam manum Æneidi imponeret, ſtatuit in Græciam, & Aſiam ſecedere, triennioque continuo omnem operam limitationi dare, ut in reliqua vita tantum Philoſophiæ vocaret. Sed cum aggreſſus iter Athenis occurriſſet Auguſto, ab Oriente Romam revertenti, una cum Cæſare redire ſtatuit. At cùm Megara, vicinum Athenis oppidum viſendi gratia peteret, languorem nactus eſt: quem non intermiſſa navigatio auxit, itaut gravior in dies fieret: tandem Brunduſium adventavit: ubi diebus paucis obiit* 10. *Kal. Octobr. Cn. Plautio, & Q. Lucretio Coſſ. . . . Voluit etiam ſua oſſa Neapolim transferri, ubi diu, & ſuaviſſime vixerat, ac extrema valetudine hoc ſibi ipſe Epitaphion fecit diſtichon:*

Mantua me genuit; Calabri rapuere; tenet nunc
Parthenope: cetini paſcua, rura, duces.

Translata igitur juſſu Auguſti ejus oſſa, prout ſtatuerat, Neapolim fuere, ſepultaque via Puteolana intra lapidem ſecundum, ſuoque ſepulcro id diſtichon, quod fecerat, inſcriptum eſt. Hæredes fecit ex dimidia parte Valerium Proculum, fratrem ex altero patre: ex quarta Auguſtum: ex duodecima Mecœnatem: ex reliqua L. Varium, & Plotium Tuccam. Quum autem Æneidis imperfectum, nec emendatum opus morti jam proximus comburere vellet, Auguſtus id prohibuit: quare ipſam dictis Vario, & Tuccæ, vatibus ei familiaribus, emendandam hac lege reliquit, ut nihil ei adderent. Quod confirmat Euſeb. ad Olymp. 191. *Varus* (ſive Varius, ut ſcribunt Horatius, Donatus, & alii) *& Tucca, Virgilii, & Horatii contubernales Poëtæ habentur illuſtres, qui Æneidum libros poſtea emendaverunt ſub ea lege, ut nihil adderent.*

Notandum tamen hic primo eſt, Euſebium afferere, Virgilii obitum Olympiade 190. eveniſſe, Sentio Saturnino, & Lucretio Cynna Coſſ. anno Romæ 735. non autem iis, qui ſupra: eumque vixiſſe quoſdam putare annos 51. Notandum ſecundo, dictum *Calabri rapuere* ad mortis locum deſignandum: nam Brunduſium, urbs Salentinorum inter Hydruntum, & Barium poſita in agro Salentino, à Stephano, Ptolemæo, aliiſque antiquis Geographis, Calabriæ urbibus adnumerabatur.

Scripſit Virgilius, Poëta Latinorum ſine controverſia Princeps, *Bucolica* ad Eclogas decem ſuaſu Aſinii Pollionis, in quibus Theocritum imitatus eſt: eaſque triennio, ut ait Donatus, ſive annis ſeptem, ut vult Drexel. elaboravit: in quibus Aſinium Pollionem, Alphenum, Varum, & Cornelium Gallum celebravit. Bucolica ſic compoſita ut in ſcena à Cantoribus recitarentur. Cum autem Cicero tum ſenex quoſdam Eclogæ verſus in theatro audiviſſet, atque acri judicio intellexiſſet, eos non communi vena editos; ſtatim juſſit, ab initio totam Eclogam recitari, qua attente conſiderata, in fine ait: *Magnæ ſpes altera Romæ*: quod hemiſtichion poſtea Virgilius Æneidi inſeruit. Et Tacit. (ſive potius Quintilianus hujus operis autor ſit) Dialog. de Orat. ait: *Plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam, quam Virgilii detrectent.* Et paullo poſt honorem ei à populo in theatro habitum ſic expreſſit: *Teſtes Auguſti epiſtolæ, teſtis populus Romanus, qui, auditis in theatro verſibus Virgilii, ſurrexit univerſus, & forte præſentem, ſpectantemque Virgilium veneratus eſt ſic, quaſi Auguſtum.*

Geor-

Georgica ad imitationem Heſiodi ſeptennio Neapoli confecit, teſte eodem Donato; quæ Mecœnati inſcripſit. Hæc cum ſcriberet, traditur, med tat s mane plurimos verſus, per totum diem retractando, ad pauciſſimos eos redegiſſe; unde & dicere ſolebat, ſe Urſæ modo parere, & lambendo demum effingere. Georgica reverſo ab Attica Victoria Auguſto, & ad reficiendas vires Atellæ commoranti, per continuum quatriduum Virgilius legit, Mecœnate legendi vicem ſuſcipiente, quoties ipſe vocis offenſione interpellaretur.

Æneida, mirabile opus, partim in Sicilia, partim in Campania, undecim confecit annis, & in 12. libros digeſſit. Ad 24. tamen libros, ut Homerus, ſi diutius vixiſſet, erat compoſiturus, ut in Scaligerana 2. ex omnibus veteribus deductum legimus. Æneidis argumentum varium, & multiplex, & quaſi amborum Homeri carminum inſtar; in qua hoc maxime ſtuduit, ut in ea Romanæ ſimul Urbis, & Auguſti origo contineretur. Ipſam vero ſoluta prius oratione formaſſe dicitur. Æneidis vix cœptæ tanta extitit fama, ut Sext. Propertius dixerit:

Cedite Romani ſcriptores, cedite Graji.
Neſcio quid majus naſcitur Iliade.

Auguſtus jugiter urgebat, ut Virgilius Æneidis verſus aliquos ipſi recitaret; quod Virgilius diu diſtulit. Tandem ejus libros ſecundum, quartum, & ſextum recitavit, & hunc præcipue ob Octaviam, quæ, cum recitationi intereſſet, ad illos de filio ſuo verſus. *Tu Marcellus eris, &c.* defeciſſe fertur; atque ægre refocillata dena ſeſtertia pro ſingulis verſibus Virgilio dari juſſit. Unde Budæus de Aſſe l. 3. *Virgilii verſus vere aureos jure appellare poſſis, quod ab Octavia pro viginti verſiculis, quinque aureorum millia acceperit.* Tot enim, viginti, ſive 21. ſunt verſus, in quibus de Marcelli rebus loquitur Poëta.

Innumera pene ſunt præclara autorum omnium de Virgilio teſtimonia; quorum pauca, ſed potiora hic adnotaſſe ſufficiat. Lud. Viv. de tradend. diſcipl. l. 3. *Æneis Virgilii grande opus, & plenum gravitatis, ac rerum bonarum, & quod Iliadi non concedat.* Macrob. in Somn. Scip. l. 1. c. 7. & l. 2. c. 8. *Homericæ perfectionis in omnibus imitator Maro: diſciplinæ nullius expers, & quem nullius diſciplinæ error involvit.* Et l. 1. c. 24. *Hæc eſt Maronis gloria, ut nullius laudibus creſcat, nullius vituperatione minuatur.* Jul. Scalig. in Critico, & paſſim, Homerum à Virgilio longe ſuperatum aſſerit, dum ait: *Homerici verſus in terra, Virgiliani inter Muſas à Phœbo facti videntur: ille Græculus Circulator, is regiæ orationis autor. Virgilius Magiſter eſt, Homerus diſcipulus. Hic verus Poëta, ille Foraneus Narrator. Homerus moles quidem eſt, ſed rudis, & indigeſta: Virgilius Matrona honeſta . . . Virgilius vates ſuaviſſimus, nitidiſſimus, pulcherrimus, ſplendidiſſimus, dulciſſimus, politiſſimus . . . Apollo ipſus, cum paſtor eſſet, jucundioribus, aut teretioribus non cecinit numeris . . . Ineſt in eo phraſis regia, & ipſius Apollinis ore digna . . . Sic puto loqui Deorum proceres in conciliis Cœleſtibus . . . Non, ſi ipſe Juppiter Poëta fiat, melius loquatur.* Et Poëtic. lib. 3. c. 2. *Virgilius ſolus Poëtæ nomine dignus eſt.* Et paucis, ſed omnium maximis in Scaligerana 1. p. 148. *De Virgilio nunquam loquendum, nam omnes omnium laudes ſuperat.* Poëtam huculque vidimus, videamus modò Philoſophum.

In id omnes conſentiunt, Virgilium Philoſophiæ ſtudiis imbutum optime fuiſſe; ſed cujus doctrinæ ſectator fuerit, non una autorum mens eſt. Donatus in Vita Platonicum facit; quamvis & aliarum ſectarum doctrinas didiciſſe aſſerat. Labitur tamen vir doctus L. Cozzandus, qui l. 6. c. 1. de Magiſt. veterum Philoſophorum Virgilium Epicureum dicit; atque Donatum hujus ſententiæ auto-

Digitized by Google

autorem citat: Sed prima tantum Donati ſententiæ verba legerat Cozzandus, non ultima. Quamvis enim dicat: *Audivit à Syrone præcepta Epicuri: cujus doctrinæ ſocium habuit Varum*. Suam tamen ſententiam continuo hanc ſubdit: *Quamvis diverſorum Philoſophorum opiniones libris ſuis inſeruiſſe de animo videatur; ipſe tamen fuit Academicus; nam Platonis ſententias omnibus aliis prætulit*. Fateor quidem, me lib. 3. hujus Hiſt. in calce Epicuri Virgilium cum Voſſio de Philoſ. ſect. Epicureis adnumeraſſe: Verum optimis modo rationibus, & autoritatibus adducor, ut ipſum inter Eclecticos potius recenſeam. Et profecto ex ipſius Donati ſententia modo adducta, quod *Diverſorum Philoſophorum opiniones libris ſuis inſeruiſſe de animo videatur*, non deducitur, Platonicum fuiſſe (quod pace tanti viri dixerim) ſed Eclecticum: multarum enim ſectarum doctrinam non tantum didicit, ſed etiam ſecutus eſt, nam *libris ſuis inſeruit*. Petrus Crinitus de Honeſta Diſcipl. l. 5. c. 11. *Pro comperto apud omnes eſt, P. Virgilium omnium Philoſophorum decreta, atque opiniones egregie calluiſſe: quod ipſum cùm locis multis probavit, tum in lib. maxime Æneid. 6. in quo ſatis, abundeque videtur aſſeruiſſe, quantum videlicet humanas omnes, atque divinas diſciplinas didicerit. Sed quæ de Cocyto*, &c. Quare non parum miror, nedum Cozzandum, ſed etiam Voſſium, virum doctiſſimum, atque alios, ipſum Epicureum feciſſe. Non inficior ſane, Virgilium 6. Ecloga ſic ceciniſſe:

> *Namque canebat, uti magnum per inane coacta*
> *Semina terrarumque, animæque, mariſque fuiſſent,*
> *Et liquidi ſimul ignis*, &c.

Ubi Silenus Paſtor Chromin, & Mnaſilum pueros docet primam rerum originem juxta doctrinam Epicuri, additque varias fabulas. Per Silenum enim Syronem Epicureum Philoſophum; per Chromin, & Mnaſilum, Virgilium, & Varum, Syronis diſcipulos, intelligunt Interpretes. Atqui Virgilium nulli peculiari ſectæ adhæſiſſe, ſed Eclecticum fuiſſe, vel ex hoc deduci poterit, quod ſi in hac Ecloga Epicureum agit, alibi ſæpe ad Pythagoram, vel Platonem deflectit, vel Ariſtotelem. Ex Ariſtotele quidem, & Theophraſto, ejus diſcipulo, hauſit quæ Georg. 1. 2. & 4. plura ſcripſit. De Pythagoræ Metempſychoſi, ſive tranſitione animarum in alia corpora, abunde loquitur Æneid. 6. De Platonica doctrina nil dicam, quam præ aliis ſecutus eſt. Unde Auguſtinus ait, Virgilium ex Platonis dogmate locutum; & Platonis ſententiam luculentis verſibus explicaſſe: & à Cœl. Rhodig. paſſim dicitur Platonicus Poëta, affatim Platonicis imbutus ſacris: Reconditioris ſcientiæ Poëta nobilis, Platonicorum myſteriis ampliter imbutus. Et Pierius l. 3. aſſerit, à Virgilio currum cum Platone ad palmam agitari. Atque ex hac Platonis doctrina, cui omnium maxime addictus erat, ortum fortaſſe, ut Theologis, ac Moralibus Philoſophis adnumeraretur.

Accedit, quod de Animæ immortalitate, & Deorum Providentia non ut Epicureus ſentiebat, ſed ut verus Platonicus. Et Animæ quidem hac vita defunctæ, Elyſium, vel Tartarum pro meritis ſtatuit: Deos verò mundi rectores, malorum bonorumque datores; atque eorum iram timendam, captandam gratiam, quam ſæpiſſime ubique teſtatus eſt. De Elyſio ſic Æn. 5. . . .

> - - - : *Sed amæna piorum*
> *Concilia, Elyſiumque colo.*

De Tartaro autem ita ſcribit Æn. 6.

> - - - - *Tum Tartarus ipſe*
> *Bis patet in præceps tantum, tenditque ſub umbras,*
> *Quantus ad æthereum Cœli ſuſpectus Olympum.*

His

His addit Joh. Maroſh. in can. Chron. Virgilium Topographiam Infernam accuratiſſime depinxiſſe, eamque in ſeptem Manſiones diviſiſſe 1. *Infantum*. 2. *Falſo damnatorum*. 3. *Eorum, qui ſibi manus intulerunt*. 4. *Amantium*. 5. *Bellatorum*. 6. *Tartari*. 7. *Elyſii*. *Hæc ſi cum ſuperioribus comparentur, nihil fere à Virgilio, quod non prius ab Homero, aut Platone dictum, reperies*. Ad probandam denique hanc meam ſententiam, Virgilium Eclecticum fuiſſe; temporis etiam ratio concurrit. Potamon enim hujus ſectæ inſtitutor Virgilii Synchronos fuit, nam & Auguſti tempore vixit.

Ipſum igitur Philoſophum præclariſſimum nedum omnes ejus vitæ ſcriptores, ſed autorum plurimi uno ore fatentur, Macrobius, Hieronymus, Auguſtinus, Vives, qui ait: *Summe omnibus Philoſophiæ numeris abſolutus*. Et Scaliger paſſim: *Ex Philoſophiæ veritate locutus eſt*. *Eſt optimus Philoſophus*. *Cum Poëſi adjungit Philoſophiam*. *Excutit vir admirabilis Philoſophiæ penum*. *Bonus Philoſophus*. *Loquitur ex Adytis Metaphyſicæ*.

Denique Virgilius ubique Philoſophum ſe oſtendit, & Aſtronomum eximium. Sic, præter allatum Ecl.6. locum, in Georg. initio:

Tempore, quo gelidus canis de Montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſolvit, &c.

Et Æneid. 1. in fine:

Hic canit errantem Lunam, ſoliſque labores,
Unde hominum genus, & pecudes, unde imber, & ignes:
Arcturum, pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones:
Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Et alibi paſſim in ejus operibus. Scripſit, præter dicta, Epigrammata, Culicem, & alia Poëmatia.

Alexander Severus Imp., ut ſcribit Lampridius in Vita, Virgilium Platonem Poëtarum vocabat, ejuſque imaginem cum Ciceronis ſimulacro in ſecundo Larario habuit, ubi & Achillis, & magnorum virorum. Sic Homerus, & Virgilius, Alexandrum uterque ſuum ſortiti videntur.

Vide doctiſs. Lud. de la Cerda in Elogiis Virgilii, præfixis ejus operibus, eruditis commentariis ab eodem illuſtratis. Donatum (ſive Ælius Donatus, Grammaticus Divi Hieronymi præceptor, Romæ ſec. 4. vivens; ſive potius Tiberius Claudius Donatus ejus, quæ circumfertur, Virgilii vitæ autor ſit, quæ Voſſii opinio eſt: ſive à multis à Virgilii ætate ad nos uſque elaborata, & in unum congeſta, ut alii putant) Servium in Virg. atque alios. Quæ autem extat Virgilii Vita à Sebaſtiano Corrado conſcripta, & Virgilii operibus cum notis Min-el. editis præfixa, non eſt niſi vulgatæ illius à Donato conſcriptæ cenſura, qua contra hunc, & omnes fere Vitæ Virgilii ſcriptores, invehitur, & vel anachroniſmi, vel falſitatis crimine damnat. Sed, an recte, alii videant. Sic Virgilium neque à Virga, neque à Vergiliis ſtellis dictum affirmat, ſed à Virginitate, quia græco nomine Parthenias etiam dicebatur. Dictum illud à Cicerone in laudem Virgilii: *Magnæ ſpes altera Romæ* falſum eſſe, aſſerens; Ciceronem jam mortuum antequam Virgilius Romam veniret, affirmat: Neque unquam Æneida cremare voluiſſe; neque de hoc Auguſti verſus extare, &c. Tandem refert, Suetonium ſcriptum reliquiſſe, Q. Cæcilium Epirotam Grammaticum primum fuiſſe, qui Virgilii libros publice ſit interpretatus.

Q. HORATIUS FLACCUS.

VEnuſia, ſive Venuſium, ut ſcribit Horatius, Urbs eſt Regni Neapolitani in Baſilicata ad radices montis Apennini, parva quidem, ſed principatus titulo clara: quam Ptol. Strab. Plin. & alii Apuliæ Peuceticæ in Lucaniæ confinio ſitam dicunt. In ea natus eſt Q. Horatius Flaccus, Venuſinus Poëta inde dictus, 6. Id. Decemb. a. U. C. 687. L. Aurel. Cotta, & L. Manlio Torquato Coſſ. ut habetur in ejus vita, cujus Suetonius autor dicitur, & confirmat Lamb. ad Od. 21. l 3. ubi Hor.

O nata mecum Conſule Manlio;

Et ad Od. 13. lib. Epod. ubi id. Horat.

Tu vina Torquato move
Conſule preſſa meo.

Horatium natum vult Euſeb. in Chron. an. 1. Olymp. 197. inquiens: *Horatius Flaccus Satyricus, & Lyricus Poëta libertino patre naſcitur.* Et libertino patre natum ſe ipſe fatetur lib 1. Sat. 6. ubi

- - - - *Ut me libertino patre natum.*

Et infra:

Nunc ad me redeo libertino patre natum:
Quem rodunt omnes libertino patre natum.

Et in Ep. ad lib. ſuum, quæ eſt lib. 1. 20.

Me libertino natum patre, & in tenui re
Majores pennas nido extendiſſe loquetis:
Ut, quantum generi demas, virtutibus addas.

Pater hic ſuus libertinus, & exactionum coactor, Salſamentarius etiam quibuſdam traditur ex eo, quod Horatio quidam in altercatione exprobraſſet: *Quoties ego vidi patrem tuum brachio ſe emungentem?*

Habitu corporis brevis fuit, atque obeſus, qualis à ſemetipſo deſcribitur Sat. 3 lib. 2.

- - - - *longos imitaris, ab imo*
Ad ſummum totus moduli bipedalis - - - -

Et in Epiſt. ad librum, ubi ſe in bello, & in Urbe cum primis familiaritatem habuiſſe ait; Suique corporis, & animi vitia narrat, dicens:

Me primis Urbis belli placuiſſe, domique:
Corporis exigui, præcanum, ſolibus aptum,
Iraſci celerem, tamen ut placabilis eſſem.

Hinc Auguſtus ſæpe ipſum, inter alios jocos, putiſſimum penem, & homuncionem lepidiſſimum appellabat. Ejus corporis formam expreſſit etiam idem Auguſtus hac epiſtola: *Pertulit ad me Dionyſius libellum tuum: quem ego, ne accuſem brevitatem, quantuluſcumque eſt, boni conſulo. Vereri autem mihi videris, ne majores libelli tui ſint, quàm ipſe es. Sed ſi tibi ſtatura deeſt, corpuſculum non deeſt, &c.*

Primos ætatis annos, poſt exactos Romæ literarum ſtudii labores, militiæ devovit, Bruti, & Caſſii arma ſecutus: ſub quibus Tribunus militum eſſe meruit. Deinde militiâ ſe abdicans, Romam redit; ubi Mecœnati potiſſimum, & Auguſto gratioſus vivens, non mediocrem in amborum amicitiâ locum tenuit, ab utroque eximia liberalitate locupletatus. Auguſtus epiſtolarum quoque officium ei obtulit, ut ex hoc ad Mecœnatem ſcripto: *Ante ipſe ſufficiebam ſcribendis epiſtolis amicorum; nunc occupatiſſimus, & infirmus, Horatium noſtrum te cupio adducere. Veniet igitur ab iſta paraſiticâ menſa ad hanc regiam, & nos in epiſtolis ſcribendis adjuvabit.* Ipſi tamen recuſanti

nec

nec ſuccenſuit, nec amicitiam ſuam ſuggerere deſtitit: imò magni ſemper & ipſum, & ſua carmina æſtimavit.

De Horatii obitus tempore varia eſt autorum opinio. Suetonius in Vita: *Deceſſit 5. Kal. Decemb. Cajo Mario Cenſorino, & Cajo Aſinio Gallo Coſs. poſt nonum, & quinquageſimum annum, hærede Auguſto palam nuncupato, cùm urgente vi valetudinis, non ſufficeret ad obſignandas teſtamenti tabulas. Humatus, & conditus eſt extremis Exquiliis juxta Mecœnatis tumulum*. S. Hieron. in Chron. a. 3. Olymp. 192. quinquageſimo ætatis anno Romæ mortuum eſſe, memorat. Alii denique obiiſſe tradunt an. Imperii Auguſti 33. ætatis verò 63. Morery a. Romæ 746. ſive 747. æt. 57.

Scripſit *Carminum* libros 4. *Epodon* unum: *Satyrarum*, ſeu *Sermonum*, ſeu *Eclogarum* libros duos: *Epiſtolarum* libros totidem: denique *Epiſtolam de Arte Poëtica ad Piſones*. De quibus hæc eſt optimorum Criticorum cenſura. Quintil. l. 10. c. 1. *Horatius ad notandos hominum mores præcipuus, purus imprimis, & terſus - - - At Lyricorum idem Horatius fere ſolus legi dignus, nam & inſurgit aliquando, & plenus eſt jucunditatis, & gratiæ, & variis figuris, & verbis feliciſſime audax*. Scalig. Hypercrit. p. 867. *Horatius eſt omnium Latinorum, Græcorumque Poëtarum elaboratiſſimus*. Et Scaligerana 1. p. 91. *Horatius emendatiſſimus autor, ut dicebat Auguſtus*. Vide Pope-Blount.

Philoſophum fuiſſe, ipſe de ſe, & ejus ſcripta teſtantur, & omnes uno ore fatentur. Cujus tamen ſectæ fuerit, non una autorum mens. Cozzandus de Magiſterio Antiqu. Philoſ. l. 6. c. 1. multorum opinionem ſecutus, Epicureum facit, dum de Epicuri ſecta loquens ait: *Eandem amplexati ſunt nobiliſſimi Poëtarum Q. Horatius Flaccus, ut illud urbane dictum, & ad vulgi ſenſum ſatis declarat epiſt. 4. l. 1.*

Me pinguem, & nitidum bene curata cute viſes:
Cùm ridere voles Epicuri de grege porcum.

Verùm hoc de ſe dictum tantum abeſt, ut ipſum Epicureum oſtendat, quin potiùs Antiepicureum denotet, cùm hoc ad Epicuri contemtum dictum videatur. Corpore enim, ut diximus, brevis erat, & obeſus nimium, tanquam porcus de grege Epicuri. Forſitan eum Epicureum hujus ſententiæ aſſertores dixerint, quòd Epicureorum more (ut vulgo dici ſolet) quia dives ex aliena liberalitate factus, dulcem, ac voluptuoſam vitam ducens, ad res venereas intemperantior erat adeo, ut ſpeculato cubiculo uſus ſit. Sed, præterquamquod adhuc ſub judice lis eſt, quid Epicureæ voluptatis nomine veniat, corporis ne, an animi; quis inde educet, Epicureum fuiſſe, cùm plerique alias etiam ſectas ſecuti voluptuoſius vixerint? Tandem quomodo Epicureus hic de Jove diceret:

Dextera ſacras jaculatus arces
Terruit Urbem.

Et epiſt. 4. l. 1. ad Tibullum:

Dî tibi divitias dederant, artemque fruendi.

Et alibi, ſi ſæpiſſime de Deorum Providentia optime ſentiret?

Platonicum alii faciunt, ex hoc ipſo fortaſſe, quòd de Diis, Anima, atque aliis, ut Platonicus locutus ſit. Verùm hoc ultro quidem fateor, Horatium Epicuream, Platonicam, aliarumque ſectarum doctrinam calluiſſe: nulli tamen ipſarum ſe devoviſſe aſſero.

Eclecticum autem fuiſſe non affirmarem, niſi id ex ejuſdem Horatii verbis eduxerim; qui jam natu grandior epiſt. 1. l. 1. ad Mecœnatem ait, ſibi ad ſeverius Philoſophiæ ſtudium tranſeundum, quod

Æque pauperibus prodeſt, locupletibus æque:

Æque neglectum pueris, ſenibuſque nocebit.

Eclecticamque ſibi philoſophandi rationem propoſuit amplectendam, inquiens:

Nunc itaque & verſus, & cætera ludicra pono:
Quid verum, atque decens, curo, & rogo: & omnis in hoc ſum.
Condo, & compono, quæ mox depromere poſſim.
Ac, ne forte roges, quo me duce, quo Lare tuter:
Nullius addictus jurare in verba magiſtri,
Quo me cumque rapit fortuna, deferor hoſpes.

Miror tamen, Lambinum, virum cæteroqui eruditiſſimum, in Comment. ad hunc locum ex allatis Horatii ultimi verſus verbis educere, ipſum Academicum fuiſſe dicentem: *Videtur ſignificare, ſe eſſe Academicum, quorum eſt nulli rei aſſentiri.* Nam ecquis eſt, qui non videat, per verba illa *Nullius addictus jurare in verba magiſtri, &c.* non aſſenſus retentionem, quæ Academicorum quorundam erat, ſignificari; ſed nulli magiſtro, nullique ſectæ addictum eſſe, ut in magiſtri verba, etiam contra veritatem aſſerta, jurandum ſit, ut ſectatorum, quos vocant, mos eſt, præcipue Pythagoreorum, quibus in magiſtri verba jurare & mos erat, & lex. Magis autem miror, in hujus ſententiæ confirmationem locum Ciceronis proferre in procemio lib. 4. Tuſculan. *Nos inſtitutum tenebimus, nulliſque unius diſciplinæ legibus adſtricti, quid ſit in quaque re maxime probabile, maxime requiremus.* Et procemio lib. 2. *Noſque ipſos redargui, refellique patiamur. Quod ii ferunt iniquo animo, qui certis quibuſdam, deſtinatiſque ſententiis quaſi addicti, & conſecrati ſunt, eaque neceſſitate conſtricti, ut etiam quæ non probare ſoleant, ea cogantur conſtantiæ cauſſa defendere.* Ex quibus clare evincitur, de Eclecticorum, non Platonicorum more in ipſis Ciceronem locutum eſſe. Poſt pauca tamen verba, in commentario ſcil. ad ſequentem verſum

Quo me cumque rapit fortuna, deferor hoſpes,

palinodiam canit, dum ait: *Tralatio perpetua eſt à navigantibus ducta. Significat, ſe ſervire temporibus, ideſt, pro natura, & ratione temporum hanc, vel illam diſciplinam, non ſemper unam, eandemque ſequi, ac probare. Idem dicit. Significat enim, ſe interdum Stoicorum, aut Peripateticorum diſciplinam colere, ac probare.* Sed quid fruſtra pluribus immoror? Eclecticum ſe apertiſſime oſtendit his ſtatim ſequentibus verſibus:

Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus ſubjungere conor.

P L O T I N U S

VUlgo Platonicus audit, imo & Platonicorum princeps, cujus ore Platonem ipſum locutum diceres: unde & Divus Auguſtinus contra Academicos l. 3. c. 18. eum eſſe dixit: *In quo Platonis os illud, quod in Philoſophia purgatiſſimum, & lucidiſſimum, dimotis nubibus erroris, maxime revixit.* Et de Civ. Dei l. 8. c. 10. *Plotinus certe noſtræ memoriæ vicinus temporibus, Platonem cæteris excellentius intellexiſſe laudatur.* Macrobius quoque Principem Philoſophiæ facit Plotinum cum Platone. Marſilius Ficinus in Epiſt. ad Lect. Plotini operibus præfixa: *Qui hunc audit, Platonem audire ſe putet: aut enim in Plotino Plato revixit, aut Dæmon idem prius Platonem, deinde Plotinum afflavit.* Joh. Card. Bona in Notit. Autorum, Plotinum *Platonicum profundiſſimum, & à populari captu omnino disjunctum*, appellavit. Et, ut cæteros miſſos faciam, Hofmannus in Lex. Platonicum facit Plotinum; cujus vitæ epi-

epitomen talem ibi præbet: *Philoſophus Platonicus, Ægyptius natione, è civitate Lyco, diſcipulus Ammonii Philoſophi Chriſtiani, præceptor Porphyrii; Galieni, Taciti, & Probi temporibus. Sub Philippo Romæ docuit non idololatras modò, ſed & Chriſtianos habuit auditores, à quorum Religione non multum abhorrere creditus eſt. Civitatem conditurus ad Platonis ideam, Galieni Imperatoris opem imploravit; ſed hic à Conſiliariis ſuis eſt abſterritus. Fuit corpore gracili, tenui valetudine, morboque ſacro obnoxius. Scripſit de rebus Philoſophicis libros 54. in Enneadas ſex diſtributos, quos Latine interpretatus eſt Marſilius Ficinus. Porphyrius illum contra Gnoſticos quoque ſcripſiſſe addit. Doctrinam ejus Ficinus egregie explicavit. Obiit anno 270. ætatis 66. Amelii præceptor: tanta virtutis veneratione ſuperſtitibus relicta, ut aræ paſſim ipſi, veluti Deo, extruerentur.*

Verùm adducta autorum teſtimonia nil obſtant, quin Plotinum Eclecticum dicamus, modò memoria recolatur, quod libro tertio hujus Hiſtor. in fine de ſecta Eclectica diximus, Potamonem ſcil. hujus ſectæ inſtitutorem, ejuſque ſectatores, Platonis doctrina præ cæteris delectatos fuiſſe: imo & idem Potamon Commentarium in Platonis librum de Rep. ſcripſit. Atque hinc factum, ut majorem Eclecticorum partem Platonicis adnumeratam reperias. Plotinum tamen Eclecticum potius, quam Platonicum dicendum, clare evincitur, tum quòd ipſe Ammonii, qui Eclecticus erat, diſcipulus fuit; tum etiam quia aliorum doctrinam calluit, amplexus eſt, docuit: ut in ipſius libris videre eſt, qui non modò Platonicam, ſed etiam Pythagoricam, Peripateticam, & Stoicam doctrinam continent. Adde quod habet Voſſius de Philoſ. ſect. pag. 72. *De Platonicæ, ut & Pythagoricæ Philoſophiæ Principiis ſcripſere olim Numenius, Cronius, Moderatus, & Thraſyllus, qui Tiberiano ævo vixit. Sed omnium ante ſe induſtriam curâ accuratâ vicit Plotinus.* Et Cozzandus l. 1. c. 7. (quamvis & ipſe Platonicum dicat) adjecit, ab ipſo in ſchola præter Platonicorum, Peripateticorum etiam Commentaria Aſpaſii, Alexandri, Adraſti, & quæcumque forte occurrebant, legiſſe.

Academiam Romæ inſtituit, quæ à loco Romana, & Italica dicta eſt. De ea ſic S. Auguſtinus epiſt. 56. ad Dioſcurum: *Plotini Schola Romæ floruit, habuitque condiſcipulos multos, acutiſſimos, & ſolertiſſimos viros.* Ejus diſcipulos vide in cit. l. 3. hujus Hiſt. Philoſ. ſub ejus diſciplina mulieres etiam fuiſſe ferunt, Geminam, cujus lares Plotinus incolebat, & Amphicliam. Hic Philoſophus omnem calluit diſciplinam, Geometriam, Arithmeticam, Mechanicam, Perſpectivam, Muſicam, &c.

De ejus morte mirabilia, & quæ fidem humanam ſuperant, narrat Julius Firmicius. Porphyrius etiam in Vita refert, poſt ejus mortem draconem, qui ſub lecto erat, domum intraviſſe, ac ſtatim à circumſtantium oculis evanuiſſe. Quod anſam præbuit quibuſdam dubitandi, Plotinum dæmonem habuiſſe, quem conſuleret. Ejus quoque morientis verba ad Euſtochium dicta, literis plane aureis perſcribenda, hæc nobis idem Porphyrius ſcripta reliquit: *Adhuc te expecto, atque equidem jam adnitor, quod in nobis divinum eſt, ad divinum ipſum, quod viget in univerſo, redigere.*

Debitas Plotino laudes plurimi contexerunt. Porphyr. in Vita ipſum in diſputationibus ſtrenuum, ad inventionem ſolertem, ad opportuna percipienda promtiſſimum appellat; ſoli tamen intelligentiæ ſtudentem, nihil de Orthographia curantem. Eunapius in Porphyrio ejus vim ingenii cœleſtem vocat. A Macrobio in Somn. Scip. l. 2. c. 12. magis quàm quiſquam verborum parcus dicitur; & à Lipſio Cent. 4. Miſcellan. epiſt. 39. Vir ſapientia inclytus. Theodoretus de curandis Aff. Græc. l. 6. dixit, Plotinum non ſolum Hebræorum

Patrum,

Patrum, ſed etiam Apoſtolorum, & Chriſti Domini Traditiones calluiſſe. Joh. Jonſ. de Script. Hiſt Philoſ. l. 3. c. 10. Plotino patrocinans ait: *Plotinus Numenii inventa, & dogmata ſibi tribuere à maledicis quibuſdam dictus eſt: quo plagii crimine ut liberaretur, Amelius librum ſcripſit de Differentia doctrinæ Plotini, & Numenii*. Vide Porph. in Vita, de qua ita Eunapius: *Vitam illius Porphyrius ſic explicavit, ut nemo copioſius dicere, aut plura adferre poſſit*. Jul. Firmic. in Aſtron. l. 1. c. 3. q. 8. & Marſil. Ficin. in Comment.

PORPHYRIUS.

PAucis, quæ de Porphyrio lib. 3. diximus, hæc addenda. Divus Hieronymus Judæum genere eum fecit; & ex eo Baron. 2. Annal. ſed Tyrium cum Eunapio omnes faciunt. Præceptores in Philoſophia habuit Plotinum, & Amelium; in Rhetoricis vero Dionyſium Longinum Caſſium, virum doctiſſimum, quem in ejus Vita Eunapius ſpirantem quandam bibliothecam, & vivum Muſæum appellat; quem item præceptorem habuit, & Conſiliarium Zenobia Palmyrenorum Regina. Cùm prius Malchus vocaretur (quod nomen Syriacâ linguâ Regem denotat) à Longino deinde Porphyrius ob veſtem regiam purpuream, qua ob nobilitatem utebatur, dictus eſt. Floruit Aureliani ævo uſque ad finem Diocletiani. E Græcia Romam venit una cum Antonio Rhodio Romano ſub Plotini diſciplina: qui illum ſibi amiciſſimum habuit, ac tanti fecit, ut palam eum Poëtam, Philoſophum, & Sacerdotem appellaret. Et quidem tanti nominis fuit, ut vulgò Philoſophus à cunctis diceretur.

Chriſtianum primitus fuiſſe, deinde Fidei deſertorem, Auguſtinus, Socrates, aliique contendunt; apoſtaſiæque cauſſam ex Socrate hanc addit Lud. Viv. Comment. in lib. 10. c. 26. Auguſt. de C. D. *Quæ vero cauſſa eum moverit, ut deficeret à Fide, & in Chriſtianos ſcriberet, docet Socrates l. 3. c. 19. Nam iſte Cæſareæ Palæſtinæ à quibuſdam Chriſtianis reprehenſus, cùm prægravi, qua ardebat, iracundia, illud ferre non poſſet, Religionem Chriſtianam deſeruit; & præ odio illorum, qui ipſum coarguerant, ad libros conſcribendos, quibus Chriſtianos maledictis, & contumeliis perſtringeret, præceps ruit*. Eadem Nicephor. l. 10. c. 36. Voſſius vero de Hiſt. Græc. poſtquam eum laudavit, dicens: *Magnum hujus inter Philoſophos, ac Sophiſtas nomen fuit*; de ejus à Fide defectione hæc ſubdit: *Porphyrium primitus fuiſſe Chriſtianum, ſed poſtea à Religione hac reſiliiſſe, Auguſtinus innuere videtur l. 10. de C. D. cap. 28. Id ob autoritatem tanti Viri inficias ire non auſim. Sed hactenus tamen nihil invenio, quo id veriſimile fiat, præter quam quòd junior familiariter uſus ſit Origene. Ac longe etiam minus aſſentire poſſum doctiſſimo Annalium Eccleſiaſticorum Scriptori (Baronio ad annum 325.) qui jam ſenem denuo ex Gentili Chriſtianum factum putat*.

Scripſit itaque *Adverſus Chriſtianos lib. 15.* quibus reſpondit erudite nimis Euſebius, Apollinaris, & Methodius 30. Apologeticis libris. De Porphyrii libris adverſus Chriſtianos ita Suidas: *Hic eſt ille Porphyrius, qui contumelioſam, ac atrocium injuriarum plenam linguam in Chriſtianos movit, & qua peſtiferum ſuum venenum in eos effudit, ac jaculatus eſt*. Hieron. in procemio Catal. Script. Eccleſ. *Rabidus adverſus Chriſtum canis audit Porphyrius*. Et Theodoret. Serm. 1. de Græc. affect. curatione: *Porphyrius contra veritatem rabida debacchatus eſt inſania*. Ejus propterea nomen adeò exoſum, & execrabile fuit, ut in Edictis Imperatorum profligatiſſimi quique Hæretici Porphyriani dicerentur. Verùm ex Actis Concilii Epheſini jam patet, Porphyrii ſcripta adverſus Chriſtianos Theodoſii M. juſſu anno 388. jam combuſta fuiſſe.

Eum

Eum laudat Eunapius in vita ; quem extremam ſenectam attigiſſe ex eo educit, quod in poſtremis ſuis ſcriptis quædam ſunt, quæ primis à ſe editis repugnant ; ex quibus exiſtimet, eum ætatis progreſſu ſententiam mutaſſe. Notat Nazianzenus Orat. 4. Julianum Porphyrii mendaciis, atque deliramentis tanquam divinis vocibus exultaſſe. Et Lud. Viv. de Cauſſ. corrupt. Art. p. 181. *Ex Ariſtotelis libris Topicorum ſumſit Porphyrius, quæ de quinque vocibus compoſuit ; opus, ut mea utique ſententia, utiliſſimum, ita longe ab utilitate traditum.* Ariſtotelis quoque Categorias explicavit.

Scripſit præterea *de Divinis nominibus librum unum. De Principiis lib. 2. De Materia lib. 6. De Anima lib. 5. De Animalium abſtinentia lib. 4. De cognoſcendo ſeipſum lib. 4. Quod una fuerit Platonis, Ariſtoteliſque ſecta lib. 7. In Hiſtoriam Juliani Chaldæi Philoſophi lib. 4. De Homerica Philoſophia. Ad Ariſtotelem quòd Anima ſit Entelechia. Philoſophiæ Hiſtoricæ lib. 5. De Genere. Specie, Differentia, Proprio, & Accidente. De Nili Fontibus ſecundùm Pindarum. De utilitate, quam Reges ex Homero percipere poſſunt, lib. 10. Miſcellanearum Quæſtionum lib. 7. In Thucydidis proœmium. Ad Ariſtidem lib. 7. In Minuciani Artem.* Alia item plurima, præcipue *Aſtronomica*. Scripſit quoque librum *De Vita Pythagoræ: Sententias ad intelligibilia ducentes: De Antro Nympharum, quod in Odyſſea deſcribitur.* Quæ omnia vertit Lucas Holſtenius; qui Diſſertationem de Vita, & Scriptis Porphyrii, & Obſervationes ad Vitam Pythagoræ adjecit. Cantabrigiæ in 8. 1655.

Notandum hic, Divum Auguſtinum, alioſque ſui ævi, putaſſe, duos hujus nominis Philoſophos extitiſſe, Tyrium unum, de quo modò dictum, alterum Siculum. Quam ſententiam idem Auguſtinus in ſuis Retractationibus mutavit. Hujus autem erroris cauſſa ex eo profecta eſt, quod Porphyrius diu in Sicilia vixit, ut ipſemet in Plotini Vita teſtatur.

JAMBLICHUS

CHalcide Syriæ quæ Cœle dicitur, ortus, ſub Conſtantini, ejuſque filiorum, & Juliani Apoſtatæ imperio Romæ floruit, ubi ſecundas poſt præceptorem ſuum Porphyrium obtinuit. Ejus laudes, & ſcripta vide in lib. 3. hujus Hiſt. ad finem. Addam quæ de eo habet ejus Vitæ ſcriptor Eunapius: *His ſucceſſit Jamblichus, ut clariſſimi nominis Philoſophus, ita & illuſtris genere, natus familia ampliſſima, & locuplete. Patria illi Chalcis, Syriæ, quam Cœlen vocant, civitas. Hic cum Anatolio, qui à Porphyrio ſecundum locum obtinuit, conſuetudinem aluit; ſed multis eum modis ſuperavit, & ad ſummum Philoſophiæ gradum aſcendit. Ab eo conjunxit ſe Porphyrio, quo nulla in re fuit inferior, præterquam in concinna orationis ſtructura, dicendique facultate. Neque enim pari venere, & gratia ab eo dicta, inſtructa fuere: neque candorem habebant, & perſpicuitatem: neque puritate ſermonis exornare ſcripta laborabat, quamquam non omnino obſcuritate involuta ſit, aut vitium habeat oratio; ſed (quod de Xenocrate dictitabat Plato) non ſacrificavit Mercurialibus Gratiis, &c.* Thomas Gale, qui poſt Marſilium Ficinum, & Nic. Scutellium, Jamblichi opus de Myſteriis Chaldæorum, & Ægyptiorum edidit, notiſque eruditiſſimis illuſtravit: *Julianus Apoſtata Oratione 4 obſervat, Jamblichum nonnulla ſcripſiſſe* ἄχρις ὑποθέσεως, *hoc eſt, non quòd ita ſentiret, ſed ut argumento inſerviret. Archangelorum doctrinam, & materiæ* ποίησιν *in hoc Tractatu complectitur, alibi aliter philoſophatur.* Extant adhuc tres Juliani epiſtolæ ad Jamblichum ſcriptæ; ex quarum prima patet quanti ipſum Imperator fecerit, ubi hæc ſcripſit: *Utinam, ô Servator Jupiter, & Sancte Mer-*

Mercuri, contingat, Jamblichum optimum, commune orbis terrarum commodum, longiſſima vita frui. Hinc Divus Greg. Nazianzenus Julianum Jamblichi diſcipulum etiam fuiſſe putat. De Vita Pythagoræ ab eodem ſcripta, hæc notat Card. Bona: *De Vita Pythagoræ libros 7. compoſuit, quorum quatuor dumtaxat ad nos pervenerunt: Duo priores editi ſunt; duo poſteriores habentur m. ſ. in Bibliotheca Vaticana*. Alios duos de ejuſdem Pyth. vita m. ſ. habuit Lucas Holſtenius, & editionem promittit. De hac Pyth. Vita ſic Voſſius de Hiſt. Græc. l. 2. c. 18. *Tractarat hoc argumentum antea præceptor ejus Malchus, ſive Porphyrius; ex cujus libro multa vel iiſdem, vel leviter immutatis verbis ſcripſit Jamblichus*. Ejus diſcipulos vide l. 3. hujus Hiſt.

JULIANUS

P*Arabates*, hoc eſt, *Apoſtata* dictus, quod ab Orthodoxa Fide defecit, Julii Conſtantii, Conſtantini M. fratris, filius fuit. Prima Grammatices elementa à Mardonio Eunucho Ethnico Conſtantinopoli edoctus eſt. Deinde ab Imperatore Nicomediam miſſus, ut ab Euſebio Epiſcopo, ſibi materna cognatione devincto, in Chriſtiana pietate inſtitueretur; ibi Rhetoricam didicit ſub Eubolio, qui in Fide infirmus erat. Monachus etiam fuiſſe dicitur, & ad Lectoratûs gradum aſcendiſſe. Quo tempore licet Chriſtianæ pietatis ſigna daret exteriùs, interiùs tamen Ethniciſmum colebat. A recta autem Fide omnino divulſus creditur à Maximo Philoſopho, & Magico, de quo ſupra in Maximo. In Philoſophia præceptores habuit Macedonium, Euſebium Nicomedienſem, Chryſanthium, Sardianum, Maximum Epheſium, *Ædeſii* diſcipulos, alioſque; & præcipue Jamblichum, quem magni æſtimavit, quod ex tribus Juliani ad ipſum epiſtolis patet, ut modò dictum eſt. Meritò igitur Eclecticorum diſcipulus Eclecticis accenſendus; quamvis non deſint, qui ipſum inter Platonicos numerent.

Doctus, caſtus, ſobrius, vigilans, laborioſus, exteriorem pietatem ſimulabat. Quare omnium amorem in ſe convertit; qui eum Imperatorem proclamarunt an. Chr. 360. imperiumque ex Conſtantii morte in Oriente liberum inde tenuit an. 361. Vix tamen imperium capeſſerat, cùm perſonatam pietatem, quam ſimulaverat, deponens, crudeleque in Chriſtum, ac Chriſtianos odium exercens, templis idola, idolis cultum reſtituit; ac Summus Pontifex Ethnicorum cæremoniis factus, præclarum Baptiſmi Characterem victimarum ſanguine delere conatus eſt. Ut autem Chriſtianos à vera Fide abduceret (quod unum ſuum animi ſtudium, & contentio erat) non tam violentis perſecutionibus, quàm dolis, & perſuaſionibus utebatur. Magis id ſe conſecuturum ſperabat, Chriſtianis Scholarum uſu interdictis. Qua de re ita Voſſius Philolog. p. 7. *Interdixit iſte Apoſtata Scholarum uſum Chriſtianis, ratus, nullam acerbiorem fore perſecutionem, neque expeditiorem viam evertendæ Religionis, quàm ſi à ſtudiis literarum Chriſtiani arcerentur. Nimirum acutus, ac perſpicax Imperator ſatis videbat, quo pacto magis nocere poſſet Religioni Chriſtianæ*. Cùm aliquando ſibi oblata eſſent ſcripta, quibus Evangelium defendebatur, ipſis lectis hæc ſubſcripſit: Ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων, hoc eſt, *Legi, Intellexi, Damnavi*. Cui Baſilius pro omnibus reſpondit: Ἀνέγνως, ἀλλ' οὐκ ἔγνως, εἰ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως: *Legiſti, ſed non intellexiſti; ſi enim intellexiſſes, non damnaſſes*. Chriſtum Dominum ad deſpicatum Galilæum vocabat, vel Nazarenum. Theodoricus, Caſſiodorus, & Nicephorus ſcribunt, Julianum in bello contra Perſas haſta cœlitus vulneratum, hauſtum cava manu proprium cruorem verſus Cœlum adſperſiſſe, atque hanc in Chriſtum a quo

impie

impie deſciverat, blaſphemiam addidiſſe: *Viciſti tandem, Galilæe: Satura Te, Nazarene*. Quibus dictis ſceleſtiſſimam animam exhalavit 26. Junii an. 363. ætatis verò trigeſimoſecundo non expleto, cùm duos non integros annos regnaſſet. Quis autem Juliani percuſſor fuerit, varia eſt autorum opinio. Socrates aſſerit, Calliſtum, ſuorum vigilum unum, qui ejus etiam vitam ſcripſit, ipſum à dæmone percuſſum affirmaſſe. Sozomenus ait, quoſdam hunc ictum Perſæ cuidam tribuiſſe, alios Sarraceno, Romano alios. Quivis tamen is fuerit, divinæ vindictæ profectò miniſter extitit. Ad bellum enim contra Perſas iturus, in quo & occubuit, impie juravit, ſe Chriſti Eccleſiam poſt reditum funditus everſurum. Hanc horrendam Juliani mortem eodem inſtanti S. Sabæ Anachoretæ, qui ad viginti dierum iter, & amplius à caſtris diſtabat, atque aliis revelatam, multi ſcribunt.

Inter viros doctrina claros refertur, literatus, literarumque amantiſſimus, moribus commendabilis, juſtus, ingenio acer, ſed nimis ſatyricus, captûs facilitate, & eruditione pleriſque omnibus Principibus ſuperior, qui Imperii Romani clavum tenuerint; & ut breviter dicam, Princeps, ut multi eum vocant, ad unguem factus, odium in Chriſtianos ſi excipias. Ejus doctrinam, & mores laudant Libanius, & Ammianus Marcellinus, præcipui ejus fautores; quorum ultimus id notat præ cæteris: *Per omnia Philoſophiæ membra prudenter diſputando currebat Julianus, &c.* Gul. Cave in Introduct. ad ſuos Eccleſiaſticos; Act. Erudit. vol.2. p.311. atque alii.

Verùm quis unquam Julianus fuerit, videri poteſt apud Greg. Nazianzenum in Orat. adverſus Julianum; Joh. Chryſoſt. Hieron. Optat. Rufin. Zoſim. Eutrop. Baron. alioſque. De immani ejus in Chriſtianos odio, & perſecutionibus potiora hîc ſcelera adnotabo. Contra jus gentium Perſarum Legatos Emanuelem, & Iſmaëlem Chalcedone morti dedit, quòd Chriſtiani eſſent. Idololatras Chriſtianis præferebat. Horum alternos in Eccleſia cantus, Eccleſiaſticas dignitates, precum formulas, publicas quaſdam pœnitentias pro publicis peccatis expiandis, leges, ritus, & cæremonias in idolorum templa intrudere ſtatuit: Scholas, quas Fidelibus interdixerat, publicas pro Ethnicorum doctrina, & moribus decrevit: Xenodochia, pauperum Hoſpitia, Virginum Cœnobia, atque cætera, quæ Chriſtianis in more ſunt, Idololatras habere voluit Chriſtianorum ſimia, & oſor Julianus; ut ex ejus epiſtola ad Arſacium, & ex Sozomeno colligitur; ſed morte præventus impia hæc omnia ex voto explere non potuit. Hæreticos ab exſilio revocavit: Donatiſtas in Africa remiſit: & ut verbo rem abſolvam, quæcumque Chriſtianis nocere poſſent, non prætermiſit. Chalcedonis Epiſcopo, qui cæcus erat, ipſum publice de ſua impietate arguenti, audacter reſpondit: *Sed tuus Galilæus amiſſos tibi oculos non reſtituet*. Cui Epiſcopus: *Malo luminibus caſſum eſſe, quàm iis præditum te Apoſtatam adſpicere*.

Scripſit *Orationes*, *Epiſtolas*, *libros contra Chriſtianos*, præcipue ad bellum contra Perſas iturus; quibus libris reſpondit Divus Cyrillus excellenti opere, quod Theodoſio M. dicavit. *Librum de Cæſaribus*, quo Romanorum Imperatorum, qui ipſum præceſſerant, vitia inſectatur. *Miſopogonem adverſus Antiochenos*. *Hymnum in Solem*; opus Eclectica Philoſophia refertum, &c. Ejus opera omnia Dionyſius Petavius Pariſiis 1630. edi curavit in 4. atque Spanheim 1696. nova editione Lipſiæ publici juris fecit, additis etiam notis. Ejuſdem Panegyricas Orationes tum proſa, tum verſu elaboratas, collegerat olim Eunapius.

Digitized by Google

DION CHRYSOSTOMUS

PAſicratis filius, patria Pruſæus ex Bithynia, inter Philoſophos, qui Romæ claruerunt, numerandus erat; ſed quia, cui ſectæ addictus fuerit, nemo ſcripſit; in hujus capitis calce ſeorſum ab aliis locandum duxi. Tempore Nervæ, & Trajani, in fine ſcilicet primi, & initio ſecundi ſeculi floruit; eumque Trajanus apud ſe plerumque viventem, ſibique carum, ac familiarem, eodem ſæpe curru dignatus eſt. Hinc tradit Suidas, eum magnificentiam adeò affectaſſe, ut Leonina pelle indutus in publicum prodierit.

Scripſit *Orationes* 24. quæ etiam nunc extant ex interpretatione Thomæ Naogeorgii cum Notis Iſaaci Caſauboni; *De Alexandri Virtutibus libros* 8. Et librum *An Mundus ſit corruptioni obnoxius*. In his Operibus Oratorem ſimul, & Philoſophum ſe præbuit eximium. Quare non immeritò Syneſius in Dione ipſum *Aquilam*, & *Cygnum*, ideſt, *Philoſophum*, & *Oratorem* appellavit.

De ejus Scriptis ſic bene ſentiunt autores. Philoſtr. de Vit. Sophiſt. *Optima verò, & laudatiſſima eſt in Dionis Orationibus affectuum temperatio - - - - Sed & reliquo quoque philoſophandi inſtituto fuit non omnibus expoſito, aut ſimulatorio, ſed ejuſmodi, ut gravitate quadam inſtaret, non ſecus ac condimento inſita ſibi humanitate temperata. Quàm porro Hiſtoriæ ſcribendæ aptus fuerit, argumento ſunt ab eo ſcripta Getica.* Inter ejus tamen Orationes optima, & copioſiſſima cenſetur Oratio de Ilio à Græcis non capto. Photius in Biblioth. *Dion in dicendi arte acutus, & ſolers eſt habitus. Orationes ſcripſiſſe plurimas referunt, quarum octoginta in meas inciderunt manus, &c.* Thomas Naogeorgius in Præfat. in Dionem: *Dion Pruſæus propter aureum eloquentiæ flumen cognomento Chryſoſtomus, ſummus & Philoſophus, & Orator, cui ego quem præferam nondum inveni. Non ſpinoſa docet, aut injucunda, neque abruptis ſententiolis rem obſcurat, ut Ariſtoteles; neque abſurda, atque communi ſenſu abhorrentia tradit, ut Plato, neque, ut idem, longis perplexiſque ſuſpendit lectorem ambagibus, &c.* Vide etiam Card. Bona in Notit. Autorum: Volaterran. &c.

Atque his de Dione, aliiſque Romanorum Philoſophis adnotatis; ad reliquos cæterarum gentium Philoſophos numerandos gradum faciamus: quos per ſectas diſtinctos tradentes, à Pythagoreis, qui ſectà reliquis priores fuere, initium ſumemus; à quibus gradatim, & ætatis ordine ad reliquarum ſectarum Philoſophos veniemus.

CAPUT II.

De Pythagoricis Recentioribus.

EXactis Romanorum Philoſophis, eorumque vita, & doctrina, qua fieri potuit, claritate, brevitateque expoſita; cæterarum gentium Philoſophos, qui Recentiorum nomine digni ſunt, breviter adnotare ad hujus Hiſtoriæ complementum neceſſe eſt. Eidem igitur methodo inſiſtens, qua in ſuperiori Libro uſus ſum, eos omnes non ſecundum gentes, vel tempora enumerabo, ſed in Sectas diſtinctos; ætatis verò in ſingulis Sectis ordinem ſervare ordo erit. Cur autem primum hujus Libri Caput Romanorum Philoſophis præcipue dicaverim, ſi quis miretur, reſpondeo, me id conſultò, & ex propoſito feciſſe ad oſtendendum, nos Romanis diſciplinas omnes, ac potiſſimum Philoſophiam, acce-

acceptas referre, qui eas ad nos è Græcia cum imperio deportarunt. Atque hoc eſt, quod Græci indigne ferentes querebantur, ut ſupra in Cicerone dictum, Romanos ne dum imperium, ſed & ſcientias, quibus ipſi Romanis præſtarent, ad ſuos tranſtuliſſe. Ea enim literarum ſors ſemper fuit, ut eas nonniſi in imperii felicitate vigere videremus. Præter quam quod Romanorum Philoſophis, qui ætate, numero, dignitate reliquis præſtabant, ſingulari memoria dignum aliquod debebatur. Sed ad rem.

EUEPHENUS

PHiloſophus Pythagoricus, à Dionyſio Syracuſarum Tyranno morti damnatus, quòd Metapontinos ſibi fœderatos ab icto fœdere abduxerat; imperterritus Dionyſio dixit, ſe ad mortem utique paratum, tantùm optare, ut, antequam morti daretur, in patriam ire poteſtas ei fieret, ut ſuam ibi ſororem marito nuptum daret: quo facto ſtatim Syracuſas ad mortem ſubeundam ſe rediturum dixit. Quod ridentibus iis, qui aderant, Tyrannus eum interrogavit, quam de reditu cautionem daret? Cui ille: Ecce tibi Eucritum amicum meum ſponſorem reditûs ad ſex menſes, & obſidem trado. Dionyſius, accepto obſide, ipſum abire permiſit. Euephenus ad datum tempus Syracuſas rediens ſe Tyranno tradidit, obſidemque petiit liberari. Sed Dionyſius amborum virtutem ſumme miratus, ne dum utrique libertatem largitus eſt; ſed in eorum amicitia tertius eſſe voluit. Idem de Damone, & Pythia relatum legimus.

NEARCHUS

PAtriâ Tarſenſis, Sectâ Pythagoricus, quo hoſpite, & præceptore familiariter uſus eſt M. Cato Cenſorius, dum adhuc adoleſcens ſub Fabio Maximo militavit, quum hic Tarenti erat, ut notat Plut. in Vita ejuſdem M. Catonis, cujus verba ſunt: *Cùm Fab. Maximus Tarentum reciperet, ſub eo forte admodum adoleſcens militabat Cato. Hoſpitio uſus Nearchi cujuſdam Pythagorici, deſideravit eam diſciplinam intelligere. De iiſdem cum differentem illum audiviſſet (quibus Plato uſus eſt, qui voluptatem maximam mali eſcam vocat: calamitatem animæ primam, corpus: liberationem, & purgationem illas cogitationes, quibus maxime à corporis affectibus avocat, & abducit ſeipſam) amplexus eſt multò acrius frugalitatem, & continentiam.*

Fuit & alter *Nearchus Alexandrinus*, qui cum Alexandro Magno militavit, de quo Hiſtoriam ſcripſit; noſtrumque Nearchum ætate longe præceſſit.

XENOPHILUS.

QUamvis hic, antiquiſſimus cùm ſit, inter Recentiores numerari non debeat; quià tamen in ſuperiori libro cum Pythagoricis non fuit recenſus, nam de Pythagoricæ Scholæ ſucceſſione non erat; liceat hîc ipſum adnotare. Eadem detur, quæſo, venia in aliorum recenſu, qui ſuum inter Recentiores locum rigoroſe non merentur. Fuit igitur Xenophilus tum ob ſuam doctrinam, tum ob longævam vitam, quam ſanam ſemper duxerat, celebris. De eo ita Lucianus in Macrobiis: *Xenophilus Muſicus, perhibente Ariſtoxeno, Pythagoricæ Philoſophiæ candidatus, ultra quinque & centum annos Athenis vitam traduxit.*

Digitized by Google

APOLLONIUS TYANEUS

PHiloſophus Pythagoricus, ſed Pythagoreorum omnium in Magica arte callentiſſimus, & θαυματοποιός, præſtigiator celeberrimus, ſi ejus vitæ ſcriptoribus præſtanda fides ſit; natus eſt Tyanæ, quæ Cappadociæ urbs eſt; unde à patria Tyaneus appellatus. Totum ferme orbem peragravit, ſive diſcendi cauſſa, ut ait C. Rhodiginus, ſive potius ut ubique præſtigia patrando ſibi famam, & aſſeclas aucuparetur. Quæ Apollonii præſtigia non mediocre Chriſtianæ Fidei damnum attulere; quòd Ethnici crederent, Apollonii, & Chriſti Domini vitam, & facta, & portenta non differre, ut præter alios advertit Baronius ad an. Chr. 68. ubi ait: *Vix quiſquam ſatis digne valeat unquam exprimere quantum humano generi obfuerit Philoſtratus ſcribendo res geſtas Apollonii Tyanei, eaſdemque amplificando mendaciis: ut videatur plane inventum fuiſſe diaboli. Quod enim non valuit perficere in Simone Mago nuper extincto, id in Apollonio implere conatus eſt: quippe qui æmulus Chriſti gloriæ, ſicut ſcripto jam Evangelio longe, lateque per orbem innoteſcebant Chriſti res geſtæ; ſuum ipſe ſtatuens Antichriſtum, Pſeudoëvangelium quoque actorum ipſius per mendaciſſimum hominem ſcribendum curavit; cui fidem præſtantes homines, nihilo Chriſto minorem fuiſſe Apollonium exiſtimarent; vel, ſicut iſtum ea perfeciſſe Magiâ complures compertum haberent, eadem quoque arte Chriſtum uſum eſſe, falſo, ac abſurde effutirent*, &c. Ex tot miris ab eo patratis, quæ ejus vitæ ſcriptores, ſive potius impoſtores referunt, unum vel alterum hic adnotare ſufficiat. Domitiano infantem ſacrificare præcipiens, ipſum Imperatorem futurum prædixit. Quòd cum ex prædictione accidiſſet, Domitianus Imperator electus ipſum morti damnavit: ſed Apollonius Cacodæmonis ope ab ejus conſpectu evanuit, Puteolos ab eodem translatus. Epheſi degens coram populo vultu acer, & ſeverus forti voce clamavit: *Percute Tyrannum: Percute Tyrannum*; jamque cæſum Domitianum certo certius aſſeverans, magnam ſibi & famam, & gloriam comparavit apud omnes, qui ex nuncio non longe poſt Epheſum veniente, & Domitiani cædem referente, verum cognoverunt, quod Apollonius, longiſſimè à cæde diſſitus, quaſi præſens adſpiceret, affirmavit. Atque hinc factum, ut multi Apollonium in Deorum numerum referrent, putantes, nonniſi Deum tot ſupra naturæ vires mira patrare potuiſſe. Quare Hierocles Philoſophus ex Areopagi judicibus (de quo mox in Platonicis) religione Ethnicus, non eſt veritus ipſum cum Chriſto Domino comparare in peculiari libro contra Chriſtianos compoſito; quem deinde refellit Euſebius. Eunapius etiam dixit, Philoſtratum ſuo operi inſcribere non hunc titulum debuiſſe: *Vita Apollonii Tyanei*; ſed *Acceſſus Dei ad homines*. Et quidem Imperator Caracalla, ut refert Dion Caſſius, ei templum, tanquam Heroi, erexit. Et Xiphilinus addit, hunc Imperatorem non alia id ratione feciſſe, quàm ut ad perpetuam memoriam celeberrimus hic impoſtor, & magus perduraret. Sed fabuloſa portenta, Apollonio adſcripta, Juſtinus Martyr plane detexit, & poſt ipſum Euſebius. Johannes Apoſtolus, Epheſi degens, Apollonium fortiter oppugnavit.

Apollonii Vitam (ſive potius fabuloſam hiſtoriam) omnium primi ſcripſeſe Damis Aſſyrius, ejus familiaris, diſcipulus, peregrinationis, & impoſturarum comes, à quo ſuam deſumſit Philoſtratus, quam 8. libris conſcripſit, in qua Apollonium moribus, & doctrina Pythagoricum ſe præbuiſſe aſſerit: quos libros ipſe Philoſtratus l.1.c.3. poſtulato Juliæ, Severi Imperatoris uxoris, cui Epiſtolarum Magiſter ipſe erat, ſe feciſſe teſtatur, quia hæc Sophiſtarum orationes omnes commendabat, & amabat: Philoſtratus enim ſub Severo uſque

ad

Digitized by Google

ad Philippum vixit. Soterichus Oaſites, Poëta Epicus, qui ſub Diocletiano etiam vixit: Maximus Ægienſis, & Mœragenes, quorum meminit Joh. Tzetzes Chil. 2. Hiſt. 60. & Hiſt. 291. Deinde eandem coctam crambem recoxit Nicomachus, qui Aureliani tempore floruit, ut refert Sidonius l. 8. Epiſt. 3. his verbis: *Apollonii Pythagorici vitam (non ut Nicomachus ſenior è Philoſtrati, ſed ut Taſcius Victorianus è Nicomachi Schedio exſcripſit) quia juſſeras, m iſi.* Apollonii autem vitæ, & Philoſtrati meminit Eunapius in Proœmio Vit. Philoſ. & Sophiſt. Et Flavius Vopiſcus, qui Apollonii facta ſe celebraturum promittit in Aureliano, magnum ibi de Tyaneo elogium, Philoſtrato fidem tenens, confecit. Lucianus, qui unus ante Philoſtratum de Apollonio mentionem facit, in Hiſtoria celebris Alexandri Abonotichites tantùm aſſerit, hunc de Apollonii ſchola extitiſſe.

Sed contra Apollonium, & ejus vitæ ſcriptorem Philoſtratum, ex antiquis fuere Baſſus, & Euphrates Philoſophi. Ex recentioribus, præter Eccleſiæ Patres ferme omnes, qui ſtylum in ipſum acuerunt, Lud. Viv. inter primos Criticos unus, de Trad. diſcipl. l. 5. p. 625. *Philoſtratus in hiſtoricis magna Homeri mendacia majoribus mendaciis corrigit.* Et ibidem p. 630 *Philoſtrati Apollonius pene totus figmentum eſt rabioſum, ac blaſphemum hominis in fingendo non inexercitati, quique hiſtorias comminiſceretur de iis, quæ nemo unquam vel vidiſſet, vel audiſſet.* Joſeph Scaliger ait, Philoſtratum in narratione prodigiorum Apollonii neque veri, neque veriſimilis rationem ſervaſſe, ac verum præſtigiatorem pluſquam Philoſophum, probum, ſanctumque hominem oſtendere voluiſſe. Idem ſentiunt Voſſius, Caſaubonus, & Lipſius, qui addit, Philoſtratum, hominem nugatorem, & mendacem, in Romana Hiſtoria ſæpius erraſſe. M. de Tillemont Anachroniſmos etiam, & σφάλματα, errores in Philoſtrati Vita Apollonii adnotat. Et, ut paucis dicam, Hiſtorici, ac Critici omnes tum ſacri, tum profani, merum Philoſtrati figmentum quidquid ipſe de Apollonio ſcripſit, eſſe putant; eumque magica arte, ac diaboli tantum ope aliquid pollentem, verſutum virum affirmant. Addam quod habet autor libri, cui titulus *Hiſtoria Apollonii Tyanei*; quam falſitatis, & impoſturæ arguit 1. Quia hæc Hiſtoria teſtibus fide dignis non probatur. 2. Quia Philoſtratus non Hiſtoriam, ſed Fabulam ſcribere videtur. 3. Quia miracula, quæ Apollonio tribuit, caſui, goëticæ arti, & præſtigiis tribui poſſunt, ſi quæ ſunt, nam potius ficta videntur. 4. Denique quia hujus Philoſophi doctrina rectæ rationi, ac ſapientiæ, quæ vel ſolo naturæ lumine haberi poteſt, contraria eſt. Vide hujus libri autorem, qui eſt M. du Pin; Lactant. Inſtit. c. 2. Anaſtaſium Nicæum q. 23. Cœl. Rhodig. l. 17. Lect. Antiqu. c. 13. qui eum omnium, qui unquam hiſtoriam conſcripſerint, mendaciſſimum appellat: Voſſium de Hiſt. Græc. &c. Verùm Guilhelmus Philander Caſtilionius in ſuo in Vitruvium Comment. hanc Apollonii Vitam non Philoſtrato, ſed Luciano tribuere videtur, ut advertit Gilbertus Cognatus in Annotat. in Lucianum. Hoc tamen (quod pace tanti viri dixerim) repugnare videtur, quum Lucianus Apollonii ſcholam, è qua ſuum Alexandrum fuiſſe ait, obtrectet, dicens ad contemtum: *Vides quanam è ſchola tibi hominem refero?* Vide etiam Morery in Sup. Lex. Hiſt. & Robert. Bail. in Opere ſuo Hiſt. & Chronol. Phot. Poſſevin. &c.

Scripſit Apollonius *de Aſtrologica divinatione lib. 4.* & *Tractatum de Sacrificiis*; quæ jam interciderunt. Diſcipulus fuiſſe fertur Euthydemi Tarſenſis, & Euxeni ex Heraclea. Mortuus tandem eſt an. ſal. 97. ſive 99. ut ex aliis. Mortis autem locus, & modus penitus ignoratur; nullum enim mortis ſuæ teſtem voluit, nec etiam ipſum Damidem, quem diſcipulum, & comitem ſemper habuit. Tantùm conjectari licet, ipſum infelicem vitæ exitum habuiſſe,

ex

ex eo, quod Lucianus in Alexandro Apollonii vitam Tragœdiam appellavit, dicens: *Porrò doctor ille, & idem amator, natione Tyaneus erat, videlicet ex eorum numero, qui cum egregio Apollonio Tyaneo illo erant verſati, totamque illius tragœdiam pernoverant, &c.*

NUMENIUS

GEnere Græcus, Secta Pythagoricus, & quidem præclarus, ut eum appellat Euſebius lib. 14. c. 2. Apameæ, quæ Syriæ urbs eſt, ſec. 2. ortus dicitur. Scripſit Tractatum *de Principiis Pythagoræ, & Platonis;* in quo Platonem à Moſe derivaſſe, ait, quæ de Deo, & Mundi Creatione ſcripſit. Hinc dicebat: *Quid enim eſt Plato, quàm Moſes Atticiſſans?* ut ſupra quoque in Platone notavimus. Scripſit & alia. Vide Euſeb. Præp. Evangel. lib. 11. 13. & 14. Suid. Jonſium 3. 10. &c.

Alius tamen hic fuit à Numenio, Pyrrhoniæ ſectæ alumno, qui Pyrrhoni etiam coævus creditur, de quo Diogenes Laërt. lib. 9. in Vita Pyrrhonis. Atque hæc de Pythagoricis, qui, ut ſæpius dictum, ultimis temporibus pauciſſimi extitere, quòd omnibus ob magiæ ſuſpicionem eſſent inviſi. De Pythagoricis ſcripſere Ariſtoteles, Ariſtoxenus, Heraclides, & Neanthes. Vide Jonſium, &c.

CAPUT III.

De Platonicis, & Academicis.

HERACLITUS TYRIUS

A Tyro, ubi natus eſt, ſic appellatus, Ciceroni coævus, Clitomachi, & Philonis diſcipulus fuit; Antiochi verò Aſcalonitæ familiaris. De ipſo ſic Cicero Acad. Quæſt. lib. 2. edit. 1. *Et erat jam Alexandriæ familiaris Antiochi Heraclitus Tyrius, qui & Clitomachum multos annos, & Philonem audierat; homo ſane in iſta Philoſophia, quæ nunc prope dimiſſa revocatur, probatus, & nobilis; cum quo & Antiochum ſæpe diſputantem audiebam, ſed utrumque leviter - - - - Tum igitur & cùm Heraclitum ſtudioſe audirem contra Antiochum diſſerentem, & item Antiochum contra Academicos, dedi Antiocho operam diligentius, ut cauſſam ex eo totam cognoſcerem. Itaque complures dies, adhibito Heraclito, doctiſque compluribus, & in his, &c.*

S. DIONYSIUS AREOPAGITA

UNus ex Areopagi (quod ſupremum Athenarum Tribunal erat) judicibus fuit eloquentiſſimus, & in omni Græcorum ſapientia eruditiſſimus. Hic ſub imperio Tiberii Cæſaris cum Apollophane Sophiſta in Ægyptum abivit, ut cum ſapientibus ejus loci viris converſaretur. Ibi Heliopoli ſolis defectum (qui multis terræ partibus eàdem horâ communis fuit) adſpiciens, qui in Chriſti Domini morte accidit; nullum verò eo tempore lunæ interjectum obſervans, ſed hunc præter naturæ ordinem eveniſſe conſiderans, dixiſſe fertur ἢ τὸ θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει: *Aut Divina natura patitur, aut patienti compatitur.* Ex Suida. Deinde Chriſti fidem Athenis degens, per Apoſtolum Paulum edoctus, ut ex Act. Apoſtol. amplexus eſt: à quo etiam Athe-

Athenarum Epiſcopus factus, pro ejuſdem Fidei teſtimonio Martyrii palmam promeruit ſub Trajano.

Magna inter recentiores Criticos quæſtio eſt, an hic unus, idemque ſit cum Dionyſio Pariſienſi, an diverſus. Eundem faciunt Baronius, Spondus, Hilduinus, &c. atque ad id afferunt, Dionyſium Areopagitam, poſtquam Epheſum adivit, ut Johannem Apoſtolum ab exſilio revocatum viſeret; inde Romam veniſſe, atque à Clemente Pontifice in Galliam una cum Regulo, Ruſtico, & Eleutherio miſſum, primum Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopum extitiſſe; ibique capitis damnatum, divulſum à corpore caput ad aliquod ſpatium manibus portaſſe: quæ vulgaris opinio eſt. Contra verò P. Sirmond. Joh. Launoy, ac plures Critici ſcriptores diverſum probant: quos vide.

Major tamen quæſtio eſt de Operibus, quæ vulgò Areopagitæ tribuuntur. Validiſſimis autem rationibus, ab iiſdem operibus deſumtis, celebriores Critici evincunt, hæc opera nonniſi in ſec. 5. appareuiſſe; compoſita verò credunt ab aliquo Philoſopho eloquentiſſimo: potiſſimum quòd Euſebius, Hieronymus, aliique vetuſtiores, qui de Dionyſio loquuntur, nunquam horum operum meminerint. Vide cit. Sirmond. Launoy, Du Pin, &c.

De ejus Philoſophia hæc Cozzandus de Magiſter. Antiqu. Philoſ. lib. 1. c. 9. *Dionyſius Areopagita, qui negari non poteſt, quin gentilis Philoſophus ſectâ Platonicus fuerit, diſcipulus Apollophanis, præceptorque Athenodori Athenienſis; alii omnino ab eo, qui Auguſti præceptor, &c.* Verùm præter unum Euſebium in Chron. ad an. Chr. 52 ubi ait: *Dionyſius Areopagita præſtabilis olim Philoſophus claret*; nullum adhuc inveni ex vetuſtiſſimis ſcriptoribus, qui ejuſdem Philoſophiam memorent.

LUCIUS APULEJUS

PHiloſophus Platonicus, Madauræ in Africa natus eſt ex patre Theſeo, viro eximio, & matre Salvia, quæ Plutarcho, & Philoſopho Sexto ſanguine juncta erat. Carthagine primum, deinde Athenis literarum ſtudiis inſignem navavit operam; ac potiſſimum Platonicæ Philoſophiæ, in qua præceptorem habuit Vaſtium, ut ipſe eum vocat lib. 1. Metamorphoſ. Sec. 2. vixit, ſub Adriano ſcilicet, & utroque Antonino. Inde Romam venit; ubi Juriſprudentiæ addictus, tantum in ea profecit, ut inter inſignes Oratores numeraretur. Sed Juriſprudentiâ hinc poſthabitâ, Philoſophiæ totum ſe devovit. Pudentillæ, ditiſſimæ viduæ nupſit. Atqui à Sicinio Æmiliano coram Claudio Maximo, Africæ Proconſule, de Magia accuſatus, quòd amatoriis philtris, ſive Magica arte Pudentillæ amorem captaverit, ac ejus filium Pontianum morti dederit; ipſe optimâ Apologiâ, quæ *Oratio de Magia* inſcribitur, ſe defendit; quam Divus Auguſtinus Sermonem eloquentiſſimum, ac florentiſſimum appellat. Clariſſimus Carthagine profeſſor fuit; ubi ſtatua ei dicata: cujus rei pluribus meminit lib. 3. Florid. ac gratias Carthaginenſibus egit de honore ſibi adjudicato, præſertim Straboni Æmiliano Conſulari viro, qui in Carthaginenſium curia ſententiam dixit, ut ſtatua ei poneretur: cujus autoritatem Carthaginenſes omnes ſecuti ſunt. Quem Strabonem Æmilianum ſuum fuiſſe condiſcipulum ipſe teſtatur.

Scripſit *Metamorphoſim, ſive Aſinum Aureum lib.* 11. Quæ paraphraſis eſt ejus, quam habet Lucianus, qui Lucium ex Patris in ſuis Metamorphoſibus, ſive Transformationibus ſecutus eſt; de quo Photius. Ipſe tamen hujus fabulæ argumentum ab origine à ſe formatum oſtendit in primis fabulæ verbis, quæ ſunt: ***Fabulam Græcanicam incipimus. Lector intende, lætaberis.*** Hoc Opus etiam *Mile-*

Mileſiæ dicitur. Reliqua ejus Opera ſunt: *Oratio de Magia*, de qua modò diximus: *De Dogmate Platonis, ſive de Philoſophia lib. 3. I. de Philoſophia Naturali. II. de Philoſophia Morali. III. de Philoſophia Rationali. De Deo Socratis. Florida*, ſive *Ludicrorum libri*; atque alia à Servio, Nonio, ac Fulgentio relata, quæ ad nos non pervenerunt.

De Apuleji Operibus non eadem eſt autorum cenſura. Commendantur in Anthol. Græc. lib. 5. Epigram. 59. ubi Apulejus *Sacerdos arcanæ ſapientiæ, Auſonia nutritus Sirene* dicitur. A Barth. lib. 55. Adverſ. c 2. *Proprietatis Latinæ ſcriptor optimus* appellatur; & *mirifico acumine diſertiſſimus*; & ab eodem in Notis majoribus ad Claudianum p. 1259. vocatur *Scriptor unus omnium maxime proprietatis amans, & veteris Latinitatis, ſupra quam vulgo credatur, conſervator*. A Joh. Sarisberienſ. lib. 7. c. 6. ubi ait. *In utraque lingua Græca ſcilicet, & Latina nobilis extat Apulejus Afer, vir magnus imprimis, & qui venuſtate morum, & dicendi copia Socraticum fontem, & torrentem Platonicum facile redoleat vel tenuiter ſapienti*. A Schoock. in fabula Hæmel. p. 27. *Vir in omni parte Philoſophiæ verſatiſſimus*. A Volaterr. lib. 13. *Omnigenæ vir eloquentiæ*. Additque ibidem: *In verbis novus, in ſententiis creber, in inventione acutus, in translationibus audax, in elocutione varius*.

Contrà verò ſentit Lud. Viv. de Trad. Diſcipl. l. 3 ubi: *Apulejus in Aſino plane rudit. In aliis ſonat hominem, niſi quod Florida ſint ridicula; ſed excuſat ea Inſcriptio*. Mitius tamen ſe geſſiſſe videtur in Comment. in Auguſtin. lib. 18. de Civ. D. c. 18. ubi ait: *Id opus de Aureo Aſino ſic latinum fecit Apulejus, ut ad verbum expreſſerit plurima, additis pleriſque, quò jucundior eſſet lectio iis, qui Mileſiis fabulis delectantur, & condivit ſua illa partim antiquaria, partim nimis audaciter novata dictione rem alioqui futuram ſubinſulſam, atque ſubfatuam. At nunc juvat legere, quia phraſi illa complura dixit, quæ nec appoſitius dici, nec majore cum gratia poterant: quem nonnulli cùm imitari conentur, in ridiculas ineptias incidunt. Puto enim, gratiam illam eſſe prorſus inimitabilem*. Et ibidem lib. 8. c. 19. *Extant Apologiæ duæ Apuleji de Magia in quibus exuit nimiam illam ſermonis laſciviam, & antiquaria, & audaciter innovata verba: accomodavitque ſe forenſi dicendi generi, ſed ita tamen, ut, neſcio quo pacto, Apulejum internoſcas temporaria perſona contectum*. A Cauſſino dicitur *Autor cautæ lectionis, & periculoſæ imitationis*. Joh. Budæus à Stap. in lib. 1. c. 9. Theophraſti de Plantis: *Apulejus librum ſuum de Salutaribus Remediis ex Plinio totum compilavit*. Arnold Boot. in l. 2. c. 5. Animadverſ. Sacrar. ad Text. Hebr. Vet. Teſtam. *Quem locum (in libro de Mundo ab Apulejo verſo, qui Ariſtoteli falsò tribuitur) valde indiligenter, atque imperite vertit Apulejus, æque ac totum librum; cui ſe fœdo, ac miſerabili plagio non Interpretem, ſed Autorem inſcripſit, atque multis etiam doctiſſimis viris, quanquam in re manifeſtiſſima, impoſuit*. A Dempſter. in Roſino *Inepta dictione, rebus eruditus* appellatur.

Mediam inter hos ſententiam tenere videtur Lipſius l. 2. Epiſtolic. Quæſt. Epiſt. 22. cùm ait: *Ego vero Apuleji lectionem abhorrendam non cenſeo, quidquid iſti de Arpinati ſchola inveſtes pueri dicant: tumidus fortaſſe, vegrandis, & adfectatæ elegantiæ ſcriptor eſt: at certe doctus literas, & mores veteres, & in ſermone ipſo Plauti imprimis imitator. Itaque ille neſcio quis Rhetoriſta, qui rudere illum dixit, non loqui: probet prius de Plauto, & credam de Apulejo*. Et lib. 11. Elect. c. 2. *Stylum ejus ineptum eſſe volunt: fatebor in parte (nec enim aſperitatem illam, & horrorem quæſitæ dictionis uſquequaque excuſo) ſed tamen docte ineptum, & è quo multa bona, ſelectaque hauriat bonæ, ſelectæque mentis lector*. Voſſius part. 2. Orator. Inſtitut. p. 13. 246. 450.

Cujus

Cujus phraſis docte inepta eſt - - - - Apulejum ſane ſcriptorem doctiſſimum nimio Epithetorum uſu peccare, non vulgus modò, ad cujus palatum is nihil ſapit, ſed eruditi quoque confitentur - - - - Neque ſolum voces è tribus, aut pluribus compoſitas vitabit Orator; ſed nec eas, quæ grandioris ſunt ſoni, cum laude uſurpabit, niſi veniam petat pudentem. Delinquunt hac in parte vegrandis, & adfectatæ eloquentiæ ſcriptores, quos inter ducit familiam Apulejus. Turneb. Adverſar. lib. 18. c.14. *Apulejus non omnino malus autor, & antiquarum vocum uſurpator.* Et lib. 29. c. 13. *Apulejus interdum non malus autor, præſertim cum laſciviæ ingenii non indulget, neque ludum ſibi permittit.* Tandem Gaſp. Sciopp. lib.1. ſuſpect. Lect. Epiſt.4. *Et quis non videat, immo ringatur verius, ſuper ſtolidiſſimo illo vulgi de Apulejo judicio? Ajunt, eum rudere, quàm loqui maluiſſe. Dii, Deæque, & quò non evadet denique projectiſſima illa hominum audacia! Tot jam, & ſæpe unicis doctiſſimorum virorum, adde, ſi ita vis, Ciceronianorum, elogiis condecoratum facetum illum Mileſiarum ſcriptorem etiamnum rudere? Sed quoniam nequicquam inveteratum, & jam olim radices agentem errorem hunc ex animis vulgi expectoratum imus, feramus ſane, quæ mutare nefas: illud interim profeſſi, malle nos illum rudentem ſæpe, quàm hos loquentes, ſive latrantes audire.*

Notandum hìc ex Caſſiodoro, Apulejum primùm Arithmeticam Latinis literis illuſtraſſe. Vide etiam hujus Hiſt. l.3. p.101.

TAURUS BERYTIUS

CElebris in Platonica Secta Philoſophus floruit ſec. 2. ſub Antonino Pio. Ejus meminit Euſeb. in Chron. ad an. 148. dicens: *Taurus Berytius Platonicæ ſectæ Philoſophus clarus habetur.* Ad eum Athenis degentem, & philoſophantem audiendum complures veniebant: phyſicas namque, ethicaſque ſæpiſſime quæſtiones agitabat; quas videre eſt apud Agellium ejus familiarem, ſæpe etiam ſympoſiaſtem, qui ipſius laudes pluries enarrat, præcipue lib. 6. c.10. his verbis: *Philoſophus Taurus, vir memoria noſtra in diſciplina Platonica celebratus, cùm aliis bonis multis, ſalubribuſque exemplis hortabatur ad Philoſophiam capeſſendam, tum vel maxime iſta re animos juvenum expergebat, &c.* In Agellii Noctium Atticarum libris non ſemel Taurum loquentem, & docentem invenies: ut lib.1. c.ult. ubi ex Plutarchi ſententia examinat, An & quomodo ſapiens iraſcatur: lib.2. c.2. decernit, Quæ ratio, & obſervatio officiorum eſſe debeat inter patres privatos, & filios, qui in magiſtratu ſint, in diſcumbendo, ſedendo, atque in id genus rebus, domi, foriſque: lib.17. c. 8. cauſſam exponit, Cur oleum ſæpe, & facile, vina rarius congelaſcant, acetum haud fere unquam; & quòd aquæ fontium, & fluviorum durentur, mare nunquam: lib.12. c.5. ſermonem habet De modo, ac ratione tolerandi doloris ſecundùm Stoicorum decreta. Notat hìc Agellius, Taurum cum Stoicis in doctrina ſemper diſſentiiſſe, atque ſuper ea re librum compoſuiſſe.

Scripſit, ut notat Suidas, *De Differentia dogmatum Platonis, & Ariſtotelis. De Corporibus, & Incorporeis. Et alia plurima.* Contra Taurum ſcripſit Atticus Platonicus libros 7. quibus Platonis cum Ariſtotele conſenſum probavit.

VALENTINUS

NAtione Ægyptius, Platonicæ Philoſophiæ ſectator, vir doctus, & eloquens, ſec.2. ſub Antonino Pio floruit, ut Euſeb. in Chron. ad an.Chr.146.

 teſta-

teſtatur his verbis: *Valentinus hæreticus agnoſcitur, & permanet uſque ad Anicetum*. Catholicam Fidem in Ægypto primùm, deinde etiam Romæ prædicavit. Sed ſuas optimas animi dotes magna, qua tenebatur, dignitatum ambitio denigravit. Cùm enim alterum in Epiſcopatus collatione ſibi prælatum videret; id ægre ferens, Chriſti Fidem abnegavit, atque fabuloſam, portentoſamque hæreſim in Cypro evulgavit, Poëtæ Heſiodi deliramenta ſecutus, Deos uſque ad triginta ſtatuens, quindecim eorum mares, totidemque feminas, quos Græca voce *Αἰωνας*, Latine *Secula*, appellavit. Ex horum autem miſtione Chriſtum Dominum, veluti Pandoram, natum fuiſſe; atque per Virginis Matris corpus cœleſti corpore eundem indutum tanquam per canalem tranſiiſſe. Docebat etiam, cunctos homines non ſurrecturos. *Evangelium*, & *Pſalmos* ſuo nomine vulgavit. Ejus diſcipuli, quos plurimos habuit, Gnoſticorum etiam peripſemata ſecuti ſunt. Quamvis tamen Romam veniens ſuos errores deteſtatus fuerit; mox tamen ad vomitum rediens, eos pertinaciſſime defendit. Adverſus Valentinum calamum ſtrinxerunt, ac validiſſime ejus ſomnia impugnarunt Tertullianus, Irenæus, Epiphanius, Theodoretus, & alii plures.

S. AURELIUS AUGUSTINUS

PAtre Patricio, Matre S. Monica natus eſt Tagaſtæ, quæ civitas eſt Numidiæ in Africa non procul à Madaura, & Hippone Regio, idibus Novembris an. Chr. 354. ſub Conſtantio Imperatore. Madauræ primùm, deinde Carthagine politioris humanitatis ſtudiis eruditus, licet Manichæorum hæreſi addictus, veritatis tamen ſtudio tenebatur; ad quam primum ſibi lumen præſtitit Ciceronis Dialogus, qui Hortenſius inſcribitur, quem attente perlegit an. ætatis 19. Ariſtotelis Categorias, omneſque liberalium artium libros vigeſimo ætatis anno *αὐτοδίδακτος* intellexit, nullo ſcilicet ad ſcientias addiſcendas uſus præceptore. Rhetoricam primùm Tagaſtæ, deinde Carthagine, & Romæ, tandem Mediolani docuit, ad id eò miſſus à Symmacho Romæ Præfecto, à quo Rhetorices profeſſorem Mediolanenſes rogaverant an. 384. Ibi à Divo Ambroſio, ejus Urbis Epiſcopo, an. 387. ætatis ſuæ 33. ad Chriſti Fidem à Manichæorum hæreſi avocatus, & baptizatus eſt Paſchatis tempore. Hinc in Africam rediit, & inde Romam, ubi contra Manichæos ſcribens duos libros compoſuit, quorum alter *De Moribus Eccleſiæ Catholicæ*, alter verò *De Moribus Manichæorum* inſcribitur. Poſt Sanctæ Matris obitum ad Oſtia Tiberina die 4. Maji an. 388. in Africam reverſus in Tagaſtæ campis una cum quibuſdam amicis ſolitariam vitam duxit ad annos tres, primos Eccleſiæ fideles imitatus. An. 391. Hipponem Regium veniens, à Valerio ejus Urbis Epiſcopo Presbyter, etſi invitus, ordinatus, & prædicationis miniſterio (Valerius enim cùm Græcus eſſet, Latinæ linguæ uſum promtum non habebat) ab eodem addictus, commiſſo hoc ſibi munere ſic optime functus eſt, ut an. 395. ſecundùm Panvinium, ſive 396. ex Philippo Labbe, ſive 397. ex Proſpero Aquitanico in Chronico, jubente eodem Valerio, à Megalio, Calamenſi Epiſcopo, Numidiæ Primate, Epiſcopus Hipponenſis novo more conſecratus fuerit, ut ſcilicet non ſuccederet in Cathedra Epiſcopali, ſed accederet. Commiſſam ſibi Eccleſiam ſumma æquitate, pietate, & labore rexit annis circiter 36. Infatigabili enim cura ſuum gregem jugiter inſtituit, nutrivit, correxit, expiavit; atque Manichæos, Donatiſtas, Pelagianos, Semipelagianos, omneſque Catholicæ Eccleſiæ hoſtes & ſcriptis confutare, & Imperatorum ad id implorato auxilio obruere, evellere, diſperdere conatus eſt. Quapropter hi odio, & ira perciti unum Auguſtinum, tamquam hoſtem ſibi omnium maxime metuendum,

ad

ad necem exquirebant. Cùm igitur magnus Eccleſiæ Doctor, & Oraculum, magnus hæreticorum terror jure merito ab omnibus haberetur; Imperator Theodoſius Junior legatos ad eum miſit, ut ad Generale Concilium Epheſi habendum veniret: verùm nuncii ipſum jam mortuum invenerunt, Vandalis Hipponem Regium ad tertium menſem arcta obſidione vallantibus, anno ſcilicet 430. ætat. verò 76. quo tempore libris Juliani Pelagiani reſpondebat. Memoriæ proditum, Vandalos Hipponem Regium, ſuæ ditionis per arma factum, flammis dediſſe; ſed ignem Divi Auguſtini corpori, ejus libris, & bibliothecæ peperciſſe. Ejus cum Divo Hieronymo circa Sacræ Scripturæ quæſtiones literariam contentionem; & ut Auguſtinus Diaconum Paulum Oroſium ad Hieronymum miſerit ad ſanctum amicitiæ fœdus obfirmandum: quanti Auguſtinum Pontifices, Concilia, Eccleſia, omnes fecerint, vide apud ejus Vitæ ſcriptores Poſſidium, Rivium, Poſſevinum, M. Godeau, &c.

Philoſophus fuit eximius, Sectâ Platonicus, ut ex ejus ſcriptis, Platonica doctrina refertis, apparet: immò hujus Philoſophi dogmatis quàm qui maxime addictus ſemper extitit: unde Platonis doctrinam quàm proxime ad Chriſtianam veritatem accedere dixit lib. 7. Confeſſ. c. 9. lib. 3. contra Academicos cap. 20. & libro de Vera Religione cap 4. Quinimo dicere auſim, eo melius neminem Latinorum Platonicam majeſtatem tum ſapientia, tum eloquentia exactius expreſſiſſe. Enimverò primi Eccleſiæ Patres fere omnes, ut alias etiam dictum, Platonici erant, putantes, nullam Philoſophorum Sectam Catholicæ Religioni melius convenire. Inter hos etiam numeratur magnus ille Eccleſiæ Doctor *Ambroſius*, Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui *Platonicæ Philoſophiæ peritiam, juvenilibus annis ab ipſo comparatam haud mediocriter ornabat Græcanicæ linguæ, & eruditionis notitia*; ut in ejus vita notatur. Et *Hermias* Philoſophus Chriſtianus, & Autor Eccleſiaſticus, qui ſec. 4. floruit: cujus Opera extant in Biblioth. PP. Tom. 1. edit. Græco-Lat. col. 187. & in Indice Chronol. Vide etiam Suidam v. Ἑρμίας.

Scripſit Auguſtinus plurima, quæ diligenter collecta XI. Tomis PP. Benedictini Congreg. S. Mauri exquiſito ordine ediderunt. In horum I. Opera ſunt ab ipſo, antequam Presbyter fieret, compoſita; una cum *Retractationibus*, quæ ſuorum Operum cenſuram, & correctionem habent; & *Confeſſionibus*, quas 13. libris diſtinctas tradit: primis 10. libris ſuæ Vitæ Hiſtoriam texit: tres reliqui Reflexiones ſuper Geneſis initio habent. Cætera in hoc Tomo contenta ſunt *Opera Philoſophica*: *Tractatus de Soliloquiis*: *Libri 3. de Libero Arbitrio*: *De Geneſi 2. contra Manichæos*: *De Moribus Eccleſiæ lib. 1. De Moribus Manichæorum lib. 1. & Liber 1. de Vera Religione*. Tom. II. continentur *Epiſtolæ*. Tom. III. *Doctrina Chriſtiana cum Commentariis Sacræ Scripturæ*. Tom. IV. *Commentaria ſuper Pſalmos*. Tom. V. *Sermones*, *& Homiliæ*. Tom. VI. *Tractatus Morales*. Tom. VII. *Libri 22. de Civitate Dei*. Tom. VIII. *Hæreticos quoſdam Judæos etiam, & Gentiles inſectatur*. Tom. IX. *Tractatus contra Donatiſtas*. Tom. X. *Contra Pelagianos*. XI. tandem Tomo *S. Auguſtini Vita*, ab ejuſdem Operibus educta, continetur, cum Indice, &c. Ex ejus tamen operibus omnium maxime à Lud. Viv. de Trad. Diſcipl. l. 3. laudantur libri de Civitate Dei. Sic enim ait: *Auguſtinus multum habet Africitatis in contextu dictionis, non perinde in verbis, præſertim in libris de Civ. Dei, quod unum ex ejus operibus legendum cenſeo Philologo: id enim bona ex parte in media Philologia verſatur*. S. Auguſtini Opera Genuina, Spuria, Dubia, & Deperdita vide apud Gul. Cave in Hiſt. literar. Script. Eccleſ.

Præclara autorum teſtimonia, quibus ejus eruditio, Theologia, ſapientia, commendantur, innumera fere ſunt; ex quibus duo hic notabo, quæ

ejus Philoſophiam dignis laudibus extollunt. Sixt. Senenſ. Biblioth. l. 4. *Vir ſupra omnes, qui ante eum, & poſt eum hucuſque fuerunt, mortales, admirabili ingenii acumine præditus, omnibus liberalibus diſciplinis inſtructus, Platonica Philoſophia pleniſſime imbutus, Ariſtotelicæ doctrinæ non ignarus, &c.* Ephemer. Erudit. Gall. 15. Martii 1666. *Quia D. Auguſtinus omnigena eruditione præditus erat, de omnigenis etiam rebus, & pro omnibus hominum generibus ſcripſit. Opera ejus plurima pro Philoſophis, aut Theologis tantùm ſunt; ſed Tractatus de Civitate Dei pro illis etiam eſt, qui ſcientiam non profitentur; cumque illum inſigni cuidam Dynaſtæ Romano nuncupaverit, eum videtur præſertim in gratiam nobilium conſcripſiſſe, &c.* Vide Pope Blount in Cenſura, &c.

AURELIUS AMBROSIUS THEODOSIUS MACROBIUS

PRæpoſitus Sacri Cubiculi ſub Impp. Theodoſio, & Honorio circa finem ſcil. ſec 4. floruit; de quo honorifica mentio eſt in leg. 1. Cod. de Præpoſitis Sacri Cubiculi, lib. xii. De ejus patria non bene conſtat apud autores Suum civem Parmenſes faciunt; ſed nullo valido argumento ſuffulti: imò contrarium conſtat ex ejuſdem verbis in Saturnaliorum initio, ubi ſe longe à Latio natum profitetur, inquiens: *Niſi ſicubi nos, ſub alio ortos cœlo, Latinæ linguæ vena non adjuvet. Quod tamen ab hiſce (ſi tamen quibuſdam forte nonnunquam tempus, voluntaſque erit iſta cognoſcere) petitum, impetratumque volumus, ut æqui bonique conſulant, ſi in noſtro ſermone nativa Romani oris elegantia deſideretur, &c.* Vir fuit Conſularis, & illuſtris, magnæ eruditionis, & Platonicæ Philoſophiæ quàm qui maxime addictus.

Scripſit *In Somnium Scipionis lib. 2. Saturnaliorum lib. 7.* De quibus hoc eſt autorum quorundam judicium; qui non minus ejus eruditionem, quàm Philoſophiam commendant. Marc. Zuer. Boxhorn. in Epiſt. p. 17. *Macrobius ſcriptor præſtantiſſimus; qui veterum Philoſophiam, non vanam illam, & quæ ad ſolam oſtentationem pertinet, ſed cordatam, & maſculam altiſſime penetravit.* Cœl. Rhodig. l. 1. c. 12. & 15. *Autor excellentiſſimus, & vir reconditiſſimæ ſcientiæ.* Laurent. Valla: *Curioſiſſimus in loquendo, & reconditiſſimæ ſcientiæ.* Bonifac. Ludicra Hiſt. *Mihi quidem in Platonicorum Myſteriis, in Mathematicis Diſciplinis, in re Poëtica ſatis eruditus, neque ſuo ſeculo infacundus videtur.* Lud. Viv. de Trad. Diſcipl. l. 3. *Macrobii Saturnalia multum habent bonarum, ac variarum rerum.* Et ibidem loquens de Gellio, & Apulejo, ait: *Macrobius melior eſt his, atque explanatior: habet quæ non tam vulgari ſermoni ſint utilia, quàm Philoſophiæ explicandæ.* Vide etiam eundem Præfat. Vigiliæ in Somn. Scip. Godeau Epiſc. Gall. *Ejus Saturnalia omnigena tractant argumenta Criticæ, & Antiquitatum: perjucunda, & eruditionis plena miſcella videtur.* Erudit. Judicia Tom. 2. Pariſ. 1685.: *Chriſtophorus de Mile Autorem hunc ſingulari Platonis ſtudio teneri obſervavit, eumque iis colligendis, quæ autores in Virgilium notaverant, maxime incubuiſſe; ejus Saturnalia erudita eſſe, ſed ſtyli non laudabilis, quòd ſeculo ſcripſerit, quo linguæ Latinæ puritas jam alterata, vel deperdita erat, ut ipſe Macrobius fatetur. Denique J. Vavaſſor deprehendit, illum totidem verbis Plutarchum innumeris in locis tranſcripſiſſe, ab A. Gellio plurima mutuatum eſſe: de ſuo tamen addidiſſe multa ſingularia, & jucunda, quæ ejus eruditionem, & Antiquitatis notitiam manifeſtant.* Card. Bona Notit. Autor. *Macrobius Philoſophus eximius, & Criticus acutiſſimus.* Alios ipſum laudantes prætereo.

Non deſunt tamen, qui ipſum reprehendunt; inter quos Politian. Epiſt. l. 12.

l. 12. epiſt. 22. ubi: *Macrobius dapibus partim emendicatis, partim ſuffuratis ſuas cœnas inſtruxit*. Eraſmus in Ciceron. pag. 148. ipſum Æſopicam Corniculam vocans ait: *Ex aliorum pannis ſuos contexuit Centones. Itaque ſuâ linguâ non loquitur, & ſi quando loquitur, Græculum latine balbutire credas. Quod genus eſt illud ex Commentario in Somnium Scipionis ſecundo*. Petr. Crinit. de Honeſta Diſcipl. p. 534. *Quod etiam Macrobius (ut alia complura) è penu Gellianæ eruditionis in ſuas cœnas deprompſit: homo ſatis quidem eruditus, ſed ingenio maxime ingrato, ac prope impudenti, ut qui tanto æris alieni cumulo, nuſquam creditoris nomen profiteatur*. M. Ant. Muret. ad Senecæ 3. de Benefic. 18. *Totam hanc diſputationem de ſervis, num dominis beneficia tribuere poſſint, partim ex hoc Senecæ loco, partim ex Epiſt. 47. partim ex Valerio conſarcinatam Macrobius l 1. Saturn. c. 2. pro ſua venditavit. Sed & ex Agellio, & Plutarchi Sympoſiacis tam multa nullo pudore in ſeptimum librum Saturnaliorum ſuorum tranſtulit, ut appareat, eum factitaſſe eandem artem, quam plerique hoc ſeculo factitant, qui ita humani nihil à ſe alienum putant, ut alienis æque utantur, ac ſuis*. Ulyſſes Altrovand. de Quadruped. p. 394. *Macrobius tranſcripſit Alexandrum Aphrodiſæum, ac pene verbatim expreſſit*. Vide etiam Claud. Verder. in Autor. Cenſione, &c.

SYNESIUS.

De ejus patria non bene conſtat apud autores. Gulielmus Cave ipſum genere Pentapolitanum cum aliis aſſerit; ſed in qua urbe hujus Regionis Pantapoleos fuerit ortus, non affirmat. Pentapolis enim Regio Cyrenaicæ erat quinque urbibus conſtans, unde & illi nomen (non loquimur hîc de Pentapoli Palæſtinæ, aliiſque regionibus hoc nomine inſignitis) quæ urbes hoc ordine ſunt Berenice, Arſinoë, Ptolemais, Cyrene, & Apollonia. Suidas hæc tantum habet: *Συνέσιος Ἐπίσκοπος ἐκ Πτολεμαΐδος πενταπόλεως τῆς ἐν Λιβύῃ Θηβαΐδος, Syneſius Epiſcopus ex Ptolemaide Pentapoleωs Thebaidis, quæ in Libya eſt*. Philipp. Labbe de Script. Eccleſ. ipſum Cyrene natum aſſerit, dum ait: *Syneſius patriam nactus Cyrenem Pentapoleωs in Libya, Ægypto proxima, nominatiſſimam urbem, ab ineunte ætate, ut ex epiſt. 57. adverſus Andronicum diſcimus, Philoſophiæ operam dedit, Alexandriæ Magiſtra uſus Hypatia, Theonis præſtantiſſimi Mathematici filia, quæ, ut ex Socrate conſtat, anno demum 415. à populo primùm teſtis obruta eſt, tum membratim diſcerpta; fuitque inter Sophiſtas ſui temporis nominatiſſimus; uxorem duxit, quatuorque ex ea filios ſuſcepit. Legatione pro patria ſua functus eſt per triennium Conſtantinopoli apud Arcadium Imperatorem circa annum 400. ad quem habuit Orationem de Regno: dein anno 410. Epiſcopatum Cyrenes, ſeu Ptolemaidis patriæ ſuæ invitus capeſſere coactus eſt, ordinatus à Theophilo Alexandrino Patriarcha ſub Theodoſio Juniore, Arcadii filio. Quamdiu in ſacra illa miniſtratione vixerit, quove anno obierit, à nemine proditum eſt*. Certum id tamen conſtat, ipſum omnia feciſſe, ut ſe Epiſcopatu abdicaret. Quod cum fruſtra tentaſſet, altero ab adito Epiſcopatu anno Concilium celebravit; ac poſt obitum, fratrem ſuum Evoptium in Epiſcopatu ſucceſſorem habuit.

Ingenuè quidem fateor, me haud ſatis intelligere, cur cit. Labbe, Morery in Lex. Hiſt. & in Suppl. aliique dicant, Syneſium Ptolemaidis, ſive Cyrenes Epiſcopum fuiſſe, quaſi una civitas, vel unus idemque eſſet Epiſcopatus: cùm clarum ſit, Ptolemaidem aliam à Cyrene Pentapoleωs civitatem fuiſſe, à qua 12. milliaria diſtat; ac Ptolemaidis Epiſcopatum ſub Archiepiſcopatu Cyrenes extitiſſe. Vel igitur ejus Epiſcopatus ſedem ignorant, vel Ptolemai-

maidem cum Cyrene confundunt . Accedit , Labbe loc. cit. dixiſſe : *Epiſcopatum Cyrenes , ſeu Ptolemaidis patriæ ſuæ , &c.* cùm ſupra dixerit , ipſum Cyrene natum , non Ptolemaide .

Scripſit , præter dictam *Orationem de Regno* , plurima , ſed mira omnia ; inter quæ ſunt *De Providentia lib.* 2. *Epiſtolæ* 155. *Dio* , ſive de vitæ ipſius inſtituto : *Calvitii Encomium : Cataſtaſis in Barbarorum excurſionem : Cataſtaſis in laudem Anyſii : De Dono Aſtrolabii : Homiliæ : Hymni : De Inſomniis* . Quæ omnia cum Notis edidit Dionyſius Petavius an. 1612. & 1633. Notandum hic , Syneſium in ipſis de Deo , Trinitate , Anima , & Dæmoniis , Platonicorum more locutum eſſe . Hinc Joh. Maria Bralicheiianus in Decret. Sacr. Congreg Indic. obſervat , *Syneſium , qui diutius antè Philoſophus Ethnicus vixit , Platonica quædam , ſeu Pythagorica nonnunquam ſuis Hymnis inſeruiſſe , præſertim cùm de Trinitate loquitur , vix poëticis numeris potuiſſe retinere exactam illam loquendi rationem , quam Theologia in Myſterio Sacræ Triadis ſervandam præſcribit* . Notatur etiam à quibuſdam , reperiri in Scriptis ejus quaſdam Ethnicas opiniones , quales ſunt opinio de Venere , quòd ejus indignatione mulieres Libycæ grandes habeant mammiilas , ac pectora inconvenienter compoſita , itaut infantes non per alas , ſed per humeros lac ſugant , mammâ in humeros rejectâ ; ut in epiſt. 4. Opinio de Fortuna , & Fama , quòd Deæ ſint , ut in epiſt. 43. & 44.

Uno tamen omnium ore ejus ſanctitas , & doctrina commendatur . Phot. in Biblioth. cod. 26. *Lectæ ſunt Epiſcopi Cyrenes , cui Syneſio nomen , de Providentia , & de Regno , aliiſque nonnullis Orationes . Stylus illi ſublimis quidem & grandis , ſed qui ad popularem ſimul dictionem aliquantulum inclinet . Lectæ ſunt & ejuſdem Epiſtolæ variæ , venuſtate , ac dulcedine fluentes , cum ſententiarum robore , ac denſitate* . Evagrius l. 1. Eccleſ. Hiſt. c. 15. *Hic igitur Syneſius tum reliquis diſciplinis excultus fuit , tum in Philoſophia adeo excelluit , ut admirationi eſſet etiam Chriſtianis , his ſcilicet qui neque odio , neque gratiæ adducti , de rebus judicare ſolent - - - Qualis enim , ac quantus extiterit , abunde teſtantur tum Epiſtolæ poſt ſuſceptam Sacerdotii dignitatem eleganter & docte ab eo conſcriptæ ; tum Oratio , quam dixit eidem Imperatori Theodoſio ; tum quicumque ejus libri admodum utiles circumferuntur* . Ell. du Pin. Nova Biblioth. Aut. Eccleſ. Tom. 3. *Syneſii ſtylus , Photii quidem judicio , grandis , & ſublimis eſt , ſed Poëſin aliquatenus redolet . In narrationibus præſertim , & deſcriptionibus excellit . Prolixis præfationibus , crebriſque digreſſionibus variat argumenta , quæ pertractat . Delectabilia reddit eadem præclaris hiſtoriæ , fabulæque locis , inſignioribus profanorum Poëtarum dictis . Nihil aſperi , vel tædioſi habet ejus Philoſophia . Ea eſt ejus induſtria , ut hanc gratam , & jucundam reddat . Ad ſolam delectationem attendere videtur , cùm præcipua ſapientiæ capita tradit . Ad ſummarum veritatum notitiam lectorem ſenſim deducit , dum feſtivas tantùm narrationes ſe legere putat . In prima ejus Epiſtola duorum generum Opera illum ſcripſiſſe obſervat ; alia eſſe circa ſubtiliſſimam Philoſophiam ; alia verò Rhetoricas Diſſertationes eſſe : ſed facile cognoſci poſſe , utraque ejuſdem ingenii fœtus eſſe , modò res ſerias , modò facetias meditantis . Et ſane idem character ubique conſpicitur . Opera ejus Philoſophica Rhetoricis , & Poëticis figuris ſunt exornata : Eloquentiæ verò Diatribæ ſententiis Philoſophicis roborantur . In Platonicis ſcriptis verſatiſſimus erat , & ex illo fonte hauſerat quicquid maximi , & celſiſſimi habet antiqua Philoſophia circa Summi Entis , & Moralium Principiorum cognitionem . Pauca de Religione noſtra ſcripſit , & multum abeſt , quin in ea æque doctus eſſet , ac in Platonis Philoſophia . Liquet tamen ex ejus Epiſtolis , eum fuiſſe*

ſapien-

Digitized by Google

ſapientiſſimum, prudentiſſimum, & optimum Epiſcopum, &c. Phraſis ejus tanquam Attica laudatur à Geſnero; & à Quenſtedt dicitur *Syneſius vir admirandæ ſanctitatis, & doctrinæ; eloquentiæ tamen ſtudiis clarior, quàm rerum Eccleſiaſticarum notitia*. Lud. Viv. de Trad. Diſcipl. p. 540. *Syneſius elaboratus, & translationibus paulo obſcurioribus frequens*. Balth. Bonifac. Ludicr. Hiſt. p. 603. *Syneſius pius, & doctus, argutus interdum, ſtylo amœno, æque proſa, verſuque bonus*. Sed omnium maxime ejus habet dignas laudes Lucas Holſten. Diſſertatione de Syneſio, & de Fuga Epiſcopatus, dum ait: *Syneſius Philoſophorum omnium, uno Platone excepto, eloquentiſſimus - - - - Neque enim mihi animus eſt eloquentiſſimi juxta, ac ſapientiſſimi Philoſophi laudes pertexere, aut orationis accuratiſſimæ virtutes perſequi, aut reconditam philoſophandi rationem in lucem protrahere*. Bellarminus etiam de Scriptor. Eccleſ. *Vir fuit admirandæ ſanctitatis, & doctrinæ. Scripſit plurimas, & elegantiſſimas Epiſtolas*. Scaligerana 2. *Egregia in Syneſii Epiſtolis occurrunt*. Greg. Gyraldus Syneſii Epiſtolas admirandas vocat. Denique ab Hofmanno vir pietate, & eruditione inter primos ſui ævi nominatur. Vide etiam Baron. Godeau. Poſſevin. Niceph. &c. & Hiſt. hanc p. 101.

ÆNEAS GAZA

PHiloſophus Platonicus circa finem ſec. 5. ſub Zenone Imperatore floruit, ut ex ejuſdem ſcriptis educitur, in quibus de Africæ Martyribus à ſe viſis ſub Hunnerico Vandalorum Rege loquitur; qui Rex obiiſſe fertur an. 485. Æneas Chriſti Fidem amplexus, *Dialogum de Animæ Immortalitate, & corporum Reſurrectione, Theophraſtum* appellatum, compoſuit: quem Ambroſius Abbas Camaldulenſis latinum fecit, & Bibliothecæ PP. addictum habemus. Extat etiam Lipſiæ editus an. 1655. à Joh. Baver cum Notis Gaſp. Barthii. Vide Bellarm. de Scriptor. Eccleſ. Labbe Diſſertat. Hiſt. &c.

HIEROCLES

SEcta Platonicus, Bithyniæ primùm ex Vicario Præſes, deinde Alexandriæ Præfectus Chriſtianorum hoſtis acerrimus, in ipſos mirè ſævíit, Perſecutionis ſub Diocletiano ferventis autor exiſtens, ἐργοδιώκτης, ejus ſcilicet Perſecutionis monitor, & exactor dictus eſt. *Quo ſcelere non contentus, etiam ſcriptis eos, quos afflixerat, inſecutus eſt. Compoſuit enim libellos duos non contra Chriſtianos, ne inimicè inſectari videretur, ſed ad Chriſtianos, ut humane, ac benigne conſulere putaretur. In quibus ita falſitatem Scripturæ Sacræ arguere conatus eſt, tanquam ſibi eſſet tota contraria: nam quædam capita, quæ repugnare ſibi videbantur, expoſuit; adeò multa, adeò intima enumerans, ut aliquando, ex eadem diſciplina fuiſſe videatur*. Lactantii verba ſunt lib. 5. c. 2. Quos libros Nicomediæ degens compoſuit, & Λόγυς Φιλαλήθας, *Sermones Veritatis amatores* appellavit: quo in opere inter alia Apollonium Tyaneum Chriſto Domino comparavit, & vel paria, vel majora etiam feciſſe contendit. Blaſphemias tamen ejus, & inſanias egregie confutavit Euſebius, & Lanctantius; quem Inſtitutionum libros contra Porphyrium, & Hieroclem Philoſophos ſcripſiſſe putat Baronius ad an. Chr. 302. quem vide.

Sed an unus, idemque Hierocles fuerit, qui libros Philalethes compoſuit, cum eo, qui de Apollonio ſcripſit, varia autorum mens eſt. Eundem exiſtimaſſe videtur Guil. Cave in Chartophyl. Eccleſ. atque alii, ut ex modò dictis. Diverſum faciunt Morery in Lex. Hiſt. ubi diverſis articulis de unoquo-

que

que agit; aitque, eum, qui de Apollonio ſcripſit, Philoſophum ex Areopagi judicibus fuiſſe: & Baronius, qui modò dicti meminit ad an. Chr. 302. ejus verò, qui Apollonium cum Chriſto comparavit, ad an. Chr. 68. atque contra hunc ab Euſebio ſcriptum, aſſerit. Alii tandem confundunt ex eo, quod ambo contra Chriſtianos ſcripſerint, & Philoſophi fuerint.

Alius tamen ab his omnino fuit Hierocles ille, qui ſec. 5. vixit, & Platonicus etiam fuit, celebri fama Alexandriæ docens. Scripſit hic libros 7. de *Providentia, & Fato;* quorum veluti exſcerpta Phothius nobis aſſervavit. In iis Platonis, & Ariſtotelis concordantiam oſtendit; & ſuppoſita Metempſychoſi, omnes difficultates de Providentia, & Fato, cum Libero Arbitrio convenire valentibus, reſolvi poſſe contendit. Aſſerit etiam ibidem, Platonem Mundum ex nihilo creatum crediđiſſe. De hoc ita Damaſcius apud Photium: *Sciendum, quod Hierocles, qui Scholam Alexandrinam ſublimitate, & magnitudine animi ornavit, præter magnificentiam venerandam, & conſtantiam, etiam ingenii ubertate admodum affluebat; & cùm linguæ præſtantia, pulcherrimorumque nominum, & verborum facilitate, ac copia excelleret, omnes ubique auditores in ſui admirationem rapiebat, tam orationis venuſtate, quam ſcientiarum varietate, cum Platone ſemper contendens.* Vide Phot. Biblioth. cod. 214. & 242.

Alius etiam memoratur Hierocles, qui in Aurea Carmina Pythagoræ Commentarium ſcripſit: Hic Pythagòræ etiam vitam ut notat Cozzandus l. 5. c. 1. memoriæ tradidit. De eo ita Joh. Pearſon in Prolegom. ad Hieroclem: *Inter Opera verò Philoſophica, ſive Judex, ſive alius fuerit, primum jure merito locum ſibi vendicat* Ὑπόμνημα εἰς τὰ χρυσᾶ Πυθαγόρου Ἔπη, *Commentarius in Aurea Pythagoræ Carmina, opus nunquam ſatis laudatum. Neque enim Carmina iſta tantùm interpretari, aut Grammaticorum inſtar Scholia conficere in animo habuit, ſed omnia Pythagoricæ diſciplinæ lineamenta brevi quaſi tabula depingere.* Cùm autem hic Hieroclis in Aurea Pythagoræ Carmina Commentarius junctim cum libris de Providentia, & Fato &c. Hieroclis Philoſophi Alexandrini, de quo modo dictum, Græc. Lat. extet, Londini an. 1654. editus, hinc factum puto, ut unus idemque quibuſdam viſus ſit. In magna tamen hac confuſione eorum, qui Hieroclis nomen habuere, & ſcripſere, vide Geſnerum, & Voſſium lib. 3. & 4. de Hiſt. Græc. &c. Sed omnium accuratiſſime Moilerus in Homonymoſcopia pag. 312. & ex eo Ionſius de Scriptor. Hiſt. Philoſ. ejuſque Scholiaſtes pag. 99.

CHOSROES PERSARUM REX

Quamquam barbarus, Philoſophiam, diſciplinaſque omnes Græcorum ita tenebat, ut par ſummis Philoſophis eſſet. Platonis, & Ariſtotelis Philoſophiam optime calluit: ſed Platonis dogmatibus adeò ferunt imbutum, ut ne Timæus quidem, vel Phædon ipſe, vel Gorgias, vel Dialogorum autor quiſpiam, ut Parmenides, illum prætererit. In Perſiam ad eum viſendum ſe contulere Damaſcius Syrus, Simpliciuſque è Cilicia, & Eleunamius Phryx, Priſcianuſque Lydus, Hermias præterea, & Diogenes ex Phoenicia, & Iſidorus Gazæus, qui omnes Juſtiniani temporibus omnium erant Philoſophantium principes. Cozzandus de Magiſterio Antiqu. Philoſ. lib. 1. c. 9. Miror ſane, Cozzandum, qui de plagii crimine alios ſæpe arguit, ſe jugiter plagiarium oſtendere; cùm rarius, unde ſua dicta hauſerit, indigitet. Choſroës hic nonniſi Primus hujus nominis Perſarum Rex, qui Magni etiam nomine inſigniebatur, & Juſtiniani coævus fuit, eſſe potuit; ſeculo enim 6. ambo

ambo floruerunt. Omnes tamen ejus Vitæ ſcriptores de ejus tantum militia, ac triumphis, quos de Romanis ſæpius reportavit; atque ut ab ipſis tandem ſuperatus, ex triſtitia obiit, loquuntur. Unum tantùm Suidam inveni, qui de ejuſdem ſapientia tam alte ſcripſerit, ex quo modo dicta Cozzandus retuliſſe videtur.

THEODATUS
GOTHORUM REX

THeodahades etiam dictus, Theodorici Regis ex ſorore nepos fuit. Hic ab Amalaſuntha Regina, ſuo filio Athalarico orbata, in thronum hac conditione evectus, ut ipſa regnaret; ingrato, crudelique animo eam prius extorrem fecit, deinde juſſit jugulari. Cujus innocentis ſanguinem vindicavit Juſtinianus Imperator, qui per Belliſarium, & Mundum Regno eum pepulit: ac tandem à Vitigio, magno ſuæ militiæ duce, à Gothis Regis nomine inſignito, interfectus cum filio ſuo Theodegiſilo eſt, dum Româ Ravennam peteret. Sic igitur proditor Theodatus à proditore Vitigio juſte peremtus, debitas ingrati animi pœnas luit. Doctus fuiſſe traditur, & Hiſtoriam ſcripſiſſe. Vide Procopium lib. 1. de Bello Goth. Marcellinum in Chron. Caſſiodorum lib. 10. Epiſt. 3. Poſſevinum in Appar. &c.

De Theodato ita Cozzandus loc. cit. *Theodatus Oſtrogothorum Rex, qui literis Græcis, Latiniſque liberaliter eruditus, ſectam amplexus eſt Platonicam, cui multam operam impendit, in eaque maxime claruit, ut Leonardus Aretinus teſtatur lib. 1. de Bello Italico contra Gothos, & Johannes Lelandus*. Cozzandi igitur, & eorum, quos adduxit, ſententiam ſecutus, Theodato inter Platonicos locum dedi.

GEORGIUS GEMISTUS.

A Seculo 6. uſque ad 15. Platonis Philoſophia ferme ſepulta delituit: donec præclara quædam ingenia ipſam è tenebris in lucem revocarunt. Inter hæc præclarum Platonicæ Philoſophiæ lumen eluxit *Georgius Gemiſtus*, cognomento *Plethon* dictus, patriâ Conſtantinopolitanus, qui ſec. 15. Florentiam veniens, in Aula Magni Ducis, literarum ac literatorum patroni, Coſmi Medices magno in honore vixit, à cunctis ſui ævi doctiſſimis viris eximius Philoſophus & creditus, & habitus. Concilio Florentiæ ſub Eugenio IV. an. 1438. celebrato adfuit, in quo ſingularis doctrinæ virum omnes ipſum admirati ſunt. Fertur ad annum centeſimum, & ultra vixiſſe; duos poſt ſe relinquens filios, Demetrium, & Andronicum.

Scripſit librum *De Differentia inter Ariſtotelem, & Platonem*; in quo oſtendit, principatum ſemper inter hos duos Philoſophos Platonem obtinuiſſe: *Tractatum de Interpretatione*: *Commentarium in Oracula Magica Zoroaſtris:* atque alios Tractatus, potiſſimum Hiſtoricos. De Gemiſto ita Cozzandus loc. cit. *Ex Academia quidem Georgius Gemiſtus non ſolum Hiſtoricus, ſed Philoſophus & Mathematicus, cognomento Pletho, patriâ Conſtantinopolitanus, quem quaſi Platonem alterum de Myſteriis Platonicis differentem frequenter audivit Coſmus Medices Florentiæ, & ante in Græcia Beſſario Cardinalis Patriarcha Nicæus, cujus ad illum plurimæ extant epiſtolæ &c.* Vide Geſner. Biblioth. Leon. Allat. Diacr. de Georg. pag. 283. Voſſ. de Philoſ. Sect. c. 16. §. 6. de Hiſt. Græc. lib. 2. c. 30. &c.

BESSARION

CUI patria Trapezus, urbs Cappadociæ, in Aſiæ Minoris confinio, primùm Monachus S. Baſilii, deinde Cardinalis, Archiepiſcopus Nicæus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, Georgii Gemiſti, modò dicti, diſcipulus fuit, ſub quo in ſcientiis omnibus, potiſſimùm verò in Platonica Philoſophia multum profecit. Per Imperatorem Ioh. Palæologum ut Eccleſia Græca Latinæ jungeretur, ſategit plurimum. Propterea Florentiam ſe contulit, ubi Concilio ſub Eugenio IV. celebrato interfuit, orationem habuit, & Orthodoxæ doctrinæ ſubſcripſit; unde Cardinalis inſignia promeruit. Imò parum abſuit, quin etiam in Summum Pontificem eligeretur. Variis magni momenti legationibus ſub Summis Pontificibus laudabiliter functus eſt: ex quarum ultima ad Ducem Burgundiæ, & Ludovicum XI. Gallorum Regem, non ex voto confecta, reverſus, Ravennæ mortuus eſt 18. Novembris an. 1472. ætatis verò 77. cujus corpus inde Romam translatum in Baſilicam S. Petri eo ſepulcro conditum eſt, quod ſibi vivens extruxerat, & Epigraphem fecerat an. 1466. quam vide apud Paulum Jovium in Elog. c. 24.

Magnus plane vir fuit, Purpuræ decus, Græciæ ornamentum, in omni ſcientiarum genere eruditus, literatorum amicus, & protector, quos domi ſuæ ſemper coluit, & familiares habuit; inter quos præcipui fuere Argyrophilus, Theodorus Gaza, Gemiſtus Plethon ſuus præceptor, Philelphus, Blondus, Poggius, Laurentius Valla, Andronicus, Platina, Domitius, atque alii ſui ævi literati; qui omnes Beſſarionis domum frequentabant, potiſſimùm ob celeberrimam ſuam illam Bibliothecam, quam triginta nummis aureis emiſſe fertur: quam deinde Senatui Veneto donavit, qui etiamnum illam ſumma cura cuſtodit. Nil prætermiſit, ut Platonicam Philoſophiam, cui deditiſſimus erat, omnibus redderet commendabilem. Unde cum Georgii Tapezuntii Opus perlegeret, in gratiam Ariſtotelis contra Platonem ab eo confectum; ſtatim *Apologiam contra Calumniatorem* inſcriptam compoſuit, qua Platonem Philoſophorum Principem probaret. Plura adhuc ſcripſit volumina ad *Philoſophiam*, & *Theologiam* ſpectantia: *Orationes* etiam, & *Epiſtolas*; quæ omnia ſeparatim edita habemus. Bibliothecæ PP. opus illud Beſſarionis inſertum legimus, cui titulus: *Liber de Sacramento Euchariſtiæ; & quibus verbis Corpus Chriſti conficiatur*. Vide Trithem. & Bellarm. de Script. Eccleſ. Auberi Hiſt. des Card. Poſſevin. Spond. le Mire &c.

MARCUS MUSURUS

CRetenſis, vir utriuſque linguæ doctiſſimus, & propter eruditionem ſuam à Leone X. & Alberto Pio, Carporum Principe, & Laſcare Romam accitus, quem, præter alia, *Encomium in Platonem* Græco elego carmine doctiſſimo panxiſſe, Gyraldus teſtatur lib. de Poëtis ſui temporis p. 62. Extat id Poëma, & in limine Operum Platonis legitur, commendatione publica cum antiquis elegantia comparandum judicio P. Jovii in M Muſuri elogio. Platonicis eum adnumerat Jonſius Hiſt. Phil. l. 3. c. 21. A Leone X. Archiepiſcopus Raguſeus creatus, certa ſpe Purpuræ tenebatur: qua fruſtratus ex mœrore hydropicus mox obiit. Jonſius l.c. memorat MICHAELEM APOSTOLICUM, qui primus eo temporis tractu *de Ariſtotelis, & Platonis diſcrepantia* ſcripſit.

JOHANNES WESSELUS

GRoningæ in Germania natus an. 1419. patris, matriſque jacturam paſſus, à nobili quadam femina una cum proprio filio educatus, & in ſcientiis, Philoſophia potiſſimum inſtructus, ipſam mox docuit. Perſpicacis, præclarique ſui ingenii plurima ubique ſigna dedit. Licet in Peripateticis, Scholaſticis, primum inſtitutus; ab his tamen deinde ad Platonem ſe convertit, cujus Philoſophiæ totum ſe devovit: unde & à Scholaſticis præceptoribus odio habitus eſt. De eo ſic Hornius Hiſt. Philoſ. lib. 6. c. 6. *Weſſelus Ganſefort, Groningenſis parem circa ea tempora non habuit. Ea enim omnium literarum, ac diſciplinarum cognitione erat præditus, ut communi nomine diceretur Lux mundi. Peritus erat trium linguarum, Latinæ, Græcæ, & Hebrææ. Ad Græcam diſcendam in ipſam Græciam profectus eſt. Cumque A. C. 1477. Elector Palatinus Philippus inſtauraret Heidelbergenſem Academiam, eò ad Profeſſionem Theologicam vocatus eſt. Sed cum Doctoratum ſuſcipere non poſſet, propterea quod oſor Monaſtici ordinis eſſet, relicta Profeſſione Theologica, Philoſophicam ſuſcepit. Profitebatur autem Philoſophiam Platonicam, quam Chriſtianiſmo utiliorem, & convenientiorem exiſtimabat.* In Morery tamen Suppl. notatur verbo *Weſſelus*, ipſum poſt varias Germaniæ urbium Academias peragratas, Lutetiam Pariſiorum veniſſe: ubi ferventiſſimis diſputationibus invicem rixantes Scholaſticos Reales, Formales, & Nominales inveniens, in id totus incubuit, ut Formalium ſectæ principes Realibus adſociaret. Ipſemet tamen mox Formalium ſectam ſecutus eſt: ſed cum ipſam rationi minus conſonam advertiſſet, Nominalibus ſe addixit (ſimulatè verò, crediderim, nam Platonis admirator erat) quorum doctrina novitate magis, quam veritate tum placebat. Pariſiis P. Franciſci della Rovére, Fratrum Minorum Miniſtri Generalis, familiaritatem nactus eſt. Hoc deinde in Pontificem Maximum, ſub Sixti IV. nomine, electo, & magnas ei dignitates offerente, nihil præter unum Sacrorum Bibliorum Codicem Hebræum, & Græcum voluit; quo accepto, Roma in patriam migravit: ubi fama, & doctrina omnibus carus obiit die 4. Octobris 1489. Sunt qui ipſum in Orthodoxa Fide mortuum aſſerunt. Alii verò contra ab ea in multis aberraſſe affirmant, eumque Lutheri Præcurſorem appellant. Ex ejus ſcriptis quædam interciderunt, quædam exſtant edita a. 1614. Vide Vitas Profeſſorum Groningenſium.

MARSILIUS FICINUS

INgens Florentiæ decus, ubi natus eſt an. 1433. munere Eccleſiaſticus, Platonicam Philoſophiam omnium maxime coluit, inſtauravit, propugnavit. Ejus vitam ſcripſerunt Dominicus Melſinus, & Melchior Adamus: de qua pauca hìc ex aliis adnotabimus. Boiſſard. in Icon: *Græcæ, Latinæque linguæ peritiſſimus: homo ingenii acuti, & vigilantis: unicè adamatus à Coſmo Florentinorum Principe propter exquiſitam ſcientiarum omnium, qua pollebat, cognitionem. Fuerat enim Marſilius cum Angelo Politiano bonarum literarum ſtudiis excultus opera, & ſtudio Laurentii Medices, qui & ipſe doctus doctorum omnium Mecœnas vocatus eſt, tantaque autoritate, moderatione, & prudentia Remp. gubernavit Florentinorum, ut Pater Patriæ dici jure mereretur. Poſt cujus mortem non minore apud Coſmum gratia valuit, & ab eo divitiis, & honoribus ditatus, ocio literario vacans, Principis bene meriti ſuaſu Latinos fecit Jamblichum, Syneſium, & Pſellum, Platonicos autores, ipſumque totum Platonem. Scripſit & alia inſignia Opuſcula, quæ à doctis cum ſin-*

Digitized by Google

gulari delectatione, & fructu leguntur. Iſ. Bullart. in Acad. Scientiarum: *Ejus Opera ſatis evincunt, virum illum laborioſum ad compoſitionem non minus idoneum fuiſſe, quàm ad verſionem; nec propriis bonis minus opulentum, quàm Antiquitatis ſpoliis. Quando ſtudii contentio ad animi relaxationem aliquam quærendam illum adigebat, ejus oblectamentum erat cum honeſto, & jucundo ſodalitio dulce vinum compotare. Tam brevis erat corporis ejus ſtatura, ut ad virorum ſolitæ magnitudinis lumbos vix pertingeret: ſed magnus erat illi animus, & conſtans, ad lætitiam, quàm ad mœrorem propenſior. Sollicite vitabat quicquid valetudini ſuæ noxium eſſe poterat. Imò regiminis hujus aliis præcepta tradere voluit libro ſuo De Triplici Vita. Septuageſimum tamen annum non exceſſit, febrique an. 1499. abreptus eſt in ſua Caregiana villa, quo tempore Ludovicus XII. Galliarum Rex, Alpes cum potenti exercitu ſupergreſſus, bellum, atque terrorem in Italiam inferebat*. Ejus tumuli Epigraphem Angelus Politianus hanc fecit:

Mores, Ingenium, Muſas, Sophiamque ſupremam,
Vis uno dicam nomine? Marſilius.

Hoc ei vitio vertunt nonnulli, quòd in Diſſertationibus ſuper Platonem, & Plotinum, ipſis de ſuo commodans, eos Chriſtiane loqui faciat. Unde Claud. Verder. in Aut. Cenſione ait: *Marſilius Ficinus Platonis interpres Serrano quidem fidelior, & purior eſt. Sed quanquam à Platonis mente diſcedat rariſſime, ita tamen vertit, ut Platonem eſſe non judices. Vides quid Plato dicere voluerit, ſed quomodo dixerit non habes, &c.* Et Huet. de Clar. Interpr. *Marſilium Ficinum religioſum, & fidelem interpretem dicit Nannius, ſummâque curâ verbis inſtitiſſe, ſententiam quoque reddidiſſe, in indole verò defeciſſe. Nos aliter judicamus; nam verborum curam negligit Ficinus, ſententias dilatat nonnunquam, vel contrahit: id, quod alibi ſæpe, maxime verò in Triſmegiſti interpretatione deprehendas.*

Frequentius tamen laudatur ab aliis, à quibus *Naturæ rerum peritiſſimus: Academicorum omnium doctiſſimus: Homo ſummi ingenii, & inexhauſti laboris: Vir divinus, & ſapientiſſimus; ſapientiæ, & integritatis decus. Vir peritus non vulgariter tum Sacræ Theologiæ, tum etiam Platonicæ Philoſophiæ*; aliiſque inſignioribus nominibus appellatur. Et præſertim Voſſius de Mathemat. c. 35. ſect. 47. ejus Apologiam confecit, ubi ait: *Anno 1490. longe lateque diffundebatur nomen Marſilii Ficini; qui Apologiâ ſuâ comprobat, Aſtrologiam, & Medicinam ad Sacerdotes pertinere. Etiam tres libros fecit de Vita, in quibus ex Aſtrologia divinatrice multa admiſcuit ſuperſtitioſa. Lecto tamen Opere Pici Mirandulani adverſus Aſtrologos, vanitatem ejus ſcientiæ dicitur deprehendiſſe, ac rejeciſſe. Magnus plane vir erat; præſertim in Philoſophia Platonica. Quare miror, ſummum itidem virum Ludovicum Vives, quum locutus eſſet de Epiſtolis Angeli Politiani, Hermolài Barbari, atque aliorum, ſubjungere deinde: Admiſcuit ſe his Philoſophaſter Marſilius Ficinus, ut oloribus gavia: atque Epiſtolas compoſuit, ut de Platonicis quæſtionibus diſputaret dictione invenuſta, & moleſta*. Tandem Trithem. de eo ſic ſcripſit: *Vir in ſecularibus literis eruditiſſimus, & divinarum Scripturarum non ignarus, Philoſophus, & Rhetor celeberrimus, utraque lingua peritiſſimus, Platonicæ Theologiæ unicum decus, ornamentum, & corona. Scripſit ornato ſermone multa præclara Opuſcula, quibus excellentis ingenii ſui venam poſteris oſtendit*. Vide etiam Philip. Labbe de Script. Eccleſ. Paul. Jov. in Elog. Doct. Vir. Geſner. Poſſevin. Joh. Bapt. Criſp. de Philoſophis caute legendis, &c.

JOHAN-

JOHANNES PICUS

MIrandulæ, & Concordiæ Princeps, ex patre Johanne-Franciſco, qui paternum genus à Conſtantino Cæſare per Picum pronepotem, ut memoriæ à multis proditum, trahebat; & ex matre Julia ex nobili Bojardorum familia, ultimo partu ortum duxit die 24. Februarii an. 1463. Pio II. Pontifice Maximo Eccleſiam regente, & Federico III. Romani Imperii regimen moderante. Honorem tamen, quem magnum ex tam illuſtri, nobilique familia ortus acceperat, majorem ei contulit. Johannes-Franciſcus Picus, Johannis ex fratre nepos, qui ejus vitam contexuit, quæ ejuſdem Operibus præfixa habetur, narrat, ante ipſius ortum non leve prodigium apparuiſſe, circularem ſcilicet flammam ſupra parientis matris adſtare cubiculum, viſamque mox evanuiſſe. Qualis verò ejus jam nati, & adulti corporis, animique forma, & indoles fuerit, ex eodem nepote adnotemus.

Forma fuit inſigni, procera, & celſa ſtatura, molli carne, venuſta facie, albenti ſcilicet rubentique colore concinnè ſuffuſa: cæſiis, ac vigilibus oculis, flavo capillitio; dentibus candidis, & æqualibus; & uno verbo, undique pulcherrimus. Pulchrior tamen animi indoles, & penitus admiranda extitit. Et quidem ingenio fuit promto, & perſpicaci, mente ſublimi, memoria adeo tenaciſſima, ut audita ſemel à recitante carmina, mox eadem, & directo, & retrogrado ordine, magna omnium admiratione, recenſeret. Sub matris igitur imperio ita ardenter humanitatis ſtudia excoluit, ut brevi Orator, & Poëta magnus evaſerit. Anno ætatis 14. matris juſſu, quæ ipſum Eccleſiæ Sacris initiari ambibat, Bononiam ad Jus Pontificium addiſcendum petivit. Quod biennio ſic optime didicit, ut Summorum Pontificum Epiſtolas, quas Decretales vocant, in epitomen miro ſtudio redegerit. Hæc tamen duriora ſtudia pertæſus, ad jucundiora ſe contulit; ac divinæ, humanæque Philoſophiæ contemplationi totum ſe devovit. *Perluſtratis igitur* (verba ſunt Henrici Warthoni in Append. Hiſt. Literar. Gul. Cave) *primariis Galliæ, & Italiæ Academiis, eruditiſſimos utriuſque Philoſophiæ Profeſſores ubivis conquiſivit: Philoſophorum fere omnium ſcripta pervolvit, remque ſuam tam indefeſſo animi ſtudio agebat, ut Theologus ſimul, & Philoſophus omnibus numeris abſolutus imberbis adhus juvenis haberetur. Quod ad molliores verò literas attinet, is ſane erat, qui ſermonis elegantia, facetiis, & gratia, eloquentiæ viribus, diſputandi ſubtilitate, & diffuſa linguarum ſcientia omnibus ſui ſeculi viris palmam præripuit. Accuratæ enim linguarum Græcæ, & Latinæ notitiæ Hebræam, Chaldæam, & Arabicam adjecerat dialecto Italiæ, antea ne famâ quidem auditas.* Septennio in hac literaria peregrinatione, doctorum, doctrinarumque inquiſitione, completo, Romam annos natus 24. ſe contulit; ubi 900. Theſes, quæ omnigenas Scientias complectebantur, evulgavit, atque à ſe propugnandas ne dum Urbi, ſed univerſo orbi per literas indixit: illud inſuper pollicitus, ſe ab omnibus prorſus ſumtibus liberos præſtiturum eos omnes, qui ex variis mundi partibus contra ſe diſputatum Romam venirent.

Qua de re ita Boiſſardus in Icon. - - - *Utque erat excelſi ſpiritus, ingenioque ad maxima quæque evecto, ardore juvenili impulſus Romam venit, ubi Concluſiones nongentas in omni ſcientiarum genere diſputandas propoſuit; quarum quingentæ ſunt in Philoſophia Veterum, Mathematica, Cabala, & Magia. In quibus invictum ſe, & admirabilem omnibus præſtitit, cùm omnibus tanto ingenii acumine, tanta facundia, tanta gratia reſponderit, ut de omnibus triumphum retulerit.* In his tamen Theſibus propugnandis, quæ Dialecti-

Digitized by Google

lecticam, Theologicam, Mathematicam, Magicam, (Naturalem ſcilicet non impiam, & ſuperſtitioſam) Cabaliſticamque doctrinam (hoc eſt, Secretam Hebræorum dogmatum receptionem) è libris Latinis, Græcis, Hebraicis, & Chaldaicis erutam continebant; mirum quanta à ſemidoctis, ejuſque gloriæ invidis pertulerit. Quapropter Innocentius VIII. ut hominum cenſuræ ſatisfaceret, ortoque rumori occurreret, has Theſes examinandas tradidit: in quibus tredecim notatæ, quæ ſuſtineri penitus nequirent. Unde ſtatim harum interdictio, & Pici nominis delatio facta eſt. Sed cùm ſuas Theſes Picus optime per editam Apologiam, viginti tantum noctibus elaboratam, defenderit; Alexander VI. Innocentii ſucceſſor harum libellum omni interdictione immunem, ac Pici nomen falsò delatum decrevit. Hujus autem libelli cenſuræ non tam in Principem juvenem, eximie doctum, invidia, quàm ſuarum Propoſitionum veri ſenſus ignoratio, & cenſorum inſcitia, cauſſa extitit. Ad hoc verò confirmandum vel illud hîc adnotabo, quod habet Morery in Lex. Hiſt. Interrogatus, ipſe ait, quidam Theologus, ejus libri cenſor, quid hæc vox *Cabala* ſignificaret, fertur reſpondiſſe, Cabalam fuiſſe hominem nequam, & hæreticum, qui contra Chriſtum Dominum ſcripſit, cujus Sectatores exinde *Cabaliſtæ* dicti ſunt: quod ex ejuſdem Apologia ſe exſcripſiſſe fatetur cit. Morery. Atque hinc etiam factum, ut quidam ejuſdem notæ Theologi non comprehendentes, quomodo poſſet Princeps juvenis ætate tam tenera tot, ac tantas ſcientias ſine diaboli ope ſic optime callere; ipſum Magiæ accuſarent. Quidam etiam Hæreticum dixerunt, ut ipſemet fatetur in Apologia poſt initium, ubi ait: ***Ex his autem, qui ſapientiam, ideſt Theologiæ ſtudium profitebantur, quidam fuere, qui conviciis forte levioribus non contenti, non jam audacem me, non temerarium, non glorioſum, ſed magum, ſed impium, ſed novum in Chriſti Eccleſia Hæreſiarcham prædicarent.***

Sed contrà ex ejuſdem Vita habemus, ipſum poſt primæ juventutis florem, quum ſe gloriæ cupidum, & in vetitum amorem procliviorem oſtendit, Principem pium, & religioſum maxime præbuiſſe. Ampliſſimas enim facultates, præter eas, quas in librorum ſupellectilem augendam impendebat, omnes ad pauperes ſublevandos erogabat. Ut enim à juventutis delictis reſipuit, & ad ſe rediit, mulierum illecebris, vaniſque amoribus (quibus nobilium more, nobiliſſimus, pulcherrimus, ditiſſimus, & morum ſuavitate amabilis, feminiſque carus exiſtens, totum ſe dederat) cunctis perpetuum vale dixit; Principatu ſe abdicavit; ac privatam, frugalemque vitam Florentiæ vivens, in divinas preces, corporis caſtigationem, eleemoſynas præſtandas, ac virtutum omnium exercitationem, totus incubuit. Quare oblatas ſibi vel maximas Eccleſiæ dignitates repudiavit: atque amicis id indigne ferentibus reſpondit: *Non ſunt cogitationes meæ cogitationes veſtræ*. Illi etiam rei obnixe ſtuduit, ut quidquid mente, ſcriptiſque valeret, id totum in Eccleſiæ utilitatem, Orthodoxam ſcilicet contra ejus hoſtes Fidem propugnandam, converteret. Hinc carminibus amatoriis tum Latina, tum Italica lingua à ſe in adoleſcentia elaboratis, igne conſumtis; nonniſi ad Dei cultum, & religionem ſpectantia ſcribere ſtatuit, & cogitare.

Ultimum tandem diem obiit, morte quidem immatura, ex ſubdola febri, quæ ad tredecim dies duravit, 17. Novembris an. 1494. ætatis 32. non expletis, eodem ſcilicet die, quo Carolus VIII. Francorum Rex Florentiam ingreſſus eſt. Moriens inſignia Chriſtianæ pietatis ſigna dedit: inter quæ amor fuit in pauperes ad mortem uſque ſervatus, quo ductus adeo fuit, ut Florentini Xenodochii pauperes ſibi Hæredes ex teſtamento fecerit. Fertur, immaturam hanc mortem ſibi à Lucio Bellancio Senenſi prædictam, affirmante, ipſum ætatis annum

annum 33. non tranſgreſſurum : quod magno Florentiæ, Italiæ, orbis fletu ſic contigit.

Secta fuit Platonicus, imò & Platonicæ Philoſophiæ propugnator acerrimus. Omnes tamen Philoſophorum doctrinas, præſertim Ariſtotelis calluit; unde & Ariſtotelicus antea fuiſſe traditur à nonnullis. Certum vel illud eſt, ipſum Peripateticam Philoſophiam cum Platonica ſic optime conjuxiſſe, ut hanc veritatem, *Nullum eſſe quæſitum naturale, aut divinum, in quo Ariſtoteles, & Plato ſenſu; & re non conveniant, licet verbis diſſentiant*, in una ex ſuis illis 900. Theſibus publice defendiſſet. Quod fortè ex Simplicio didicerat, qui ait: *Nemo profiteatur Ariſtotelem, qui Platonem ab Ariſtotele diſſociet, ut diverſa ſentientem.*

Scripta ejus ſunt: *Heptaplus, ſive de Opere ſex dierum Geneſeos* (quæ Paraphraſis eſt cap. 1. Geneſeos de Mundi Creatione) *Concluſiones nongentæ* (quas olim Romæ diſputandas exhibuit; ut modò dictum) *Apologia* (qua ſuas has Concluſiones defendit contra detractores; ut ſupra adnotavimus) *De Ente, & Uno. Oratio de Hominis dignitate. Regulæ 12. in ſpirituali pugna. Commentarius in Pſalmum 15. De Chriſti Regno, & Vanitate mundi. Explicatio Orationis Dominicæ. Epiſtolarum lib. 1. De Aſtrologia Diſputationum lib. 12.* Quibus libris contra Aſtrologos acutiſſimè ſcriptis, ad artis vindictam faciendam, reſpondit Lucius Bellancius, idem ille, qui immaturam mortem prædixerat; ſed diſpari ingenio, ut notat Daniel-Georgius Morhofius Polyhiſt. tom. 2. 1. 7. 16. Hoc autem Opus, licet mortis cauſſa imperfectum, omnium tamen maximi à doctis Criticis æſtimatur. *Elegiæ. In Platonis Convivium lib. 3.* (Italice ſcripti) atque alia plura, potiſſimum contra Hæreticos, & Judæos, quæ poſt mortem imperfecta invenit ejus nepos, & Vitæ ſcriptor. Non prætereunda ſilentio eſt *Johannis Pici Diſſertatio Platonica*, qua Hieronymi Benivenii Florentini Hymnus in Amorem explicatur, quam ex Italico ſermone in Latinum verſam legere eſt in Hiſt. Philoſ. Stanleji pag. 351. & ſeq. quæ Platonicæ Philoſophiæ veluti epitome eſt. Voſſius etiam de Sectis Philoſophorum c. 1. ait: *Joh. Picus Mirandulanus Cabalæ, ſive doctrinæ de Deo, ejuſque cultu, quæ altera Judæorum Philoſophiæ pars erat, admirator fuit, nam gloriatur, ſe de ea 70. libros emiſſe ingenti pretio, & in ipſis inveniſſe religionem traditam à Moſe, & Chriſto: item Myſterium Trinitatis, Divinitatem Chriſti, humanæ naturæ aſſumtionem, peccatum Originale, & ejus expiationem, atque alia id genus.*

Ex innumeris, pleno ore ab autoribus in ipſum congeſtis laudibus, paucas hîc adnotaſſe ſufficiat. Scaliger, qui eum Monſtrum ſine vitio appellare ſolebat, hæc addit Comment. in lib. 3. Manil. *Phœnix ſeculi ſui, illuſtris vir Picus Mirandulanus, deliciæ Muſarum, atque alumnus Philoſophiæ.* Et Scaligerana prima pag. 121. *Picus Mirandulanus 32. ætatis anno, quo obiit, omni diſciplinarum genere non modò tinctus, ſed plane imbutus erat, ut Encyclopædiam diſciplinarum jure ſibi vendicare potuerit, longiore vita plane digniſſimus Princeps.* Voſſius de Mathem. cap. 63. ſect. 24. *Anno 1490. magni nominis fama per Europam omnem volitabat Johannes Picus Mirandulanus, Doctorum Nobiliſſimus, Nobilium doctiſſimus, ac cùm Picus diceretur, vere ſeculi ſui Phœnix fuit.* Phil. Morn. *Johannes Picus Mirandulanus Comes verè mirandus, ſeu profundam doctrinam, ſeu raram pietatem ſpectes.* Lud. Viv. de Trad. Diſcipl. l. 3. *Politiano gravior Johannes Picus, & ſatis caſtigatus, niſi quo loco altercatur cum Theologis.* Eraſm. in Ciceroniana p. 158. *Indoles Johannis Pici Mirandulæ Comitis plane divina, ingenium ad omnia factum, &c.* Angel. Politian. in centur. 1. Miſcell. c. 100. Johannis Pici encomium terminat

his

his verbis: *Denique, ut ſemel complectar, nullo non præconio major*. Petrus Crinitus de Honeſta Diſcipl. l. 2. c. 2. *Factum eſt, ut Picum Mirandulanum nuper audirem de Philoſophia docte, atque egregie differentem; ibique cùm Angelus Politianus, & alii complures ejus ingenium, atque multiplicem eruditionem laudarent, ac mirabundi extollerent: Non eſt, inquit Picus, ut hac in re mihi, aut ingenio meo velitis blandiri. Quin reſpicite potius ad labores, & vigilias noſtras; atque tum facile intelligetis, gratulandum potius aſſiduis vigiliis, atque lucubrationibus, quàm noſtro ingenio plaudendum. Et ſimul adſpicite, inquit, ſupellectilem noſtram, atque librorum theſauros. Oſtendebat autem egregie inſtructam, atque copioſam Bibliothecam, libriſque affatim omnigenis refertam*. Et ibidem c. 12. *Nuper forte cum Pico Mirandulano diem conſumſi: qui cùm de vita, & Philoſophia permulta graviter, & copioſe protuliſſet; illorum maxime ingenium, atque animos ſubinde accuſabat, qui ſegniter admodum degenere ocio oblitescunt. Qua in re, ut fit, cùm acrius, & ſeverius declamaret, cœpi mox, &c.* Ubi cit. Crinitus ocioſos à Solone, aliiſque legiſlatoribus infames dictos aſſerit, ac pœnis afflictos memorat. Diſputationem habitam inter Hieronymum Savanarolam, & Picum Mirandulanum, lege apud eundem Crinitum lib. 3. c. 2. Vide etiam Sixt. Senenſ. Biblioth. Sanct. l. 4. Bellarm. de Script. Eccleſ. Paul. Jovium in Elog. Trithem. Marſil. Ficin. Beroald. Du Pin, &c.

JOHANNES-FRANCISCUS PICUS

GAleotti Pici, qui modò dicti Johannis Pici frater natu major erat, filius fuit. Inter præclara, & multa ejus encomia hoc certe non ultimum, tam magni ſcilicet Patrui nepotem fuiſſe, & diſcipulum. Scholaſticis tamen, ut vocant, ſtudiis nimis addictus, latini ſermonis puritati non valde ſtuduit. Infelix ſemper in omni vita fuit: ex Principatu enim à Ludovico, fratre ſuo natu minore, primùm ejectus, ſed deinde poſt fratris obitum reſtitutus eſt an. 1510. Poſt annos duos iterum à Gallis expulſus, ſed denuò amiſſum Dominium recuperavit; quod & pacifice poſſedit uſque ad annum 1533. quum à Galeotto, Ludovici modò dicti filio, peremtus crudeliter eſt unà cum Alberto filio. Quam mortem Crucifixo adhærens obiiſſe dicitur. Scripta ejus hæc memorantur: *Vita Johannis Pici; & Vita Savanarolæ: De ſtudio Divinæ, & Humanæ Philoſophiæ lib. 2. De Morte Chriſti, & propria cogitanda lib. 3. Defenſio de Uno, & Ente, &c.* Vide P. Jov. in Elog. c. 87. Bellarm. de Script. Eccl. Spond. &c.

FRANCISCUS PATRICIUS

NAtione Venetus, profeſſione Philoſophus, ſecta Platonicus, Græcis, Latiniſque literis egregie inſtructus, omnigena eruditione refertus, & uno verbo, omnium ſui ævi literatiſſimus fuit. Alphonſi II. perquam familiaris extitit. Platonis ſectator magnus, Stagiritæ inſectator acerrimus, Philoſophiam Ferrariæ docuit annos 17. quam etiam Patavii, & Romæ profeſſus eſt, eò evocatus magno ſtipendio à Clemente VIII. ſtatim ac Summus Pontifex renunciatus eſt, qui ejuſdem opera antea etiam uſus fuerat. Totus autem in eo erat, ut Ariſtotelis Philoſophiam funditus everteret. Hinc Gregorio XIV. epiſtolam ſcripſit, qua id unum magna animi contentione flagitabat, ut Peripatetica Philoſophia, ejuſque libri è juvenum manibus eliminarentur, Platonica ſtatueretur. Magna tamen hæc in Ariſtotelem averſio ingens ei odium cum Theo-

Theodori Angelucii Medici, in Patavino Gymnaſio profeſſoris, tum Jacobi Mazzoni, peperit: qui editis libris ipſum fortiter impugnarunt, ille quidem in Philoſophicis, hic verò in Moralibus, & Poëticis. Imò in Morery Suppl. notatur, ipſum capitis damnatum Romæ fuiſſe an. 1597. (mendoſe ibi ſcriptum 1527.) Quod apud alios non legitur. Konig. enim in Biblioth. tantùm ait, ipſum Romæ deceſſiſſe an. 1597. æt. 67. Bælius etiam in Lex. voce *Patrice*, eum mortuum, non necatum aſſerit an. 1597. Ubi notat quoque, hunc quandoque confundi cum Franciſco Patricio Sienneuſi, qui eodem ſeculo clarus fuit, & *De Rege*, *& Regis inſtitutione* libros condidit. Apud alios ſimiliter mortuus tantùm legitur, non occiſus. Quæ autem in Morery Suppl. leguntur, ex Jano Nicio Erythræo in Pinacotheca I. pag.204. & 205. & Baillet in Judiciis Literat. de Poëtis Recentioribus, depromta notantur.

Ut autem voti compos fieret, Stagiritæ Philoſophiam examinandam ſuſcepit libro illo in 4. Tomos diviſo, quem *Diſcuſſiones Peripateticas* inſcripſit; de quo Launojus in libro de Varia Ariſtotelis Fortuna. In primo Diſcuſſionum tomo de Ariſtotelis vita, moribus, libris, auditoribus, ſectatoribus, expoſitoribus, interpretibus, ſectis, philoſophandi ratione, libris 13. diſſerit. Quibus in libris potiſſimum oſtendit, vel integros libros Ariſtoteli hactenus falsò fuiſſe adſcriptos, vel pleraque aliis Philoſophis erepta. Tomus ſecundus Ariſtotelis cum Platone, aliiſque veteribus Philoſophis à multis promiſſam, à nemine editam, in omni Philoſophiæ genere concordiam, libris 8. continet. Tomus tertius Ariſtotelis cum Platone, aliiſque veteribus, à nemine promiſſam, vel editam diſcordiam, libris 7. perſequitur. Tomus quartus rigidiſſimam Ariſtotelis dogmatum cenſuram philoſophicam libris 10. inſtituit. Cùm autem Ariſtotelis Philoſophiam multis argumentis confutaſſet, vel ſaltem confutare conatus eſſet; ſuam *De Univerſo Novam Philoſophiam ad mentem Platonis*, libris 50. comprehenſam, Ferrariæ edidit, ac Gregorio XIV. ejuſque ſucceſſoribus nuncupavit. In hujus Operis Præfatione laudes librorum Platonis, & elogia in eum à primis Eccleſiæ PP. congeſta enarrat, à S. Dionyſio ſcilicet, S. Juſtino, S. Clem. Alexandr. Origene, S. Cyrillo, S. Baſilio, Euſebio, Theodoreto, Arnobio, Lactantio, S. Auguſtino, S. Ambroſio, &c. Imò & rationibus, à ſcriptis Ariſtotelis, & Platonis excerptis, oſtendere contendit, Philoſophiam primi Catholicæ Fidei in multis opponi; contra verò ſecundi Philoſophiam ipſi omnium maxime conſonare. Qua de re vide Morery Suppl. voce *Platon*, & ipſum Patricium in diſcuſſionibus, in Philoſophia, & in Ariſtotele Exoterico. Thuanus tamen ad an. 1597. notat, Patricium, pauló ante mortem, Novam hanc de Univerſo Philoſophiam, cenſurâ notatam, retractaſſe. Huic etiam operi *Oracula Zoroaſtris* cum auctario quodam ſententiarum ex antiquis autoribus collecta præmiſit. De quibus ita celeberrimus Joh. Clericus in Notis ad Oracula Chaldaica apud ſæpius laudatum Stanlejum: *Verùm à Franciſco Patricio multum aucta fuere ex Proclo, Hermia, Simplicio, Damaſcio, Syneſio, Olympiodoro, Nicephoro, & Arnobio, adeout excreverint, prout numerat, ad* 320. *verſus. Ea præterea, majoris perſpicuitatis cauſſa, ad certa capita redacta, & latinitate donata emiſit an.* 1593. Et poſt pauca: *Patricius ſane non exiguo labore hæc collegit, ſed modorum in verſibus minorem rationem habuit, imò & interdum verba ipſa negligentius exſcripſit. Nec ulla certa via eſt, qua, quæ omiſit, ſuppleri queant, &c.* Hujus autem Operis titulus eſt: *Oracula Zoroaſtris, Hermetis Triſmegiſti, & aliorum ex ſcriptis Platonicorum collecta Græce & Latine, præfixa Diſſertatione Hiſtorica*. Quod etiam Ferrariæ edidit an. 1591. Ejuſdem notæ eſt ejus *Ariſtoteles Exotericus*, in quo Stagiritam nimiis etiam maledictis inſectatur.

Digitized by Google

Scripſit præterea vulgari ſermone *Hiſtoriæ Poëſeos libros decem*, in quibus Poëtices hiſtoriam magis, quàm præcepta tradere ſat habuit. Proprii autem operum tituli ſunt: *Della Poetica Decade Iſtoriale: Della Poetica Decade diſputata: Paralleli Militari: Dialoghi dell'Arte Storica: Riſpoſta à due oppoſizioni del Mazzoni: Difeſa dalle cento accuſe del Mazzoni: Nova Rhetorica: Nova Geometria*, &c. Et præter hæc Miſcellanea multa in lucem edita, atque alia, quæ MSS. penes alios ſervantur inedita. Præſertim verò *Commentarius in Homerum*; quem magno multorum annorum labore confecit, ſed non edidit.

De Patricio, ejuſque ſcriptis ita autores. Janus Nicius Erythræus Pinacothecæ pag.203. *Franciſcus Patricius Venetus, non hujus modò, ſed longe ſuperioris ævi Italorum fere omnium multò doctiſſimus - - - - nunquam literarum ſtudia intermiſit, & egregia multa compoſuit, quæ ſummis literatorum omnium laudibus efferuntur - - - - Multa hujus ſunt præclare, ac prope divinitus ſcripta, quæ longum eſſet omnia enumerare. Sed inter omnia ejus præclariſſima opera maxime placet eruditis tractatus ille, cui titulus Paralleli Militares, in quibus veterum Imperatorum militaris diſciplina cum ea comparatur, atque confertur, quæ noſtris nunc viget in moribus; qui liber*, &c. De eodem opere ſic bene Scaliger epiſt.119. ad Iſaac. Caſaub. *Franciſcus ſolus mihi videtur digitum ad fontes intendiſſe. Quem ad verbum alii, qui ſtudium tractarunt, cùm ſequantur, tamen ejus nomen ne ſemel quidem memorarunt.* Teiſſier Elog. Erudit. Viror. Gall. *Patricius quantumvis doctus fuerit, & licet ejus ſcripta immortalem famam ei comparaſſent; Taſſi tamen gloriam invidebat: in hujus enim Hieroſolymam ſeveram criticam exercuit libro Italico, cui titulus: Judicium Franciſci Patricii in defenſionem Arioſti*, &c. Ubi etiam Patricii Dialogos de Hiſtoria ſumme laudat. Vide etiam Joh. Jonſium de Scriptor. Hiſt. Philoſ. Le Mire de Script. ſec.16. Laur. Craſſum in Elog. Literat. Lambecium Prodrom. Hiſt. Literat. &c.

SEBASTIANUS ECHINUS

SIve *Riccius*, nobili genere natus, & multis Reip. dignitatibus ornatus, inter humaniores literis eruditos, quàm inter Philoſophos numerandus potiùs eſſet: ſed quia Timæum Platonis Italice reddidit, Ariſtotelis Ethicam illuſtravit, atque alia Philoſophica Opuſcula compoſuit; Philoſophis ipſum adnumerare jus eſto. Mortuus eſt an. 1585. ætatis 55. ſapientis nomen ante, & poſt mortem adeptus. Scripſit, præter dicta, Italico ſermone *Trattato dell'Iſtrumento, e via inventrice degli Antichi. Diſcorſo ſopra le Medaglie degli Antichi, con la dichiarazione delle Monete. Del Governo Civile. Le ſei giornate. Eſpoſizione ſopra le tre Sorelle del Petrarcha*. Vide Thuan. Hiſt.

CAPUT IV.

De Philoſophis Cynicis.

QUoniam Cynici ob impudentiam, & ſuperbiam omnibus inviſi erant, ut ſæpius dictum; ideò nulli magni nominis Philoſophi huic ſectæ ſe mancipabant. Cùm igitur pauci illi, quorum memoria ad nos pervenit, haud

haud illuſtres habeantur, ac de iis vix pauca ſcripta inveniantur; propterea eos ſic breviter percurremus.

CARNEADES *non obſcuri nominis Cynicus fuit, ac ſub Domitiano maxime floruit. Ejus meminit in Procemio Vitarum Philoſophorum, ac Sophiſtarum Eunapius. Verba ejus ſunt: Ea tempeſtate (videlicet qua Apollonius Tyaneus) fuit Carneades non obſcuri nominis inter Cynicos, ſi modò haberi ratio ulla Sectæ Cynicæ debeat: inter quos erant Muſonius, Demetrius, Menippus, aliique nonnulli: at horum fama illuſtrior.* Cozzandus de Magiſter. Antiqu. Philoſ. lib. 3. c. 2.

HORUS *Ægyptius Philoſophus Cynicus fuit. Memoratur Macrobio lib. 1. Saturnal. Quem gravem, & ornatum virum Euſtathius apud eundem Macrobium loc. cit. appellat. Vixit coævus Servii Grammatici, Virgilii explanatoris ſub Adriano Principe.* Cozzand. ib. Hunc autem ex pugile Philoſophum factum, corpore, & animo præſtantem, ſic deſcripſit Macrobius loc. cit. *Quos Horus ingredientes commodum conſecutus comitabatur, vir corpore, atque animo juxta validus: qui poſt inter pugiles palmas ad Philoſophiæ ſtudia migravit: ſectamque Antiſthenis, & Cratetis, atque ipſius Diogenis ſecutus, inter Cynicos non incelebris habebatur.* Notandum hîc, HORUM alterum, hoc antiquiorem fuiſſe, Aſſyriæ Regem, ſecundum quoſdam, ac magnum Philoſophum, qui anni tempora, dies, & horas diſtinxit; à quo etiam *Horas*, dictas volunt. Quem eundem quidam faciunt cum HORO Iſidis filio, & ab Ægyptiis ſub Solis nomine adorato.

PEREGRINUS, cognomento *Proteus*, Philoſophus Cynicus, patria Parianus ex Ponto, temporibus Trajani vivens (ita ex Vincentio Obſopœo, Luciani interprete; ſed uno ore fere omnes autores, non Trajani, ſed utriuſque Antonini ætate eum vixiſſe, affirmant) æqualis Epicteto, Dioni, Muſonio, &c. rogo (ut notat præ cæteris Euſeb. in Chron. & Lucianus in Epiſt. de Morte Peregrini tomo 4. ſuorum Operum contenta) quem ex lignis compoſuerat, incenſo ſemet ſuperjecit; Brachmanas hac in re imitatus; idque dum Piſæ (urbem intellige non Hetruriæ, ſed Peloponneſi, ubi Olympici ludi fiebant; unde & Olympiæ mortuus ab aliis dicitur) degeret. Chriſtianus vel fuit, vel eſſe potius ſimulavit: ſcandaloſe enim vixit, ſi Luciano credimus, & vanitatis ſpiritu ductus ſe ultro cremavit. Cynicus ille, qui Peregrinum ſumme laudat loc. cit. apud Lucianum, ait, ipſum in Syria vinclis colligatum fuiſſe: in patria quinque millia talentorum ſponte reliquiſſe, Roma ejectum fuiſſe, & alia multa pro virtute pertuliſſe. Vide Agellium, Tertullianum, Athenagoram, & Ammianum Marcellinum: quorum aliqui eum laudant, aliqui verò improbant. Laudat Agellius lib. 12. c. 11. ubi: *Philoſophum nomine Peregrinum, cui poſtea cognomentum Proteus factum eſt, virum gravem, atque conſtantem vidimus, cùm Athenis eſſemus, diverſantem in quodam tugurio extra Urbem; cumque ad eum frequenter ventitaremus, multa herclè dicere eum utiliter, & honeſte audivimus: in quibus id fuit, quod præcipuum auditum meminimus. Virum quidem ſapientem non peccaturum eſſe, dicebat, etiamſi peccaſſe eum Dii, atque homines ignoraturi forent. Non enim pœnæ, aut infamiæ metu non eſſe peccandum, ſed juſti, honeſtique ſtudio, & officio, &c.* Improbat, & inſectatur Lucianus loco citato: quem prolixius diſſerentem vide ibi.

HERACLITUS. *adverſus quem Julianus idem Apoſtata ſcripſit, quo pacto Cynica vita inſtitui deberet, ut prodit Suidas, ſecta Cynicus fuit.* Cozzand. ibidem.

SALUSTIUS *Secta Cynicus fuit, cujus meminit Photius in Biblioth. c. 242.*

à quo & alii ejuſdem ſectæ alumni memorantur, HEGESIANAX, POLYZENUS, THEOMNESTUS, *atque* XANTIPPUS; *quorum præter nomina cætera intercidere.* Cozzandus ibidem.

ŒNOMAUS Cynicus Gadarenſis, Porphyrio paulo ſuperior juxta Suidam in Οἰνόμαος, cum Plutarcho, Sexto, Agathobulo ſub Adriano Aug. celebris, teſte Euſebio, Hieronymo, & Mariano Scoto in Chronicis. Scripſit περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον φιλοσοφίας, *De Homerica Philoſophia*, teſte Suida ibidem: Nimirum uti nunc omnes Chriſtianorum ſectæ ſuam ſectam Codici Sacro conſentaneam eſſe volunt, & probant: ita olim Homerus quaſi fons habebatur, è quo ſua quæque Philoſophorum gentilium ſecta dogmata derivabat. Sic enim ex Seneca Epiſt. 88. *Homerum quidam faciunt Philoſophum Stoicum, virtutem ſolam probantem, & voluptates refugientem, & ab honeſto ne immortalitatis quidem pretio recedentem: modò Epicureum, laudantem ſtatum quietæ civitatis, & inter convivia, cantuſque vitam exigentis: modò Peripateticum, bonorum tria genera inducentem: modò Academicum, incerta omnia dicentem.* Scripſit præterea περὶ Κυνισμοῦ, *De Cyniſmo*, & de Cynicis, inter quos memorat Cratetem, Diogenem, Demetrium, Menippum, Muſonium, Carneadem, Iſidorum, Creſcentem, Sphodriam, Theagenem, Didymum, Athenagoram, Alcidamantem, Saluſtium, Meleagrum, Cynulcum, Hegeſianactem, Menandrum, Polyzelum, Theomneſtum, Xanthippum, Herophilum, Peregrinum, ſive Proteum, Maximum, Heſperium, Demonactem, & Onocratum. Confer Laërtium lib. 6. Meminit quoque hujus Œnomai Theodoretus Serm. 6. & 10. ubi ipſe & Diogenianus de Oraculorum mendaciis ſcripſiſſe dicuntur. Ex Jonſio de Script. Hiſt. Philoſ. l. 3. c. 7. n. 8.

CAPUT V.

De Philoſophis Stoicis.

CHÆREMON

ÆGyptius, ſecta Stoicus, ut ex Porphyrio, ſeculo 1. vixit, Romæ Auguſto, & Tiberio imperantibus; & Dionyſii Alexandrini, qui Romæ docuit, & Imperatorum poſt Neronem uſque ad Trajanum Bibliothecarius, & Scriba fuiſſe dicitur, præceptor fuit. Strabo lib. 17. aſſerit, Chæremonem ſecutum fuiſſe in Ægyptum Aulum Gallum, eique Philoſophi, & Aſtronomi munus præſtitiſſe: verùm propter ejus vanitatem, & ſuperbiam tandem ab eo deſpicatui habitum. Refert Tzetzes, Chæremonem affirmaſſe, Phœnicem, avem cunctis notiſſimam, in Ægypto mortem obire poſt annos ſex mille: cujus avis fabulam ultra reliquorum opinionem extendiſſe viſus eſt; eam enim quidam vivere dixerunt annos 500. alii 660. alii tandem, ut notat Tacitus, annos 1400. Scripſit Chæremon *Tractatum de Hieroglyphicis Ægyptiorum, & Hiſtoriam Ægypti*, teſte Joſepho in fine lib. 1. contra Appionem. Idem cenſetur cum Chæremone Stoico, quem Origenes lib. 1. contra Celſum ait ſcripſiſſe *de Cometis*; & cum eo, quem Seneca Charimandrum vocat, & de Cometis ſcripſiſſe teſtatur. Vide etiam Voſſ. de Hiſt. Græc. lib. 2. & de Poët. Græc. c. 6. p. 41. Lilium Gyraldum, &c.

EU-

EUPHRATES

GEnere item Ægyptius, clarus Stoicæ ſectæ Philoſophus, extrema ſenectute, & vitæ, morbis plenæ, tædio affectus, impetrata prius ab Adriano Imp. venia, ne ſibi ignominiæ daretur, cicutam bibit, ſicque ſibi mortem intulit, ut notat Euſebius in Chron. an. Chr. 123. Adriani imperii quarto, vel, ut aliis placet, tertio. Xiphilinus in Adriano de Euphratis morte hæc habet: *Quo anno hæc facta ſunt, Euphrates Philoſophus obiit mortem voluntariam, cùm ei Adrianus propter ſenectutem, & morbum, venenum bibere conceſſiſſet.* Meminit etiam Euphratis Eunapius in Procemio Vit. Philoſ. & Sophiſt. atque C. Plin. Covil. Secundus, qui ejus in Syria auditor fuit, lib. 1. Epiſt. 10. in qua inſignes etiam de Euphrate laudes contexuit.

MARCION

PAtriâ Synopeus, nam Synope, Ponti urbe celeberrima, natus eſt, unde & Ponticus dictus. Stoicam ſectam primis vitæ annis ſecutus eſt: unde ſolitudinis, & paupertatis amator erat. Sed cùm ſacrilegii cum virgine quadam reus deprehenſus eſſet; pater, qui Epiſcopus erat, ipſum filium Eccleſiæ communione privavit. Inde Romam venit, ut in Eccleſiæ cœtum reciperetur: quod cùm ei, patre oppugnante, denegatum fuiſſet, ſi Divo Epiphanio præſtanda fides; Cerdonis Hæreſiarchæ diſcipulus factus eſt ad vindictam, cujus erroribus ſuos etiam addidit. Duos ipſe Deos, ſicut & Cerdon, ponebat, Bonum unum, Evangelii, ac Redemtionis autorem; Malum alterum, quem Mundi, ac Legis autorem dicebat. Addit Origenes, ipſum ſtatuiſſe Deum Chriſtianorum, Deum Judæorum, & Deum Infidelium. Tertullianus erudite, & acriter in eum libros quoſdam condidit, in quibus ipſum levitatis, inconſtantiæ, impietatis arguit: notans, & mire deſtruens in iis tum Deos ſuos, quos ad novem uſque enumerat; tum ſingula ſua ἄλογα dogmata, quæ refellit. Potiſſima verò ſunt: Nulla eſt corporum reſurrectio: Nuptiæ non permittendæ; nuptorum namque ſalus penitus deſperanda; quibus etiam Baptiſmum denegabat; quamvis peccatoribus ad tres etiam Baptiſmos concederet; imò & mortuos quoque baptizaret, ſuffectis eorum loco vivis. Hoc autem Sacramentum in ejus ſecta à feminis plerumque miniſtrabatur. Hujus ſectæ aſſeclæ ab eo Marcionitæ dicti ſunt; qui Marcionis erroribus ſuos etiam addiderunt; ut notat Euſebius, id à Rhodone Græco educens. Divus Polycarpus, Divi Joh. Evangeliſtæ diſcipulus, Romæ exiſtens caſu Marcioni in via obviam factus, ab eo interrogatus eſt, an ipſum agnoſceret; cui Polycarpus: *Equidem te agnoſco ut diaboli primogenitum*. Idem Polycarpus quamplurimos ex ejus aſſeclis ad Orthodoxam Fidem reduxit. Quod item fecit Theodoretus, Cyri Epiſcopus, Marcionitarum decem millia à ſuis erroribus abducens an. 423. ut ipſemet teſtatus eſt. Conſtantinus Magnus edictum contra Marcionitas, alioſque hæreticos, fecit an. 326. Contra Marcionem ſcripſit S. Juſtinus Martyr, Tertullianus, Auguſtinus, aliique. Notandum denique hic, Marcionem à Tertulliano *Nauclerum Ponticum* appellari in Præſcript. adverſus Hæreticos cap. 30. & ab Euſebio *Ponticum Lupum*. Vide Acta Philoſ. p. 46.

DAMA-

DAMASCIUS DAMASCENUS.

SUnt inter autores, qui variis adducti rationibus hunc eundem cum Damaſcio Syro putant (quem Suidas Stoicum facit) & Elamitæ, ſive Elamii Phrygis diſcipulum, ſive familiarem, & Simplicii Cilicis præceptorem, ut in Comment. Phyſicis ipſemet teſtatur: nam & hic ſub Juſtiniano Imp. floruit, ut Agathias Scholaſticus Hiſt. 11. aſſerit, & inter celebres ſui temporis Philoſophos enumerat. Suidas verò in Δαμ. & Phot. Cod. 1. 81. Simplicium Damaſcii condiſcipulum malunt. Hunc Damaſcium Philoſophum Syrum etiam appellat Jonſius, Stoicumque cum Suida facit, etſi alii Peripateticum. In Dialecticis Iſidori Gazæi diſcipulus fuit (cujus etiam Vitam ſcripſit, ac fragmenta habet c.242. ut notat Photius c.130. & 180.) in dicendi arte Theonis; in Aſtrologicis Ptolemæi: Ammonium quoque audivit, Marinum, & Zenodotum, Athenis Procli ſucceſſores. Damaſcius Jacobi Medici inſignis, qui Proclum Athenis ægrotum curavit, ſtatuam Athenis ſe vidiſſe teſtatur. Cozzandus Damaſcium Platonicum facit de Magiſter. Antiqu. Philoſ. p.94. ſed p.97. ſibi contradicens, Philoſophum Syrum Stoicum appellat.

Scripſiſſe fertur libros 4. in quorum I. qui 352. capitibus continetur, agit de *Fictionibus incredibilibus*. II. qui cap. habet 52. eſt de *Incredibilibus Dæmonum narrationibus*. III. qui continet cap. 63. agit de *Apparitionibus Incredibilibus*. IV. denique, cujus capita 105. tractat de *Iis, quæ naturæ ſuperant poteſtatem*. Suidas tamen in Damaſcio, quem Philoſophum Stoicum, genere Syrum, Simplicii, & Elamitæ, Phrygum familiarem, appellat, & Juſtiniani tempore florentem, tantùm ſcripſiſſe ait *Commentaria in Platonem, & de Principiis*, καὶ Φιλόσοφος Ἱστορίαν, *Hiſtoriam, cui nomen Philoſophus*: hanc autem Hiſtoriam Philoſophorum Vitas, & Syſtemata continuiſſe putant nonnulli. Vide Voſſium de Hiſt. Gr. lib.2. cap. 22. De Damaſcio etiam ſupra dictum eſt in lib. 3. hujus Hiſt. ubi de Eclecticis pag.169.

JUSTUS LIPSIUS

LIterarum antiſtes, & magnum ſui ſeculi ornamentum, in Iſcano municipio, quod tertio lapide à Bruxellis, urbe regia, & Belgicæ Principum ſede, itemque à Lovanio, veteri Muſarum domicilio, diſtat, natus eſt *die 18.* Octobris an. 1547. Parentes habuit Ægidium Lipſium, & Iſabellam Petiriviam, opibus claros, & genere perhoneſtos. Philoſophiæ, Juriſprudentiæ, omnigenæque literaturæ ſtudiis ſumma animi contentione in præclaris Belgicæ Academiis operam dedit: in quibus omnibus quantum profecerit, varia, & eximia ejus Opera oſtendunt. Coloniam Ubiorum veniens, Annam Calſtriam viduam, patricia Lovanii genitam familia, uxorem duxit, ex qua prolem ſuſcepit nullam. Ex frequenti cum Batavis Hæreticis conſuetudine ab Orthodoxa Fide defecit. Dum enim Lugduni Batavorum publicus Profeſſor eſſet, Calvini ſectator fuit, vel eſſe ſimulavit. Sed Dei benignitate, & gratia ex Batavis bono pioque dolo ſe ſubduxit: inſtituta ſcilicet profectione in Germaniam ad Eburones ad Spadanos fontes acidos, pro hepatario, quo laborabat, morbo (ut prætexebat) curando. Quare conſcripto adverſus Theodorum Cornbertium (quem nunc Diodorum, nunc Dialogiſtam ipſe nuncupat, & qui novæ in Religione ſectæ apud Batavos autor erat) *De Una Religione* libello, dum adhuc liber ſub prælo erat, Hamburgo profectus eſt Moguntiacum, atque cum Eccleſia Catholica Romana ſerio, ac publice mox in gratiam redit: idque per Patres S. J. Moguntiaci commorantes palam patratum eſt. Quod idem

Li-

Lipſius literis ad Martinum Delrium, Loodici tunc agentem, datis teſtatus eſt, quibus impium ſuum ſcelus, ſceleriſque deteſtationem cunctis voluit innoteſcere. Vide ejus Epiſtolam ad cit. Delrium, Lipſii Vitæ ab Auberto Miræo conſcriptæ inſertam. In Orthodoxa tamen Fide ad mortem uſque perſeverans, ſicut pie, ac ſancte ſemper vixit, ita & mortuus eſt ex tuſſi, graviſſimiſque in pectus defluxionibus, ex quibus phthiſicus evaſit. Cùm igitur non ſcriptis ſolùm, ſed factis etiam Chriſtianum ſe Philoſophum comprobaſſet, ſumtis Chriſtiano more Sacris omnibus, æquo, conſtanti, atque hilari animo inter plurimos adſtantes, ejuſque animam Deo commendantes, ſacros Miniſtros, ultimum diem obiit 10. Cal. April. 1606. æt. 59. feliciori ſane εὐθανασίᾳ, quàm Cæſar Auguſtus olim optavit, aut habuit, ſed immenſo Academiæ Lovanienſis, cui præfuit, totius Brabantiæ Ordinum, ac literarii orbis dolore; poſtquam Jenæ, Lugduni, & Lovanii docuit.

Ipſi in ejuſdem Lovanienſis Academiæ Exedra ſucceſſit *Erycius Puteanus* vir doctiſſimus, & Lipſii diſcipulus inſignis, origine Belgicus, qui plurima, omniſque generis Opera edidit; inter quæ ſunt *Philoſophica*, & *Miſcellanea quædam*.

Lipſius ſicut omnibus Germaniæ Principibus, Præſulibus, Cardinalibus, ipſique Clementi VIII. ac totius fere Europæ Academiis eximiâ famâ innotuit; ſic à ſingulis tum Principibus, tum populis, & Academiis ſtipendio, ac viatico, quod ipſe definiret, ſplendide pluries vocatus eſt. Sed gratus in Patriam amor, & Brabantiæ Ordines, ipſum honeſtiſſimis congiariis ad ſe vocantes, eum longe abeſſe non permiſerunt. Unde oblatos ſibi honores, & opes omnes parvi æſtimans, Lovanium ſe contulit; in cujus celeberrima Academia plures annos docuit. Philippus II. Hiſpaniarum Rex Catholicus Hiſtoriographi ſui titulo, atque annuo, ſplendidoque congiario Lipſium donavit: & Sereniſſimus Albertus Auſtrius ſuum Archiducalem Conſiliarium fecit.

Inter cæteras præclaras Lipſii animi dotes, & virtutes, ſumma erga Deiparam pietas, & obſequium commendatur. A prima enim ætate Dei Matrem ſibi patronam adoptavit; & ut primum ex Batavia Leodicum venit, in Virginis Sodalitium, cui PP. Societ. Jeſu præſident, nomen dedit, ac publicas tum Leodici, tum Lovanii Panegyricas Orationes in Virginem habuit. Ejus præcipuum in Virginem Matrem cultus, & amoris argumentum eſſe poſſunt libri ab eo conſcripti, quibus *Divæ Virginis Hallenſis*, & *Divæ Sichemienſis Miracula*, & *Laudes* concinnavit. Cujus Operis occaſio hæc traditur. Quum graviſſima teneretur ægritudine voto adſtrictus Hallas ad celeberrimum, & mirabile Virginis templum venit. Ipſum ſupplicem ſanitati Diva reſtituit. Quare ipſe Pennam argenteam ante Virginis aram ſuſpendit, ac pios verſus ſubſcripſit; quorum initium:

Hanc, Diva, Pennam, interpretem mentis meæ &c.

Reliquos vide in Vita Lipſii, ab Auberto Miræo Bruxellenſi conſcripta, & ejuſdem Operibus præfixa.

Scripſit permulta varii argumenti, ſed erudita omnia, quæ tom. 6. in Fol. edita proſtant, in quibus Philoſophica ſunt: *Manuductionis ad Stoicam Philoſophiam lib. 3. Phyſiologiæ Stoicorum lib. 3. De Conſtantia lib. 2. Politicorum, ſive Civilis Doctrinæ lib. 6. Ad libros Politicorum notæ: Monita*, & *Exempla Politica lib. 2.* Operum reliqua eruditi ſunt argumenti: ex quibus commendabiles potiſſimum ſunt *Notæ in Opera Senecæ*; cujus etiam *Vitam* erudite conſcripſit, ejuſque Operibus præfixit. De Lipſii Philoſophia, plura qui cupit, adeat Act. Philoſ. P. IV. p. 747. & ſeqq. Hujus denique Philoſophi Symbolum, jam cunctis notum, eſt: *Moribus Antiquis*.

Si de Lipſii doctrina, ingenio, eruditione, moribus, ſumma laude dignis, Autorum teſtimonia cuncta hic proferre vellem, volumen facerem. Quare, aliis prætermiſſis, pauca adnotaſſe ſufficiat. Voſſius Inſtitut. Orator. l.4. c. 6. n.2. *Belgarum, dum viveret, doctiſſimus Juſtus Lipſius*. Ejus tamen dictionem carpit ibidem num.7. ut quandoque priſcam, poëticam, & duram. Quod etiam confirmat de Hiſt. Lat. l.1. c.19. Scioppius Suſpect. Lect. lib.2. Epiſt.7. *Lipſius glorioſum ævi noſtri ſpecimen*. Et de Art. Crit. p. 2. *Illius de Conſtantia liber quam diu vivet?* Arguit tamen rigoroſe idem Sciop. in Paſcaſio Groſippo. Quod item fit ab Ant. Teiſſier in Elog. Vir. Erud. à Scalig. poſterior. Grot. aliiſque, quos vide apud Thom. Pope Blount in Cenſura Celebr. Aut. ubi ejus præclaræ eruditionis fautores, & detractores obſerves. Tandem de Lipſio, ejuſque ſcriptis ita Jonſius de Script. Hiſt. Philoſ. p. 144. *Imprimis et tempore Juſtus Lipſius, grande ſeculi decus, aliquam lucem doctrinæ morum attulit, editis ſcriptis nonnullis doctiſſimis, quibus Stoicam Philoſophiam potiſſimum ex Senecæ, & Epicteti libris explicavit. Cujus Philoſophiæ ſpecimen primum complexus eſt libris duobus, quos de Conſtantia ſcripſit (ut ipſe fatetur in Præfatione prima libris de Conſtantia præmiſſa)* &c.

C A P U T VI.

De Philoſophis Peripateticis.

BOETHUS SIDONIUS, qui cum Strabone Peripateticæ doctrinæ operam dedit, ſub M. Antonino ſec. 1. vixit; ac Romæ Anatomiarum, quas Galenus celebrabat, una cum *Claudio Severo*, etiam Peripatetico, ſpectator fuit; ut advertit Jonſius de Script. Hiſt. Phil. 1. 15.

ANATOLIUS, Laodicenſis Epiſcopus, & Euſebii concivis ſui ſucceſſor, doctrina, ac pietate clarus ſub Diocletiano circa finem ſec.3. floruit. In Rhetorica, Matheſi, Philoſophia, ac omni literarum genere eruditus, antequam Epiſcopus crearetur, Alexandriæ publice docuit, ubi Chriſtianorum primus Peripateticam doctrinam manifeſtam reddidit; cujus deinde auctoritate in Italiam promanavit: quam Ariſtotelis Philoſophiam omnium ſapientiſſime fertur interpretatus. Neque obſtat, ab Eunapio Porphyrium Anatolio prælatum fuiſſe; Ethnicum ſcilicet Ethnico gratiam contuliſſe, quis non videt? Scripſit pauca, ſed eximia, ex Euſebii judicio, qui eum *ſui ævi ſapientiſſimum* appellat. Tractatum igitur nobis reliquit *de Celebratione Feſt. Paſch.* alterum vero *de Arithmeticæ Inſtitution.* libris decem comprehenſum. De quibus ita S. Hieron. in Catal. *Miræ doctrinæ vir fuit in Arithmetica, Geometria, Aſtronomia, Grammatica, Rhetorica, Dialectica: cujus ingenii magnitudinem de volumine, quod ſuper Paſcha compoſuit, & de decem libris de Arithmeticæ Inſtitutionibus, intelligere poſſumus*. Vide etiam Baron. ad an. Chr. 283. Voſſ. de Mathem. cap.50. Trithem. &c.

DIDYMUS Alexandrinus, in Alexandriæ ſcholis præclarus Profeſſor, anno ætatis quinto omni oculorum lumine orbatus, ſcientias omnes, etiam Mathematicas, quod fidem ſuperare videtur, per auditum didicit. Viſus enim defectui ſic bene conſuluit comparando ſibi virum, qui autorum libros quotidie ſibi legeret. S Hieronymi poſt Divum Gregorium Nazianzenum præceptor extitit; & pius æque ac doctus vixit ad annos 83. Verum magna eum doctrina perdidit; nam in Origenis errores incidit; ac ſecum Melanium, ac Rufinum, Aquilejenſes Presbyteros ſuis traxit ratiociniis. Quare cum reliquis

quis Origeniſtis à Pontif. & Concil. Oecumen. hæreſis damnatus eſt. De eo ita Jonſius de Script. Hiſt. Philoſ. lib. 3. 2. *Didymus Alexandrinus Eccleſiaſticus à puero oculis orbatus, Poëticæ, Rhetoricæ, Arithmeticæ, Geometriæ, & doctrinæ Syllogiſmorum Ariſtotelis, atque eloquentiæ Platonis* μαθήματα *aurium adjumento didicit, teſte Hieronimo de Script. Eccleſ. & Theodoreto Hiſt. Eccleſ. IV. 29. - - - - - Scripſit librum de Spiritu S. quem Hieronymus in latinum ſe vertiſſe teſtatur, quique inter Hieronymi Opera etiamnum legitur. In eo de Sectis ſe ſcripſiſſe indicat Didymus ſic pag. 5. Quod autem ab aliis capiatur Spiritus S. & non alia capiat, & nunc, & in Sectarum volumine, prout poſuimus, expreſſimus. Iterum libro primo extremo: De quibus jam abundanter in Sectarum volumine diſputavimus. Ex eo Didymi de Sectis Opere locum affert Stobæus Ecl. 1. Ethica. Sed Theologicum fuit opus, neque de Sectis Philoſophorum, ſed Chriſtianorum egit. Scripſit enim Didymus contra Arianos, teſte Hieron. & contra Manichæos, teſte Caniſio tom. 5. Ant. Lect.* De Didymo omnes 4. ſec. Scriptores inſignia elogia contexuere: quos vide.

SIMPLICIUS Phrygius, Damaſcii Stoici familiaris, floruit ſec. 5. ac Commentarios ſuper Ariſtotelem, & Epicteti Enchiridion nobis reliquit, qui etiam num exſtant. Vide Suidam in Damaſcio, & Geſnerum in Bibliotheca.

FLACCUS ALBINUS ALCUINUS (quem alii etiam ſcribunt ALCHUINUM) vir in omni ſcientiarum genere ſuo tempore celebratiſſimus, verſu excellens, & proſa, ut Sixt. Senenſ. & Trithem. eum vocat, vulgo etiam dictus *Homo Univerſalis, & Secretarius Artium Liberalium;* natione Britannus fuit (quidam vero Eboracenſem faciunt) ac ſec. 8. floruit ſub Carolo Magno, Francorum Rege, cui magiſter, familiaris, & cariſſimus exſtitit. Voſſ. de Hiſt. Lat. *Temporibus Pipini, & filii ejus Caroli Magni, Francorum Regum, claruit Flaccus Alcuinus, cui cognomentum Albinus fuit - - - Natione hic erat Anglus: à Beda primum, hinc ab Egberto Archiepiſcopo, eſt inſtitutus. Docuit Carolum Magnum, ac eidem poſtea ab Eleemoſynis, ac ſanctioribus conſiliis fuit. Etiam conſilio ejus Carolus inſtituit Academiam Pariſianam. Latine, Græce, Hebraice callebat: atque idem erat Rhetor, Philoſophus, Mathematicus, & Theologus nobilis.* Diaconus tantum fuit, & Antiſtes (vulgo Abbas) Eccleſiæ Sancti Martini Turonibus, ubi ultimum diem clauſit in Feſto Pentecoſtes 19. Maii an. 804 paralyſim paſſus.

Scripſit multa, & præclara, quorum pars intercidit, pars collecta edita eſt ab Andr. Quercetano Pariſ. 1617. in fol. In 1. editorum operum parte Tractatus ſunt ſuper Sacris Bibliis. In 2. quæ ad Philoſophiam, Theologiam, & Artes Liberales pertinent. In 3. ſunt Opera Hiſtorica; Epiſtolæ 115. & Poëmata. De quibus omnibus legendus Gul. Cave. Præter celeberrimam Pariſienſem Academiam, Ticinenſem etiam, atque alias fundaſſe dicitur.

Inter eos, qui Alcuinum maxime laudant, præter numeratos, ſunt Card. Bona. Pitſæus: Ducheſnius: Labæus: Bebelius, & Balæus, qui ipſum Philoſophorum ſui temporis Anteſignanum appellat. Tantæ autem Chriſtianæ pietatis vir fuit, ut veteres ſcriptores ipſum Beatum, & Sanctum ſæpe appellarint. Exſtat ejus Vita ſuis Operibus præfixa.

RABANUS MAURUS, Magnentius, Magnetius, & Magentius, quod Magentiæ, ſive Moguntiæ natus, Alcuini diſcipulus, à puero Monachus S. Benedicti, & Abbas, ut ajunt, Fuldæ fuit; inde Archiepiſcopus Moguntinus factus an. 847. obiit die 4. Febr. 856. In omni diſciplinarum genere excelluit. In Pariſienſi Academia aliquando Profeſſorem egit, & magno ornamento fuit Doctoribus Scholiaſticis, Philoſophus, Rhetor, Aſtronomus, & Poëta ſubtiliſſimus, cui nec Italia, nec Germania ſimilem peperit; ut dignis eum laudibus ornant Il-

lyricus, Sixtus Senenſis, Trithemius, Labbæus, Balæus, Card. Bona, & Baronius, Platina in Vita Gregor. IV. Hofmannus, Gul. Cave, & Voſſius de Hiſt. Lat. qui ſua etiam Opera enunciat. Ex horum omnium in ipſum collatis encomiis illud unum adnotabo, quod habet cit. Gul. Cave in Hiſt. Literar. Script. Eccleſ. *Erat quippe Rabanus extra controverſiam inter ſeculi ſui doctrina claros facile princeps. Nec ipſe modò eruditiſſimus, ſed ſolis inſtar doctrinæ radios ubique ſparſit. Erat ſub eo Fuldenſe Monaſterium publica virtutis, & eruditionis ſchola: 270. monachos habebat, quos non ſolum in SS. Scripturis, ſed etiam ſecularibus literis erudivit. Confluxerunt etiam ad eum aliunde diſcipuli, adeout ex ejus ſchola prodirent, qui mox ad ſummas in Eccleſia, & Republica dignitates evecti ſunt. In ſuorum uſum Bibliothecam Fuldenſem primus condidit, librisque ornatam reddidit: quin & ipſe tot præclara ſcripſit volumina, quæ ſola Bibliothecam inſtruere poſſent.* Opera ejus exſtant in tom. 6 in fol. Exſtat liber de Computo apud Baluz. Miſcell. tom. 1. p. 1. Ineditorum numerum vide apud cit. Cave.

Johannes Scotus Erigena, vir perſpicacis ingenii, multæ doctrinæ, & ſupra ſeculi ſui captum doctus à Cave, aliiſque dicitur. Hunc alii Anglum apud Ergene in confiniis Walliæ natum, alii Scotum, Hibernum alii fuiſſe volunt. A diſcipulis ſuis Monachis, à ſe liberius reprehenſis, an. 884. in Cœnobio Malmesburienſi graphiis confoſſus, præacutiſque ſcalpellis peremptus eſt. Scripſit multa, atque ex iis libros 5. Περὶ φύσεων μερισμοῦ, *de Naturarum diviſione*, impreſſos in Anglia Oxonii in fol. an. 1681. in quibus multa ſunt Catholicæ Fidei contraria: quare ſcripſit contra eum quidam Florus, quia is ut hæreticus habebatur. E Scotia in Franciam venit, Carolo Calvo in deliciis fuit, qui & menſæ, & cubiculi Imperatorii ſæpe participem fecit virum hunc corpore exiguum, ſed ingenio maximum, feſtivum, ac facetum, Philoſophum eximium, Theologum conſummatum. Ejuſdem Caroli juſſu *Hierarchiam Dionyſii* de Græco in Latinum de verbo in verbum tranſtulit. Relictis aliis de eo Autorum teſtimoniis, referam tantum, quod habet Trithemius: *Johannes dictus Erigena Monachus, in divinis ſcripturis doctus, & in diſciplina ſecularium literarum eruditiſſimus, Græco, & Latino ad plenum inſtructus eloquio, ingenio ſubtilis, ſermone compoſitus.*

Michael Psellus, vir ſapientiſſimus, & Philoſophorum princeps, à multis appellatus, & à Voſſio de Hiſt. Gr. vir & eruditione, & fama maximus; patria Conſtantinopolitanus, Senator nobili genere ortus, Michaëlis Ducæ Imperatoris præceptor, claruit circa an. 1050. Sub Alexio Comneno dignitatibus exutus, monaſticam vitam egit. In dogmate de Proceſſione, Allatio teſte, Latinorum hoſtis fuit; quod advertit etiam Gul. Cave, à quo vocatur in Hiſt. Literar. Script. Eccleſ. *Vir plane admirandus, & qui omnes fere ſeculi ſui eruditos dicendi copia, ingenii acumine, doctrinæ profunditate, longo poſt ſe intervallo reliquit.* Voſſ. de Philoſophia c. 12. *Anno 1060. ac deinceps claruit ille* πολυγραφώτατος *Michaël Pſellus: qui inter cætera reliquit libros duos, Conſtantino Ducæ dicatos, de Victus Ratione, deque Facultatibus, & Succi qualitate elementorum. Latine vertit Georgius Valla* &c. A Jonſio de de Script. Hiſt. Phil. l. 3. c. 20. Pſellus etiam commendatur, ejuſque laudatur *Lyræ Pythagoricæ Diagramma*, quod nuſpiam editum, ſed manuſcriptum ſervatur in Gallia, teſte Labbæo in Biblioth. nova; nec non ejus Ἐξήγησις, ſive *Expoſitio in Zoroaſtris Oracula*; ejuſdemque Ἐξήγησις, ſive *Dogmatum Chaldaicorum Expoſitio*, quas in Gottorpienſi Bibliotheca manuſcriptas aſſervari ſummus Morhoſius tradit Polyhiſt. 1. 7. 64. Scripſit pene infinita, Philoſophica, Mathematica, Hiſtorica, Medica, Theologica, quorum Catalogum ſa-

tis

tis amplum tam editorum, quam ἀνεκδότων texit mira ſane diligentia Leo Allatius Diatriba de Pſellis, eorumque ſcriptis, Romæ edit. 1634. in 8. ubi pag. 42. de ipſo ait: *Auſim dicere, neminem ea, vel ſubſequente ætate, Græce vel inveniſſe acrius, vel ordinaſſe aptius, vel loquutum eloquentius, vel profundius res pertractaſſe. Nulla fuit ſcientia &c.* Vide, præter dictos, Annam Comnenam lib. 5. Alexiados: Zonar. atque Bellarm. in ſuis Annal. Poſſevin. Geſner. &c. Miror ſane, Cozzandum de Magiſter. Antiqu. Phil. l. 1. c. 9. hunc Pſellum inter Platonicos numeraſſe; quum & Linden. de Script. Med. clare dixerit: *Michaël Pſellus Philoſophus Peripateticus, & Medicus Græcus eruditus &c.* Et à Quenſtedt etiam dicatur *Vir apprime doctus, cum in Philoſophia Peripatetica, tum vero præcipue in ſtudiis Mathematicis, & Medicina.* Fuere & alii Pſelli, de quibus, & eorum ſcriptis legendus Leo Allatius cit. Diatriba de Pſellis &c.

PHILOSOPHI ARABES.

GRæcia, Muſarum olim domicilio, diruta; Roma non ſemel vaſtata; & Italia omni à barbaris everſa; Philoſophia, ac cætera literarum ſtudia diu conticuerunt, & defecerunt. Imo ſub Zenone Imp. circa annum 473. magna veterum librorum, ac ſcientiarum jactura facta eſt: Conſtantinopoli enim viginti millia librorum incendio periere. Tandem apud Arabes, magnæ Europæ parti tum dominantes, Philoſophia revixit, ac literæ refloruerunt: qui Arabes Peripateticam omnium maxime excoluerunt. Horum princeps extitit

AVICENNA

APud Arabes Abu Ali, Alhoſaïn, Ben Sina, appellatus, & à Cæſare Scaligero Vir Divinus dictus, & à Rhodigino ſingulari ſcientia Vir, & ingenio exactiſſimo, *ſub Conrado II. & Henrico III. claruit. In Balech oppido natus fuit patre Medico inſigni* (cui nomen Hali, matri vero Citara) *anno Heginæ 370. Chriſti 992. Vixit annos 58. ut mortuus ſit anno Muhammedis 428. ſive Chriſti 1050. Atque hæc cognoſcere eſt ex Vita Avicennæ, quam unus ex ejus diſcipulis, & ipſe Arabs, ſcripſit. Quare toto ſeculo decepti ſunt, ſecundum quos (in iis eſt Neander Bremenſis) Avicenna Cordubæ Averrhoëm, Alexandriæ audivit Rhaſin in adoleſcentia. Multa quoque de hoc ipſo narrant, ut qui rotæ ab Averrhoë fuit impoſitus. Verum quam hæc ſint falſa, apparet ex ſupradictis, præcipue ex ſcripto Leonis Africani de doctis Arabibus, ubi utriuſque vita fuſe deſcribitur.* Voſſius. de Philoſoph. cap. 14. Et Eduv. Pocock in Specim. Hiſt. Arab. *Avicenna Medicus, & Philoſophus inſignis. Nondum decenni major literas humaniores, & quidquid ſcientiarum ad Alchorani intellectum pertinet, calluiſſe dicitur, & totam* ἐγκυκλοπαιδείαν *ante annum ætatis 18. abſolviſſe, quo temporis ſpatio nec unam noctem integram dormiviſſe perhibetur; nec interdiu aliis rebus, quam lectioni vacaſſe. Cum aliquid illi intellectu difficile occurreret, ad templum, nodi iſtius ſolutionem à Deo precibus impetraturus, ſe conferre ſolitus.* Idem tamen in Notis Miſcell. ad Portam Moſis c. 7. ipſum de Religione ſuſpectum, & de rebus alteram vitam ſpectantibus philoſophice, ideoque male argutantem, & diſputantem aſſerit. Hæc tandem ex Joh. Anton. Vander Linden addam de Script. Medic. *Curavit aliquando adhuc juvenis Regis Nuch filium, fruſtra ſuorum Medicorum operam expertum. Ideo ad Regiam Bibliothecam admiſſus, majori contentione operam ſtudiis dedit. Et quum reliquum tempus diſcendo aſſumſiſſet, anno ætatis 21. ad*

ſcribendum animum appulit. In pleriſque Meſuem imitatus eſt. Malus interdum fuit Evangeliſta, quia ſæpe aberrat. Sed robuſto corpore, & valetudine proſperrima uti potuiſſet, niſi nimia veneris intemperantia, & aſſidua libidine, in quam natura maxime pronus erat, eam labefactaſſet. Reip. etiam negociis præfuit, Vizir munus exercens.

Multa in Medicina, & Philoſophia compoſuit, Ariſtoteli ita addictus, ut quidam referant, eum totam Ariſtotelis Metaphyſicam memoria tenuiſſe; ut notat Konig. in Bibliotheca. Alii contra affirmant, eum, poſtquam terque, quaterque ipſam legiſſet, nec intelligere potuiſſet, illam depoſuiſſe. Ingenio admodum perſpicaci, tenacique ac vere prodigioſa memoria præditus (Perſam dixiſſe ſufficit) Medicis ſui ævi præſtitit. Præter Opera Medica, quæ multa, Philoſophica ſunt *Logica*, *Phyſica*, & *Metaphyſica*, quæ Canonis Medicinæ libris 5. addita ſunt.

Sunt qui Avicennam valdè laudant, inter quos Cæſar Scaliger, ut diximus, & in Scaligerana prima etiam habetur; alii tamen mire arguunt; ut Lud. Viv. de Cauſſ. Corrupt. Art. lib. 5. *Averrhois doctrina, & Metaphyſica Avicennæ, omnia denique illa Arabica mihi videntur reſipere deliramenta Alcorani: nihil fieri poteſt illis inſulſius, frigidiuſque.* Medius tamen inter hos extitit Benedictus Pererius in Præfatione in ſuos libros de Principiis, & Affectionibus rerum Naturalium, ubi ait: *Inter Arabes ſuos quoque amatores, & ſectatores habet. Quem ego in Philoſophia nec magnopere laudo, nec plane contemno. Fuit is præſtantiſſimus Medicus, fuit etiam, quorundam judicio, peracutus Metaphyſicus, ſed eum doctrinæ Ariſtotelis (quam omnibus Philoſophiæ ſtudioſis maxime probatam, & cognitam eſſe oportet) nec admodum ſtudioſum, nec admodum intelligentem, conſtat.* Vide præter cit. Autores etiam Nicol. Maſſa in Vita Avicennæ; quam Sorſanus Arabs, ejus diſcipulus Arabicè prius ſcripſerat.

A V E R R H O Ë S

Sive Averroës, ſine aſpiratione, vel Aven-Rois, quaſi filius Rois, *Arabs, in Africa educatus, naturali ſcientia vir præſtantiſſimus, omniumque bonarum diſciplinarum encyclopædiam adeptus, ſecta Mahumetanus, tempore Miramolini Regis apud Cordubam, Hiſpaniæ urbem vetuſtiſſimam, floruit an. Domini 1149. Multa, ac varia compoſuit. Librum Colliget dictum, totam fere Medicinam complectentem, edidit. Avicennæ æmulus, & inimiciſſimus fuit.* Symphor. Campeg. lib. de Claris Medicis. Et Voſſ. de Philoſ. ſect. p. 90. & 91. *Inter Arabas Ariſtotelis Interpretes princeps locus debetur Avenroi, unde & κατ' ἐξοχὴν dictus Commentator. Qui Græce neſcius feliciter adeo mentem Ariſtotelis perſpexit, quid non feciſſet, ſi linguam ſciſſet Græcam? Nomen ei ſit latine Roiſius. Hinc Aven-Rois dictus, quaſi filius Rois. Cordubæ floruit in Hiſpania an. à nato Chriſto 1150. Teſtis Conciliator, ac Ægidius Romanus, qui & autor eſt, filios Avenrois fuiſſe in Aula Frederici Barbaroſſæ. Nec Philoſophus modo, ſed Medicinæ intelligentiſſimus fuit: de qua reliquit libros 7. Colliget inſcriptos, quia univerſalia pertractat. Quam parum viderit tantus Philoſophus in vera, & unica ſalutis via, arguit illud, quod diceret, malle ſe animam ſuam eſſe cum Philoſophis, quam cum Chriſtianis.* Maroceanæ Academiæ Profeſſor fuit, ac Philoſophus acutiſſimus à plurimis etiam appellatus; quandam veluti ſectam condidit, cujus aſſeclæ Averrhoiſtæ dicti ſunt. Laudatur etiam ab aliis, ſed non multis.

Enimverò majores & autoritate, & numero ſunt ejus obtrectatores, quam lauda-

laudatores. Ludov. Viv. de cauſſ. Corrupt. Art. l. 5. p. 296. & 297. *Averrhoëm Philoſophi de noſtra ſchola, qui poſt eum ſcripſere, ita ſunt amplexati, ut pene autoritate Ariſtoteli adæquarint, nec ſolum qui longo poſt intervallo vixerunt, ſed qui illius quoque ætate: quod factum eſt & ignorantia meliorum, & admiratione mercimonii lingua, & ſenſis peregrini: ut gratiam ei conciliaret apud primos novitas, apud poſteros vetuſtas, nomen eſt Commentatoris nactus, homo, qui in Ariſtotele enarrando nihil minus explicat, quam eum ipſum, quem ſuſcepit declarandum. Sed nec potuiſſet explicare etiamſi divino fuiſſet ingenio, quum eſſet humano, & quidem intra mediocritatem. Nam quid tandem afferebat, quo in Ariſtotele enarrando poſſet eſſe probe inſtructus? non cognitionem veteris memoriæ, non ſcientiam placitorum priſcæ diſciplinæ, & intelligentiam ſectarum, quibus Ariſtoteles paſſim ſcatet. Itaque videas eum peſſime Philoſophos omnes antiquos citare, ut qui nullum unquam legerit ignarus Græcitatis, ac Latinitatis.* Cœl. Rhodig. Lect. Antiqu. l. 3. c. 2. *Cur autem Commentator (Averrhoës) tam ſæpe ab Ariſtotelis ſui ſententia devius videatur, inde factum volunt, ut is in Hiſpania natus, & Arabum idiomate imbutus, cùm Græcæ literaturæ ne apices quidem imbibiſſet, &c.* Ab Eraſmo Averrhoës *Vir impius, & autor execrabilis* vocatur. Quod confirmat Phil. Mornæus de verit. Relig. Chriſt. cap. 20. ubi ait: *Ariſtoteles vulgo habetur parum religioſus: Averrhoës vero ejus Interpres impius plane.* Et quidem nulli erat Religioni addictus, omnem æque damnans, etiam Mahumetanam, in qua verſabatur; ipſam *Religionem porcorum* appellans; Chriſtianam (præcipue ob incomprehenſibile, Sanctiſſimum, ſed veriſſimum Euchariſtiæ Myſterium) *Religionem impoſſibilem*; Judæorum denique, *Religionem infantium*, vocans.

Scripſit, præter Medica, *Commentarios in univerſam Ariſtotelis Philoſophiam*, unde & *Commentator* dictus eſt, ut ſupra notavimus. De quibus, præter jam dicta, ita Lipſius Manud. ad Stoicam Philoſ. diſſert. 4. *Averrhoës veluti lymphatur in Ariſtotelis laudes.* Et Henr. Ernſt. de vera Philoſophia n. 85. jocoſe ait: *In Ariſtotelis mancipia facile primum obtinet locum Averrhoës, qui, dum nunquam eum erraſſe dicit, in errores ipſe manifeſtos labitur.* Adr. vero Herebord. epiſt. Dedicat. ad Select. in Philoſ. Diſputat. injurioſius ſcripſit: *Averrhoës Philoſophorum inter Arabes princeps magni Commentatoris nomine ſuperbus (quem, ſi per Latinæ linguæ liceret genium, Commentorem, aut Commentitorem verius quis dixerit, tot nobis Commenta reliquit) ſingula Ariſtotelis verba divina eſſe oracula arbitratus eſt.* Vide etiam hujus Hiſt. pag. 108. Voſſ. de Philoſoph. c. 14. Joh. Pic. Mirand. contra Aſtrol. Caſtellan. in Vit. Medic. Vander Linden de Script. Med. p. 94. ubi, ipſum ex familia Raſched natum Cordubæ, & Miramolini Regis Medicum fuiſſe, affirmat. *Avempacem*, Averrhois præceptorem, & Abubacher ejus ſocium fuiſſe, ferunt. Et Bened. Pererium loc. cit. ſupra in Avicenna.

RELIQUI ARABES.

AVicenna, & Abenroë prolixius adnotatis, reliquos minoris notæ, ſive quod de ipſis pauca inveniantur ſcripta, ſive quod ad Medicam potius Hiſtoriam pertineant, ſic breviter percurremus; eorum veluti Catalogum efformantes.

Inter Arabes igitur Peripateticos memorantur illuſtres *Algazel*, *Beribitar*, *Sifac*, *Iſaac Narbonenſis*, *Abumaron Babylonius*, *Moyſes Ægyptius*, qui licet Cordubæ in Hiſpania natus, Ægyptius tamen dictus eſt, quia in

Ægy-

Ægyptum ſecedens, ejuſdem loci magnatum Medicus fuit. Inter Arabes tamen immerito numeratur, qui patria Hiſpanus, origine Hebræus fuit, qui ab Hebræis ipſis omnium ſapientiſſimus ſemper eſt habitus. Dictus etiam eſt Ben-Maimon, & Maimonides, hoc eſt, filius Maimon, & Rambam, quod ſignificat Rabbi Moſes Ben-Maimon; qui ſec. 12. vixit. Hic Judaicis ſuperſtitionibus omnium minime addictus, ſcripſit, præter ea, quæ ad Talmud ſpectant, & Commentarios ſuper Miſna, Arabice exaratos, Opus aliud, cui titulus, *More nevokim*, quod ex Arabico in Hebræum, & ex Hebræo in Latinum traductum, à S. Thoma Aquinate citatur. In hoc Opere quamſæpiſſime probare nititur per Philoſophiam, non omnes Hebræorum Traditiones veras eſſe, vel non eo modo, quo ipſi eas credunt: quare Hebræi, qui in Gallia erant, & librum tunc publice cremaverunt, & Autorem damnaverunt. Hodie tamen Rabbini ejus doctrinam reliquorum dogmatis anteponunt. Vide Buxtorf. in Præf. ad hunc lib.

Mahumet Toletinus, & inter Medicos *Johannes Meſue*, qui Medica plura ſcripſit; *Rhazes*, vulgo *Raſis*, *Alubeter*, & *Almanſor*, filius Zachariæ, qui & Arabs, & Mauritanus æque dicitur, quia in Arabia natus, in Mauritania educatus eſt; ſec. 10. vixit annos 120. & Medica, & Hiſtoriam Hiſpaniæ compoſuit. Vide Lindan. de Script. Medic. pag. 3. *Joh. Serapion*, de quo ita Lind. de Script. Med. p.681. *Arabs Medicus celeberrimus, cæteris omnibus, qui de materia Medica ſcripſerunt, diligentior, Mahumeticæ ſuperſtitionis cultor. Vixit, & floruit ſub Henrico IV. Imp. an. Chr. 1066. Wolfg. Juſtus in Chronol. Medicorum. Moreau de Veneſ. in Pleurit. Vixit an.Chr.742. ſub Leone Imp.* Ejus Opera vide ibidem. *Zoar*, cognomento ſapiens, qui vixit an. Chr. 1163. ex cit. Wolfg. & de Cura Calculi libellum edidit.

ARABES ASTROLOGI.

His addendi Arabes, qui in Aſtrologia claruerunt; de quibus ita Cozzand. de Magiſter. Antiqu. Philoſ. l. 2. c. 2. *Aſtrologiæ peritiſſimi Machometus Aratenſis, ſive Albategnius Arabs; Albumazar, vel Alboaſar, ut Pico magis placet; Gebber, cujus hodie ſcripta de Alchymia magni momenti eſſe Hornius ſcribit lib. 6. Hiſt. Philoſ. cap. 10. Magnus Alphabarius, qui in Haram Meſopotamiæ, libris Ariſtotelis de Phyſico Auditu inventis, quadragies perlegit, eiſque ſubſcripſit: Vellem iterum legere; ut ſcribit G. Sionita cap. 2. Arabiæ. Alfraganius, Haly, Rhodoam, Arzabel Hiſpanus, Thebitius, Benchora. Qui omnes, & alii, ingenii ſui monumenta literis conſignarunt; ſectatoreſque habuere Arabas, Perſas, Surrianos, Africanos, Hiſpanos.*

Jonſius de Script. Hiſt. Philoſ. lib 3. cap.22. *Ex Arabibus enim multos Philoſophia claros extitiſſe, teſtantur hiſtoriæ. Primi etenim poſt Græcos Ariſtotelis ſectatores ætate media memorantur Arabum Medici, & Philoſophi: Albatenius, Almanſor, circa annum 1070. clari; & poſt annos deinde 70. Avicenna, & ejus æquales, Zour, & Averrois, qui Algazalo Mahometo libro reſpondit, cui nomen: Deſtructio Deſtructionis Philoſophiæ; cujus in præfatione dicit, ipſum à Corani ſtudioſis corruptum fuiſſe: Corani autem principia omni ſaniori Philoſophiæ contrariantur. Hinc inter ſcriptores Mahommettanos inventi ſunt, qui omnem Philoſophiam rejiciendam putarunt; è quibus potiſſimum Mahometes Algazalus, non omni modo Philoſophiæ in ſenectute valedixerat, ſed eam quoque peculiari opere, quod inſcribitur: Deſtructio Philoſophiæ, damnaverat. Cui libro ſuum oppoſuerat Averrois.* De Vitis Philoſophorum

Digitized by Google

phorum Arabum librum ſcripſit Johannes Medices, ſive potius Leo, cognomento Africanus; de quo Voſſ. de Hiſt. Lat. lib. 3. 12

De Arabum denique doctrina tale eſt magni Joh. Pici Mirandulani judicium in ſua Apologia pag.118. *Eſt apud Arabes in Avenroë firmum, & inconcuſſum, in Avempace, in Alphabario grave, & meditatum, in Avicenna divinum, atque Platonicum.*

PHILOSOPHI SCHOLASTICI.

Arabum Philoſophis, qui una cum imperio in Hiſpaniam, Galliam, Italiam, aliaſque Europæ partes Ariſtotelis Philoſophiam adduxerunt; Scholaſtici circa ſec. 12. ſucceſſere: qui rixandi potius, quam veritatis inquirendæ genio ducti, *Excluſerunt ſcholis priſcos illos Timæum, Platonem, Plotinum, Plinium, Theophraſtum, Ciceronem, Senecam, & reliquos hujus generis, qui maximum adferre adjumentum poterant ad naturæ contemplationem, de cœlis, de elementis, de animantibus, de ſtirpibus. Ariſtotelem retinuerunt ſolum, quod is unus ex illa antiquitate rixantium circulis eſſet aptus;* ut de ipſis ſcripſit Lud. Viv. de cauſſ. corrupt. Art. lib. 5. Scholaſtici igitur Arabum Philoſophiam, eorumque philoſophandi rationem, atque Averrhois in Stagiritæ textum Commentarios ſecuti, veritatem omnem nonniſi in Ariſtotele, & Averrhoë inquirendam duxerunt, rati nil tantos viros latere potuiſſe. Quare Stagiritæ doctrinam, in magiſtri verba jurantes, vel clauſis oculis amplexati ſunt, tenuerunt, & pro aris & focis propugnarunt. Atque hinc factum, ut ex barbarorum Philoſophia barbaræ etiam voces in Scholaſticam irrepſerint; & inde in Theologiam, quam Scholaſtici eadem Philoſophiæ methodo, ac modo pertractarunt. Hanc itaque ſubtilem, abſtractam, contentioſamque philoſophandi rationem Scholaſtici ab Averrhoë potiſſimum, qui Arabum ſubtiliſſimus, & ingenioſiſſimus habebatur, deduxerunt.

Immenſum, & interminatum oceanum, fateor quidem, ingreſſum me quiſque dicet, qui materiam tam vaſtam ſimul, & ſpinoſam, ac per quinque circiter ſecula agitatam, nec tamen definitam, pertractandam ſuſceperim. Verùm non ea mihi mens eſt, Scholaſticos omnes, eorumque ſcripta (quæ ad duodecim millia à Scholaſticis edita enumerat Franciſcus Patricius, ut in Ariſtotele notavimus) evolvere, & recenſere; ſed eorum tantum Sectas, Sectarum Conditores, ac præcipuos, majoriſque famæ ſectatores, ea qua fieri poterit brevitate exponere, ne ad perfectam Philoſophiæ, Philoſophorumque notitiam, Philoſophicæ Hiſtoriæ hujus Synopſi aliquid deeſſe videatur. Non eſt res unius ævi innumeras Realium, & Nominalium, Thomiſtarum item, & Scotiſtarum, aliorumque Scholaſticorum contentiones, rixas, altercationes de Univerſali, de Verborum ſive ex ſe, ſive ex hominum placito, ſignificatione, & ſimilibus, referre. Id igitur hujus mei Operis inſtituto ſatis eſſe duxi, quod modò dixi me facturum, & mox breviter tradam.

Scholaſticorum Ætates, ſive Periodos multi cum Hornio Hiſt. Philoſ. lib.6. c.2. in tres divident, *Veterem, Mediam, & Novam*. Vetus à Lanfranco, ſive potius à Petro Abelardo, & Petro Lombardo incipiens, in Albertum M. decurrit per annos circiter 200. Media ab Alberto M. ad Durandum de S.Porciano, annos fere 100. duravit. Nova à Durando ad Gabrielem Biel extenditur. Tempore Mediæ, & Novæ Scholaſticorum Periodi, quatuor ortæ Scholaſticorum ſectæ, *Albertiſtarum, Thomiſtarum, Scotiſtarum, & Occamiſtarum:*

ſtarum: De quibus nunc. Sed antequam ad has Latinorum ætates deveniamus; notandus nobis eſt.

S. JOHANNES, DAMASCENUS à patria dictus, qui ſec. 8. floruit in Oriente; Syriam omnem ſanctitate, & doctrina illuſtravit, & Ariſtotelis Philoſophiam diu ſepultam excitavit primus, propugnavit, propagavit: unde Scholaſticorum apud Græcos caput audit. Et quidem inſignis Philoſophus fuit, ut ex ejus *Rudimentis Logicis*, accurate ſcriptis, patet. *Chryſorrhoas* ab Orthodoxis dictus eſt ob auream ſuam eloquentiam. Fidei, Eccleſiæ Traditionis, Sacrarumque Imaginum cultus defenſor extitit an. 727. contra Imper. Leonem Iſauricum, & an. 754. contra Imp. Conſtantinum Copronymum. Qua de re Hiſiam, unus ex Sarracenorum primoribus, ficta ſuppoſitione, quod Johannes Leoni Imp. epiſtolam ſcripſiſſet, ut Damaſcum invaderet (quam epiſtolam Leo, ad Johannem perdendum, ab eo ſibi ſcriptam finxerat) manum ei obtruncari juſſit. Hanc autem manum ſequenti nocte ei dormienti Deus ſanam; ſumma populi admiratione, reſtituit. Mortuus dicitur circa annum 760. non 390. ut quidam putarunt. Scripſit *lib.* 4. *de Fide Orthodoxa: Orationes* plures ad defenſionem Fidei: & parvos *Tractatus*, ſed plurimos. Non memorem Opera, quæ ipſi falsò tribuuntur. Quæ tamen ſua ſunt Syriace ſcripta ex Oriente cum attuliſſet Guilh. Poſtellus, ea Ottoni Henrico, Electori Palatino, cum aliis MSS. oppigneravit. Vide ejus Vitam à Joh. Hieroſolymitano ſcriptam.

SCHOLASTICI PRIMÆ ÆTATIS.

LANFRANCUS

PAtriâ Papienſis, Monachus Benedictinus, deinde Archiepiſcopus Cantuarienſis, omnium ſuo tempore in Dialecticis doctiſſimus habitus, ſcripſit contra hæreticos ſibi contemporaneos *de Reali Præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti: Commentarios in Epiſt. Divi Pauli: Notas in Caſſianum: Librum Epiſtolarum, &c.* Mortuus dicitur à Morery in Lex. Magn. Hiſt. die 24. Maji 1089. poſtquam Cantuarienſem Eccleſiam an. 19. rexit: à Trithemio tamen, teſte Hornio loc. cit. an. 1140. Vide Vitam, ejuſdem Operibus præfixam. Hic primus, vel inter primos habetur, qui in Occidente Scholaſticam patefecit.

Primis hiſce Scholaſticis Hornius loc. cit: *Gilbertum* Epiſcopum Pictavienſem, cognomento *Porretam*, adnumerat; quem magnifice doctum, ingenio ſubtilem, novitate confuſum vocat Trithemius, ut idem notat.

PETRUS ABELARDUS

SIve, ut alii ſcribunt, *Abailardus*, & *Abælardus*, cognomento *Dialecticus*, natione Britannus, Scholaſticus inter primos doctiſſimus, & magni nominis fuit. De hoc agens Trithemius ait: *Ab hoc tempore Philoſophia ſecularis Theologiam ſua curioſitate inutili fœdare cœpit.* Et Ant. Sadeel Præfat. in lib. de Verbo Dei ſcripto (damnatæ hic memoriæ vir) addit: *Scholaſticos illos, ob Philoſophiæ cum Theologia confuſionem, dicendos potius Philoſophos, quam Theologos*. Contrariam tamen enixe tuetur Scotus in 3. Sentent. diſtinct. 24. quæſt. 1. ubi aſſerit: *Scholaſticos Doctores tandem Philoſophiam cum Theologia maximo cum fructu miſcuiſſe.* Hic itaque Theologiam philoſophice pertractandi mos, qui Italis, aliiſque ſibi propioribus, arriſit, & fructuoſus habitus

eſt;

eſt ; ab aliis, potiſſimum extra Italiam, damnatur, ac præ cæteris à Lud. Viv. in Comment. in Auguſt. de Civ. Dei, ubi ferę centies hunc morem exagitat. Sed ad Abelardum redeamus.

Pariſiis Theologiam docuit (quod & alibi fecerat) ubi Heloiſiæ, ſive Ludovicæ, puellæ comitate, pulchritudine, Philoſophia, Hebraica, Græca, & Latina lingua celeberrimæ, amore captus, ut ipſam ex ſe utero gerentem novit, in Britanniam duxit, ibique filium ex ea habuit Aſtrolabium. Inde Pariſios ſimul reverſi ſunt : ubi Abelardus ut ſuæ, ejuſque animæ conſuleret, ipſam, ſecreto tamen, ſibi legitimam uxorem fecit, ac deinde in mulierum Cœnobium intulit, Deoque dicavit. Fulbertus vero Canonicus Pariſienſis, ubi illatam ſibi à Ludovica, & Abelardo injuriam reſcivit (ea namque ſua neptis erat) hanc pro hoc ſcelere ultionem repetere excogitavit. Servo ſuo mandavit, ut noctis tempore Abelardi domum ingreſſus ei teſtes avelleret, ut quæ corporis partes ei voluptati fuerant, inde dolori eædem eſſent, & infamiæ. Quo facto Abelardus rubore ſuffuſus, ut omne hominum conſortium vitaret, Monaſtico Cluniacenſium inſtituto ſe devovit.

Scripſit tunc *Tractatum de Trinitate* : quem, ſicut & quaſdam alias ſuas ſententias, in quibus ipſe ab Orthodoxis aberravit, Synodus in Galliis à Ludovico VII. Rege coacta, autoritate Lucii II. Pont. Max. damnavit. Omnis autem Abelardi in Fide error inde manabat, quod ſuam Dialecticam (in qua maxime ipſe pollebat) ab Ariſtotelica deductam, Theologiæ intrudere voluit. Sed à Petro, cognomento Venerabili, ſui Cœnobii Antiſtite, & à Divo Bernardo reprehenſus, reſipuit, ac ſanctiſſime vixit ad mortem uſque, quæ ei contigit die 21. Aprilis 1143. ætatis 63. Ejus exſtant Opera vol. uno in 4. edita, quæ continent ejuſdem Epiſtolas ad Ludovicam, & Ludovicæ ad ipſum : Hiſtoriam ſuorum infortuniorum, cum Notis Du Cheſne : Commentarios in Epiſt. Divi Pauli ad Romanos, &c. Abelardi tumulo duo inſcripta ſunt Epitaphia ; quorum unum :

Petrus in hac petra latitat, quem mundus Homerum
Clamabat : ſed jam ſidera ſidus habent.
Sol erat hic Gallis, &c.

Alterum verò ſequens eſt :

Gallorum Socrates, Plato maximus Heſperiarum,
Noſter Ariſtoteles, Logicis, quicumque fuerunt,
Aut par, aut melior, &c.

Vide D. Bern. in Epiſt. Petrum Cluniacenſem lib. 4. Epiſt. Vignierum, Geſnerum, Trithemium, atque alios, quos citat Franciſcus d'Amboiſe in ejus Vita.

PETRUS LOMBARDUS.

PRimus (vel inter primos) illorum, qui Scholaſtici appellantur, autor, & conditor, *Natione Lombardus, patria Novarienſis, ab oppido urbi illi vicino, quod vulgo Lumen omnium dicitur, Magiſter Sententiarum vulgo dictus, ex Theologicæ Scholæ præſidente, qui per ea tempora Scholaſticus vocabatur, Pariſienſis, non Archiepiſcopus, ut alicubi ſcripſit minus circumſpecte Blondellus, ſed Epiſcopus ab A. C. 1159. vel ſequenti, quod ei ob eminentem doctrinam ceſſit Philippus Archidiaconus ejuſdem Eccleſiæ, Ludovici VI. Regis Franciæ filius, & Ludovici VII. frater uſque ad diem 20. Julii anni 1164. quo vitam finiit, & in ſuburbana S. Marcelli Eccleſia conditus eſt.* Labbæus de Script. Eccleſ.

Scripſit *libros 4. Sententiarum*, qui exſtant in 4. *Commentarios in Pſalmos*, in fol. *In Epiſtolas Divi Pauli Collectanea*, in fol. In libros Sententiarum innumeri fere editi ſunt Scholaſticorum Commentarii; inter quos præcipui ſunt Guilhelmus d'Auxerre, Albertus M. S. Thomas, S. Bonaventura, Guilhelmus Durandus, Ægidius Romanus, Gabriel Major, Scotus, Ockam, Eſtius, atque alii. Commendatur à Sixto Senenſi lib. 4. Bibl. Sanct. ubi ait: *Hunc omnes Scholæ Theologorum ſingulari quadam venerationis excellentia Magiſtrum Sententiarum appellant, & in cujus Theologiæ Compendium innumerabilia diſputationum volumina eruditiſsimi clariſsimarum toto orbe Chriſtiano Academiarum Theologi elaborarunt, &c.* A Trithemio vocatur *Vir in divinis Scripturis ſtudioſiſſimus, & nobiliter doctus; ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, &c.* Bellarminus vero de Script. Eccleſ. refert, notari articulos 26. in quibus Lombardus à ſuis etiam fautoribus, Scholaſticiſque Doctoribus rejicitur; nec defuiſſe, qui ipſum hæreſis nomine ad Alexandrum III. Pontificem Max. detulerint, quod docuiſſet, Chriſtum, ut hominem, non eſſe aliquid. Quæ ejus ſententia annis novendecim poſt ſuum obitum damnata fuit in Concilio Pariſienſi juſſu ejuſdem Pont. Laudatur etiam ab Henrico Gandavenſi, & Rolando Mareſ. in Epiſt. & Rog. Aſcham. Contra tamen carpitur nimium à Mornæo, Gul. Cave, Henn. Witten. aliiſque, ſed hæreticis.

ALEXANDER DE ALES

SIve de Hales; ſic dictus à Cœnobio Hales, quod eſt in Cheſter, ubi fuerat educatus; natione Anglus, *Doctor Irrefragabilis* appellatus, SS. Bonaventuræ, & Thomæ præceptor, ſec. 13. floruit. Summæ doctrinæ, ac pietatis vir fuit, potiſſimum vero in Deiparam, cui jurejurando ſe obſtrinxerat, referente Alberto Crantz, omnia ſe conceſſurum iis, qui Deiparæ nomine poſtularent. Quod ſcientes Franciſcani Fratres ad Alexandrum ex ſuis quendam miſerunt, qui SS. Virginis nomine ab eo peterent, ut Franciſcanæ familiæ ſe devoveret: quod Alexander ſtatim, & ultro fecit Pariſiis; ubi antequam Religionem hanc ingrederetur, Regiæ illius, eximiæque Univerſitatis Doctor, ac Philoſophiæ, Theologiæque Profeſſor erat celeberrimus. Hic omnium primus *in Lombardum Commentator* fuiſſe dicitur. Scripſit præterea juſſu Innocentii IV. *Theologiam* in 4. partes diviſam: *Notas, & Commentarios in univerſa fere Sacra Biblia*: *Vitas S. Thomæ Cantuarienſis, Regis Richardi, & Mahumetis*: *Metaphyſices lib. 4. De Anima lib. 1. Tractatum de SS. Virgine*, in quo ipſam ſine peccati labe conceptam pluribus conteſtatur: & alia, quæ junctim edita habentur. Obiit an. 1245. ac in ſua Fratrum Eccleſia ſepulcro conditus; cui hoc Epitaphium ſuperpoſitum:

Clauditur hoc tumulo famam ſortitus abunde,
Gloria Doctorum, decus & flos Philoſophorum, &c.

Vide Henricum Gandavenſem de Script. Eccleſ. c.46. Bellarminum; Poſſevinum; Le Mire; Geſnerum, &c.

SCHOLASTICI SECUNDÆ, SIVE MEDIÆ ÆTATIS.

ALBERTUS MAGNUS

SCholaſticorum Secundæ, ſive Mediæ Ætatis, Caput, & Princeps; à quo prima Scholaſticorum ſecta, quæ ab autore *Albertiſtarum* dicitur, condita eſt; *Lavingæ apud Suevos ex nobiliſſima Dynaſtarum Bolſtatenſium familia natus*,

natus, in Prædicatorum Ordinem adſcriptus anno 1221. diſcipulos inter alios habuit S. Thomam Aquinatem, & Thomam Cantipratenſem. Dein creatus ab Urbano IV. Papa Ratisbonenſis ad Danubium in Germania Epiſcopus an.1260. prioris otii ſtudio, & literarum amore dilectam ſibi Coloniam Agrippinam rediit, ubi ætatis anno 87. (qui anno 1205. non 1193. natum volunt, annos tantum 75. vixiſſe fatebuntur) Chriſti 1280. 15. Novembris obiit eruditione, ac pietate præſtantiſſimus, ibidemque ſepultus eſt. Philip. Labbe de Script. Eccleſ. Occaſio autem ſui in Prædicatorum Ordinem ingreſsûs fuit, quod Ticini, Gymnaſio celeberrimi, ad ſcientias addiſcendas degens, P. Jordanum, Generalem ejuſdem Ordinis Miniſtrum, & magnum ibi Divini Verbi Præconem, audiverit: cujus verbis adductus, præclarum Prædicatorum Ordinem amplexus eſt. Poſt Jordani mortem ad Philoſophiam, ſacraſque doctrinas docendas Coloniam miſſus, & inde Lutetiam Pariſiorum, tantam hic loci diſcipulorum copiam habuit, ut in platea diſcipulis dictare opus ei fuerit: quæ platea uſquenum *la Place Maubert*, quaſi *Platea Magiſtri Auberti*, dicitur. Inde Coloniam rediit; unde ab Alexandro IV. Romam accitus, ibi & publice docuit, & Sacri Palatii Magiſtri munus exercuit. Ab Urbano IV. Ratisbonenſis Epiſcopus creatus, diu in Epiſcopatu vivere non ſuſtinuit; ſed huic dignitati Cœnobii ſolitudinem, & quietem præferens, Epiſcopatu ſe abdicavit, & ad alios docendum rediit. Gregorii X. juſſu an. 1274. Generali Lugdunenſi Concilio interfuit. Tandem obiit die, & anno, modò dictis.

Maxima Alberti laudum cenſenda eſt, S. Thomam Aquinatem, & Thomam Cantipratenſem, diſcipulos habuiſſe. Summe tamen laudatur etiam à non Scholaſticis, & Hæreticorum plurimis. Hornius lib.6. Hiſt. Philoſ. c.3. ex Trithemio, ipſum vocat Virum ſummi ingenii, admirandæ induſtriæ, & nulli ſuo tempore in Philoſophia ſecundum. Quas laudes Scaliger etiam ſuo ſuffragio comprobat. *Magnus, & Divus* propter ſtupendam ſuam eruditionem appellatus eſt. Voſſius de Scient. Mathem. p.362. *Anno 1252. longe, lateque radios ſui nominis diſpergebat Albertus Magnus, Epiſcopus Ratisbonenſis, nulli ſuo ævo doctrina ſecundus; qui emiſit monumenta ſui ingenii, ac doctrinæ permulta.* Sixt. Senenſ. in Bibl. l.4. *Vir eruditionis admirandæ, quem divinarum rerum pauca, humanarum fortaſſe nulla latuerunt; ſublimibus ingenii, ac memoriæ viribus uſque ad miraculum præſtans, &c.* Commendatur etiam à Naudé in Biblioth. Politic. Thom. Lauſio, Quenſtetd, atque aliis: ſed omnium impenſiſſime à Joh. Aventino lib. 7. Annal. ubi eum appellat *Germanum Varronem*, atque etiam longe Varrone doctiorem; Naturæ ſecundum Ariſtotelem veriſſimum Interpretem, quem nihil penitus fugerit, omnia perfecte noverit; adeoque ſingula, quæ de omnibus ſcientiis ſcripſit, in ſuo genere abſoluta eſſe, ac ſi uni dumtaxat operam navaſſet, &c. Similiter & à Trithemio, qui de ipſo ait: *Non ſurrexit poſt eum vir ſimilis ei, qui in omnibus literis, ſcientiis, & rebus, tam doctus, eruditus, & expertus fuerit.* Neque mirum foret, ipſum tam ſublimem rerum ſcientiam conſecutum fuiſſe, modò verum ſit, quod Dominicani Ordinis Annales referunt, eum ſcilicet admirandam hanc doctrinam, Deiparæ ope, divinitus inditam hauſiſſe: ac quinquennio ante mortem Philoſophiæ oblivionem ab eadem Virgine impetraſſe; ut præter alios notat Konig. in Biblioth. his verbis: *Is Sectam Albertiſtarum condidit, & Ariſtotelis Philoſophiam S. Scripturæ æquiparavit. Ferdinandus Caſtillus, & Ant. Poſſevinus memorant, ipſum quinquennio ante mortem omnium, quæ in Philoſophia didicerat, oblitum: à B. Virgine autem impetraſſe, ne ſe in Philoſophorum opinionibus, ſed Fide Chriſtiana, & Charitate mori ſineret.* Simile quid Simoni Thurvavo Anglo, Pariſienſi Do-

Digitized by Google

Doctori accidiſſe, ex Joh. Balæo Cent. 3. notat Hornius ibidem. Is enim Dialecticus acutiſſimus, qui circa an. Chr. 1200 vixit, cum blaſphemus eſſet in Chriſti doctrinam, eamque facillime ſe refutaturum diceret, omni non modo eruditione, ſed & loquela privatus fuit. Cumque vox rediret, neque literas noverat amplius, neque Orationem Dominicam, ac à filio prima alphabeti elementa denuo diſcere conabatur. Idem Georgio Trapezuntio in ſenectute eveniſſe, nos ſupra notavimus.

Barbaræ tamen locutionis ipſum criminatur Cœl. Rhodig. Var. Lect. l. 1. c. 11. *In dicendo Gothicum ſapit, & barbarum: oratione ſquaroſa prorſum, & illepida. Inter Peripateticos tamen nominis celeberrimi.* Et alibi ejuſdem Operis: *Homo Græcæ doctrinæ ignarus, in multis hujus ſcientiæ videtur peccaſſe Albertus.* Anilia vero, ac prorſus ridicula ſunt, quæ ei imperiti quidam objectant, ipſum ſcilicet Magiam excoluiſſe; caput creaſſe, magiæ, vel mechanicæ opera loquens; Pyrium pulverem inveniſſe; Lapidem Philoſophicum efformaſſe; & inepta plura his ſimilia. Apud eruditos enim, potiſſimum criticos in confeſſo ſemper fuit, hæc mera ſciolorum figmenta eſſe. Hinc ſuppoſititii cenſentur tractatus de Metallis, & Lapidibus; liber de Mirabilibus, & alter de Secretis Mulierum (qui damnatus eſt in Edicto 16. Decembris 1605.) & alia hujus generis, quæ ſuperſtitioſa, vel vana continent, & tanto viro falſo tribuuntur. Merito igitur Trithemius ait: *Quod autem de Necromantia accuſatur, injuriam patitur vir Deo dilectus.* Vide, præter Bellarminum, & alios, Naudé in Apologia pro Viris Illuſtribus Magiæ accuſatis; & Ant. Flaminium in ejus Vita lib. 3. de Viris illuſtr. Ord. Prædicatorum. Adde vel hoc tam magni, ſanctiſſimique Doctoris probitatis teſtimonium notiſſimum, quod ejus poſt biſcentum à morte annos corpus integrum inventum veneratione habeatur.

Scripſit plurima, quæ in 21. Tomos in fol. digeſta edidit P. Petrus Jammius Ord. Prædicat. Lugduni an. 1651. Notandum tamen, Jammium quædam Alberti vera Opera præteriiſſe, ſuppoſititia verò quædam inſeruiſſe.

SCHOLASTICI REALES THOMISTÆ, QUORUM CAPUT

S. THOMAS AQUINAS

T*Heologorum Aquila, Scholarum Angelus, Eccleſiæ Doctor Angelicus* appellatus, Neapolitani Regni, totiuſque Chriſtiani Orbis ornamentum inſigne, vita, doctrina, & miraculis celeberrimus fuit. Natus eſt in Urbe Latii Aquino ex nobiliſſima Comitum Aquinatum ſtirpe an. 1224. ac præclarum S. Dominici Ordinem, fratribus, ac domeſticis omnibus nedum renuentibus, ſed etiam ei obſiſtentibus, ingreſſus, miſſuſque Coloniam, ac Pariſios, Philoſophicis, & Theologicis ſtudiis operam dedit ſub Alexandro de Ales, & Alberto M. ut ſupra dictum. Anno 1255. eadem die cum S. Bonaventura Doctor Theologus in facultate Pariſienſi creatus, ad plures annos ibidem docuit magnâ & ſui nominis fama, & auditorum concurſu. Oblatum ſibi Archiepiſcopatum Neapolis, aliaſque inſignes Eccleſiæ dignitates repudiavit. Urbani IV. SS. Euchariſtiæ Sacramenti Feſtum diem inſtituentis, juſſu, de eodem maximo Eccleſiæ Sacramento Miſſam, & Officium compoſuit. Evocatus à Gregorio X. Pontifice ad Concilium Lugdunenſe II. an. 1274. ætatis 50. die 7. Martii in itinere obiit in Cœnobio Foſſænovæ Ordinis Ciſtercienſis prope Amaſenum, Campaniæ fluvium: cujus corpus inde Toloſam tranſlatum eſt an. 1368. ſub Urbano VI. Pontifice Sanctorum Catalogo adſcriptus eſt die 18. Ju-

18. Julii an. 1323. à Joh. Pontifice XXII. & à Pio V. cum primis Latinæ Eccleſiæ Doctoribus adnumeratus.

Scripſit in omnem *Ariſtotelis Philoſophiam Commentarios*. Myſticæ, Scholaſticæque Theologiæ inſtaurator in omnibus Academiis audit. Divi Auguſtini mentem in omnibus ita expreſſit, ut ſi Μετεμψύχωσις dari poſſet, Auguſtini animam in Thomam tranſmigraſſe dicendum eſſet, ut notat Sixt. Senenſ. Biblioth. Sanct. l. 4. Theologica Dogmata omnium optime copia, brevitate, facilitate, & ſecuritate mirabiliter ubique in ſuis Operibus exhibuit; potiſſimum verò in *Summa Theologica*, quam tanti omnes fecerunt, ut nedum Græci, ut notat D. Chytræus de Statu Eccleſiæ in Græcia, ſed etiam Arabes, & Sinenſes in ſuum ſermonem converterint. *In Sacram Scripturam Commentarios* edidit, atque alia plura; quæ omnia Tom. 18. in fol. collecta prodiere ſimul cum ejus Vita, & Commentariis Thomæ de Vio Cajetani Cardin. & Franciſci Ferrarienſis.

Quod ad Cenſuram S. Thomæ Operum, notandum primò ex Eraſmo, *Opuſculum de Symbolo*, quod S. Thomæ nomine circumfertur, eruditum quidem, & pium non videri ipſius eſſe. Secundò Bellarminus negat, *Librum de Regimine Principum* genuinum eſſe, tum quia autor hujus operis ſtylum diverſum habet à ſtylo S. Thomæ, quòd hic fuſius, & prolixius ſcribat, ille preſſius, & brevius; tum etiam quia autor hujus operis non pauca levia de nominibus magiſtratuum proferat, quæ S. Thomæ nunquam excidiſſent. Quæ cauſſa forſan extitit, cur in editione Lovanienſi 1652. hoc Opus cum reliquis non ſit editum. Accedit etiam, quod S. Thomas *Libros 7. de Eruditione Principum*, plane utiliſſimos, jam ſcripſerat, qui habentur inter Opuſcula Romæ edita: quare de Regimine Principum iterum ſcribere non erat opus. An autem S. Thomas Summam Theologiæ è Vincentii Bellovacenſis Speculo Morali ſumſerit, ut putavit Franciſcus Garcia; an potius hic ab illo hauſerit, quod probabilius; vide cit. Bellarm. & Thomaſ. de Plagio ſect. 560. & 561.

Tempus quidem me deficeret, ſi vel præcipuas hujus tam præclari Eccleſiæ Doctoris Theologorum Principis, Philoſophorum Peripateticorum Anteſignani, à quo *Secunda Scholaſticorum Secta*, THOMISTARUM ab eo dicta, ortum duxit, laudes vellem contexere. Quare omiſsis elogiis, à Scholaſticis, aliiſque, qui ejus laudis fautores dici poſſent, pro eo dictis; eorum, qui potiores Critici, eique minus grati, judicium proferam. Lud. Vives de Trad. Diſcipl. l. 5. *Scriptor de Schola omnium ſaniſſimus, & minime ineptus*. Idem in Auguſt. l. 11. de Civ. Dei c. 34. *Thomas nimis eſt Ariſtotelicus, & res, omnem naturæ vim, captumque excedentes, cogit naturalibus parere legibus*. Scaligerana 2. *Thomas Aquinas Dominicanus fuit doctus, ingenio utcumque tardus*. Gabr. Naudè in Bibl. Politic. Thomæ ingenium rerum optimarum, & politicarum copia luxurians, & ad grandia quæque, & difficillima natum, dixit. Hornius Hiſt. Philoſ. l. 6. c. 4. *Hoc neque in ſtudendo diligentior quiſquam, neque parcior in loquendo fuit, unde à condiſcipulis contemtim Bos Mutus appellabatur. Sed Albertus Thomæ ingenio perſpecto, Bos hic, inquiebat, ſi mugire cœperit, totum orbem beatu ſuo implebit*. Quod ex J. B. Fulgoſio Hornius ſumſit. Rich. Simon. Hiſt. Critic. V. T. l. 3. c. 10. *Soliditate, & judicio ſuis in Biblia Commentariis admodum pollet*. Eraſmus in 1. Rom. pag. 244. *Thomas Aquinas, vir non ſuo tantum ſeculo magnus. Nam meo quidem animo nullus recentium Theologorum, cui par ſit diligentia, cui ſanius ingenium, cui ſolidior eruditio, planeque dignus erat, cui linguarum quoque peritia, reliquaque bonarum literarum ſupellex contingeret, qui iis, quæ per eam tempeſta-*

tem

Digitized by Google

tem dabantur, tam dextre ſit uſus. Linguas etiam, politioreſque literas in eo tantum deſiderat Roland. Mareſ. l. 2. Epiſt. epiſt. 41. ſed id condonandum ait infelicis illius ſeculi ſummæ barbariei. Culpam hanc in eo agnoſcit [illegible] Quenſtedt de Vir. Illuſtr. p. 389. ubi ait: *In eo culpandus maxime Thomas eſt, quod non tantum Philoſophica principia, ſed etiam Philoſophorum verba, & Placita ad concluſiones Theologicas audacter applicat: quod vel ipſi Pariſienſes Magiſtri in illo improbant*. Sed omnium impenſiſſime eum commendat Drexel. in Aurifodin. c. 7. ubi: *Thomas Aquinas Theologiam in eum deduxit ordinem, ea perfudit luce, iis locupletavit incrementis, ut univerſa poſteritas illi quamplurimum debeat. Compendio utendum eſt in hujus Viri elogiis, alioqui ea ad diei finem non finiemus. Aquinas ſapientiæ, & ſanctitatis magnum jubar, tametſi opem divinam ſuis ſcriptionibus faventem habuerit, humanam tamen induſtriam in ſe deſiderari, nequaquam paſſus eſt. Legit plurima &c.* Et profecto ſuam omnem doctrinam divinitus accepiſſe, communis fama affirmat. Et Henr. Jul. Scheurl. in Bibliogr. Moral. S. Thomæ Lectiones Ethicas Opus auro contra æſtimandum, & quo vix ullum abſolutius, dixit. Plura qui cupit, adeat ejus Vitam ſuis Operibus præfixam: Henr. Gandav. c. 45. de ſcript. Eccl. &c.

THOMISTARUM SECTA SCHOLASTICORUM REALIUM prima (licet & Scotiſtæ ex Realibus ſint, ut infra notabimus) dicenda eſt. Omnes enim Scholaſtici vel ſecundum temporis ſeriem notantur, & in 3. Ætates, ſive Periodos diſtinguuntur, ut ſupra diximus. Vel ſecundum Sectas, ab earum autoribus nomen ſumentes, & quatuor hæ eſſe dicuntur, ALBERTISTARUM, THOMISTARUM, SCOTISTARUM, & OCCAMISTARUM, ab Alberto, Thoma, Scoto, & Occamo. Vel denique à Sectarum differenti doctrina, & ſententia, & duæ recenſentur, SECTA REALIUM, & SECTA NOMINALIUM. Prima THOMISTAS, & SCOTISTAS amplectitur (quamvis Scotiſtæ Thomiſtis in quibuſdam non conveniant, ut infra) Secunda tantum OCCAMISTAS continet. REALES appellantur Scholaſtici omnes, qui *Univerſale* reponunt in *Re*; hoc eſt, *Univerſale*, dicunt eſſe *Rem*, ſive Naturam, & Eſſentiam communem pluribus. Unde *Homo*, e.g. ut *Univerſale* ſignificat ſuam Eſſentiam, ſive Rationalitatem, ut ajunt, quatenus Platoni, Socrati &c. convenire poteſt, & de ipſis affirmari. Contra verò NOMINALES dicuntur Scholaſtici, qui *Univerſalia* mera eſſe *Nomina*, non Res, contra Reales defendunt. Aſſerunt ſcilicet *Univerſale* non eſſe niſi ſimplex *Nomen* commune pluribus. Quare *Homo* e. g. non eſt, niſi literarum, & ſyllabarum congeries, quæ non ſignificat Eſſentiam, communem pluribus inferioribus, ſed ipſamet inferiora, ſive particularia, ut Plato, Socrates &c. ſive junctim, ſive ſeparatim.

Monitum te hîc velim, amice Lector, me in tam vaſta, difficili, ac confuſa Scholaſticorum provincia, conſueto mihi in hac Hiſtoria ordine, & claritate non procedere; nam in tanta rerum confuſione ſatius duxi, poſt recenſitos Sectarum Principes, eorumque (ſi fuerint) præcipuos diſcipulos, Peripateticos alios contemporaneos recenſere, quàm Scholaſticos, & non Scholaſticos Thomiſtas, & Scotiſtas exactiſſime rimari. Si igitur quandoque Thomiſtas, & Scotiſtas inter ſe, & cum aliis Peripateticis etiam non Scholaſticis confuſos videris, id factum ſcias, ut Peripateticos συγχρόνους, hoc eſt qui eodem tempore vixerunt, notentur; ſicque ætatis potius, quàm ſectæ ordo rigoroſe ſervetur; omnes igitur Peripatetici cùm ſint, junctim ponuntur. Verùm, quoad fieri poterit, debitus etiam inter Scholaſticos ordo, & ſeries non prætermittetur.

THOMAS CANTIPRATENSIS

S. Thomæ Aquinatis ſub Alberto Magno condiſcipulus, in Brabantia natus, in pago quodam prope Bruxellas; dictus autem Cantipratenſis, quia Canonicorum, quos Regulares vocant, Ordinis S. Auguſtini in Cantipratenſi Cœnobio habitum primo ſumſit: deinde Dominicanus factus cum Divo Thoma ſub Alberto Philoſophiæ, & Theologiæ operam navavit; quam deinde Lonii docuit. Scripſit, præter Vitas SS. alioſque Tractatus, Libros 2. in 8. editos, quibus titulus: *Bonum Univerſale de Apibus*; quibus autoris etiam Vita adjuncta eſt. Sunt qui putant, eum ad preces S. Thomæ de Græco in Latinum vertiſſe univerſa Ariſtotelis Opera. Sed ante traducta fuiſſe Critici affirmant. Obiiſſe dicitur die 15. Maii an. 1293. Vide Voſſ. Henr. Gandav. Le Mire &c.

JOHANNES XXI. PONT. MAX.

NE dum ſilentio non prætereundus, ſed ſpeciali memoria inter Scholaſticos recenſendus. Natus eſt Ulyſſippone, Portugalliæ Regni, totiuſque Hiſpaniæ urbium maxima, ditiſſima, & pulcherrima, Luſitaniæ Regum ſede, ſuperbiſſimo Regio Palatio, magnificis Templis, Arcibus, & Ædibus undique decorata; ampliſſimo ne dum mercium omnium, ſed literarum, literatorumque Emporio clariſſima. Neque dicas, genere Hiſpanum fuiſſe, quod vulgo ſub nomine *Petri Hiſpani* veniat; Hiſpania enim generali voce etiam Luſitaniam comprehendit; & ideo Luſitanos ab autoribus Hiſpanos appellatos ſæpe invenies. Ei nomen fuit *Johannes-Petrus*: profeſſione Medicus fuit, Medici & ipſe filius. Scripſit (ut in Catologo autorum ſui ævi invenitur) *Theſaurum Remediorum ad ſanitatem tuendam*. Primum Archidiaconus, inde Archiepiſcopus Bracarenſis in Portugalliæ Regno fuit; poſtea an. 1268. à Gregorio X. Cardinalis Tuſculanus creatus, tandem in ſummum Pontificem electus eſt die 13. Septembris 1276. poſt Adriani V. mortem. Dum Pontifex eſſet (quam ſupremam dignitatem tantùm menſes circiter octo tenuit; nam ex corporis læſione, quam ex caſu domus paſſus eſt, tandem obiit Viterbii menſe Majo 1277.) Michaëli Palæologo Legatos miſit, ut ea, quæ in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. decreta fuerant, ne vel jota unum præteriret.

Johannes hic Pont. Max. à Patria, ſitu, divitiis, magnificentia, vaſtitate, armis, literis, celeberrima, & nulli magnarum urbium ſecunda, magnum, fateor quidem, decus accepit; ſed majus ei reddidit nedum dignitatis omnium ſupremæ ſplendore, ſed etiam literarum gloria. Scripſit enim plura, immortalitate digna; inter quæ præcipua: *Summulæ Logicales*; *Parva Logicalia*; *in Phyſionomiam Ariſtot. Dialectica. Epiſtolæ. Canones Medicinæ. De Oculis*; atque alia, quæ videre eſt in Biblioth. Pontif. P. Ludovici Jacobi. Vide Spond. ad A. C. 1276. & 1277. Papir. Maſſon, & Du Cheſne in Hiſt. Pontif.

Unum ex innumeris tam magni Pontificis elogiis, omiſſis aliis, non omittam, ab hæreticis ſcilicet perpetuis Pontificum hoſtibus, etiam commendari. Pro quibus omnibus unus ſit Hornius, qui lib. 6. Hiſt. Philoſ. c. 4. ait: *Thoma non multum recentior fuit Petrus Hiſpanus, initio Cardinalis, poſtea Pontifex dictus Johannes XXI. qui magnam famam aſſecutus eſt Summulis ſuis Dialecticis*. Quam tamen famam ut denigraret idem autor, ſubdit: *Quas tamen ex Michaëlis Pſelli Synopſi Organi Ariſtotelis compilavit*.

S. BO-

S. BONAVENTURA

Doctor *Seraphicus* appellatus, in Hetruriæ urbe, quæ Balneoregium, vulgo Bagnarea dicitur, ſub Pontificia ditione, natus eſt. S. Franciſci Ordini ſe devovit: atque Alexandri de Ales diſcipulus in Philoſophia, & in Theologia fuit, quam deinde Pariſiis, atque alibi magna ſui nominis fama docuit; cujus Univerſitatis Doctor egregius eſſe meruit. Anno Chr. 1256. ætatis 34. ſui Ordinis Magiſter Generalis electus, rigidam ejus obſervantiam decrevit, omneſque ſuæ curæ commiſſos ſanctiſſime rexit. Eboracenſem Archiepiſcopatum in Britannia à Clemente IV. ſibi collatum recuſavit: poſt cujus mortem, cùm S. Sedes ad triennium vacaſſet, nec Cardinales in novo Pontifice eligendo convenirent; jurejurando ſe Bonaventuræ obſtrinxerunt, ut quem ipſe in Summum Pontificem eligeret, etiamſi ſemetipſum proponeret, eundem ab ipſis fore confirmandum. Tum ipſe ad tam ſingulare opus electus, Thibautium, Leodienſis Eccleſiæ Archidiaconum, Hieruſalem tunc commorantem, Pontificem nominavit; qui deinde Gregorii X. nomen accepit. Ab eo Cardinalis, & Albæ Longæ, vulgo Albani Epiſcopus factus, Concilio Lugdunenſi II. ejuſdem Pontificis juſſu interfuit: poſt cujus primam ſeſſionem die 7. Maii an. 1274. habitam, ibidem ad paucos dies mortuus eſt. Sixtus IV. ipſum in Sanctorum numerum retulit an. 1482. & Sixtus V. an. 1588. Eccleſiæ Doctoribus adſcripſit. Totum Concilium, Pontifex ſcilicet, & univerſi Patres ſolemni funerum pompa ei juſta perſolverunt, Funebrem Orationem recitante Petro Cardinali à Tarantaſia, qui deinde fuit Papa Innocentius V.

Scripſit plurima, quæ tom. VIII. in fol. edita ſunt: eaque cunctis Monachis legenda præ cæteris SS. PP. Operibus commendat Joh. Gerſon. Horum Operum Tom. 1. & 2. continent Commentarios in S. Biblia: tertius Sermones: quartus, & quintus Commentarios in Magiſtrum Sententiarum: ſextus, & ſeptimus Opuſcula Moralia: octavus Opuſcula ad Monachos ſpectantia.

Tantæ fuit ſanctitatis, ut nedum à Bellarmino commendetur, à quo *Deo, hominibusque amabilis* appellatur, ab Halenſi, qui ſæpe ajebat: *In Fratre Bonaventura Adam peccaſſe non videtur*; reliquiſque Eccleſiaſticis autoribus; verùm etiam ab ipſomet Luthero, Eccleſiæ, ejuſque Patrum hoſte ſæviſſimo, à quo vocatur *Bonaventura præſtantiſſimus vir*. Vide Henricum Gandenſem, Trithemium, & Bellarminum de Script. Eccleſ. Spondium, Bzovium, & Raynaldum in Annal. Eccleſ. Wadingum in Annal. & Biblioth. Min. Baillet in Vitis SS. 14. Jul. Volaterranum, Sixtum Senenſem, Poſſevinum &c.

ÆGIDIUS COLUMNA

Romanus, ex præclara, & nobiliſſima familia *Colonna* ortus, in Pariſienſi Univerſitate à S. Thoma Aquinate ſtudiis eruditus, ibidem & Doctoratus lauream, & alios docendi munus promeruit. Quamvis igitur Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Monachus, & inde ejuſdem Ordinis Miniſter Generalis an. 1292. fuerit; inter Thomiſtas tamen recenſendum duximus, quia S. Thomæ diſcipulus extitit; ſub quo adeo in Philoſophia, & Theologia profecit, ut *Doctor Fundatiſſimus* appellari meruerit. Ob inſignem ejus doctrinam, ac ſanctitatem à Philippo Rege filii ſui Philippi præceptor factus eſt, cui magnum literarum, ac pietatis amorem inſpiravit: in cujus etiam gratiam *Tractatum de Regimine Principum* compoſuit. Poſt Regii Principis inſtitutionem Archiepiſcopus Bituricenſis ab eodem factus, Pontificio munere ſumma laude

laude functus eſt. Multa ſcripſit Philoſophica, atque Theologica Opera; quæ tantum ſolidiſſimæ doctrinæ pondus apud omnes, præcipue ſui Ordinis Fratres habuerunt, ut ex eorum ſanctione cautum ſit, ut nonniſi Ægidii doctrina penes eos haberi poſſit. Generali Viennenſi Concilio interfuit; ac tandem ſapientia, & pietate clarus obiit Avenione die 22. Decembris 1316. atque inde ejus corpus Lutetiam Pariſiorum delatum, in Eccleſia Ordinis ſui ſepultum eſt: in cujus tumulo hæc Epigraphe legitur: *Hic jacet aula morum, vitæ munditia, Archiphiloſophiæ Ariſtotelis perſpicaciſſimus Commentator, Clavis, & Doctor Theologiæ, lux in lucem reducens dubia, Frater Ægidius de Roma Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, Archiepiſcopus Bituricenſis, qui obiit A.D. 1316. die 22. menſis Decem.* Ejus elogia vide apud Sabellicum Tom. 2. Ennead. 7. lib. 9. Cornelium Curtium in Elog. Vir. illuſtr. Ord. S. Aug. Joſeph. Pamphil. in Chron. Auguſt. Trithemium, Bellarminum, &c.

A L F R E D

COgnomento *Philoſophus*, natione Anglus, ab omnibus ſui ævi ſcriptoribus valde commendatus, nedum in Anglia, ſed etiam in Gallia, & Italia, quas peragravit, virtute cunctis celebratus, ſecta Peripateticus, ſeculo 13. floruit. Romæ diu vixit apud Cardinalem Ottobonum, cui familiaris fuit: quem etiam in Angliam Legatum à Clem. IV. miſſum ſecutus eſt an. 1268. ubi paulo poſt obiit. Scripſit *lib. 5. in Boëthium de Conſol. Philoſ. lib. 4. in Ariſtot. Meteora: lib. 1. de Vegetabilibus*. Scripſit quoque *De Naturis Rerum. De Educatione Accipitrum. De Motu, ſeu Vita Cordis, &c.* Vide Balæum, & Pitſeum de Script. Angl. &c.

STEPHANUS LANGTONUS

ANglus, Gymnaſii Pariſienſis Magiſter, & Cancellarius, atque ſecularis Canonicus ad ædem S. Mariæ primum fuit. Deinde ab Innocentio III. Presbyter Cardinalis Tit. S. Chryſogoni an. 1206. ac tandem in Patria Archiepiſcopus Cantuarienſis factus eſt an. 1207. in qua dignitate admodum ſenex obiit an. 1228. Scripſit *Commentarios in ſingulos Vet. Teſt. libros, & in Epiſtolas Divi Pauli*, atque alia plura, quæ in Bibliothecis Anglicis, alibique MSS. ſervantur. De eo ita Joh. Balæus: *Stephanus Langton Anglus ad literas natus, Gymnaſii Pariſienſis Magiſter in Theologia, & ad fanum D. Mariæ Canonicus ſecularis, ac tandem ſupremus ejus ſtudii Cancellarius, in Philoſophia Ariſtotelica nulli ſuo tempore habebatur ſecundus. Utramque Theologiam, & Scholaſticam, & Interpretativam ingenio callidus, novo prælegendi genere per ſubtilitates docuit, &c.* Et Joh. Pitſeus: *Nemo Scholaſticus ſubtilitates ſive in Theologia, ſive in Philoſophia clarius illo explicavit, &c.* Sixtus Senenſis in Biblioth. Sanct. l. 4. *Stephanus Anglicus, Gymnaſii Pariſienſis quondam decus, & rector, in divinis Scripturis ſtudioſus, & eruditus, atque in Philoſophia Ariſtotelica nulli ſuo tempore ſecundus, Theologiam multis annis glorioſe docuit, &c.* Vide etiam Polyd. Virg. lib 15. Hiſt. Angl. Voſſ. Trith. Spond. &c.

ROBERTUS GROSTEST.

EX capitis craſſitudine dictus à Gallis *Groſteſt*, ideoque a Latinis *Teſta Groſſa*, & *Capito* nuncupatus, *Infimis in Anglia parentibus natus in Comitatu Suffolcenſi Diœceſis Norwicenſis. Vir craſſi quidem capitis, ſed ſubtilis inge-*

ingenii, magni cerebri, majoris judicii. Poſtquam humaniores literas, & omnes ingenuas artes cum principiis Philoſophiæ percepiſſet in Patria ſecundum morem, qui tum apud Anglos inoleverat, ad perdiſcendas linguas, & altiora ſtudia capeſſenda, regiones exteras petiit. Et cum jam in Galliis diù ſtuduiſſet, & in literis uberes progreſſus feciſſet, reverſus in Angliam, ſupremam Oxoniæ in Sacra Theologia lauream accepit. Nec immerito. Erat enim Latine, Græce, & Hebraice inſigniter eruditus; Philoſophorum etiam, & Theologorum ſui temporis facile princeps - - - - Ad quam eminentem doctrinam acceſſit pietas, modeſtia, prudentia, ſobrietas, temperantia, omneſque virtutes, quæ viros magnos & decent, & faciunt. Quorum omnium intuitu, accedente Sacerdotali Ordine, primùm ad Archidiaconatum Leiceſtenſem, deinde ad Epiſcopatum Lincolnienſem aſſumtus eſt. Ita Joh. Pitſeus. Obiit doctiſſimus hic Præſul an. 1253.

Scripſit Tractatus, ex Pitſei numeratione, pluſquam ducentos; ex Thom. Fuller. lib. de reb. præclaris Angliæ, non pauciores quam trecentos. Ex iis præcipui ſunt *Commentarius in Libros Poſteriorum Ariſtotelis. Compendium Sphæræ Mundi. Commentarii in Sacra Biblia. Tractatus Theologici. Epiſtolæ. Opuſcula plura*; atque alia multa, quæ MSS. exſtant in Biblioth. Anglicis. Matth. Paris in Vita Henr. III. refert, Robertum Teſtamenta 12. Patriarcharum de Græco in Latinum fideli interpretatione tranſtuliſſe: cujus operis notitia ad Divum Hieronymum, ac reliquos Sacros Interpretes, Hebræis malitioſe ipſum occultantibus, non pervenerat. Ex Anglicis etiam Scriptoribus habemus, Robertum in *Logica*, & *Aſtrologia* plurima commentatum eſſe. Et Franc. Goduvinus addit: - - - - *In Aſtronomia, & univerſa Philoſophia adeo ſupra communem Doctorum ſortem eruditus, ut artis Magicæ, & execrandi cum cacodæmone conſortii apud ſciolorum vulgus reus perageretur. Quod in tam rudi, barbaroque ſeculo minime mirandum eſt.* Tandem Sixtus Senenſis Biblioth. Sanct. lib. 4. ſic bene de ipſo ſentit: *Rupertus Lincolnienſis, cognomento Groſſa Teſta, inter Philoſophos, & Theologos ſui ſeculi primum locum adeptus eſt. Ingenii acumine ſubtiliſſimus, eloquio breviſſimus, & ſententiarum pondere copioſiſſimus.* Vide Pitſeum, & Balæum de illuſtr. Script. Angl. Poſſevinum, &c.

BONIFACIUS DE MARINIS

GEnuenſis in fine ſec. 13. circa annum ſcil. 1295. vixit, ac magnam in Philoſophia famam adeptus, celebris ſui ævi Philoſophus habebatur. Quod vel ejus Opera oſtenderunt, præcipue *Liber de confuſione Linguarum*; & *Liber de Secretis Naturæ*. Vide Soranum de Script. Ligur. p. 65.

HENRICUS GANDAVENSIS

A Gandavo, quæ vulgò Gallis Gand, Italis Gante, Caroli V. Cæſaris patria, magna totius Flandriæ Metropolis eſt, ubi natales habuit, cognomen obtinuit. Ejus familiæ proprium, & gentilitium nomen fuit Goëthals, hoc eſt, Bonicolli, ſive, ut Marcantio placet, Mudan. Doctor fuit Pariſienſis, & ob raram tum ingenii præſtantiam, tum virtutum eminentiam, *Doctor Solemnis* dicebatur. Clariſſimorum virorum de eo teſtimonia congeſſit Hieronymus Scarparius Ferrarienſis. Unum proferam, quod habet Trithemius de Script. Eccleſ. ad an. 1293. *Henricus de Gandavo Archidiaconus Tornacenſis, natione Teutonicus, vir in divinis ſcripturis inter omnes doctores*

ſui

ſui temporis eruditiſſimus , & in Philoſophia Ariſtotelica valde ſubtilis , tantæ opinionis , & autoritatis in Gymnaſio Pariſiorum extitit , ut Doctor ſolemnis per totum Chriſtianum orbem vocatus ſit . Erat ingenio ſubtilis , & in diſputationibus Scholaſticis acutiſsimus ; quod præclara ejus teſtantur opera . Vide etiam Ger. Joh. Voſſium de Hiſt. Lat. lib. 2. cap. 60. & Henrici Vitam , ejus Operibus appoſitam ab Archangelo Piccionio Veneto, qui ea Venetiis recuſa publici juris fecit 1613. in quibus etiam , ſed nullo autorum teſtimonio , aſſerit, Henricum Alberti M. diſcipulum fuiſſe . Creditur tamen à Cozzando, & aliis , Scoti præceptor extitiſſe : ſed de hoc mox ſermo redibit . Obiit 8. Septembris 1293. ætatis verò 76.

Scripſit Henricus *Tractatum de Viris illuſtribus* , qui nihil eſt aliud , quam continuatio Catalogi , quem S. Hieronymus , & Sigebertus dederant : quem Tractatum Le Mire Bibliothecæ Eccleſiaſticæ inſeruit . Inter ejus Opera recenſentur quoque *Theologica Quodlibeta , & Summa Quæſtionum Theologicarum ordinaria : Summa de Pœnitentia : Quodlibetum de Mercimoniis , & Negociationibus , &c.* P. Archangelus Gianini in Annal. Servitarum , ipſum Monachum ex horum Ordine facit : quod doctis , & criticis non arridet . Vide etiam Poſſevinum , Geſnerum , Sixtum Senenſem , &c.

SCHOLASTICI REALES SCOTISTÆ , QUORUM PRINCEPS

JOHANNES DUNS SCOTUS .

INter Scholaſticos Reales ſecundum ſibi locum vendicant Scotiſtæ, tale ab hujus Sectæ Autore nomen ſortiti . De Scoti tamen patria ingens inter autores quæſtio eſt , non ſecus , ac de Homeri patria ; de qua in Anthologia ſcriptum legimus :

Ἑπτὰ πόλεις μάρναντο σοφὴν διὰ ῥίζαν Ὁμήρου .

Hinc non immerito Thomas Lanſius in Orat. pro Britan. pag. 471. ait : *Homero major , utpote cùm de eo non Civitates , ſed Regna contendant . Anglis vere ſuum , Hibernis ſuum , Scotis ſuum , ſuum quoque Civem Gallis , & Italis adſeverantibus , &c.* Phil. Labb. de Script. Eccleſ. eum Scotum facit , illoſque reprehendit , qui ipſum alibi natum aſſerunt ; ait enim : *Johannes Duns , natione Scotus , natus in Vico Duns , octo mille paſſibus ab Anglia diſtante (neque enim audiendi , qui cum Cavello , Thadæo , Wadingo , Arturo , &c. Hibernum aſſerunt , Duni in Ultonia natum , aut qui cum Camdeno , Balæo , & aliis , Anglum fuiſſe contendunt , ortum Dunſtonæ in Parochia Emildonenſi in Northumbria) Ordinis Minorum , Doctor Subtilis nuncupatus .* Idem ſentit Hornius, eumque Mertonenſem Alumnum fuiſse ait . Contra vero cit. Cavellus in Vita cap. 1. & Wadingus in Annal. Min. ad an. 1260. acriter contendunt , Johannem Scoti cognomen non à Scotia ſortitum eſſe , ſed ab Hibernia (ſic Cæſar eam inſulam vocat , Britanniæ vicinam , quam Mela Iverniam , alii Iberniam , Strabo Iernem , vulgus Irlandiam) quæ tunc Scotia dicebatur , cùm pars illa Britanniæ , quæ nunc Scotia dicitur , Albania vocabatur : Duns verò dictum non à Scotiæ Vico Duns, ſed à Duno , inclyta Hiberniæ civitate .

Scotum Henrici Gandavenſis diſcipulum aſſerit Marſilius Ficinus Comment. in cap. 8. lib. 3. de ſubſtantiis cognoſcentibus, Plotini Ennead. 5. his verbis: *Jam vero & Avicenna , & Henricus , magnus Scoti Præceptor , natura Platonicus , intellectuales formas in intellectu , vel anima , ſive ingenitas illi , ſive huic acquiſitas non tam modo characterum , quàm habitus cujuſdam natu-*

ralis ineſſe putant. Quo quidem habitu animus ad hoc, vel illud facile ſeſe vertat. Verùm Morery in Lex. Magn. Hiſt. verbo *Duns*, Scotum Guilhelmi Varron Angli, in ſuo Minorum Ordine Doctoris inclyti, diſcipulum fatetur; eoſque refellit, qui eum Alexandri de Ales auditorem affirmant. Scotus in Pariſienſi Academia celebris fuit. Multi eum Doctoris Subtilis cognomen ex eo adeptum aſſerunt, quòd portentoſa ſuæ mentis ſubtilitate vel maximas etiam in Philoſophia, & Theologia difficultates reſolvebat: unde de ipſo Thom. Lanſius loc. cit. ait: *Johannes Scotus in Dialectica, & ſpinoſa Theologia ad miraculum doctiſſimus, Doctoris Subtilis titulum promeruit, & novam Scotiſtarum Sectam condidit*: alii vero ſic dictum putant, quod B. Virginis Conceptionem omnium maxime & ſolidiſſimis rationibus defenderit.

Scotus D. Thomæ in pleriſque Antagoniſta, ex omnium fere ſententia, fuiſſe traditur. Quam opinionem refellere videtur Matthæus Ferchius Veglenſis in Patavina Univerſitate Profeſſor in Apologia pro Scoto lib. 3. n. 12. ajens: *Præterea Scoti Antagoniſtæ ſpeciales fuere duo: Scotus enim ſe Henrici Gandavenſis, & Gulielmus Ocham ſe Scoti conſtituit Antagoniſtam*. Pro primis eſt Hornius Hiſt. Philoſ. lib. 6. c. 4. ubi ait: *Præcipue Thomam ſibi impugnandum ſumſit tanta ſubtilitate, ut in illo Scholaſtico dicendi genere nihil acutius, nihil accuratius, nihil abſolutius ſit. Cui ſi tempora elegantiorem cultum non invidiſſent, ſummis proculdubio in Philoſophia viris accenſeri potuiſſet*. Et quidem nulli dubium eſt, nedum Scotum Divo Thomæ in plurimis contradixiſſe, ſed etiamnum Scotiſtas, & Thomiſtas in mutuo verborum, ac opinionum conflictu perdurare.

Vulgaris fabella eſt, Scotum in Ecſtaſim, familiarem morbum, lapſum cùm à diſcipulis pro mortuo haberetur, elatum, ſepultumque adhuc vivum fuiſſe. Quæ Pauli Jovii, Latomi, & Bzovii ſententia eſt: quam ſecutus videtur Thom. Lanſius loc. cit. ubi ait: *Sed vitæ exitu infelix, quippe Apoplexia correptus, & nimis feſtinato funere elatus, cùm redeunte vita ſerò morbi impetum natura diſcuteret, fruſtra miſerabili mugitu opem petens, & diu ſepulcri lapidem pulſans, tandem in ipſo ſepulcro feſſam animam eliſit*: Sed anilem hanc fabulam ab ejus inimicis inventam jam omnes docti, ac exacti critici damnarunt. Unde Hornius ipſe l. c. ait: *Quod fabuloſum eſſe contendunt illi, qui nuper opera ejus omnia publicarunt*. Obiit autem Coloniæ 8. Novembris 1308. ætatis ſuæ 33. vel 35. ut alii tradunt. Hoc autem ejus tumulo Epitaphium, vulgari opinioni alludens, poſitum eſt, autore Jano Vitale Panormitano:

Quod nulli ante hominum accidit, Viator,
Hic Scotus jaceo ſemel ſepultus,
Et bis mortuus; omnibus Sophiſtis
Argutus magis, atque captioſus.

Ejus Opera Tom 12. in fol. edita Lugduni 1639. cum ejuſdem Vita à Wadingo ſcripta, & illuſtrium autorum de eo teſtimoniis; optima cenſentur. Vide etiam præter cit. autores, Pope Blount in Cenſ. Cel Aut. ubi Bellarminum, Sixtum Senenſem, Pitſæum, Cardanum, Jul. Cæſ. Scaligerum, & Eraſmum laudantes invenies: objurgantes verò Balæum, & Verderum.

ANTONIUS ANDREAS

Scoti diſcipulus, natione Hiſpanus ex Aragonenſi provincia, Ordinis Minorum Monachus, ſec. 13. floruit, ac magnam ſub tanto Magiſtro in Philoſophia, ac Theologia gloriam adeptus eſt. Hoc autem potiſſimum teſtantur ejus

Digitized by Google

ejus præclara *Philoſophica, & Theologica Opera*, inter quæ præcipua ſunt *Commentarii in 4. libros Magiſtri Sententiarum*, quos Cardinalis Sarnanus Venetiis edi curavit 1578. Obiit circa ann. 1320. Vide Wadingum in Annal. & Biblioth. Min. &c.

FRANCISCUS DE MAIRONIS

SCoti & ipſe diſcipulus, natus in pago quodam Provinciæ (quæ Italis Provenza dicitur) quem Mairone incolæ vocant; unde de Maironis appellatus eſt. Nec audiendus Bellarminus, cum aliis, qui ipſum in Scotia ortum aſſerunt. Sunt qui eum Diniæ, quæ Galliæ Narbonenſis in Provincia civitas eſt, natum volunt, ex eo ducti, quod Joh. XXII. in ſui gratiam ad Univerſitatis Pariſienſis Cancellarium ſcribens, ipſum Franciſcum de Maironis ex Dinia vocat: unde & alii Maironis nomen fuiſſe dicunt, Diniam vero patriam: alii denique aliter de patria ſentiunt. Sed ſive Dinia ejus patria fuerit, ſive Mairone, & in Diniæ Monaſterio S. Franciſci habitum ſumſerit; in Provincia, non in Scotia natum pro certo habetur, & inconcuſso. Carus autem ob ſuam pietatem, & doctrinam cit. Pontifici fuit, & S. Eleazaro, Comiti Ariani, cui de peccatis confitenti ſemper adſtitit. Circa initium 14. ſec. floruit, & in celeberrima Sorbonenſi Univerſitate docuit: in qua Magnæ Sorbonicæ (ſic difficilem illum Actum, ſive in diſputando periculum ibi vocant) autor fuit. Plures Philoſophicos, ac Theologicos Tractatus ſcripſit, qui ad ſuæ doctrinæ conteſtationem adhuc exſtant. Vide Wadingum, Spondum ad ann. Chr. 1315. n. 7. Genebrardum in Chronol. Poſſevinum; &c.

THOMAS BRADWARDINUS

NAtus fertur Hatfeldiæ in Comitatu Suffolcienſi, Oxoniæ verò educatur, ubi cum bonarum literarum ſtudiis aliquot annos incubuiſſet, Academicorum ſuffragiis Procuratorum unus creatur ann. 1325.: poſteaque Doctoris in Theologia gradu honeſtatur. Mathematicus fuit inſignis, Philoſophus egregius, in Theologia vero ſtudiis eouſque verſatus, ut apud doctos illorum temporum Doctoris Profundi appellatione innotuerit; eamque non immerito delatam illi fatebuntur, credo, qui libros ab illo conſcriptos perlegerint. Verùm, &c.* Godwin. de Præſul. Angl. Comment. Sed Henr. Savil. in Præfat. Bradwardin. libro de Cauſſa Dei contra Pelag. præfix. ejus doctrinam, doctrinæque methodum memorat, ubi ait: *Solidam ex Ariſtotelis, & Platonis fontibus hauſit Philoſophiam, ſed in artibus Mathematicis, ac Theologia, ejus potiſſimum eluxit induſtria; ac in Mathematicis quidem ita excelluit, ut parem illo ætas tulerit fortaſſe neminem .... Thomas noſter cùm ſummus eſſet Mathematicus, etiam in Theologicis tractandis non receſſit ab arte. Itaque primus, quod ſciam, ac ſolus hanc viam tentavit in Theologicis, ut filo Mathematico Theologica contexeret; ponendo ſcilicet primo loco duas Hypotheſes, quaſi principia, & ex iis proxima quæque demonſtrando, & corollaria deducendo, petitis etiam ex Euclide probationibus; deinde ex Hypotheſibus, & prædemonſtratis reliqua omnia perpetua ſerie ad finem uſque operis attexendo: quo fit, ut concluſiones ejus cuipiam fortaſſe nimis alte petitæ videantur*. Balæus etiam de Script. Eccleſ. ipſum nimis commendans ait, ex Ariſtotele, & Abenroë in Philoſophia plura hauſiſſe, ac pro Scripturæ Sacræ intellectione cum Judæis, eo tempore in lege peritioribus, familiariter egiſse; in Oxonienſi Univerſitate ſupremæ facultatis Magiſtrum fuiſse: & ex Cancellario Londinenſi

ab

ab Edwardo III. Aulicum primo, ac ſuum à confeſſionibus Miniſtrum; deinde Cantuariorum Archiepiſcopum factum, exacto tantum uno in Pontificatu anno, mortem obiiſse an. 1350. Laudatur etiam ab illuſtribus viris Raphaële Volaterrano, & Joh. Pico, atque egregius Theologus appellatur: atque etiam à Gabr. Naud. Bibl. Politic. & ab Oudin in Supplem. de Eccleſ. à Bellarmino omiſſis; quos vide.

Scripſit nobile *Opus de Cauſſa Dei contra Palagium, & de Veritate Cauſſarum*, ſacræ, & profanæ, antiquæ, & novæ Philoſophiæ, & Theologiæ doctrina refertum: quod manuſcriptum in Vaticana, aliiſque Bibliothecis ſervatur, & in fol. editum eſt Londini. Scripſit etiam *Opus de Geometria Speculativa, & Arithmetica*, quod impreſſum eſt Pariſiis. Ejus etiam eſt *Tractatus Proportionum*, editus Venetiis: cujus meminit Poſſevinus in Apparatu Sacro; ſed nihil de eo habet Wadingus in Bibl. Script. Ord. Fr. Min.

Cur autem ipſum inter Scotiſtas numeremus, id tantùm fecit, quod cum ex Ordine Minorum Frater Thomas hic fuerit, & poſt Scotum vixerit annos 42. nonniſi Scotiſtis cum reliquis ejuſdem Ordinis Monachis jungendum duximus. Tandem brevitati conſulens (aliàs Hiſtoricæ hujus Synopſi finis unquam non erit) prætereo reliquos ex Fratribus Minoribus celebres Philoſophos Bartholomæum Mastrio de Meldula, Bonaventuram Belluto de Catana, Sebastianum du Pasquier, aliosque plurimos, qui Scoti Peripateticam Philoſophiam in tam præclaro Ordine illuſtrarunt.

TERTIA, SEU NOVA SCHOLASTICORUM ÆTAS.

DURANDUS A S. PORCIANO.

TErtiam, ſive Novam Scholaſticorum Ætatem à Durando ad Gabrielem Biel Hornius deducit in ſua Hiſt. Philoſ. cujus ſententiam ſupra adduximus. Durandus à loco ubi natus, à S. Porciano dictus eſt. Ordinis Prædicatorum Monachus, Sacri Palatii Magiſter primo fuit, deinde Epiſcopus in diverſis locis. Scripſit *Commentarios in ſex libros Sententiarum, & Librum de Origine Juriſdictionum.* Mortuus dicitur 13. Septembris an. 1333. Vide Trithemium, Bellarminum, Poſſevinum, Sixtum Senenſem &c. Eodem tempore orti ſunt

SCHOLASTICI NOMINALES, QUORUM AUCTOR

GUILHELMUS OCCAM

SIve Occham, & Ochan, natione Anglus, Scoti diſcipulus (deinde verò in dogmatis impugnator acerrimus) ejuſdemque Minorum S. Franciſci Ordinis Monachus, dictus primo *Venerabilis Inceptor*, deinde *Doctor Singularis*, tandem *Doctor Invincibilis*, & à Scaligero *Lima veritatis*, quartam Scholaſticorum ſectam condidit, quæ ab Autore Occamistarum, à doctrina vero Nominalium Secta dicitur: hæc quum ab Autore nomen habet, quartam conſtituit; quum vero dogmata reſpicit, ſecunda eſt. Nominales autem propterea dicti ſunt, quod Occam, & Rucelinus quidam Univerſalia mera eſſe nomina, non res, contra Scotiſtas defenderent; ut ſupra in S. Thoma ſuſius dictum eſt. Aventinus lib. 6. Annal. teſtatur, tantas contentiones, & odia inter Reales, & Nominales Heidelbergæ fuiſſe, ubi contigua habebant Collegia,

gia, ſive, ut tum loquebantur, *Burſas*; ut crebro à verbis ad verbera, & à ſyllogiſmis ad ſaxa deveniretur.

Sed ut ad Occam revertar, quum hic Michaëli, Ceſenati viro, Generali Ord. Min. Miniſtro, cui litabat, gratum facere vellet; Imperatori Ludovico Bavaro, Eccleſiæ hoſti, favere ſemper ſtuduit: quare contra Johannem XXII. Pont. Max. ſcripſit. Imo & Imperatori, referente Trithemio, ſæpe dicere ſolebat: Quandiu tuus iſte enſis me defendet, mea tibi hæc penna non deerit. Delatus una cum Micahële Ceſenate fuit, quod docuiſſent, Chriſtum Dominum, ejuſque Apoſtolos neque ad communem, neque ad particularem uſum aliquid poſſediſſe. Ex qua propoſitione originem habuit magna illa quæſtio, quæ *Panis Franciſcanorum* appellabatur: in qua illud in ſumma quærebatur, an panis, vini, eorumque omnium, quæ uſu conſumuntur, uſus, an proprietas, ſive dominium ad ipſos pertineret Franciſcanos. Primam Occam propoſitionem ut hæreticam Joh. XXII. per Extravag. *Cum inter*; ſecundam vero de uſu ſine dominio per Extravag. *Ad Conditorem*, damnavit; atque Occam, & Michaëlem anathemate punivit, tum quia Avenione (quæ urbs Archiep. eſt Galliæ Narbon. in Provincia ſub ditione Pontif.) contra ſuum ipſius præceptum egreſſi fuerint; tum quia contra ipſum ſcripſerint. Quæ Opera contra Pontificem ſcripta inter prohibitos 2. claſſ. libros numerantur. Sed cùm deinde hæc ſcripſiſſe, publica, & manifeſta doloris, & pœnitentiæ ſigna dederit, atque opus retractaverit, à Clemente VI. anathematis abſolutus eſt: cujus abſolutionis Pontificium Chirographum in Bibl. Vatic. adhuc aſſervatur, & à Wadingo adducitur. Diem obiiſſe dicitur an. 1347.

Scripſit plura tum Philoſophica ſubtilitatum nugis refertiſſima, tum Theologica; ex quibus hæretici quædam contra Eccleſiam ſæpe uſurpant: potiſſimum vero Melchior Goldaſt, qui Occam quædam in ſuo de Monarchia Opere inſeruit. Vide Luc. Wadingum in Biblioth. & Annal. Minorum; Pitſeum, Spondum, Bzovium, Trithemium, Raynaldum, Bellarminum &c.

De Nominalibus ita ſentit magnus ille Criticus Lud. Viv. de cauſſ. corrupt. Art. lib. 3. *Quæro cur homines Nominales, qui negant eſſe in rerum natura inſtantia, Scotum, & Reales ſint in hoc ſecuti, de inſtantibus exponentes. immediate, incipit, & deſinit? An non videtis quæri materiam luſui aptiorem?* Et lib. Operis ejuſdem 5. poſtquam Scholaſticorum nugas, & ſubtilitates quaſdam deriſit, quæ nec illi quidem capiant ipſi, qui pepererunt, quæ, quando aliud non poſſunt, certe dignitate cohoneſtant nominis, Metaphyſicam appellantes, atque ingenium ad commenta, & ſaniſſima eorum ſomnia propenſum, ingenium Metaphyſicum: de Nominalibus hæc addit: *Rident Nominales Metaphyſica illa Realium tanquam figmenta, & aniles fabulas: & tamen quia convellere non poſſunt, nec intercedunt, quominus Metaphyſica dicantur ingenia præpoſtera, & deridicula. Sed enim vero neque hæc ipſa Ariſtotelis volumina potuerunt intelligere, primum propter locutionem adſtrictam, & ex brevitate obſcuram, hinc propter intricatas, & obliquas ſententias, tum etiam ob immodicas ſubtilitates, quibus Ariſtoteles non exacuit ingenia, ſed perturbat, & frangit, tenebraſque, & hallucinationem inducit aciei mentis* &c.

*GUALTHERUS BURLÆUS

SIve *Burley*, Anglus, ſub Eduardo III. cognomento Fortunato floruit, & Joh. Duns Scoti cum Guilhelmo Occamo diſcipulus fuit, ſed ejus deinde impugnator acerrimus, ac, Pitſæo teſte, Nominalis Philoſophiæ ſectator, Doctor primo Theologus Oxonienſis è Societate Collegii Mertonenſis, teſte Voſſio

Digitized by Google

Voſſio de Hiſt. Lat. lib. 2. 65. & poſt Pariſienſis ad annum 1337. qui præter alia philoſophici argumenti monumenta, quæ manuſcripta in Bibliothecis Oxonienſibus, & Cantabrigienſibus latent, Lelando, Balæo, Pitſæo, Voſſioque teſtibus, Hiſtoricum *de Vitis*, *& Moribus Philoſophorum* reliquit opus, quod Simlero in Appendice Geſneri monente, manuſcriptum in Bibliotheca Dominicanorum Ratisbonæ conſervatur. Idem *de Modernorum Philoſophorum Vitis* opuſculum concinnaſſe celeberrimo Struvio memoratur in Bibliotheca Philoſophica. Sed diligentiam ſuam non probavit in iſto opere noſter Philoſophus, nam craſſos in eo errores laudatus Voſſius detexit, præſertim circa homonymiam autorum commiſſos. Quippe Horatium Poëtam eundem putat atque Horatium Putuillum; Plinium Veronenſem, ac Plinium Novocomenſem; Livium Andronicum, atque Livium Hiſtoricum; & ſimiles, quos videre eſt apud cit. Voſſium: ex quibus Gualtherum bonarum literarum ignarum nemo eſt, qui non arguat. Plurimos etiam Tractatus ad Scholaſticam Philoſophiam ſpectantes reliquit, quæ ejus ævi ſcientia erat, & in qua ipſe nimium pollebat. Vide cit. autores.

Hic loci recenſendi etiam ſe offerunt JOHANNES BACONTHORPIUS (quem Trithemius *de Bachone* appellat, ſed Baconthorpe ei nomen erat à cognomine villæ in agro Norfolcienſi, unde oriundus erat, ut Balæus monuit) celebris Anglus, Ordinis Carmelitarum, Profeſſor Oxonienſis, *Doctor Reſolutus* vulgo dictus, qui ſec. 14. floruit, & magnam ex pietate, & editis operibus famam adeptus eſt. De quo ita præclare Baptiſta Mantuanus:

Iſte tenebroſi damnat veſtigia Scoti,
Et per ſacra novis it documenta viis.
Hunc habeant quibus eſt Sapientia grata; redundat
Iſtius in ſacris fontibus omne ſophon.

Inter ejus Opera ſunt *Commentarii in quatuor libros Magiſtri Sententiarum. Compendium Legis Chriſti. Quodlibeta. Tractatus de Regula Ordinis Carmelitici. Compendium Hiſtoriarum, & Jurium pro defenſione ejuſdem Ordinis* &c. Mortuus eſt Provincialis ſui Ordinis an. 1346. ſive 1350. ac Londini ſepultus eſt. Vide Trith. Bellarm. Pitſ. Balæum &c.

ROGERUS BACON Anglus, qui floruit an. 1270. in Matheſi peritiam incredibilem habuit. Multi eum Magiæ inſimulant, & Negromantiæ, ut Balæus editione Centuriarum prima; quam tamen cenſuram monitus retractavit in poſtrema. Vir erat, ultra quam ſeculum ſuum tulit, doctus. Ita ex Horn. Hiſt. Phil. Monachus fuit ex Ordine S. Franciſci, & ob eximiam ſuam doctrinam, quapropter *Doctor Mirabilis* dictus eſt, Clementi IV. gratiſſimus fuit. Scripſit plura, quorum pauca edita exſtant, reliqua manuſcripta in Bibliothecis aſſervantur. Vide Pitſ. Bal. Leland. Willot in Athen. Franciſc. Naud. &c.

G A B R I E L B I E L

ULtimus hujus ætatis Philoſophus, patria Spirenſis, quem Hornius cæterorum omnium fucum appellat. Doctor fuit Wittembergenſis, in cujus Univerſitate, quam Dux Eberardus conſtituerat, an. 1477. Theologiam docuit. Scripſit *Libros 4. in Magiſtrum Sententiarum: Expoſitionem Canonis Miſſæ: Sermones plures: & Tractatum de Monetarum poteſtate ſimul, & utilitate*. Mortuus dicitur an. 1495. Vide Trith. Labb. &c.

Hujus autem ævi Philoſophiæ barbariem ita deſcripſit Hornius Hiſt. Phil. lib. 6. c. 5. *Tam erat barbara, obſcura, confuſa, & ſpinoſa, ut vix titulum*

Philoſophiæ tueri ullo modo poſſit. Ariſtoteles nonniſi ingenti chartarum mole obrutus proponebatur: edebant tricubitalia adnotata, quodlibetarias quæſtiones, ſummas, & quæ ſunt alia nugarum genera. Obtinebat litigioſa ſubtilitas: formabant ſuper unaquaque re objectiones, & earum ſolutiones, quæ utplurimum diſtinctiones tantum erant. Adeout Scyllæ genus ad vivum expreſſerit hoc Philoſophorum genus &c. Mitius de Scholaſticis ſentire videtur H. Grotius in Proleg. de Jure Belli, & Pacis, ubi: *Scholaſtici, quantum ingenio valeant, ſæpe oſtendunt; ſed in infelicia, & artium ignara ſecula inciderunt, quo minus mirum, ſi, inter multa laudanda, aliqua & condonanda ſunt.* Verulamius lib. 1. de augm. Scient. ait, quòd artes, & ſcientias omnes mirificè provexiſſent (tanta eſt Scholaſticis ingenii ſubtilitas, & acumen) ſi in meliora tempora incidiſſent. Laudat Joh. Picus in Apologia 90. Theſium, ubi: *Eſt enim in Joh. Scoto vegetum quiddam, & diſcuſſum; in Thoma ſolidum, & æquabile; in Ægidio terſum, & exactum; in Franciſco acre, & acutum; in Alberto priſcum, amplum, & grande; in Henrico ſublime, & venerandum.* Hoc denique Eraſmi in Moria judicium eſt de Scholaſticorum ſubtiliſſimis ſubtilitatibus: *Quas ſubtiliores reddebant tot Scholaſticorum viæ, ut citius à labyrinthis temet explices, quam ex involucris Nominalium, Realium, Thomiſtarum, Albertiſtarum, Occamiſtarum, Scotiſtarum. Quis hæc intelligat, niſi triginta ſex annos totos in Phyſicis, & ultramundatis Ariſtotelis, & Scoticis contriverit?* Boëthius etiam 3. de Conſol. Philoſ. eodem Eraſmi ſenſu locutus eſt, his verbis affirmans, *Eos inextricabilem labyrinthum rationibus texere.* Cæteras prætereo hæreticorum cenſuras, qui ex odio magis, quam ex veritate in ipſos loqui conſueverunt. Lud. Viv. (cujus quædam ſupra adduximus) eos acrius inſectantem, vide locis citatis.

RELIQUI PERIPATETICI RECENTIORES.

QUum plurimi ex Peripateticis ſint, quos multas ob cauſſas ad certas Claſſes, ſive Sectas reducere nequiverim; operæ precium id mihi fuit, ut de iis confuſe, ætatis tamen ſeriem ſervando, ſub uno titulo hic agerem. Et quidem, ut mihi ſumma fuiſſent omnia, temporis tamen, & librorum vix ſatis habui; quò eorum opera evolvere, aut de ipſis apud autores cenſuras invenire potuiſſem. Fateor quidem, multos eorum, qui hic memorantur, Realibus, vel Nominalibus, Scotiſtis, Thomiſtis, vel Occamiſtis, accenſeri potuiſſe; ſed tum ex adductis, tum ex aliis cauſſis id rigoroſe perficere non curavi. Omnes igitur ex Peripato cum ſint, eos junctim pertractare fas mihi eſto.

JOHANNES BOCHARDUS

ABrincæ, Normaniæ urbis Epiſcopus, Regis Ludovici XI. à confeſſionibus miniſter, accepta ab eodem Rege poteſtate regendi Univerſitatem Pariſienſem, Nominalium ſectam, & doctrinam ab ea eliminavit. Hæc enim eorum ſententia, qua ſtatuebant, ſcientiam non Rerum eſſe, ſed Nominum, quia Nomina tantum Univerſalia eſſe poſſunt, cùm Res omnes ſint particulares, ei non arridebat. Quod Bochardi in Univerſitate regimen idem Rex confirmavit an. 1473. Poſtquam diu Abrincæ Eccleſiam rexit, ad plures abiit an. 1484. Vide Sainte Marthe in Gall.Chriſt.

Digitized by Google

FRANCISCUS PHILELPHUS

ANcone, ſecundum alios Tolenti, an. 1398. natus, Eques Auratus, Philoſophus, Poëta Laureatus, & Orator fuit. Venetiis diu ſtudiis operam dedit; deinde Græcæ linguæ amore ſuccenſus Conſtantinopolim adiit, ubi Theodoram Chryſoloram, doctiſſimi Emanuelis Chryſoloræ filiam duxit. Ab Imp. Joh. Palæologo ad Eugenium IV. Pont. miſſus eſt ad petendas ab eo ſuppetias contra Turcas. In pluribus, primiſque Italiæ civitatibus publice magna ſui nominis fama docuit. Vitam duxit vere Philoſophicam, hoc eſt, ſemper pauperem, bonorumque omnium indigentem. Sed mirabile nimis illud eſt, quod ejus vitæ ſcriptores referunt. Quum hic cunctis Grammaticæ legibus optime addictus eſſet, quæſtionem cum Græco quodam Timotheo de ſyllaba habuit. Facta ſponſio eſt, ut victi barba victori cederet. Philelphus victor exiſtens victoriæ præmium, abraſam barbam, ſponſionis lege petiit à victo. Hoc autem ſummum Philoſophorum dedecus ut vitaret Timotheus, argenti pecuniam ſatis magnam pro barbæ redemtione obtulit: quam ille, pauperrimus licet, reſpuens, ſponſionis lege omnino ſtandum voluit. De quo Myrtheus ludens ait:

Nunquid ſat tibi non fuit, Philelphe,
Linguæ gloria nobilis Latinæ?
Ni Græcas quoque pervagatus urbes,
Dignus conjuge, nuptiiſque Græcis,
Ferres Timothei novum triumphum?
Cui dum una ſuper illi dictione
Tecum pignore certat, atque barbam
Abradi ſibi ferre pollicetur
Victus: aut poſitam pecuniam abs te
Victor, auferat. Abnegaſti eadem
Barbam poſſe pecunia obtinere
Victor, atque novacula expedita
Barbam illius habere maluiſti.
Jam nunc non Itale, Philelphe, ſed ſis
Græce gloria nobilis paleſtræ.

Obiit ſanctiſſime Bononiæ an. 1471. vel, ſecundum alios, 1481. fere nonagenarius, ſed in tanta egeſtate, ut ad efferendum funus & cubiculi, & coquinæ inſtrumenta venierint, ut notat P. Jovius in Elog. Ejus Opera extantia ſunt: *Euthyphron de Pietate: De Morali diſciplina libri 8. Vita Nicolai Papæ V. De Diverſitate legum libri 2. Sphorciadarum verſu heroico libri 9. Satyrarum libri 10. De Jocis, & ſeriis libri 6. Lyricorum libri 6. Orationes 60. Epiſtolarum Latinarum libri 16. Epiſtolarum Græcarum libri 39. De Exſilio libri 3. Conviviorum libri 2.* & multos præterea Græcos autores Latinos reddidit, ſed non nimis laudabiliter.

De eo varia ſunt autorum judicia. Scaligerana poſterior: *Philelphi Epiſtolæ bonæ.* Lud. Viv. de Trad. Diſcipl. lib. 3. *In Franciſci Philelphi verbis plane nihil deſideres: ejus tamen lectio eſt moleſta, quòd motu omni, & quaſi vita caret: & fortaſſe is eſt genius, quem in quoque libro victuro Martialis requirit.* Sed ejuſdem libros Conviviorum ab Hiſtoriæ, Antiquitatum, atque Philoſophiæ cognitione impenſe laudat. Voſſius de Poët. Lat. p. 81. *Ignoſcendum ſeculo, quo vixit, quod crebro adeo in metrum peccat.* Refert Lilius Gyraldus, ipſum in Academia, & Lyceo verſatum, ſed non altius pedem fixiſſe,

ſe, multa vero laude dignum exiſtimat. Vide Trith. Volaterr. Eraſm. in Ciceroniano; Poſſevinum, Simlerum, Konig. &c.

JOHANNES ARGYROPHILUS

VEl, ſecundum alios, *Argyropylus*, Conſtantinopoli natus, patria à Turcis capta, Italiam venit ſec. 15. atque in Coſmi Medices, Magni Hetruriæ Ducis, Aula humaniſſime receptus, magna autoritate, & gratia apud eum, ejus filium Petrum, ac nepotem Laurentium vixit, quem adhuc puberem in Dialecticis, & Moralibus inſtituit. Literæ igitur omnes, barbaris ingruentibus, è Græciæ antiqua ſede exſulare coactæ, in Italiam, Romam potiſſimum, & Florentiam ſe receperunt. *Ita quicquid ejus eruditionis ſupererat, tanquam ex magno naufragio, ad Italiæ litus primum enatavit; inde toti Occidenti communicatum fuit. Tum temporis enim Theodorus Gaza Theſſalonicenſis, Demetrius Chalcondylas Athenienſis, Marcus Muſurus Cretenſis, Georgius Trapezuntius, Johannes Argyropylus, Marcus Marullus, & plurimi alii, Romam venerunt, & cum Græca eruditione Philoſophiam quoque ibidem ex ipſis fontibus inſtaurarunt; unde paulatim lacunæ, & paludes fœtidæ Scholaſticorum exaruerunt. Primus ex Græcis Philoſophiam Romæ profeſſus fuit Argyropylus, cujus ſectatorem ſe fuiſſe memorat Angelus Politianus Miſcell. cap.1. eumque cum literarum Latinarum minime incurioſum, tum Sapientiæ decretorum, diſciplinarumque adeo eunctarum, quæ Cyclicæ à Martiano dicuntur, eruditiſſimum illis temporibus habitum, atque in diſputando acerrimum.* Horn. Hiſt. Phil. l.6.c.6.

Argyropylus peſtis cauſſa, quæ Florentiæ graſſabatur, Romam migravit, ubi Græcam potiſſimum linguam profeſſus eſt; ex qua quicquid lucri, quod non mediocre, habebat, in epularum lautitiam inſumebat, ex quarum uſu nimis ſaginatus vix incedere potis erat. Hinc moriens in egeſtate, teſtamentum riſu dignum confecit, amicis omnibus alienam pecuniam legando. Et quidem gulæ adeò induiſit, ut ex immodica melonum ingurgitatione in gravem febrim incidens, ex ipſa mortuus ſit in fine ſec. 15. ætatis anno 70. Joh. Laſcaris ejus diſcipulus Græcum Epitaphium compoſuit, quod citat P. Jovius, à Majorano Laſcare in Latinum converſum. Vide etiam Voſſium de Hiſt. Gr. lib.4.c.19.

Ex Ariſtotele convertit Prædicamenta; Poſteriorum Analyticorum lib.2. de naturali auſcultatione lib 8 de Cœlo lib.4. Ethicorum ad Nicomachum lib. 10. de Imp. Joh. Monodia Gr. manuſcripta in Bibliotheca Regis Galliorum. Conſolatio ad Imp. Conſtantinopolitanum. De Regno. Comparatio antiquorum Principum, & novi Imp. Ibidem. Argyropyli, ut ipſe de ſe ſcribit lib.1. Miſcell. c.1. diſcipulus fuit

ANGELUS POLITIANUS

A Monte Politiano, Hetruriæ Oppido, ubi an. 1454. ortum habuit, ſic dictus, alias *Baſſus*, Canonicus Florentinus, Johannis Pici Mirandulæ ſtudiorum comes, à Laurentio Mediceo filiorum inſtitutioni præpoſitus fuit. Græcam, Latinamque linguam Florentiæ annos undecim profeſſus eſt. Præceptorem etiam habuit Andronicum Theſſalonicenſem. *Is ſumtu, & promotione Coſmi Florentinorum Principis, cum Marſilio Ficino bonis literis inſtitutus eſt: in quibus tanta felicitate profecit, ut brevi temporis intervallo ſui temporis homines doctos eruditione aut æquaret, aut ſuperaret, &c.* Ex Boiſſard. in Icon.

 Sed

Sed Ludovicus Vives, Mornæus, & Hornius Politianum Atheiſmi, vel parvæ in Deum pietatis accuſant, quod Sacra Biblia contemtui habuerit. Hornii verba in Hiſt. Phil. l. 6. c. 8. ſunt: *Erant tamen circa hæc tempora plurimi, qui Ethnicorum placitis addicti, Chriſtianam Philoſophiam prorſus ſpernebant. Dux, & caput factionis Angelus Politianus erat, qui interrogatus an Biblia legeret: Semel, inquit, perlegi librum iſtum, & nunquam collocavi pejus ullum tempus. Idem Odas Pindaricas Davidis Pſalterio prætulit.* His autem occurrit Boxhornius in Monument. illuſtr. Viror. ajens, ipſos nullum idoneum teſtem ad id probandum afferre, & facile confutari ex eo, quod ipſemet Politianus de ſe ſcribit, ſeſe Quadrageſimali tempore publicè populo Sacras literas enarraſſe. Politianum cæteroqui laudat idem Hornius ibid. cap. 6. ubi: *Angelus quoque Baſſus, alio nomine Politianus, ad magnam celebritatem nominis venit, explicationes ſuas in Analytica priora Ariſtotelis, de Dialecticæ à Prima Philoſophia diſtinctione; & Dialecticæ Compendio edendo.* Ex quibus modò dictis Operibus liquidò conſtat, eum non ſolum Grammaticum, Oratorem, & Poëtam, ſed etiam Philoſophum fuiſſe inſignem. Ejus Opera Poëtica, vel Erudita omnia enumerat Geſnerus in Bibliotheca. Obiit 1494. æt. 40. non 43. ut vult Jovius, vel 44. ut alii. Politiani laudes paſſim apud Scriptores inveniuntur. Id dixiſſe ſufficiat, ipſum à rigidioribus Criticis etiam laudari. Scioppius eum vocat *Virum omni laude majorem:* Eraſmus, *Angelicæ mentis virum, rarum Naturæ miraculum:* Scaliger *Virum non ſolùm ſe majorem, ſed & nullo noſtræ ætatis inferiorem.* Vide etiam Barth. Brixium; Lil. Gyrald. Wheat. Poſſevin. Lud. Viv. Voſſ. Huet. Thomaſ. &c.

THEODORUM GAZAM, Græcæ, Latinæque linguæ peritiſſimum omnium ſui temporis hominum doctiſſimum, ex multis editis operibus celeberrimum, præcipue ex verſione Latina Ariſtotelis Hiſt. Animal. de partibus Animal. de Generat. Animal. Problem. tum Ariſt. tum Alexandr. Aphrodiſ. & Theophr. de Hiſt. & cauſſ. Plant. inter Philoſophos recenſendum cum Eraſmo duximus, qui in Ciceroniano p. 160. ait: . . . . *Cùm ſua loquitur, duo quædam obſtrepunt delicato Lectori, Philoſophiæ ſtudium, in qua totus erat, & illud γνήσιον Græci ſermonis, quod Latinè loquentes ſequi ſolet, & vix unquam dediſcitur.* In ejus tamen Interpretationibus Græcis hoc Joſephi Scaligeri judicium eſt, referente Huet. de Clar. Interpr. multa ſcil. eſſe, quæ meliora fieri poſſint, quædam etiam, quæ omnino mutari debeant. Ejus elogium vide apud Pope Blount, P. Jovium, atque alios.

Cardinalem Beſſarionem Mecœnatem habuit beneficum: à quo, Sacerdos factus, Eccleſiaſtico beneficio in Calabria donatus eſt, ubi deinde potius, quam Romæ eſſe maluit. Cùm enim Sixto IV. Pont. ſpe alicujus beneficii librum Ariſtotelis de Natura Animalium nuncupaſſet, pulcherrime auro, & holoſerico ornatum; Pontifex rogavit, quanti ornatus conſtaret? cui ille; quadraginta coronatis. Tot ipſi reddi juſſit, ac præterea nihil. Quare Gaza indignatione percitus, pecuniam in Tiberim projecit, ac in ſuam Calabriæ ſolitudinem ſecedere ſtatuit. In tanta enim egeſtate vivebat, ut, niſi eum ad ſe Dux Ferrarienſis vocaſſet, fame ipſi moriendum fuiſſet. Mortuus dicitur an. 1478. Vide etiam Voſſium, Leonem Allatium, Spondum, &c. Diſcipulos, præter alios, habuit Demetrium Chalcondylam Athenienſem, qui magna ſui nominis fama Mediolani docuit, Johannemque Venetum Cardinalem, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum. Gazæ diſcipulos Ferrariæ fuit

RO-

Digitized by Google

RODOLPHUS AGRICOLA

QUi *Jacobo Bergomati in Chronicis vocatur Rodolphus à Chroningen, nempe quia in Baſſon pago, juxta Chroningam, principem Friſiæ urbem, natus fuit: quod contigit circa annum 1442. Puer Lovanii in Gymnaſio Falconenſi Philoſophiæ operam dedit. Et cum Theologiæ rudimenta deguſtarat, in Gallias abiit, indeque in Italiam, ubi Theodorum Gazam audivit. Poſtquam domum rediit, Syndicus factus eſt Reip. Groninganæ, ob cujus negocium miſſus in Aulam Cæſaris Maximiliani, ubi cùm ſemeſtri hæſiſſet, voti compos Groningam reverſus eſt. Exinde à variis, eoſque inter Antuerpienſibus, ad Scholæ præfecturam depoſcebatur. Sed prætulit profeſſionem Heidelbergæ, ubi Philoſophiam triennium docuit, ac Græcas literas tota Germania excitavit. Vir fuit Latine, Græce, & Hebraice doctiſſimus, Philoſophus ſummus, atque idem admodum diſertus; imo & Muſicæ, Picturæ, aliarumque artium ſtudioſiſſimus.* Voſſ. de Hiſt Lat.

Opera ejus omnia, quæ extare dicuntur, ope, & labore Alardi Amſtelredami cum Autoris Vita Tom. 2. edita ſunt Coloniæ; in quorum 1. ex Geſneri recenſione, ſunt *De inventione Dialectica libri omnes, annotationibus illuſtrati. De Univerſalibus quæſtiones aliquot ſingulares. Propædeumatum Dialecticæ Inventionis opuſculum*, circumſtantias, ſive attributa perſonarum, & rerum ad Rodolphi locos redacta ſimul, & exemplis aliquot explicata, compendio pertractans. *Scholia in Orat. pro L. Manilia*, quibus ea potiſſimum, quæ ad Dialecticen pertinent, explicantur. Tom. 2. continentur *Aphthonii Sophiſtæ Progymnaſmata*, atque alia multa, quæ ad Artem Oratoriam, Hiſtoriam, vel Eruditionem ſpectant: nam & Philoſophus, & Poëta, & Orator eximius erat. Extat præterea *Epiſtola de Formando ſtudio*, ſcripta an. 1484. Heidelb. 1621. 8. Hic ſi vel communem ætatem vixiſſet, parem in literis omnibus non habuiſſet; mortuus enim eſt Heidelbergæ an. 1485. annos natus non dum 43. ibique in habitu Franciſcani, ut præceperat, apud Minoritas ſepultus fuit; eique hoc Epitaphium condidit Hermolaus Barbarus:

Invida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam, Friſii ſpemque, decuſque ſoli.
Scilicet hoc vivo meruit Germania laudis
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Rodolphi laudes omnium ore, & calamo, etiam κριτικωτάτων, contextæ ſunt. Eraſmus in Adag. *Quid Cani, & Balneo*, hæc habet: - - - - *Eloquentiæ tam abſolutæ parem adjunxerat eruditionem. Philoſophiæ Myſteria omnia penetraverat. Nulla pars Muſices, quam non exactiſſime calleret, &c.* Lud. Viv. Comment. ad c. 21. l. 2. de Civ. Dei: *Vix & hac noſtra, & patrum memoria fuit unus, atque alter dignior, qui multum legeretur, multumque in manibus haberetur, quam Rodolphus Agricola Friſius, tantum eſt in ejus operibus ingenii, artis, judicii, gravitatis, dulcedinis, eloquentiæ, eruditionis: at is pauciſſimis noſcitur, vir non minus, qui ut ab hominibus cognoſceretur, dignus, quam Politianus, vel Hermolaus Barbarus, quos, mea quidem ſententia, & majeſtate, & ſuavitate dictionis non æquat modo, ſed etiam vincit.* P. Bembus Epiſt. l. 6. ad Eraſmum: *Rodolphi Agricolæ ſcripta maxime omnium, qui ætate noſtra ſcripſerunt, mihi quidem probantur.* Scaligerana Prima: *Rodolphus Agricola Friſius optimus Magiſter dicendi, imo fortaſſis illorum princeps.* Petrus Montanus, Philoſophus Platonicus, & Poëta Satyricus de Agricola dicere ſolebat: *Agricolam ſolum ex Germanis Scriptoribus inſolenti Græciæ, aut procaci Italiæ objicere poſſumus. In oratione enim pedeſtri mihi effinxiſſe*

vide-

Digitized by Google

videtur ſonum Lactantii, lenitatem, & rotunditatem Plinii, lumen Senecæ, Tullianam quoque redolet ubertatem, & acumen oſtentat Quintiliani, vebementiam, & obliquitatem Cypriani referre videtur. Quam ſententiam majori elogio confirmat Eraſmus in Ciceroniano p. 79. ubi eum appellat Virum divini pectoris, eruditionis reconditæ, ſolidum, nervoſum, elaboratum, Iſocrate in orationis ſtructura ſublimiorem, Quintiliano in eloquendo fuſiorem, & dilucidiorem, atque eo magis mirabilem, quod in tanta regionis, & temporis infelicitate natus ſit. Ramus in Præfat. de conjungenda Eloquentia cum Philoſophia ait: *Rodolphus Agricola primus omnium poſt beata Græciæ, Italiæque tempora, eximium illum Logicæ facultatis uſum revocavit, ut juventus à Poëtis, & Oratoribus diſceret non ſolum pure loqui, & ornate dicere, ſed de propoſitis rebus acute cogitare, prudenterque judicare.* Tandem Hornius l. c. *Rodolphus Agricola Omlandus, peragratis pleriſque Europæ Academiis, ad ſummam non tantum eruditionem, ſed & famam pervenerat. Hic edidit mirabiles illos de Inventione Dialectica libros, caligante adhuc, & delirante Germania: quibus Logicam non tam ſpinoſis quæſtiunculis inſervire, quàm in omni vitæ genere uſum habere ampliſſimum monſtravit.* Vide etiam Huet. de Clar. Interpr. P. Jov. in Elog. Trithem. Melch. Adam in Vit. Germ. Philoſ. &c.

HERMOLAUS BARBARUS.

PAtricius Venetus, ex nobili, ac Senatorio Barbarorum Ordine natus a. 1454. vir doctiſſimus, ſummis vigiliis bonarum artium, ac diſciplinarum gloriam intermortuam ſuſcitavit, anno quippe ætatis 22. ſcribere orſus, erudita, ac Philoſophica plura edidit, quæ in doctorum manibus verſantur, & à Geſnero in Bibliotheca enumerantur. Hermolaus, ut ait Hornius, pro Barbara Philoſophia minime Barbara ſcripſit; ſed

- - - - - - - dictus qui Barbarus olim,
Barbariem tamen Italicis procul expulit oris.

Romæ apud Alexandrum VI. P. M. Venetæ nobilitatis nomine Oratorem egit; cui, Apoſtolico Senatui, omnibus carus ſemper fuit. Quare Alexander, ut tantis Hermolai meritis gratificaretur, eum Patriarcham Aquilejenſem creavit. Sed non multo poſt Romæ, teſte Boiſſard. in Icon. ex peſte ibi ſæviente obiit a. 1494. ſed Joh. Pier. Valerianus de Literatorum infelicitate addit, ipſum exſulem factum ob ſuſceptam, inconſulto ſuo Senatu, Aquilejenſem Patriarchæ dignitatem, quam accipere prohibuerat, & de poſſeſſione ejectum, inopem vitam duxiſſe, ejuſdem Summi Ponc. ſportula quodammodo ſuſtentatum ad mortem uſque, quam ex peſte obiit. Phil. Labbe hoc ejus refert Epitaphium:

Barbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem,
Barbarus hic ſitus eſt, Utraque lingua gemit.
Urbs Venetum vitam, mortem dedit inclyta Roma:
Non potuit naſci clarius, atque mori.

Quod autem Geſnerus, atque alii poſt Trithemium ſcripſerunt, ipſum ſcil. Cardinalem fuiſſe, falſum eſt. Hunc enim præclarum honorem nonniſi facile futurum, ut aſſequeretur, ſperavit.

Scripſit, præter alia plurima erudita varii generis, *Contra Barbaros Philoſophos lib. 1. De convenientia Aſtronomiæ, & Medicinæ lib. 1. Compendium Philoſophiæ ex Ariſt. lib. 1. Ariſtot. dialecticam. Orationes metricas ad carmina duodecim millia. Præfat. 2. in Paraphraſin Phyſices Themiſtii. Præfat. in libros Ariſt. &c.* Hermolaum, ejuſque Opera ſumme laudant eruditi omnes, & cri-

Digitized by Google

critici. A Scalig. *Scientiarum omnium alumnus, ac idem parens* vocatur. Ab Eraſmo *Magnus, ac divinus homo, &c.* Ab Angelo Politiano *Homo ex reliquis aurei ſeculi*. A Nic. Leoniceno *Vir omnium diſciplinarum eruditiſſimus, &c.* Vide etiam Voſſium de Hiſt. Lat. Alexandrum ab Alex. Petr. Bemb. Roland. Mares. P. Jovium: Eraſmum pluribus in locis, &c. potiſſimum eruditiſſimum Salmaſium in Præfat. ad Plinian. exercitat. ubi: *Barbariæ ſuo tempore Victor, ſolidam ſibi apud eruditos gloriam peperit, & victurum omni ævo nomen.*

HIERONYMUS SAVANAROLA

FErrarienſis, Ordinis Prædicatorum, vir acerrimi ingenii, ſummæ doctrinæ, & eruditionis, auſteritate vitæ, & morum probitate admirandus, in reprehendendis vitiis vehemens, eloquentiſſimus in Concionibus, ita ut ampliſſima templa auditorum multitudinem non caperent; ob nimiam in prædicando libertatem primum Prædicationis munere interdictus; deinde, quòd Alexandrum VI. Pont. ac Romanam Curiam objurgare non deſiſteret, Florentiæ laqueo ſuffocatus, & crematus eſt an. 1498. æt. 46. Ejus Epitaphium hoc refert Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph.

Dum fera flamma tuos, Hieronyme, paſcitur artus;
Relligio ſanctas dilaniata comas
Flevit, & ah, dixit, crudeles parcite flammæ;
Parcite, ſunt iſto viſcera noſtra rogo.

Scripſit plura, quæ recenſet Geſnerus in Bibl. Potiora ſunt: *Quadrageſimale lib. 1. Super Pſalmos, & Prophetas: Compendium totius Philoſophiæ tam Naturalis, quam Moralis: De Diviſione, Ordine, & Utilitate omnium ſcientiarum: Compendium Logices: Triumphus Crucis: Commentarii in Alcoranum*, quod omni ratione carere probat: *Prophetia*, in qua multa de ſequenti ſeculo, & Regnorum commotione prædixit. Hinc à pleriſque Propheta habitus eſt; & præcipue à Marſilio Ficino, qui eum magnifice commendavit; eique in quadam epiſtola Propheticum Spiritum tribuit; & à Philippo Comineo, Gallico Hiſtorico, qui cum eo ſæpe locutus, aſſerit, multa ſibi prædixiſſe, quæ eventus comprobavit. Joh. etiam Picus Mirand. ipſum Prophetam appellat, & Apologia in eam rem expreſſa adverſus Pont. Max. tueri ſatagit. Et quidem ut Sanctum eum plurimi habebant; hinc non ſine magno tumultu, & multorum ſanguine captus, & in carcerem conjectus eſt. *Expoſitio Orationis Dominicæ: Libellus contra Aſtrologiam Judiciariam*, Italice ſcriptus: *De Simplicitate Chriſtianæ vitæ lib. 5.* digni, ex omnium ſententia, qui ab omni Chriſtiano homine legantur: *Sermones varii, &c.* Joh. Franc. Picus Mirand. in Vita Hieron. Savanarolæ præ cæteris ejus operibus Triumphum Crucis eruditione, & materia omnibus præfert. De Savanarola ita Hornius Hiſt. Phil. lib. 6. c. 6. *Succeſſit Hieronymus Savanarola Italus, eximius Philoſophus, qui, relicta errantium caligine, veram Philoſophiam reducere ſerio conabatur.* Ex tot operibus omnino prohibetur in Ind. Rom. liber inſcriptus: *Dialogo della Verità*; & ejus *Sermones*, donec correcti prodeant. Vide Sixt. Senenſ. l. 4. Bibl. Sanct. Boiſſard. in Icon. Spondan. in continuat. Baron. ad an. 1492. J. Franc. Pic. in Vita. P. Jov. &c.

Digitized by Google

DOMINICUS SOTUS

ORdinis Prædicatorum, Segobiæ in Hiſpania natus an. 1494. ex patre, qui hortos colebat, ut ipſe de ſe teſtatur, S. Thomæ Villanovani, Valentiæ Archiepiſcopi in Philoſophia diſcipulus fuit: quam deinde etiam in publicis Univerſitatibus docuit. Caroli V. juſſu, cui à ſacris confeſſionibus erat, Concilio Tridentino una cum Bartholomæo Alcaia ejuſdem Ordinis, qui deinde Archiepiſcopus Toletanus fuit, interfuit; ibique & voce, & ſcriptis claruit, nam ne dum doctè concionem habuit, ſed libros etiam duos edidit *De Natura, & Gratia*, quos Concilii Epiſcopis nuncupavit. Segobiæ Epiſcopatum, aliosque à Carolo V. collatos ſibi honores, recuſavit: cujus Aulam, poſt compoſitas ejuſdem juſſu res magni ponderis, relinquens, Salmanticam, ubi antea docuerat, rediit; ibique mortuus eſt anno 1560. æt. 66. Tantæ pietatis, & doctrinæ vir fuit, ut ejus elogia hæretici etiam fecerint.

Inter ejus Opera ſunt, præter dictum, *Commentaria in 4. Sententiarum: de Juſtitia, & Jure lib. 10. Commentaria in Porphyrii Iſagogen, Ariſtot. Categorias, & libros de Demonſtratione: In Epiſtolam Pauli ad Romanos: Super 8. lib. Phyſicorum Ariſtotelis: De ratione tegendi, & detegendi ſecretum: De pauperum cauſſa: De cavendo Juramentorum abuſu: Apologia contra Ambroſium Catharinum Epiſcopum, &c.*

AUGUSTINUS NIPHUS

SUeſſanus, dictus etiam *Eutychius*, & *Philotheus*, in Peripatetica Philoſophia celeberrimus, qui eam in omnibus fere Italiæ Univerſitatibus docuit, vir æque doctus, ac jocoſus, ideoque cunctis gratiſſimus fuit, præcipue Leoni X. Pont. qui eum ſemper apud ſe habere cupiebat. Imo etiam tanti eum æſtimavit, ut Domus Medices & nomen, & Stemma aſſumere ei permiſerit: unde & aliquando Niphum Medicem vocatum invenies. Carolus V. ipſum præclara Conſiliarii ſtatus dignitate donavit. In libidinem adeo propenſus erat, ut ſeptuagenarius licet, & uxorem habens, Angelellam nomine, doctiſſimam, ac honeſtiſſimam feminam, ex qua plures liberos ſuſcepit, inter ſcorta tamen noctes quandoque integras ſaltando, & canendo tranſigeret. Hinc, ſeipſum demonſtrans, ſcripſit librum *De Aulico Viro*. Medicus etiam fuit ſui ævi præclarus; ac *lib. 1. De Diebus Criticis* compoſuit: *De Auguriis lib. 2. Uraniæ divinatricis lib. 2. De Morbo Gallico lib. 1. Commentarios in Ariſtotelem: De Immortalitate Animæ contra Pomponatium. Opuſcula Moralia, & Politica: De inimicitiarum lucro: De Armorum, & Literarum comparatione: De Tyranno, & Rege, &c.* Obiit jam ſenex circa an. 1537. Vide P. Jovium; Le Mire; Opmerum; Naudeum, &c.

CALIXTUS ANDRONICUS

SEcundùm Morery in Lex. Hiſt. *Andronicus Calliſtus*, ſecundum Geſnerum in Bibliotheca (male eum Theodorum Andronicum appellat Cozzandus in Magiſt. Antiqu. Philoſ. p. 113.) ſecta Peripateticus, ſec. 15. floruit, ac Cardinalis Beſſarionis familiaris fuit. Scripſit *Librum de Phyſica ſcientia, & fortuna*, qui ſervatur in Biblioth. Vaticana, & Sforzæ. Ejus etiam eſt *Μονῳδία Monodia in expugnationem Conſtantinopolitanam*, quæ Græce manuſcripta extat in Biblioth. Regis Gallorum, ex Geſn.

RO-

Digitized by Google

RODERICUS A S. CRUCE

LUſitanus, magnum præclari Luſitaniæ Regni ornamentum, ac ſui Ordinis Eremitarum S. Auguſt. decus, ob eximiam pietatem, & eruditionem Emmanueli potentiſſimo Luſitaniæ Regi carus, ſec. 15. floruit; ac Philoſophiam, & Theologiam Ulyſſippone laudabiliter docuit. Scripſit *Commentarios in Ariſtotelem, & Magiſtrum Sententiarum*. Vide Bibl. Hiſp.

LEONARDUS BRUNUS

PAtria Aretinus, Græcæ linguæ, quam ab Emmanuele Chryſolora didicit, peritiſſimus, Philoſophus, Orator, Hiſtoricus, Innocentio VII. Gregorio XII. Alexandro V. Johanni XXIII. Pont. ab Epiſtolis, vulgo Brevibus, & Reip. Florentinæ à Secretis, vir eruditione celebris, ſec. 15. floruit, ac ſemper cœlebs vixit. Quod ad mores hoc tantum ei vitio vertunt, quod φιλοχρήματος, divitiarum cupidus fuerit. Obiit an. 1440. ſive 1443. æt. 74. Scripſit Hiſtorica, & Erudita plurima, quæ recenſet Geſnerus in Bibliotheca. Philoſophica ejus Opera habemus *Commentaria in Œconomica Ariſtotelis: Vitam ejuſdem: Dialogum de Moribus: Introductionem in Ariſtotelem; & Moralia ad Eudemum*, edita cum Lat. Oper. Ariſt. &c. E Græco in Latinum vertit ex Plut. Vitas quaſdam; ex Plat. Baſil. Xenophont. quædam; Ariſtotelis Ethica, Politica, & Œconomica, &c. Vid. Æn. Sylv. Jov. Eraſm. Voſſ. Poſſevin. &c.

JACOBUS FABER

AD Stapulas, maritimum Picardiæ pagum ex ignobili familia natus, & Philoſophicis Sophiſtarum nugis, & ineptiis apud Pariſios inſtitutus, partim ſuæ mentis ſolertia, & impulſu, partim eruditorum hominum, qui tum in Italia florebant, impulſu, quod boni in literis, ac Philoſophia ſibi deeſſe noverat, totis viribus, ac forti animi contentione conquiſivit. Quare & ſibi, & aliis prodeſſe cupiens, & ſibi optatam ſcientiam acquiſivit, & aliis planum, & facilem ad Ariſtotelis Philoſophiam aditum nova methodo comparavit. Quod autem ſua induſtria, & labore didicerat, & voce, & ſcriptis docuit, & totius Galliæ juventutem ad cultarum literarum ſtudia alacriter excitavit. Hic itaque *Primus apud Gallos, ut Cicero apud Romanos, Philoſophiam rudem adhuc, & impolitam cum eloquentia junxit. Eſt in dicendo ſublimis, in ſententiis gravis, in attentione exquiſitus, in compoſitione diligens, ac curioſus*; ut de eo Trithemius ait: *Faber Ingeniorum appellari volebat; quum in omni fere doctrinæ genere ad docendum aptiſſimus haberetur. Defuit in eo, dum ſcriberet, illa Latini ſermonis puritas, quæ diu aut neglecta apud externos, aut parum accurate quæſita, non magnopere fervida ingenia delectabat. Scripſit Commentarios in Aſtronomicis, juventuti perutiles, & Scholia in Moralem Philoſophiam, perdiſcentibus opportuna. Ætate autem confectus, cum ſacras literas attigiſſet, à Lutherana doctrina non procul abfuit, itaut in ea ſuſpicione ſenex moreretur*. P. Jovius in Elog. Mortuus autem traditur annos natus 101. poſtquam ſemper purus ab omni muliebri contagione vixerit; mente quidem, & doctrina magnus, corpore vero perexiguo, itaut homuncio diceretur.

Scripſit præterea Commentaria in omnem fere Sac. Scripturam, quæ prohibita ſunt, donec corrigantur; atque alia plurima in totum fere Ariſtotelem,

Boëthium, &c. quæ exactiſſime numerat Geſnerus in Bibliotheca. De Fabro, ejuſque operibus hæc Criticorum cenſura eſt. Thuanus Hiſt. l. 17. ait, Fabrum literis renaſcentibus facem prætuliſſe. Eraſmus in Epiſt. l. 2. Epiſt. 24. *Vir probus eſt Faber, eruditus, humanus, denique verus etiam amicus*. Et in Ciceroniano p. 168. *Vir pius, & doctus, ſed qui Theologice dicere maluerit, quam Tulliane*. Hoſmannus ait: *Jacobus Faber Stapulenſis, Sorbonicus Doctor, mole exiguus, ingenio maximus, ex ſeipſo natus: Divinarum, humanarumque rerum callentiſſimus*. Lud. Viv. de Trad. Diſcipl. l. 4. *Jacobus Faber tum in Ariſtotelem ſcripſit, tum Dialecticam ipſe compoſuit, multaque ex receptis ſuo ævo opinionibus tanquam ex cœno trahit*. Et ibidem p. 589. *De Arithmeticæ exercitii, atque ſpeculationis, Jacobus Faber ſatis accommodate ſcribit, ut in Schola tradatur diſcipulis*. Voſſius de Mathem. *Anno 1503. magnum in Matheſi, in Philoſophia tamen imprimis, nomen ſuſtinuit Jacobus Faber Stapulenſis*. Spondanus ad an. 1523. ipſum vocat Philoſophum celeberrimum, Divinis, humaniſque literis excultum, ſed quibuſdam novitatibus affectum, quarum cauſſa à Sorbonæ ſocietate reſectus fuit. Vide etiam Jacob. Verhehiden in Elog. Theol. Henr. Jul. Scheurls Bibliograph. Moral. &c.

ALEXANDER ACHILLINUS

B*ononienſis Philoſophus eminentiſſimus, & accuratus Abenrhois interpres, Patavii primum, poſt Bononiæ Philoſophiam publice docuit. Edidit multos libros, è quibus Jovius in ejus elogio commemorat ſingulos libros, De Elementis; De Intelligentiis; De Orbibus. Obiit Bononiæ An. D. 1512. ætatis autem ſuæ 49. Opera ejus in unum collecta, De Intelligentiis; De Orbibus; De Univerſalibus; De Phyſico auditu; De Elementis; De Subjecto Phyſionomiæ, & Chiromantiæ; De Subjecto Medicinæ; De Prima Poteſtate Syllogiſmi; De Diſtinctionibus; De poteſtate Motuum, edita ſunt Venetiis apud Hieronymum Scotum 1568. cum Adnotationibus Pamphili Montii. Adnotationes Anatomicæ impreſſæ Bononiæ à Hieron. de Benedictis 1524.* Ita Geſnerus in Bibliotheca, Medicus etiam fuit magni nominis. In ea ſui ævi Philoſophia adeo claruit, ut *Magnus Philoſophus* diceretur; & ex omni fere Europa diſcipulos ad ſe traheret. Pomponatii æmulus fuit: quare ambo ſibi mutuo obtrectabant. Vid. P. Jov. in Elog. Opmer. In Chronograph. Bumald. Bibl. Bonon. Alidoſ. de Doct. Bonon. &c.

LUDOVICUS BUCCAFERREI

VUlgo *Beccadiferro* Bononienſis, modò dicti Achillini diſcipulus; Philoſophus, & Medicus inſignis, Philoſophiam magni ſui nominis fama, & auditorum concurſu Bononiæ primum docuit, deinde Romæ ab an. 1521. uſque ad 1526. atque iterum Bononiæ, ubi mortuus eſt die 3. Maii 1545. ætat. 63. Inter ejus diſcipulos, ex quibus præclari quicumque eo ſeculo in Italia Philoſophi, & literati erant, numerabantur, præcipui fuere Cardinales duo de Gonzaga, qui Eccleſiaſtica Beneficia plura in ipſum contulere. Autorum omnium, qui ei contemporanei ſcripſerunt, & qui poſt ipſum ſecuti ſunt, ore commendatur. Scripſit *in 4. Meteororum lib. Ariſt. in ejuſdem 1. Phyſicorum: & in lib. de Generatione, & Corruptione Commentaria*. Vide Autores modò cit. & Jac-Phil. Thomaſin. Vit. illuſtr. Vir. p. 2. &c.

MAR-

MARCUS EPHESINUS EPISCOPUS

FLorentino Concilio interfuit an. 1439. ubi Græcorum Schiſma propugnavit, aſſerens, Latinos hæreticos eſſe, quod Apoſtolorum Symbolo addiderint *Filioque*, fortiter cum Græcis credens, Spiritum Sanctum à Patre tantum procedere. Sed Conſtantinopolim rediens, miſere obiit. De eo ita Jonſius Hiſt. Phil. l. 3. c. 21. *His accedebat Marcus, Epheſinus Epiſcopus, oppoſitus ubique Platoni, qui Ariſtotelem divinis ornabat laudibus, videlicet, quod in multis ille conſentiret cum verbo divino.*

De eo item Spond. ad an. Chr. 1439. & 1440. ubi celebrem etiam GEORGIUM SCHOLARIUM refert, Monachum, & primum poſt captam à Turcis Conſtantinopolim ejus urbis Patriarcham, à Mahumete II. factum per hæc verba: *Sancta Trinitas, quæ mihi Imperium donavit, te in Patriarcham novæ Romæ delegit.* Qui mos Græcis etiam Imperatoribus in eligendo Patriarcha antiquus in ea urbe fuerat: quem à ſe, & ab aliis deinceps ſervari Mahumetes voluit. Georgius ubi Patriarcha factus eſt, *Gennadii* nomen aſſumſit, ſive potius retinuit, nam ubi Monaſterium ingreſſus, aſſumſerat, ut vult R. Simon. Hunc autem Gennadium, quem Marci modò memorati diſcipulum quidam volunt, eundem cum Georgio Scholario, non diverſum, ut multi putarunt, facit, ac validis rationibus tuetur R. Simon. Scholarius antequam Patriarcha fieret, Florentino Concilio modò dicto ipſe etiam interfuit, & pro unione Græcorum, ac Latinorum pluries declamavit, & eloquenter; atque Apologiam pro quinque Capitibus, in Decreto unionis contentis, confecit, ac pro Græcorum Schiſmate pugnavit. Citatus R. Simon aſſeverat, ipſum antea Georgium Scholarium dictum, cùm Imp. Conſtantinopolitani à ſecretis, & à concionibus erat: Gennadium verò cùm ſe publicis negociis abdicans, Monaſterium ingreſſus eſt; quod nomen Patriarcha electus retinuit. Contra vero Leo Allatius Diatriba de Georgiis 70. aſſerit, Georgium Scholarium, qui Monachus factus Gennadii nomen aſſumſit, alium omnino fuiſſe a Patriarcha Conſtantinopolitano; utroſque tamen contemporaneos vixiſſe. Fuit ille Latinorum hoſtis acerrimus, ac librum contra Concilium Florentinum conſcripſit, quem hæretici recudi curarunt. Hunc Patriarchæ Gennadio falſò tribuunt. In hunc librum ſcripſit Allatius.

De Scholario ita Geſnerus in Biblioth. *Georgius Scholarius defenſiones pro Ariſtotele ſcripſit, à Georgio Gemiſto refutatus, ut ſupra diximus. Georgii Scholarii in quinque voces Porphyrii. Item Monodia in dormitionem S. Marci Archiepiſcopi Epheſini. Venetiis in Bibliotheca ad S. Antonium manuſcripta extant Græce. In Bibliotheca Imp. Viennæ habetur Georgii Scholarii de Proceſſu Spiritus Sancti, & ejuſdem liber ſecundus de Proceſſione Spiritus Sancti à Patre ad Comnenum Magnum in Trapezuntio Regem. Græce manuſcripta fol.* Et Jonſius Hiſt. Phil. l. 3. c. 21. loquens de Gemiſto Platonico ſubdit: *Contra quem cauſſam Ariſtotelis tuebatur Georgius Scholarius, cujus argumenta pro Ariſtotele iterum refellebat Gemiſtius peculiari libello, &c.*

HIERONYMUS CARDANUS

MEdiolanenſis, Philoſophus Peripateticus, & Medicinæ profeſsor in alma Academia Bononienſi, ex Patricio Stemmate natus, vel potius per vim, ut ipſe de ſe teſtatur, ex utero extractus, capilloque prælongo nigro in lucem editus an. 1501. patre Facio Cardano, illuſtri Juriſconſulto, cùm mortuus haberetur vini lavacro revixit. Fuit mater ejus, quæ Clara Micheria vo-

cabatur, moroſa adeo, ut Hieronymum utero geſtans, plura ad hujus abortum provocandum, medicamina ſumpſerit, licet fruſtra, ut id ipſe in libro *De Vita propria* teſtatur. Et in l. 3. *De Conſolatione* ait, Mediolanenſe Collegium ſocium ipſum admittere repugnaſse, quod eum legitimum eſse dubitarent. Homo fuit prodigioſus, teſte Morhoſio, in omni genere ſcientiarum novator in omnibus, imprimis in Philoſophia, & Medicina, & Polygraphus ſi quis alius. Et quidem, Ariſtotelicus licet, in tota Peripatetica Philoſophia reformationem quandam molitus eſt, Cabbaliſtica, & ſecretiora in philoſophando ſectatus. Unde ſpiritibus mundum complet, quibus ſimilis quis evadat, cujus animus per Philoſophiam fuerit purgatus: & his ſimilia adſtruit. In cit. libello de vita propria, qui ſeparatim editus, & ſuis operibus præmiſsus habetur, perſpicue, & cum portentoſis ſæpe narratiunculis admixtis, ſuos mores, ingenium, fortunam, opes, & eventus omnes, ingenue deſcripſit. In eo non ſolum enarrat, quid in quovis genere ſcientiarum, in Dialectica, Arithmetica, Geometria, Muſica, Phyſica, Aſtrologia, & Medica re, cæteriſque artibus præſtiterit, atque invenerit, verum etiam quot, & quantis vitiis in vita ſua laboraverit, ipſe ſignificat; ex quibus educitur, ei valetudinem fuiſſe non firmam. In eodem de Vita ſua libello alter etiam extat de præceptis ad filios. Ob Aſtrologiæ, Metopoſcopiæ, & Chiromantiæ ſingularem cognitionem multis Magnatibus gratiſſimus fuit. Cum ſtatuiſſet, milleſimo quoque anno vix unum perfectum Medicum exiſtere, ſuperbiùs ſeptimum ſe eorum feciſſe dicitur. Ejus implacabilis in omnibus detrectator ſemper fuit Jul. Cæſ. Scaliger, ut mox in Scaligero etiam dicam, qui, ſaniorum criticorum judicio, ut Cardanum in literariis rebus eruditione ſuperabat, ita à Cardano in Phyſicis ſuperabatur. Obiit Romæ fame voluntaria, ut Thuanus ex communi ſui temporis ſententia ſcripſit, an. 1576. æt. 75. eo ipſo anno, & die, quo ſe prædixerat moriturum, ut ſua prædictio impleretur. Contra tamen eſt Bælius, aliique.

Scripſit, laudis cupidiſſimus, & immortalitatis gloria ſuccenſus, in omni fere ſcientiarum genere libros pene innumeros, qui 10. Tom. in f. continentur: quorum argumenta, tempus, occaſionem, ipſemet peculiaribus libellis ad id editis nobis recenſuit, & expoſuit. In iis plura ad Dialecticam, Phyſicam, omnemque Philoſophiæ partem, ad Matheſin, Medicinam, Aſtrologiam, &c. ſpectantia, invenies. Hos recenſet, præter alios, Vander Linden de Script. Medic. ex Catalogo, quem ipſe Cardanus contexuit, ut diximus, & Geſnerus in Bibliotheca.

De Cardano plura ſunt autorum teſtimonia, ex quibus hæc notatu digniora. Voſſius de Mathem. p. 41. *Non ſine laude nominandus eſt Hieronymus Cardanus . . . Qui in Naturæ ſcientia, ac Medicina, aliiſque tot nova adfert, ut ſummus vir Andreas Alciatus eum vocare ſoleat Virum Inventionum. Quin ingenium profundiſſimum, feliciſſimum, & incomparabile, et tribuit Cæſar Scaliger: quæ magna eſt laus ab Adverſario tam gravi, & acerbo*. Hæc autem ejus laus ita eſt apud Jul. Cæſ. Scaliger. in judicio ſuo de Cardano: *Orbata eſt Reſp. literaria viro maximo, atque incomparabili: eamque jacturam fecit, quam fortaſſe nullis poſthac ſeculis reparare poſſit . . . . Cum in viro docto tres partes omnino excellere debeant, morum integritas, atque civilitas, eruditio varia, & multa, ingenium ſummum cum acerrimo judicio conjunctum; tria hæc illa puncta adeo plane tulerat, ut ad unum modò totus pro ſe, ſolus pro omnibus à natura factus eſſe videretur*. Sam. Parker in Diſput. de Deo diſputat. 1. ſect. 25. *Et quidem eo præditus erat animi acumine, ut magnus Philoſophus fuiſſet, ſi Peripateticus non eſſe auſus fuiſſet . . . . Tam vana ubique cùm in Aſtrologia ſua, tum in cæteris ſuis inanibus diſciplinis, de Deo, Divinaque*

Pro-

Providentia commentatus eſt, ut quicumque legat, non omnino Atheum, ſed totum Fanaticum fuiſſe concluſerit. Ejus Opera omnia, quæ de Medicina non tractant, prohibentur niſi corrigantur. Vide etiam Voſſ. de Idolol. l. 3. c. 80. Thuan. Thomaſ. L. Craſſum, Rapin. &c.

JULIUS-CÆSAR SCALIGER

VIr Poëtices, Medicinæ, Philoſophiæ, Græcæ linguæ, ac liberalium omnium artium peritiſſimus, natus eſt in Caſtro Ripa ad lacum Benacum in agro Veronenſi die 23. April. 1484. patre Benedicto Scaligero, bellatore fortiſſimo, ex antiquiſſima Scaligerorum, Principum quondam Veronenſium, familia oriundo, ut ipſe Julius teſtatur. In adoleſcentia Monachis Ordinis Sancti Franciſci aggregatus, ſed mox ab ipſis iterum abſtractus, juventutis annos in bello tranſegit, in quo Magiſter Equitum appellari meruit. Italiam, Germaniam, atque alia Europæ loca peragravit; Tandem etiam militia relicta, literis ſe totum addixit. Ex Italia Aginum, ſive Aginnum, & Agennum, ſeceſſit, quæ Aquitaniæ urbs eſt, ibique Medicinam feliciter exercuit, donec ibidem obiit an. 1558. æt. 74. Suum ortum, vitam, & obitum ipſemet expreſſit hoc Epigrammate, quod ſuo tumulo inſcriptum legitur:

Extulit Italia, eduxit Germania, Julj
Ultima Scaligeri funera Gallus habet.
Hinc Phœbi dotes, hinc duri robora Martis
Reddere non potuit nobiliore loco.

Filios poſt ſe reliquit Sylvium, Medicum, & Joſephum-Juſtum, bonorum æque, ac docti ſpiritus hæredes. Hoſtes habuit acerrimos Gaſparum Scioppium, Hieronymum Cardanum, & Eraſmum Roterodamum, contra quos etiam ſcripſit: Criticæ enim addictus erat, quæ multorum ſibi odium comparavit. Elate nimis de Familia ſua ſentiebat, aſſerens, ſe è Scaligeris, Veronæ, aliarumque Civitatum dominis, ortum habere. Quod pluribus argumentis probare ſatagit in opere ad hoc edito, cui titulus: *Teſtimonia de Gente Scaligera*. Hac tamen in re plures quidem habuit ſibi aſſentientes, diſſentientes plurimos. Non ſemper orthodoxus in Religione fuiſſe dicitur nonnullis: quod confirmare videtur Scaliger filius, qui in Scaligerana poſteriori ait: *Pater meus quadriennio ante obitum ſemi-Lutheranus erat*. Sed defenditur à multis, qui aſſerunt, ea, quæ ſuis operibus heterodoxa ſparſim leguntur, non ſua eſſe, ſed à Calviniſtis inſerta, qui etiam Poëmata, quæ in Sanctorum laudem ipſe concinnaverat, abſtulerunt. Certum tamen illud eſt, vere Catholicum obiiſſe, atque in Auguſtinianorum Eccleſia Agini in Gallia ſepultum fuiſſe.

Scripta ejus, quæ plura, & omni eruditione refertiſſima, ſunt; præter dictum: *Exercitationum Exoticarum lib. 15. ad Hieron. Cardanum* (in quos Exercitationum libros ſuas Meditationes evulgavit Joh. Sperlingen Vittembergenſis publicus Philoſophiæ Profeſſor) *Epiſtola*, & *Orationes*. *De Cauſſis linguæ Latinæ*. *Hymni*, & *Poëmata Sacra*. *Epigrammata in clariores Urbes*. *Poëmata de Ajace Lorario*. *Comment. in Hipp. de Inſomn. Oratio in luctum Filioli Audecti*. *Oratio in partu Filii habita*. *Comment. in Ariſt. de Plantis*. *Comment. in Theophraſti lib. de Plantis*. *De Poëtica*. *Doctrina veræ Alchimiæ, atque Artis Metallicæ*. *Oratio pro Cicerone contra Ciceronianum Eraſmi*. *De Sapientia*, & *Beatitudine*. *Elyſius*. *De Numeris Conicis*.

Nimius forem, ſi cuncta Autorum de Scaligero præclara teſtimonia vellem hic enumerare. Satis ſit à Voſſio ſummis laudibus efferri, à quo in Inſtit. Orat. ſæpe vocatur *Naturæ Miraculum*: *Vir nunquam ſine laude dicendus*: *Vir ad unguem*

Digitized by Google

unguem factus : Magnus Naturæ Myſtes : Summus veterum cenſor, ac deliciæ omnium, quorum intereſt vacare muſis, &c. Lipſius cent. 2. Epiſt. 44. *Tres ſunt, quos admirari unice ſoleo, & qui in hominibus exceſſiſſe mihi humanum faſtigium videntur, Homerus, Hippocrates, Ariſtoteles; ſed addo hunc quartum (videl. Julium Scaligerum) qui natus ad miraculum, & gloriam noſtri ævi.* Et ibidem ep. 9. & de recta pronunciat. Lat. ling. cap 7. pluribus laudat: potiſſimum vero cent. 11. ep. 6. ubi: *Quod de Tullio dixit vetus Magiſter, Profeciſſe multum, cui is placeret; ego verius, Magnum eſſe, cui Julius iſte Magnus.* Et Thuano ad an. 1558. dicitur *Vir, quo ſuperiorem Antiquitas vix habuit; parem certe hæc ętas non novit.* Thomaſ. de Plagio: . . . *Utut iſta ſe habeant, ęquum eſt, ut ſummis in rem literariam meritis Viri, quo nec major Philoſophus ab Ariſtotele, nec major Poëta ab ętate Virgilii, nec major Medicus ab Hippocrate vixiſſe cenſetur, & hic, & alii lapſus à nobis condonentur.* Autores, qui ex odio magis carpunt, prætereo. Sed ego cum Huet. de Clar. Interpret. Ital. illud maxime mirabile duco, quod diſciplinas pene omnes capaciſſima mente complexus ſit, ὀψιμαθὴς licet, hoc eſt, ſerò doctus; unde & *Ariſtoteles ſui ęvi*, à quibuſdam meruit appellari, ut refert Ghilinus. Et quidem Ariſtotelicæ Scholaſticorum doctrinæ primùm addictus fuit quam maxime hic eruditorum ſui ſeculi princeps. Quare ait Jonſ. Hiſt. Phil. l. 3. c. 26. *Hic forte majora in Philoſophia præſtitiſſet, niſi primo adeo deditus fuiſſet Scholaſticis, quod ipſe queſtus eſt in Commentario in Hippocr.* Vide etiam Bezam in Icon. Vir. illuſtr. Meibom. C. Barth. Dan. Georg. Morhof. in Polyhiſt. Ghilin. Theatr. Ital. &c.

GEORGIUS AGRICOLA

GErmanus Philoſophus, ac Medicus natus eſt Clauchæ Miſniæ oppido 24. Martii 1494. In Græca, & Latina lingua, Philoſophia, & Medicina celebriores ſui ævi profeſſores magiſtros habuit. De eo ita Vander Linden de Script. Medicis: *In Valle Joachimica Medici munere functus eſt: inde Chemnitium migravit: rei Metallicæ ſtrenuus, ac indefeſſus indagator: ſcripſit aliquando ad Duces Saxoniæ, partem regionis eorum ſubterraneam eſſe pretioſiorem omnibus iis, quæ ſupra terram poſſiderent. Obiit Chemnitii Hermundurorum A. C. 1555. æt. ſuæ 61.*

Scripta ejus, quæ multa, & cunctis commendata, ſunt: *De ortu, & cauſſis ſubterraneorum. De Natura eorum, quæ effluunt è terra. Lapis Philoſophicus. De re Metallica. De Foſſilibus. De Menſuris, & Ponderibus. De animantibus ſubterraneis. De Peſte. De medicatis fontibus. De veteribus, & novis metallis. De pretio metallorum, & monetis, &c.* De quibus omnibus tale eſt Thuani judicium ad an. 1555. *Georgius Agricola de re Metallica, Foſſilibus, & ſubterraneis animantibus, ita accurate hoc ſeculo ſcripſit, ut omnes antiquos in eo genere longe ſuperaverit; & exacte non ſolum eorum, quæ à veteribus prodita ſunt, explicatione, ſed & multarum rerum, quas veniens ætas indagavit, veſtigatione, eam Hiſtoriæ Naturalis partem illuſtraverit; addita poſt Gulielmum Budæum, Leonardum Portium, & Andream Alciatum, de Ponderibus, Menſuris, de pretiis metallorum, & monetarum diligentiſſima tractatione.* Summe etiam laudatur ab Eraſmo in Epiſtolis; Bodino in Meth. Hiſt. & Melch. Adam. in Vita ejus: ubi, ipſe in Pontificia Religione obiiſſe dicitur, quamvis antea Proteſtantium dogmatis adhæſiſſe viſus ſit: quod etiam confirmat Ant. Teiſſier in Elog. Vir. Erudit. quicquid contra dicatur in Scaligerana 1. p. 80. ubi ipſe in doctrina quidem laudatur, ſed impius, nullique Re-

ligioni addictus dicitur, ut poſt mortem vix ſepeliri meruerit. A Quenſtedt appellatur Germaniæ Plinius: à G. J. Voſſio diligens, & eruditus ſcriptor: à Fabricio Vir eruditione, & judicio præſtans, ac celeberrimæ famæ, &c. Alciatus contra eum ſcripſit, cui ipſe erudite reſpondit. Vide etiam Schefferum, &c.

ULYSSES ALDOBRANDUS

ALdrovandus, & *Aldroandus*, Bononienſis, Philoſophiæ Peripateticæ, & Medicinæ in patriæ Academia Profeſſor inſignis (cujus elogium eleganti carmine confecit Maffæus Barberinus Cardinalis, qui fuit deinde Urbanus VIII.) naturæ operum inſpector ſolertiſſimus, varietate doctrinæ, ſcriptorum copia, & mente perſpicaciſſima ſapientes præteriti ævi ſcriptores æquavit, ſui ſeculi ſuperavit. Ulyſſis - - - - ὃς μάλα πολλὰ — Πλάγχθη - - - ut nomen ſortitus, ita & vitam imitatus, remotiſſimas Orbis regiones peragravit, ut, exoticorum præcipue, quadrupedum, volatilium, reptilium, & piſcium, lapidum item, metallorum, & monſtrorum naturam, proprietates, & virtutes intimius rimaretur. *Quæ ut ad vivum depingerentur, utriuſque exculperentur, ſuo ære per 30. & amplius annos Artifices varios totius pene Europæ celebriores conduxit; eaque propter tantos ſumtus fecit, ut inde ad extremam paupertatem redactus, viſuque orbatus, in Xenodochio Bononienſi, ut nonnulli referunt, valde ſenex obierit A. C.* 1605. Vander Linden de Script. Med.

Scripſit de animalibus omnibus, plantis, cæteriſque naturalibus, aliiſque rebus; Paraphraſes, & Adnotationes in Ariſtotelem, Theophraſtum, Dioſcoridem, Porphyrium, Vitruvium, Plinium, &c. quæ longum eſſet omnia numerare. Enumerata vide apud Joh. Imperialem in Muſ. Hiſt. & Phyſ. De quibus, aliiſque rebus Tractatus edidit 120. elegantiſſimos, & varia eruditione refertiſſimos. In his tamen, etſi laudabilibus, Græcarum literarum ignorantiam notat Ezech. Spanhemius in Tract. de Præſtantia, & uſu Numiſm. Antiqu. Et Voſſ. de Idolol. lib. 3. c. 91. quamvis illum valde commendet, tamen Metricæ Artis inſcitiam ex aliorum ſententia in eo adnotavit.

Ex multis tanti Viri laudibus unam vel alteram ex autoribus attingere ſatis ſit. Aub. Miræus de Script. Eccleſ. p. 2. *Ulyſſes Aldrovandus, illuſtri Comitum Aldrovanderum familia oriundus, in Gymnaſio Bononienſi Naturalis Hiſtoriæ profeſſionem tam feliciter implevit, ut omnium ante ſe genitorum diligentiſſimus, etiam poſt futuris hujus palmæ gloriam præripuiſſe videatur, &c.* Georg. Caſp. Kirchmajer in Præf. ad Joh. Sperlingii Zoologiam: *Omnium, quicunque vel ſcripſere, vel ſcripturi ſunt, operoſiſſimus, & conſummatiſſimus extitit Zoologus Ulyſſes Aldrovandus, Philoſophus, & Medicus Bononienſis, quem non dicam commendare, ſed admirari ſatis, aut condigno, pro immenſis Zoologiæ gratia impenſis, cùm ſumtibus, tum laboribus, mactare præconio nemo unquam poterit, &c.* Vide etiam Anton. Bumald. in Bibl. Bonon. Craſſ. Elog. Vir. illuſtr. &c.

JOHANNES CASE

SIve *Caſæus*, Philoſophus Peripat. & Medicus Anglus, qui in Univerſitate Oxonienſi docuit, ubi & mortuus eſt an. 1600. clarus ex ſuis operibus fuit, quæ ſunt: *Comment.* ſuper Ariſtot. Organum. Philoſophia Ethica. Œconomica.

mica. Encomium Muſices, &c. Vide Piſeum de illuſtr. Angl. Script. & Le Mire de Script. ſec. 16.

THOMAS DE VIO

CAjetanus etiam appellatus, quod Cajetæ Urbem maritimam, & munitiſſimam Neapolitani Regni in provincia Terræ laboris, patriam ſortitus ſit; Prædicatorum Ordinem ingreſſus, Doctoratus inſignia annos natus vix 22. obtinuit, ac Philoſophiam, & Theologiam Pariſiis, ac Romæ docuit. Deinde Generalis ſui Ordinis Magiſter factus, annos 10. hoc munere laudabiliter functus eſt. Eximium *Opus de Poteſtate Pontificis* compoſuit; in cujus, aliorumque meritorum præmium Epiſcopus Cajetæ primum electus; deinde Archiepiſcopus Panormitanus, tandem à Leone X. Pont. Cardinalis creatus eſt an. 1527. Inde Germaniam contra Lutherum miſſus eſt; atque tandem mortem obiit 1534. æt. 65. Opera tum Philoſophica, & Theologica, tum etiam Commentarios in aliquot S. Scripturæ libros poſt ſe reliquit, atque alia, quæ pluribus Tomis in f. continentur.

Vir fuit ſummus ingenio, moribus amabilis, pietate eximius, itaut ab ipſis etiam hæreticis, ſuis, Eccleſiæque hoſtibus, laudes promeruerit. Dan. Chamier. *Omnes Epiſtolas Novi Teſtamenti, & Actorum librum recenſuit ad veritatem Græcam, & Adnotationibus illuſtravit infra ſpatium circiter decem menſium*. Joh. Dallæus: *Thomas de Vio Eccleſiæ Romanæ nobiliſſimus Cardinalis, acerrimi vir judicii, Theologus in Schola Latina longe celeberrimus*. Si hæc ab inimicis, quid promeruit ab amicis? Unum Sixti Senenſis teſtimonium proferam, qui ait: *Vir tam vitæ ſanctimonia, quam ingenii præſtantia illuſtris, ſubtiliſſimus Dialecticus, admirabilis Philoſophus, Theologus incomparabilis, & inter erudititiſſimos doctiſſimi ſui ſeculi longe erudititiſſimus. Hic in extrema ſenectute ſua, poſt innumeras lucubrationes in Ariſtotelis Philoſophiam, & in omnem D. Thomæ Theologiam editas, totam Veteris, ac Novi Teſtamenti molem juxta literæ ſenſum, omnium difficillimum, ex Hebræa, & Græca veritate nudo, brevique ſermone expoſuit, exceptis Cantico Canticorum, & Prophetis, quos moriens inchoatos deſeruit, & Apocalypſi, quam de induſtria intactam reliquit, inquiens, in ea exponenda non ingenio, ſed divinatione opus eſſe*. Vide etiam Bzovium, & Spond. in Annal. Bellarm. de Script. Eccleſ. &c. potiſſimum vero ejus Vitæ ſcriptores Jul. Caeſ. Capycium, & Joh. Bapt. Flavium.

ANTONIUS GOVEANUS

MAgnum Luſitaniæ decus, Juriſprudentiæ lumen, Poëſeos, Rhetorices, omniſque penitioris literaturæ ornamentum ingens, magnum Peripateticæ Philoſophiæ, cujus callentiſſimus erat, propugnaculum, ex nobili familia ortus eſt in Luſitaniæ urbe, quæ Pax Julia, vulgo Beja, dicitur. Pariſiis in omni ſcientiarum genere eruditus, tantam apud omnes famam aſſecutus eſt, ut omnium ore, omnium calamis vel vivus etiam fuerit commendatus. Illud unum de tanto viro, qui omnes omnium laudes ſuperat, dixiſſe ſufficiat, Jacobum Cujacium, doctiſſimum cæteroqui virum, & ex profeſſione æmulum, illius ingenium admiratum fuiſſe, laudaſſe, ac ne ſibi gloriam præriperet, pertimuiſſe. De Goveano ita Thuanus ad an. 1565. *Is genere Luſitanus, ſed ado-*

adoptione (ſicut , quo erat animi candore , palam profitebatur) Gallus , cum puer , & literarum rudis ab Andrea Goveano patruo in Galliam adductus eſt , tanta felicitate in humanioribus ſtudiis ingenium exercuit , ut nemo purius Latine ſcriberet , nemo verſus elegantius pangeret . In Philoſophia vero Ariſtotelica tantum profecit , ut ejus patrocinium jam tum in illa juvenili ætate contra Petrum Ramum , ejus importunum oppugnatorem , magna cum laude ſuſceperit . Poſtea , quaſi omnium ſcientiarum capax ingenium illius eſſet , quodque ſinguli in ſingulis , ipſe unus in omnibus præſtare poſſet , ab Æmilio Ferreto , qui Avenione Jus Civile docebat , cum Lugduni privatis ſtudiis intentus deſideret , ad illius perplexæ ſcientiæ profeſſionem evocatus eſt ; in qua rurſus exiguo tempore tantos progreſſus fecit , rationem veram enodandarum ex antiquitate ſpinoſarum Juris quæſtionum ſtatim animo complexus , ut Jacobus Cujacius cum Toloſæ ante undecim annos in Ulpiani titulos ſcriberet , jam tum teſtatum reliquerit , Goveanum ex omnibus Juris Juſtiniani Interpretibus , quotquot ſint , aut fuere , unum eſſe , cui ſi quæratur quis excellat , palma deferenda ſit .

Primum Toloſæ, deinde Divonæ Cadurcorum , poſtea Valentiæ , & Gratianopoli Jus Civile profeſſus eſt . Belli Civilis cauſſa è Gallia , quam unice adamabat , ſeceſſit Sabaudiam ; cujus loci Duci Philiberto à ſecretis Conſiliis fuit : ubi tandem ex immodico peponum eſu mortem obiit an. 1565. Filium reliquit , à patris ſpiritu , & doctrina non degenerem , qui Caroli-Emmanuelis , Sabaudiæ Ducis Conſiliarius fuit , ac Erudita , & Legalia plura ſcripſit. Notandum tamen hic eſt , hunc Antonium Goveanum non confundendum cum Antonio Goveano , etiam Luſitano , Ordinis Eremitarum S. Auguſtini , ac deinde Epiſcopo apud Indos , qui patria lingua quædam ſcripſit .

Scripta ejus , præter Poëtica , Erudita , & Legalia , quæ multa , & cunctis commendata , ſunt ex Philoſophicis : *Critica Logices pars , certans cum Ciceronis Topicis . Reſponſio ad Petri Rami calumnias pro Ariſtotele : Porphyrii quinque vocum traductio Latina* . Geſnerus in Bibl. ait , Goveanum integram Ariſtotelis Organi converſionem promiſiſſe . De viro tam laudabili ita Konig. in Biblioth. *Goveanus communi Doctorum ſuffragio hoc aſſecutus eſt , ut & Poëta elegantiſſimus , & ſummus Philoſophus , & præſtantiſſimus Juris Interpres haberetur* . Autor Bibliothecæ Delphinatus aſſeverat , illum fuiſſe accuſatum , quod de Numine perperam Valentiæ locutus eſſet , adeout ipſi incubuerit eam culpam à ſe depellere ; quod & præſtitit eximia Oratione , quæ manuſcripta quondam viſa fuit in Bibliotheca Enemundi de Rabat primarii Præſidis in Senatu Gratianopolitano . Unde in Scaligerana poſteriori à ſimilibus calumniis ita defenditur : *Calvinus vocat illum Atheum , cùm non fuerit: debebat illum melius noſſe* . Et in Scaligerana 1. ſic jure laudatur : *Goveanus doctus erat Vir , & valens Dialecticus , optimus Poëta Gallicus : nec enim Hiſpanum judicaveris , adeò bene Gallice loquebatur* . Vide etiam Papir. Maſſon. in Elog. Jac. Cujacii : Schot. N. Ant. Ghil. &c.

LUDOVICUS SEPTALA

SIve *Septalius* , Mediolanenſis Philoſophus , ac Medicus excellens , corpore fuit procero , prævalido , apteque conſtituto , facie gravi , ac roſea , crine ſubnigro , prælonga barba , primum fulva , deinde cana , ore hilari , facundia ſingulari , morum ſuavitate omnium ſibi animos conciliante , quare omnibus , exteris etiam gratiſſimus fuit . Ludovici Septalii avi paterni , ac materni Joh. Franciſci Ripæ , inſignium juriſconſultorum ſemitas primum ſe-

ſtatus eſt. Sed rixoſæ hujus vitæ pertæſus, foro ſe abdicavit, ac Philoſophiæ, Medicinæque ſtudiis ſe addixit. Propter magnam ejus doctrinæ famam Rex Catholicus Philippus III. ut ipſum ad ſe adduceret, Regii Hiſtoriographi munere decorare decrevit; ac Bavariæ, Hetruriæque Duces, Venetæ Reip. nuncii, aliorumque Europæ Regnorum Principes, ipſum in proprias Academias, præmiis ultra ſeculi morem magnis, accerſiverunt; ſed fruſtra, nam patriæ, ac propriæ numeroſæ familiæ ſuæ, quæ ſeptem maribus, ac ſex feminis componebatur, amore detentus in patrio ſolo eſt, oblatis ſibi ſplendidis congiariis repudiatis. Verùm Philippus IV. Hiſpaniarum Rex an. 1628. ampliſſimo diplomate ipſum Protophyſici Generalis in Statu Mediolanenſi excelſa dignitate donavit. Mox Apoplexia correptus, validiſſimo remediorum uſu, ſed nonniſi quadriennio poſt, evaſit. Tandem ex ardenti febre, & alvi fluxu an. 1633. ſive 1630. ut ex aliis, obiit octogenario major.

Mediolani Politices, ac Moralium Profeſſor fuit; ubi ſcripſit, præter Medica, *Commentaria in Ariſtotelis Problemata, Politicam, & Ethicam. Politicam* etiam Italico ſermone evulgavit; & *De Margaritis Judicium*. Vide Vander Linden, Imperialem in Muſ. Hiſt. Craſſum in Elog. P. Caſtellan. &c.

QUIRICUS STROZZI

FLorentiæ ex nobili Patriciorum ordine natus, totius fere orbis peregrinatione celebris, Architectonica ſcientia, qua pollebat, celebrior, Peripatetica Philoſophia, quam perfecte callebat, celeberrimus fuit. Ariſtotelis libris 8. de Rep. nonum, & decimum de ſuo addidit, qui adeo Stagiritæ ſpiritum redolent, ut ejus diceres, niſi Poëtarum verſibus eſſent referti. Clementis quoque Alexandrini libros 8. Stromatum Latinos fecit. Græcarum literarum ac Philoſophiæ, eximius Profeſſor fuit primum Florentiæ, deinde Bononiæ, ac Piſis, ubi mortem obiit an. 1565. æt. 63. Vide Thuanum in Hiſt. Papir. Maſſon. &c.

BERNARDINUS TOMITANUS

PAtavinus Philoſophus, ac Medicus, in cujus Archigymnaſio Logicen ad annos plurimos profeſſus, celebriores ſui ævi viros Petrellam, Commendonum Cardinalem, Zabarellam, alioſque erudivit, peſte tandem ſublatus eſt an. 1576. Scripſit, præter Eclogas, & Erudita, *Introductionem ad Sophiſticos Elenchos Ariſtotelis, & brevem Methodum diluendorum Paralogiſmorum per diviſionem, præter illa, quæ Ariſtoteles habuit in Elenchis. In Abenrhoë Contradictionum ſolutiones. Opuſculum de Ideis, &c.* Joh. Imp. in Muſ. Hiſt. Jac. Philip. Thomaſin. in Elog. Wading. Geſner. &c. Alius ab hoc fuit *Bernardinus Tomitanus*, Franciſcanus, qui ſec. 15. floruit, & Aſcetica quædam tantùm compoſuit.

JACOBUS, ET JULIUS ZABARELLA

EX illuſtri Zabarella familia Patavii orti ſunt. Quorum Jacobus Julii pater S. R. Imp. Comes (quem ſpecioſum titulum Maximilianus Imp. ſuis majoribus tribuerat) in omnibus Matheſeos partibus, maxime autem in Aſtrologia, & Philoſophia excelluit, multis prædictionibus ab eo factis, & eventu probatis, ſuam in Aſtrologia peritiam confirmantibus. Impietatis, & Atheiſmi accuſatus dicitur, quod Animæ Immortalitatem oppugnaret. De quo ita

Joh.

Joh. Imperialis in Muſ. Hiſt. *Præterea impenſius te aliquanto impugnaſſe Immortalitatem Animæ, deterrimam Alexandreorum ſententiam palam profeſſum: quos tamen de te rumores, ut forte ab exulceratis animis excitos, ita vel eluſit poſteritas, vel admirabili, ac prope divina tuarum virtutum fama compenſavit.* Idem aſſerit, illum diſcipulis ſuis ſtellam quandam oſtendiſſe, & eam ſibi funeſtam fore prædixiſſe, & quidem paucis poſt diebus obiiſſe. Ejus verba ibidem ſunt: *Ea quoque floruiſti Mathematicarum ſcientia, præſertim quæ ad aſtrorum dijudicationem ſpectat, ut plerique tunc temporis tuis dictis, tanquam oraculi reſponſis, natalis ſui, ac rerum ſuarum commoda, vel incommoda metirentur. Sane jampridem adſtante refertiſſima juvenum manu, ſidus veſpere commonſtraſti micans in cœlo, quod infeſtum tibi aliquid minari aſſeruiſti: ac paucis dehinc diebus, vere nimis ſummum vitæ tuæ contigit fatum; ab acerrimo ſcil. morbo omnium dolore confectus.* Quod contigit an. 1589. Ejus exſtant *Opera Logica* in f. Venetiis edita. Et quidem in Logica peritiſſimus erat, ut de ipſo cit. Imperial. ib. *Fudiſti unus Sophiſtarum turbas: veræ Philoſophiæ dogmata celuiſti: Peripati ſpacia ab innumeris, quibus ſcatebant, vepribus repurgaſti, quæ licet videantur communia cum cæteris, tamen (quæ tibi propria laus eſt) Logicæ facultatis decore adeo niteſcunt, ut, cùm cæteris aditum diſciplinis Logica muniat, tum vel hoc nomine tu ſcientiarum vindex nulli conferendus, omnibus præferendus eſſe videaris.*

Julius, Jacobi filius, Mathematicus, & Philoſophus etiam inſignis fuit; ſed ex libidinis venereæ, cui nimium indulgebat, uſu, nervorum debilitatem incurrit, quæ ipſum lectulo fixit quinquennio ante mortem. Ejus Opera præcipua ſunt: *Commentaria in libros Phyſicorum Ariſtotelis, & de Anima. De Naturalis ſcientiæ Conſtitutione. De tribus præcognitis. De medio demonſtrationis, & de rebus Naturalibus lib.* 30. Thuan. in Hiſt. Thomaſin. in Elog. Poſſevin. &c.

GULIELMUS XYLANDER

Vir doctiſſimus. & clariſſimus natus eſt Auguſtæ Vindelicorum an. 1536. Heidelbergæ Græcas literas profeſſus eſt, ubi & obiit an. 1576. æt. 40. ex Thuano, 44. ex Melch Adam. Totam vitam tanta ſemper egeſtate transegit, ut rarò opus ullum ſolitus fuerit abſolvere priùs, quam typographis venum traderet: tantumque lucubrando ſemper promoverit, quantum illi imprimendo abſolverent: ſicque ex propriis lucubrationibus typographis venditis, ad victum ſibi, & familiæ neceſſaria miniſtrabantur, ut ait Melch. Adam. in Vita. Opera ejus celebriora ſunt: *Geometrica, & Aſtronomica varia. Dialecticæ Inſtitutiones Aphoriſticæ Logices, & Mathematicarum. Adnotationes in Sleidanum de quatuor Imperiis. Plutarchi Opera cum adnotationibus. Strabonis Geographia, & Dionis Caſſii Hiſtoria, cum adnotationibus, &c.*

Xylander magnus quidem vir, & in omni diſciplinarum genere ita eruditus, ut paucos ſibi pares in literis Græcis, Latinis, Hebraicis, Chaldaicis, in Aſtronomicis, Geometricis, Phyſicis, Arithmeticis, Muſicis, cæteriſque diſciplinis Philoſophicis haberet. A Voſſio Vir eruditiſſimus appellatur: à Boiſſardo Vir varia eruditione refertus, &c. Valde quoque eum commendat Thuanus ad an. 1576. Huetius de Clar. Interpr. Joſ. Scalig. Epiſt. 247. ad Salmaſium, ubi errores, qui in ejus operibus forte notantur, ita excuſat: *Cauſſam Xylandri hallucinationum nullam invenio, præter properantiam. Qui enim eum familiariter noverunt, ajunt, mercede invitatum à mercatoribus ſcripſiſſe, ut familiam aleret. Nam quemadmodum qui ejus eruditionem compertum habuerunt, per*

Inſcitiam eum peccaſſe nunquam concedent , ita qui tenuitatem fortunarum ejus non ignorabunt , facile illa παροράματα *excuſabunt , atque condonabunt , quia neminem latet , eum ſummam vigiliarum ſuarum in celeritate poſuiſſe : quæ ſi intra modum ſit , diligentia eſt ; ſi fines migret , eſt præcipitatio .* Immerito tamen à Thuano mors ei ex intemperantia accelerata dicitur ; & in Scaligerana 2. ebrius appellatur , etſi doctus ; nam vitam ſibi non intemperantia , non ebrietas ſuccidit , ſed continuæ , & ad vitam conſervandam neceſſariæ lucubrationes cum immatura morte commutarunt . Xylander inter Hæreticos à Concilio Tridentino numeratur.

PETRUS NUNNEZ

SIve *Nonnius* , Philoſophus , & Mathematicus excellens , ortus eſt Salaciæ ; quæ Luſitaniæ urbs erat, nunc pagus , vulgo incolis *Alcazar de Sal* appellatus . Sec. 16. floruit circa an. 1570. Sed majorem ne gloriam Nonnio Luſitania dederit , quæ ſapientibus ſuis quamplurimis viris mater , nutrix , & decus ; alienigenis vero tutum refugium , & gratum domicilium ſemper extitit ; an Nonnius Luſitaniæ attulerit ſive multiplici doctrinarum genere , quibus erat ornatus , ſive tot egregiis operibus editis , quibus æternam ſibi famam comparavit ; illi dicant , qui præclarum Luſitaniæ Regni nomen perpenſum , & exploratum habentes , & Nonnii magnarum ornamenta virtutum , totius orbis conſpectui ſæpius objecta , commendataque , ex quibus eximium in patriam decus redundavit , acri judicio recolentes , æqua lance perpendere ſatis erunt. Ex ejus Operibus præcipua ſunt : *De Arte navigandi lib. 2. De Crepuſculis lib. 1. Adnotationes in Ariſtotelis Problema Mechanicum de motu navigii ex remis . Adnotationes in Planetarum Theorias Georgii Purbachii* , &c. Vide Reſendium in Antiqu. Luſitanar. Comm. Nic. Ant. Biblioth. Hiſp. &c.

FRANCISCUS TOLETUS

NAtione Hiſpanus , acerrimus Ariſtotelis propugnator , natus eſt Cordubæ an. 1532. quæ utriuſque Senecæ , & Lucani natalibus clara fuit ; de qua ita Martialis ad Licianum lib. 1. Epigram. 29.

Duoſque Senecas , unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba .

In Salmantiæ Univerſitate Philoſophiæ , & Theologiæ operam dedit ; ubi annos natus 15. publicus Philoſophiæ Profeſſor extitit , & quod alii vix in ſenectute aſſequuntur , hic in prima adoleſcentia promeruit . Hinc non immerito Salmanticenſe Gymnaſium eum *Fidum, ac Subtilem Peripateticæ Philoſophiæ Interpretem* , & Dominicus Sotus , ſuus inter cæteros præceptor , *Spiritum Monſtruoſum* appellare conſueverunt . Societati Jeſu deinde adſcriptus, Romam miſſus eſt , ubi Philoſophiam , ac Theologiam docuit tanta ſui nominis fama , ſuique animi virtute , ac probitate , ut pluribus Summis Pontificibus Sacri Palatii Orator , & Theologus electus , cariſſimus fuerit . Inter Chriſtianos Principes lites compoſuit , ac præclara multa ad æternam ſui nominis gloriam facinora patravit . Quare Clemens VIII. an. 1593. ipſum omnium ex Societate Jeſu primum in S. R. E. Cardinalium Collegium cooptavit ; *Magno mœrore Societatis , extimeſcentis , ne aliis hoc exemplo aliqua ad ambitionem feneſtra aperiretur* : verba ſunt P. Ribadeneira in Catal. Script. Soc. J. Triennio poſt indutam Purpuram fatis conceſſit 14. Sept. 1596. æt. 64. ac in S. M. Majoris templo ſepultus eſt .

Scripſit

Scripſit *Introductionem ad Logicam*. *In Logicam Ariſtotelis*. *In 8. lib. Phyſicorum*. *In lib. de Generat. & Corrupt. In lib. de Anima. In Evangelium D. Joh.* & alia multa ad ſacram doctrinam ſpectantia. Ipſum, ejuſque ſcripta digne commendant cit. Ribadeneira, & Alegambe de Script. Soc. J. Navarrus, Victorellus, Ughelius, Nic. Erythræus, Thuanus; & quod mirum, ipſi etiam hujus notæ ſcriptores haud benevoli, Molinæus, & Iſ. Caſaubonus. Scaligerana poſterior ſic paucis omnem Toleti laudem complectitur: *Toletus in Johannem bene ſcripſit, nemini obtrectat*. Vide etiam Spond. in Annal. Eccleſ. Nic. Ant. Biblioth. Hiſp. &c.

Notandum hic, me quidem non præterire, doctiſſimos Philoſophos Suarez, Sanchez, Vaſquez, aliſque pene innumeros, in hac inclyta, omnique ævo in Philoſophia, & omni doctrinarum genere florentiſſima Societate Jeſu, quam honoris, & obſervantiæ cauſſa ſemper nomino, extitiſſe, quos vel numerare longum eſſet. Sed cum omnes in Peripatetica Philoſophia excelluerint; quod de Toleto, aliiſque horum primoribus dixi, vel dicturus ſum, de reliquis brevitati, ut conſulam, dictum velim.

Notandum præterea, omnes doctiſſimæ hujus Societatis Philoſophos vulgo *Neutrales* appellari, eo quod nec Realibus, nec Nominalibus addicti, purum Ariſtotelis textum interpretantur.

FRANCISCUS PICCOLOMINEUS

Senenſis ex illuſtri familia natus, Ariſtotelis ſectator nobilis, cujus ſcientia ferme Univerſalis fuit, ratiocinium præſtans, eloquentia copioſa, comitas incomparabilis, virtute, & moribus jucundiſſimus fuit omnibus. In Maceratenſi, Peruſino, ac tandem Patavino Lyceo Philoſophiam magna laude profeſſus eſt, ubi Jacobum Zabarellam Collegam habuit. In Platonis quoque Philoſophia eruditus maxime fuit; quam etiam Commentariis exornandam ſuſceperat: dicere namque ſolebat, Platonis, & Ariſtotelis Philoſophiam duos quaſi oculos humani aciem intellectus dirigere, quorum alterutro ſi quis careat, Cyclopis inſtar in hac rerum univerſitate labatur, neceſſe eſt. Morte tamen præventus inceptum laudabile opus perficere non potuit. Patriam enim viſendi gratia domum rediit, ubi pluribus ad Magnum Hetruriæ Ducem legationibus perfunctus, doctrina, honoribus, & fama clarus obiit an. 1604. æt. 84. Ejus ſcripta præ cæteris clara ſunt: *Univerſa de Moribus Philoſophia. Univerſa Naturalis Philoſophia, &c.* Thomaſ. de Vir. illuſtr. Imperial. in Muſ. Hiſt. Ghilin. Teatr. d'Huom. Letter. &c.

Fuit & alter *Franciſcus Piccolomineus*, ejus nobilis familiæ, ac inclytæ Soc. Jeſu, cui fuit adſcriptus, ornamentum ingens, in qua Philoſophiam, ac Theologiam primum docuit, deinde Generalis VIII. Miniſter electus an. 1649. glorioſe obiit an. 1651. ætat. circiter 69.

Nec reticendus ejuſdem præclaræ familiæ decus *Alexander Piccolomineus* Patrarum Archiepiſcopus, & Senarum Coadjutor, qui Philoſophus, Orator, Poëta, & Mathematicus fuit illuſtris; cujus Opera ſunt: *La Filoſofia Morale. La Teorica de' Pianeti. L'Iſtruzione dell'Huomo. L' Inſtituzione del Principe Criſtiano, Della Grandezza dell'acqua, e della terra. La Sfera Teſoro dell'uomo, &c.* Ejus etiam eſt Opuſculum de reſtitutione Kalendarii à Gregorio XIII. Pontifice tentata; quod juſſu Franciſci Medices Magni Ducis evulgavit. Obiit Senis a. 1578. æt. 70. & in Cathr. Eccleſia ſepultus eſt. Vide etiam Voſſ. de Mathem.

JOA-

JOACHIMUS PERIONIUS

Benedictinus Cormœriacenſis, natione Gallus, vir doctiſſimus, & Polygraphus ſi quis alius, claruit circa an. 1551. Ariſtotelis Ethicam Latinam fecit, & Commentariis illuſtravit. Quod item fecit in lib. 8. Ariſt. de Rep. ſive Politicorum; quibus Obſervationes, & argumenta adjunxit. Ariſt. Categoriæ: de Interpretatione: Prædicamenta, Analytica utraque: Topicorum libri, & Elenchi ab eo converſi extant, & Adnotationibus illuſtrati. De Dialectica libros 3. etiam ſcripſit, una cum Orationibus in P. Ramum, acerrimum Ariſtotelis oppugnatorem, & cum Commentariis Cœlii Secundi Curionis, qui eoſdem libros Dialectices in Compendium redegit, junctim excuſos. Vertit præterea ex Ariſt. lib. 8. de Natura: De Anima lib. 3. De Cœlo lib. 4. De Ortu, & Interitu libros 2. Parva, quæ vocantur Naturalia: Meteorologicorum libros 4. adjectis in ſingulos adnotationibus ſuis. Porphyrii Inſtitutiones 5. vocum. Accedit liber Ciceronis de Univerſitate, conjunctus cum ea parte Timæi Platonis, cui reſpondet: itemque Arati Phænomena quæcumque exſtant à Cicerone converſa. De Vitis, & rebus geſtis Chriſti, Virginis, Patriarcharum, & Apoſtolorum. Topicorum Theologicorum lib. 2. Præterea Orationes plures. Converſiones è Græco in Latinum Dionyſii Areopagitæ Operum cum Vita; Ignatii, Polycarpi Epiſt. &c. Quæ cuncta enumerat Geſnerus in Biblioth.

SEBASTIANUS FOXIUS MORZILLUS

Hiſpalenſis, ubi natus eſt an. 1528. In Hiſpania, & in Belgio Philoſophiæ, omniſque generis elegantioris literaturæ ſtudiis eruditus eſt; & annos natus vix 20. optima quædam, & erudita edidit. Tanti viri igitur præclara fama permotus Philippus II. Hiſp. Rex, ipſum ad ſe accivit, ut Sereniſſimi Caroli ſui filii præceptor eſſet. Foxius ad Regi parendum promtior ut eſſet, & citius ad Regis Aulam perveniret, navim conſcendit, qua naufragium faciens, in primo juventutis flore, & nos ſpe majorum operum caſſos reddidit, & ipſe nedum meliorem fortunam, ſed vitam etiam in aquis perdidit. Ejus edita opera ſunt: *De uſu, & exercitatione Dialect. In Topica Cicer. Paraphraſis. De Honore. De Juventute. De Regno, & Regis inſtitutione lib. 3. De natura Philoſ. ſeu de Platonis, & Ariſtotelis conſenſione lib. 5. De conſcribenda Hiſtoria. In Platonis Timæum, ſeu de Univerſo, Commentarius. In Phædonem Ethices Philoſophiæ Compendium. De Demonſtratione, &c* Andr. Schot. & Nic. Ant. Biblioth. Hiſp. Le Mire de Script. ſec. 16. Naud. Bibl. Polit. Poſſevin. &c.

GERARDUS-JOHANNES VOSSIUS

Palatinus patria, ſive *Archipalatinus, eloquentia, & eruditione ſeculi hujus inter principes. Natus an. 1577. Dordraci literis incubuit cum Erycio Puteano. Dein eruditarum linguarum notitia exacte imbutus, præcipuas Europæ urbes inviſit, ubique magna veneratione cultus. Reverſus Dordraci, Lugduni Batavorum, & Amſtelodami docuit. Obiit an.* 1650. Ex Hofmanno in Lex. Voſſius licet Philoſophiam ſpeciatim non fuerit profeſſus; inter Philoſophos tamen jure merito recenſendus, tum quod Philoſophorum placita cuncta noverit, tum præcipue quod de Philoſophia, ejuſque Hiſtoria bene meritus fuerit elegantiſſimo libro à ſe conſcripto *De Philoſophia, & Philoſophorum Sectis*, de quo id tantum dolendum, quod ſicuti cœperat, non abſolvit. Ejus ſiquidem

filius

Digitized by Google

filius ipſum edidit: & quamvis deinde recuſus cum ſupplemento Joh. Jacobi à Ryſſel, Lipſienſis an. 1690. fuerit; imperfectus tamen ab eruditis cenſetur. De hoc Voſſii libro ita doctiſſimus Morhoſius Polyhiſt. 2. *Nemo majori cura acceſſit ad Philoſophiam omnem, & ejus Hiſtoriam, tum qua Hiſtoriam, tum qua dogmata è fontibus, & incunabulis ſuis arceſſenda, &c.* Pleniorem vero de Barbarorum Philoſophia notitiam nobis dedit in elegantiſſimo ſuo *De Theologia Gentili, & Phyſiologia Chriſtiana*, ſive *De Origine, & Progreſſu Idololatriæ* opere; quod ex variis variarum religionum, & ſcientiarum ſcriptis, ſumma diligentia, & eruditione prorſus ſingulari congeſſit. Inter Philoſophica ejus Opera etiam eſt *Liber de Natura Logices*.

Reliqua ejus Opera omnium manibus verſata, & omnium ore commendata, omnique eruditione refertiſſima ſunt: *Grammatica Latina. Rhetorica. De natura Rhetorices. Inſtitutiones Poëticæ. Etymologicon Latinæ linguæ. De Hiſtoricis Græcis, & Latinis. De quatuor Artibus Popularibus. De Scientiis Mathematicis. Tractatus de Gloſſematis, vitiiſque Latini ſermonis. Theſes Theologicæ. Harmonia Paſſionis Chriſti. Hiſtoria Pelagiana. Tractatus de Baptiſmo. De tribus Symbolis* (quod prohibitum). *De Arte Hiſtorica. Chronologiæ Sacræ Iſagoge. Tractatus duo de cognitione ſui, & de ſtudiorum ratione. Inſtitutionum Oratoriarum lib. 6. &c.* Quæ omnia conjunctim prodierunt Amſtelod. Tom. 6. fol.

Filios habuit eruditione, & ſcriptis celebres quinque, Dionyſium, Franciſcum, Gerardum, Iſaac, & Matthæum; cujus filius fuit Gerardus junior. Religione hæreticus fuit noſter Voſſius: aliquando enim Remonſtrantium partes ſecutus eſt: verùm Andr. Rivetus in examine Animad. Hug. Grotii p. 68. teſtatur, eum ab Arminianis iterum ad Calviniſtas tranſiiſſe. Hinc de eo Joh. Card. Bona: *Joh. Ger. Voſſius omni doctrinarum genere, omnique eruditione mirabiliter excultus. Utinam Orthodoxa Fide imbutus fuiſſet.* Ejus in eruditione laudes pene innumeras, omnium etiam Criticorum ore celebratas, conſultò prætermitto. Vide Konig. Joſeph. Scaliger. Caſaubon. Grot. Baud. Bochart. Jonſ. de Script. Hiſt. Phil. Salmaſ. Eryc. Putean. Valer. Andr. Bibl. Belg. &c. Multæ Voſſii vitæ circumſtantiæ videri poſſunt in ejus literis, Londini editis 1590. Voſſii tumuli hæc fertur inſcriptio:

Hoc tumulo plorat Pietas, & candida Virtus,
Et luctu Pallas ſaxea diriguit.
Invida mors ridet, ridet quoque Voſſius illam,
Dum calamo mortem vincit, & ingenio.

ANGELUS CESI, SIVE CESIS.

DUx Aquæ Spartæ, &c. ex nobiliſſima, ac vetuſtiſſima familia Ceſis, inter Romanas celeberrima, ortus Romæ ex patre Frederico, magnam ſibi in literis, ac literarum patrocinio gloriam comparavit ſub Urbano VIII. circa an. 1625. & 1630. Ut enim celebriores ſui ævi literatos ad durum virtutis curſum promtiores, & alacriores redderet, *Lynceorum Academiam*, omni ævo commendatiſſimam, Romæ inſtituit, quò in ſuo quique ſcientiarum genere eruditi ad optima quæque nova invenienda, difficilia capeſſenda, alioſque in literis erudiendos, mutua æmulatione, gloriæque ambitione perquam facile ducerentur. Philoſophiæ, Matheſi, ac præcipue Mechanicis, penitiori Literaturæ, ſed omnium maximæ Phyſicæ totum ſe devovit. Ex ejus Operibus præcipua ſunt: *Apicarium. De Cœlo. Matallophytum. Tabulę Philoſophicę.*

Mo-

Moralia. Paradoxa. Monita, &c. Leo Allat. in Apibus Urban. Jan. Nic. Erythræus. Pinac. Imag. illuſtr. 3. c. 25. &c.

BENEDICTUS PERERIUS

SOc. Jeſu, natione Hiſpanus, patria Valentinus, natus eſt an. 1535. Dicendi Artem, & Ariſtotelis Philoſophiam publice Romæ docuit, magno auditorum concurſu, & plauſu. Deinde D. Thomam multos annos interpretatus eſt, ac Sacras Literas explanavit, & editis Commentariis illuſtravit. Romæ, ubi ſemper vixit, obiit an. 1610. æt. 75. Scripſit, præter *Commentarios in Sacra Biblia, lib. 15. Phyſicorum*, ſive *De omnibus omnium rerum naturalium Principiis, & Affectionibus*. Opera ejus omnia Tom. 2 in f. extant: quæ commendantur à Poſſevino, Alegambe, Lambecio, Rich. Simone, aliiſque, ſed carpuntur in Scaligerana poſteriori, & à Caſaubono.

OBERTUS GIFANIUS

SIve, ut alii ſcribunt, Hubertus Giphanius, Burenſis Batavus, natus a. 1534. etſi Juriſconſultus, inter Philoſophos tamen numerari meretur, tum quia Philoſophiam Argentorati docuit, tum etiam quia, præter Hiſtorica, Erudita, & Legalia multa, *Commentarios in Ariſtotelis Ethicam, & Politicam* edidit. Altdorfii quoque & Ingolſtadii Juriſprudentiam profeſſus eſt; ac tandem in Aulam à Rodolpho II. vocatus, Conſiliarii Cæſarei titulo decoratus eſt Pragæ obiit 1609. Philoſophi item nomine inſignitur ab aliis. Sic enim de eo Thuanus: - - - - *Dein totum ſe Juris ſcientiæ, ac Philoſophiæ ſtudiis mancipavit, & voce, & ſcriptis rem literariam multum promovit*. Et Quenſted, ac Georg. Remus in epiſt. ad Joh. Caſelium: *Hubertus Giphanius, Aulæ Cæſareæ Conſiliarius, Juriſconſultus, & Philoſophus celeberrimus, ſcriptis doctiſſimis notus, &c.* Mejer. in Præfat. ad Analyſ. Polit. Ariſtotelis ſect. 47. *Non tam veræ Religionis, quam veræ Philoſophiæ perpetuus, ac ſtrenuus aſſertor extitit*. Ant. Teiſſier in Elog. Vir. Erudit. Gall. *Hubertus Giſanius Juriſperitiſſimus erat, in Philoſophicisque & politioribus literis eruditiſſimus. Plura ſcripta in publicum emiſit, quæ ſagacium Criticorum exiſtimationem promeruerunt. Ejus Commentarii in Ariſtotelem præſtantiſſimi ſunt, &c.* Vide etiam Thomaſ. de Plag. ſect. 4. & 5. Huet. de Clar. Interpret. Scioppium, qui eum Juris Aſylum, Germaniæ Solem, Juriſconſultorum ſua ætate principem vocat, ac de quo melius ſit tacere, quam pauca loqui. Joſ. quoque Scalig. Barth. Conring. Scaliger. 2. Gall. Valer. Andr. Bibl. Belg. &c.

JULIUS PACIUS.

NOn pauci ex Juriſconſultis ſunt, qui quoniam in Philoſophia etiam celeberrimi, inter Philoſophos jure merito ſunt recenſendi. Et quidem doctiſſimus Merillius in primis Legalium ſuarum Obſervationum capitibus aperte oſtendit analogiam Juriſconſultos inter, & Philoſophos; unde & eos invicem ſubæmulos vocat; ac ſicut Philoſophos, ita & Juriſconſultos in varias ſectas abiiſſe. Inde ait, horum quoſdam Stoicos, quod à rebus gerendis non abhorrerent, ſecutos fuiſſe; atque eos in regulis brevibus, ac circa verborum originem, & proprietatem, atque alia multa ſolicitudinem æmulatos; in quorum numerum Proculejanos refert, eorumque Principem Labeonem, Tuberonis auditorem, cum Chryſippo comparat; cujus etiam ſubtile diſputandi genus ſecu-

ſecutum aſſerit: unde & tot apud Proculejanos juris ſubtilitates, & ſtricta diſputandi ratio. Contra vero Sabiniani proportionem Geometricam, atque alia ſecundum Academicos, ſicut Proculejani Arithmeticam ſecundum Stoicos, ſequebantur. Alii denique aliorum Philoſophorum doctrinam ſectati ſunt.

Sed ad Pacium redeamus. Philoſophus hic, Juriſconſultus, Hebraicæ, ac Græcæ linguæ, atque liberalium fere omnium artium erudititſſimus, natus eſt Vicentiæ a. 1550. Patavii Philoſophiæ, & Juriſprudentiæ operam dedit. Tredecim annos natus Arithmeticam concinnaſſe dicitur. Patriam rediens, Epiſcopo delatus, quod prohibitos libros legeret, ut ejus judicium vitaret, ad Helvetiam fugit. In Heidelbergenſi Univerſitate, ut victus neceſſitati proſpiceret, Philoſophiam docuit. Tum Beriga vocari voluit, ducto nomine à domo, quam Paciorum familia rurl prope Vicentiam habebat. Inde Germaniam, & Pannoniam venit, ubi Juriſprudentiam profeſſus eſt. Poſtea Galliam petiit, & Sedanenſi Univerſitati præfuit, quam diligenti ſtudio, & doctrina inſignem reddidit. Hanc tamen relinquere coactus propter bellum, quo Gallia premebatur, in Sabaudiam migravit: inde in Galliam Narbonenſem, vulgo Linguadocam, reverſus, Nemauſum venit, & in Montis Peſſulani Univerſitate Jura docuit: ubi cum celebri Peireſc amicitiam iniit; cujus ope, & conſilio Aquenſem Civitatem, quæ Provinciæ Metropolis eſt, ſe contulit, ut juvenes in diſciplinis erudiret. Sed majoris ſtipendii cauſſa Valentiam ad Allobroges, ſive Delphinates tranſivit; ubi à Rege Conſiliarii munere inſignitus eſt. Ejus tamen præclaræ virtutis fama in Europam omnem diffuſa, magnis congiariis à Batavis, Piſæis, Venetis potiſſimum, Patavium profeſſor accerſitus, reliquis prætermiſſis, ut patriæ gratificaretur, Patavium elegit, magno Italorum fere omnium concurſu in hoc celebri Lyceo docens, ubi ſuus etiam filius Cathedram à Venetis eſt conſecutus; & ipſe, compoſito *Libello de Jure Maris Adriatici*, Equeſtris Ordinis S. Marci inſignibus decoratus eſt. Suæ denique familiæ, quam Valentiæ reliquerat, precibus adductus, Valentiam reverſus, ad annos aliquot ſolito more docens, ibidem obiit a. 1635. æt. 85. Ex continua hac tot Academiarum peregrinatione Inconſtantis nota à pleriſque affectus eſt. Quare ingenioſe nimis lepido hoc diſticho amicus quidam ludens ait:

Itala dat cunas tellus, Germania famam,
Gallia jus civis. Dic mihi quæ patria?

Suæ vitæ compendium eleganter expreſſit ipſe Pacius in Elegia, quæ incipit:

Urbs genuit, Venetis condens quam Gallus in oris,
Hoſtibus à victis nomen habere dedit, &c.

Præter Legales multos, ac vere aureos ejus libros, ſcripſit etiam Philoſophicos, qui ſunt: *Inſtitutiones Logicæ ad uſum Scholæ Sedanenſis. Organum Ariſt. Gr. Lat. cum Notis. Idem cum Notis, & Commentariis. Rudimenta Logicæ. Phyſici lib.* 8. *Gr. Lat. cum Comment. Libri de Cælo Gr. Lat. cum Comment. Doctrinæ Peripateticæ libri* 3. *Logicus, Phyſicus, & Politicus. Logicæ Diſputationes. Ariſtoteles de Cælo cum Notis perpetuis.* Scripſit præterea *de Arte Lulliana*, cujus arcana in compendium redegit, ac felici eventu exercuit; quorum etiam ope memoria tenaciſſimus fuit eorum, quæ natura, & ingenio ſumma facilitate perceperat. Neque mirum, fuiſſe Pacium Peripateticum, & item Chymicum: non pauci namque fuerunt, qui etiamſi ex profeſſo Peripatetici fuerint, Chymicam etiam Artem profeſſi ſunt.

Julius fratrem habuit *Fabium Pacium*, Philoſophum, & Medicum ſuæ ætatis celeberrimum, natum ſeptimeſtri partu a. 1547. Suas Facultates in patria docuit. A Ticini, ſive Papiæ, & Meſſanæ Univerſitatibus, ut Profeſſoris

Digitized by Google

munus obiret, & à Poloniæ Rege, ut ſuus Archiater eſſet, acceerſitus, omnia hæc patriæ, & familiæ amori poſthabuit, Vincentiæ ad mortem uſque permanens, quæ contigit 11. Octobr. 1514. æt. 67. Scripſit plura, quæ non adhuc ſunt edita.

PETRUS FONSECA

NAtione Luſitanus, patria Viſenſis, adoleſcens annos natus 20. Societatem Jeſu ſemper inclytam a. 1548. ingreſſus, ejus inſtituta, mores, doctrinam, ſanctitatem ſectatus, decus, quod ingens primùm à nunquam ſatis laudato Luſitaniæ Regno, inde à ſemper laudabili Societate ipſe tulit, majus in patriam, & Societatem literis retulit, & probitate. Graviores itaque diſciplinas, quas in ea didicerat, laudabiliter in eadem profeſſus eſt. Vir fuit eximio ingenio, judicio acri, prudentia in gubernando ſingulari: cujus non mediocre ſpecimen dedit, cùm Conimbricenſis Collegii Rector, Domus Profeſſæ Olyſſiponenſis Præpoſitus, Societatis Romæ Aſſiſtens, ac denique Luſitaniæ Provinciæ Viſitator fuit; ubi Catechumenorum domum; puellarum, in pudicitiæ manentium periculo, domicilium; Orphanorum, & egentium aſylum, S. Marthæ Monaſterium, atque alia pietatis opera, ejus potiſſimum induſtria facta, & ſanctis legibus ſtabilita, Luſitana Reſp. ad maximam ſui populi utilitatem tenet, potitur, admiratur. Quare tanti viri pietatem, doctrinamque miratus Philippus II. Hiſp. Rex, ipſum inter alios elegit, quos in Luſitaniæ Regno quaſi cenſores, morumque reformatores eſſe voluit, atque Japonis Epiſcopum primo loco nominavit. Gregorius quoque XIII. P. M. tanti Fonſecam fecit, ut ei non ſolum ad Societatem, ſed etiam ad communem Catholicæ Eccleſiæ utilitatem ſpectantia graviora negocia commendaret: Sed Ebora Olyſſiponem ad Provincialem Societatis Congregationem vocatus, ibi ad feliciorem vitam abiit annos natus 71. Chr. 1619.

Ejus in Philoſophia commendatiſſima Opera ſunt: *In Iſagogen Porphyrii. Dialectica lib. 8. Commentaria in Metaphyſicam Ariſtotelis*, quam è Græco in Latinum ipſe vertit, & Tom. 3. comprehendit. Alegambe de Script. Soc. Jeſu. Balthazar Tellez Chron. Prov. Portug. Soc. Jeſu l. 2. c. 37. Nic. Ant. Bibl. Script. Hiſp. Le Mire de Script. ſec. 17. &c.

FRANCISCUS PAVONI

MAgnum ejuſdem Societatis ornamentum, natione Calaber, patriam ſortitus eſt Catacium, celebrem, atque amplam Calabriæ Ulterioris in Regno Neapolitano urbem. Literis valde, pietate maxime inſignis, Philoſophiam Neapoli in almo Societatis Collegio docuit: ubi celebrem Sacerdotum Congregationem ad Chriſtianorum mores reformandos inſtituit, cui ipſe plures annos cùm præfuit, Chriſti milites ad animarum ſalutem verbo, & raræ ſuæ ſanctitatis exemplo roboravit, & ad humani generis hoſtes perdendos miſſos voluit. Et quidem quomodo Chriſti fideles (ſi fides, juxta Pauli dictum, ex auditu) audient ſine prædicante, & quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Unde Sacrarum Miſſionum Congregatio vulgo audit; cujus illud ſanctum, ac ſalutare inſtitutum ſemper fuit, & ingenti etiamnum fervore perſeverat, ut ad quemlibet hujus Regni Epiſcoporum nutum Sacræ illius Congregationis Sacerdotes propriis ſumtibus ad Chriſti meſſem operarii mittantur. Tandem doctrina, & pietate clarus Pavoni ſanctiſſime obiit an. 1637. Ejus edita Opera ſunt: *Summa Ethicæ. Introductio in Sacram Doctrinam Part 3. Tractatus de Ethicis, Politiciſque*

ticiſque actionibus. Commentarius Dogmaticus, ſive Theologica Interpretatio in Pentateuchum; in Evangelium, &c. Vide Alegambe de Script. Societ. Jeſu, Le Mire de Script. ſeculi 17.

CÆSAR CREMONINI

PEripateticus inſignis, itaut *Genius Ariſtotelis*, & *Græcorum Interpretum Lucerna* diceretur, genere Mutinenſis fuit. In Ducis Cæſaris Ateſtini Aula cum Patricio, Taſſo, aliiſque doctis viris primùm vixit. Ferrariæ inde docuit; poſtea Franciſci Piccolomini ſucceſſor in Patavino Gymnaſio Philoſophiam profeſſus eſt annos 40. Vultu ſeverus erat, invidus, maleficus, & maledicus, ſimulator, & quod peſſimum, irreligioſus, ut ex ejus *Tractatu de Anima* cognoſci poteſt, in quo ipſam, non ſecus ac brutorum, corruptibilem eſſe aſſerit. Ejus edita ſcripta, præter dictum Tractatum, ſunt: *De Cælo. De Senſibus. De Calido Innato. De Semine. Dialectica Opus Poſthumum.* Ex impia ſua doctrina, quam, Ariſtotelem in deambulando imitatus, docebat, nonniſi æternam ſui nominis infamiam adeptus eſt; ejuſque libri non Bibliothecarum ornamentum, ſed Bibliopolarum inutile pondus facti ſunt. Obiit a. 1630. æt. 80. cum Patavium peſte affligebatur.

JOHANNES GARNIER

INclytæ Soc. Jeſu ornamentum ingens, natus Pariſiis an. 1612. primum humaniores literas, & Rhetoricam, deinde Philoſophiam 10. annorum ſpatio Pariſiis, alibique, ac tandem Theologiam annis 26. ſumma laude profeſſus eſt. Vir fuit literatura omnigena, ac pietate inſignis, Theologiæ præſertim, quam Moralem vocant, callentiſſimus; quapropter de rebus ad animæ ſalutem pertinentibus undique conſulebatur. Romam ad Societatis negocia componenda miſſus, Bononiam vix pertingens ægrotavit, ac 15. ægrotationis die ad plures abiit an. 1681. Scripta ejus Philoſophica ſunt: *Organi Philoſophiæ rudimenta. Theſes de Philoſophia Morali.* Exſtant præterea & alia plura varii argumenti ad res ſacras, & eruditionem pertinentia. Vide ejus Elogia à P. Hardoüino collecta, & ejus Operibus præfixa.

PETRUS PETITUS

MEdicus Pariſienſis, & Academicus Patavinus, magnæ literaturæ vir, in Hiſtoria, & Poëſi potiſſimum claruit ſec. 17. itaut inter celebriores ſui ævi Poëtas haberetur. Philoſophiam etiam maxime coluit; ſcripſitque Philoſophicos Tractatus tres: *De Motu animalium ſpontaneo*, in quo partim Ariſtotelis de motu hujus principio ſententia illuſtratur, partim nova muſculorum motus ratio indagatur. *De Lacrymis. De Lumine.* Præter hos tres Tractatus, & verſus plurimos, & elegantes, ad Hiſtoriam, Eruditionem, & Artem Medicam ſpectantes alios concionavit, & publici juris fecit; quales ſunt: *De Amazonibus. De Sybilla, &c.* Quædam etiam ejus Diſſertationes manuſcriptæ ab hæredibus ſervantur. *De Spiritu Hominis. De Anthropophagis. De Nepenthe Homeri. De Nymphis. De Cruce. De Religione Chriſtiana.* Hoc Petito Epitaphium M. de la Mannoye compoſuit:

Par tribus unus eram Medicus, Vateſque, Sophuſque,
Unus & ætate dignus obire trium:

Digitized by Google

Par tribus at quamvis fuerim, mihi vix tamen, eheu!
Unius ætatem fata dedere viri.

JACOBUS THOMASIUS

L*Ipſienſis*, *ejuſdemque Academiæ Eloquentiæ*, *& Philoſophię Profeſſor*, *Rectorque Scholę ad Thomam*, *vir eruditiſſimus*, *Hiſtoriæque Philoſophicæ deditus maxime*, *in qua egregia ingenii monimenta dedit. Stoicam doctrinam illuſtravit Diſſertationibus ſuis Stoicis*, *habitis Lipſiæ 1676. 4. Doctores Scholaſticos Latinos expoſuit Diſſertatione perbrevi peculiari*, *ibidem*, *atque eodem anno impreſſa in 8. In hac primas doctrinæ Scholaſticorum origines optime omnium pertractavit. His adduntur Orationes 12. de Secta Nominalium*, *& 15. de Syncretiſmo Peripatetico. Quomodo autem philoſophati ſint gentiles ex principiis variis*, *& ad variam*, *vel ipſius Dei*, *vel aliarum rerum nobiliſſimarum cognitionem pervenerint*, *idem expoſuit in Schediaſmate Hiſtorico*, *aliiſque Diſſertationibus ſuis*, *quas Halę conjunctim filius multo doctiſſimus edidit. Confer Lipſienſes ad an. 1693. m. Sept. p. 428.* Ita de ipſo Jonſ. de Script. Hiſt. Phil. lib. 3. c. 30. n. 11.

JOHANNES SETONUS

PHiloſophus Peripati defenſor acerrimus, qui omnem fere vitam in Ariſtotelis libris legendis tranſegit, atque in ejuſdem Metaphyſicam *lib.* 12. *Commentariorum*, qui nimis commendantur, ſcripſit; Oxonienſis Univerſitatis dicitur à Morery in Lex. Hiſt. Cantabrigienſis vero a Geſnero in Biblioth. qui etiam eum *Erotemata Dialectices* ſcripſiſſe ait, Londini impreſſa 1545. atque circa an. 1538. vixiſſe. Vide Pitſ. de illuſt. Angl. Script. Leland. &c.

JACOBUS SKEKIUS

UT ſcribit ſæpe laudatus Morery; ſive *Schegkius*, ut vult Vander Linden de Script. Medic. ubi de eo hæc ſubdit: *Natus eſt Shorndorffii*, *Wittembergico Oppido A. C. 1511. Patre Bernhardo Degem*, *vulgò dicto Schegkio*, *viro plebejo quidem*, *ſed honeſto. Anno 1529. Tubingę Magiſter Philoſophiæ creatus*, *& paulò poſt eadem in Academia Profeſſor publicus conſtitutus eſt. Biennio poſt*, *nempe 1531. Theologię quoque operam dare cœpit; & poſt illud demum tempus Medicinę ſtudia amplexus*, *Medicinę Doctor 1539. renunciatus eſt. Abinde Medicinam quidem docuit*, *ſed nunquam publice exercuit; ab amicis vero conſultus*, *ſaluberrima conſilia præſcripſit; idque ob imbecillitatem oculorum nativam: Anno enim 1577. viſu penitus privatus*, *per integrum decennium ſtudia majori alacritate proſecutus eſt*, *& pleroſq; Tractatus ſuos demum edidit; intra quod temporis ſpatium cùm quidam Ophthalmicus ſe ei viſum reſtituere vellet*, *reſpondiſſe fertur*, *ſe multa in vita vidiſſe*, *quæ maluiſſet non videre*, *optareque ſe etiam ad nonnulla ſurdum fuiſſe. Anno 1586. percuſſus Apoplexia*, *per totum nihilominus annum ſtudia ſolita tractavit*, *donec obiit 9. Maii 1587. æt. ſuę 76.*

Scripta ejus Philoſophica ſunt: *Dialogus de Animæ principatu*; in quo Ariſtotelis, & Galeni rationes profert, quibus ille cordi, hic cerebro principatum attribuit. *Tractationes Phyſicę*, *& Medicę. Commentaria in Ariſtotelis Phyſica*, *& Ethica*, *Organum*, *Topica. De una perſona*, *& duabus naturis in Chriſto adverſus Anti-Trinitarios*. Ejus opera Medica vide apud cit. Vander Linden. Melchior Adam, &c.

Sed

Sed antequam huic capiti colophonem imponamus, notanda quædam hîc ſunt ex Joh. Franciſco Buddeo in Hiſt. Phil. ſuccincta delineatione, ubi pag. 70. LUTHERUM Scholaſticis Nominalibus adſcribit, ajens de ipſis: *Conſenſere Gregorius Ariminenſis, Gabriel Biel, & plerique Ordinis Auguſtinianorum; unde & Lutherus, imo & alii ex religionis, & bonarum Artium reſtauratoribus* (verius, aptiuſque dixiſſet, perturbatoribus) *eandem ſententiam ſecuti ſunt*. Et pag. 75. Peripateticis non Scholaſticis, ſed puris accenſet ſequentes, ubi ait: *In Ariſtotelem licet non æquior eſſet in Germania Martinus Lutherus, quam in Scholaſticos:* PHILIPPUS *tamen* MELANCTHON *pro Ariſtotele ſtetit; ejuſque Philoſophiam humanioribus quodammodo literis conſperſam, & temperatam, facili, ac perſpicua methodo tradidit: nec tamen Ariſtoteli ita adhæſit, ut non ſubinde ab eo diſcederet. Hanc philoſophandi rationem, Italorum exemplo, ſecuti ſunt quidam, qui contra Scholaſticos certantes, Ariſtotelis textum purum, & incorruptum reducere conati ſunt. Ex his fuerunt Cornelius Martini, Phil. Scherbius, Michaël Piccartus, Erneſtus Sonerus, Chriſtoph. Drejerus, Melchior Zeidlerus, Joh. Zeiſoldus, Hermannus Conringius, Joh. à Felden, aliique.*

Illud tamen non prætercam, quod habet ibidem cit. Buddeus pag. 76. ubi aliam Philoſophiæ ſectam memorat, quam vocat MOSAICAM, & CHRISTIANAM, ſic ajens: *Quidam omnium gentilium Philoſophis rejectis, Philoſophiam veram ex Scriptura Sacra, cum primis libris Moſaicis, petendam eſſe, aſſerebant. Quam Philoſophiam Moſaicam, & Chriſtianam dixerunt: quam profeſſi ſunt Libertus Fromondus, Caſpar Mauritius, Ludovicus de Beaufort, Joh. Crellius, Conradus Aslachus, Joh. Amos Comenius, Joh. Bayerus, Lambertus Danæus, Thomas Burnetus, Dethlerus Cluverus, Edmundus Dikinſonus. Verum cum plerique iſtorum aut jam alterius Philoſophiæ placitis imbuti ſint, aut proprias hypotheſes ſecum adferant; & iiſdem Scripturam Sacram, & Hiſtoriam Moſis accommodent, non magnopere inter ſe diſſentiunt*. Et pag. 79. Sectam refert Cabbaliſticam, de qua ſic: *Ab his diſtinguendi ſunt, qui Cabbaliſtica Judæorum arcana rimati ſunt; quorum quidam ea cum Platonis, alii cum Pythagoræ placitis conjunxerunt. Ex primis fuere uterque Picus Mirandula; ex ſecundis Joh. Reuchlinus, Henricus Morus, Franciſcus Georgius Venetus, Henricus Cornelius Agrippa, aliique*. Verùm quoniam Cabbaliſtæ omnes vel Chymici, vel Platonici, vel Pythagorici, vel aliis ſectis addicti ſunt: ideo de ſingulis in ſuis locis actum, vel agendum eſt. Quæ autem Cabbalæ ſcientia ſit (quæ apud Judæos etiam ante Chriſtum floruit, & à Pythagoræ, ac Platonis doctrina derivaſſe videtur) videri poſſunt Reuchlinus, aliique cum ipſo modò citati, Gaffarellus, Joh. Morinus, Richardus Simon, P. Kircherus Tom. 2. Œdip. Ægyptiaci; Tractatus, quibus tituli: *De Cabbala, & Verbo Mirifico. Ars Cabbaliſtica. Urna Mannæ. Liber Jezira. Porta Lucis* Pici Mirandulani, &c.

De Ariſtotelicis autem puris hæc habet p. 75. *Plurimi tamen, rejecta Scholaſtica Philoſophia, Ariſtotelem ipſum ducem, magiſtrumque elegerunt, magno ſtudio in Scholas, & Academias eum reducentes. Tales ex Italis fuere Cæſar Cremoninus, Petrus Victorius, Antonius Montecatinus, Cyriacus Strozza, Alexander, & Franciſcus Piccolominæi, Jacobus Zabarella. In horum nonnullis Atheiſmum Ariſtotelicum, maximamque ſententiarum impietatem viri docti obſervarunt*. Sed his Peripati reformatoribus (de quorum præcipuis jam ſupra egimus) accenſendus maxime eſt Petrus-Joh. Nunneſius Valentinus (alter tamen à Petro Nunnez, ſive Nonnio Luſitano, de quo ſupra) quem refert, & laudat Jonſius de Script. Hiſt. Phil. lib. 3. c. 36. n. 1. his verbis: *Apud Barcinonenſes floruit* PETRUS JOH. NUNNESIUS, *Valentinus, qui præter ſummam eloquen-*

quentiæ laudem, propter quam, teſte Miræo lib. de Script. ſec. 16. cap. 133. ſtipendio magno à Barcinonenſibus accerſitus, etiam in rebus Philoſophicis nomen, famamque adeptus eſt. In primis autem Peripateticam illuſtravit hiſtoriam, habita primo De cauſſis obſcuritatis Ariſtotelis, earumque remediis, non ineleganti Oratione, in qua non ſolum laudes Philoſophi, ſed ejus etiam defectus, & errores expoſuit, ita tamen, ut facilior, & indulgentior fuerit cæteris omnibus, qui Ariſtotelem reprehendunt. Vitam deinde Ariſtotelis ab Ammonio, ſive Joh. Philopono deſcriptam, erudito Commentario inſtruxit, in quo de moribus hujus Philoſophi, de ratione philoſophandi, de ſcriptis item, auditoribus, & ſucceſſoribus egit; cui adjuncta quoque eſt ejuſdem Philoſophiæ Peripateticæ Inſtitutio, ſive de recta, atque utili ratione conficiendi curriculi Philoſophiæ Peripateticæ Tractatus. Quæ omnia cum modo allegata Oratione, curante Holſtenio, Lugd. Batav. recuſa ſunt 1621. . . . . Ad hæc Procli Creſtomathiam Poëticam non indoctis exornavit ſcholiis. Lucis autem plurimum adferre potuiſſet Hiſtoriæ ſuo De Claris Peripateticis libello, quem ſcripſiſſe fatetur ipſe ſuis in ſcholiis ad dictam Ariſtotelis vitam pag. 153. Sed is nunquam comparuit. Obiit octogenarius prope 4. Id. Martii an. 1600.

Et de Peripateticis univerſis hæc dicta ſufficiant. Fateor quidem, me non plures, ſed plurimos præteriiſſe, eorum præcipue, qui Monaſticum aliquod vitæ inſtitutum profeſſi ſunt: ſed neminem profectò conſultò præteritum ingenue affirmo, eorum ſaltem, qui majoris famæ apud ſuos fuere. *Quis tamen innumeros numeret?* Satis ſit dixiſſe, Franciſcanos omnes Scotum, Dominicanos D. Thomam ſequi; reliquos vero ſingulorum Ordinum alios Scotiſtas, alios Thomiſtas, Nominales alios, præcipue Auguſtinianos, Jeſuitas denique Neutrales eſſe, ut ſupra etiam diximus. Ab his autem omnibus Scholaſticis tot edita ſunt librorum milliaria, ut vel recenſere ſolum ἀδύνατον prorſus eſſe videatur.

CAPUT VII.

Antiſcholaſtici, & Antiperipatetici.

HUjus capitis exordium inſtituat modò laudatus Buddeus, qui pag. 74. cit. operis ſic ait: *Renaſcentibus bonis literis, longe alia cœpit eſſe Philoſophiæ facies, viris doctis certatim Scholaſticæ Philoſophiæ jugum excutientibus; qui tamen non unam, eandemque omnes ingreſſi ſunt viam. Quidam enim nævos, & barbariem ſaltem Scholaſticæ Philoſophiæ perſtrinxerunt, & de alia Philoſophia ſuſtituenda in ejus locum non fuere ſolliciti: alii unam ex veteribus ſectis reſtaurandam ſibi ſumſerunt: alii novam prorſus Philoſophiam condiderunt. Ad primam claſſem referri poſſunt, qui in humanioribus literis reſuſcitandis operam, ſtudiumque collocarunt: Licet enim haud pauci illorum certæ ſectæ dederint nomen ſuum, in eo tamen conſenſerunt, idque egerunt magno conatu, ut Scholaſticorum barbariem profligarent. Sed præ cæteris tamen ſuo velut jure huc referendi ſunt Joh-Ludovicus Vives, Laurentius Valla, Marius Nizolius, Adrianus Cardinalis, atque alii.*

Notandum tamen hîc velim, me haud hîc loci de iis omnibus, qui in Ariſtotelem invecti ſunt, ſermonem inſtituere; ſed tantum de illis, qui neque novarum ſectarum conditores ſunt, ut Carteſius, Gaſſendus, &c. neque aliis ſectis ex inſtituto addicti ſunt, quorum numerus pene innumerus eſt: de horum enim ſingulis actum, vel agendum in locis propriis. Eos igitur huc ſolum refe-

referam, qui celebre, ac peculiare aliquod Syſtema in Philoſophia non condidere, neque aliis ſectis nomen dedere ſuum; ſed tamen Ariſtotelis doctrinam ad trutinam revocare propria mens fuit, & inſtitutum; ut modò dicti à Buddeo, & his ſimiles; quorum alii tantum contra Scholaſticos, alii contra Peripateticos quoſcumque ſtetere.

Sed quis te melius Antiſcholaſticorum agmen ducet, doctiſſime Buddee, qui te Eclecticum profeſſus, loco cit. pag. 70. Ita Scholaſticos non perſtringis ſolum, ſed conteris? Sic ibi: *In dogmatibus Scholaſticorum hoc maxime obſervandum, quod circa inutilia, futilia, meraſque λογομαχίας fuerint occupati. Logicæ, & Metaphyſicæ maximum ſtatuerunt pretium. Hinc de Prædicamentis, Prædicabilibuſque ad nauſeam uſque diſputant; quemadmodum & de principio individuationis, de radice futuritionis, de ſuppoſitalitate, & perſonalitate, & hujuſmodi infinitis nugis valde fuere ſolliciti. Sic & Phyſicam fere totam in Metaphyſicam converterunt, ſit ne Phyſica ars, an ſcientia? detur ne motus ad ſubſtantiam? ſit ne generatio motus, nec ne? acriter diſputantes. In cæteris Ariſtotelem ſecuti ſunt, aut ſequi voluerunt.* Ex Peripateticis tamen nonnullos laudat, tanquam arcanorum naturæ peritiores, quam ſeculi, quo vixerunt, genius permittere videbatur; inter quos præcipue Rogerium Baconem, & Albertum Magnum memorat.

De magno hoc Philoſophiæ præceptore, & polygrapho, ejuſque ſcriptis, tale eſt Jonſii, ejuſdem diſcipuli, judicium de Script. Hiſt. Philoſ. lib. 3. c. 36. *Proximus his eſt Joh-Franciſcus Buddeus, celeberrimus primum Moralium, & Politices in eadem Fridericana Profeſſor, poſt Theologus Doctor, & Profeſſor longe meritiſſimus in illuſtri Salana, præceptor noſter venerandus. Tot egregios libros dedit, quibus Hiſt. Philoſophicam adauxit, ut iis carere nemo poſſit, cui ſolidiora Philoſophiæ ſtudia curæ cordique ſunt. Ejus Introductio ad Hiſt. Philoſophiæ Hebræorum, Halæ edita 1702. 8. Hiſtoriam, atque ſcriptores Philoſophiæ Hebræorum, Moſaicæ ſcilicet, Cabbaliſticæ, & Rabbinicæ omnium optime tradidit. Sic & ejus Hiſtoriæ Philoſophicæ ſuccincta delineatio, quam Elementorum Philoſophiæ Eclecticæ Tomo 1. præmiſit, fata Philoſophiæ, & Philoſophorum placita breviter quidem, ſed eruditiſſime delineavit; ita, ut nihil magis optemus, quam ut ejus Commentationes de ſingulis Philoſophorum ſectis, quarum ſpem fecit, ad communem utilitatem pervenire potuiſſent. Fata ſtudii Logicæ expoſita ſtant in fronte editionis novæ libri Artis Cogitandi, qui Halæ recuſus prodiit. His addimus Hiſtoricam de Peregrinationibus Pythagoræ Diſſertationem, habitam quondam Jenæ 1692. quam poſtea Analectis Hiſtoriæ Philoſophicæ, Halæ editis an. 1706. 8. præfixit. In hac non tantum itinera Philoſophi hujus in Phœniciam, Ægyptum, & Babyloniam ſuſcepta, ſed ejus etiam patriam, præceptores, & alia memorabilia expoſuit; eaque occaſione multa contra Marshamum, Voſſium, & Huetium diſputavit. Dialogus ejus de moribus Philoſophorum multa eruditione refertus, prodiit ibidem 1695. 12. Preterea Moralis Philoſophię imprimis illuſtravit Hiſtoriam. Horſum faciunt ejus De præcipuis Stoicorum in Morali erroribus Academicę Diſſertationes quatuor, annis habitę 1695. & 1696. Quæ junctim deinde ſub eodem titulo prodierunt ibidem 1696. 8. Moralem Gręcię Sapientum Hiſtoriam Diſſertationes tradunt eæ, quę complectuntur Ethicam Thaletis Mileſii, Ethicam Pittaci Mitylenæi, Ethicam Biantis Prienæi, Ethicam Solonis Salamini, Legum Solonis, & Moſaicarum collationem, Ethicam Cleobuli Lindii, Ethicam Periandri Corinthii, Ethicam Chilonis Lacedæmonii. Harum junctim uno volumine editarum titulus eſt: Sapientia Veterum, hoc eſt, dicta illuſtriora ſeptem Græciæ Sapientum Diſſertationibus aliquot Academicis explicata, una cum pro-*

grammate de vero, & genuino Philoſophiæ Moralis apud Chriſtianos uſu; qui liber lucem adſpexit an. 1699. 8. *Ejus Hiſtoria Juris Naturæ, una cum Synopſi Juris Naturæ, & Gentium juxta diſciplinam Hebræorum continetur in Phil. Reinhardi Vitriarii Inſtitutionibus J. N. & G. Halæ recuſis* 1694. 8. *Nec prætermittendæ Obſervationes ſelectæ Halenſes, ad rem literariam ſpectantes (confer de his Illuſtrem Struvium in Introduct. p.* 275.) *quas una cum viris longe celeberrimis, Chriſtiano Thomaſio, Georg. Erneſto Stahlio, aliiſque tum in Academia Fridericiana, tum alibi degentibus, inchoaverat an.* 1700. *His varia item inſeruit, quibus nos adjuvit. In his inter alia Obſervatio exhibet decima Apologiam pro Pythagora contra Epiſcopum Worceſtrienſem - - - - - Hæc præcipua Viri ſcripta, quæ ad ſcopum noſtrum pertinent. Plura recenſet integer ejus ſcriptorum catalogus, jam ſecunda vice publicatus Jenæ* 1714. 8.

Ibidem ab eruditiſſimo Jonſio laudatos habes doctiſſimos, ac de rebus Philoſophicis optime meritos, *D. Burckhard Gotthelff Struvium*, Saxonum Ducibus à Conſiliis, & hiſtoricis rebus, Juris, & Hiſtoriarum Profeſſorem, ac ejuſdem Jonſii præceptorem, qui præter alia multa ſcripſit *Bibliothecam Philoſophicam*, editam Jenæ 1704. 8. in qua de recentioris ævi Philoſophorum libris cum additis de quibuslibet judiciis egit; quam deinde auxit Joh. Henricus Ackerus. *Joh. Jacobum Mullerum, qui Diſſertationem de virtutibus, ac vitiis Philoſophorum Orientalium* concinnavit, Jenæ 1709. 4. *Joh. Jacobum Syrbium* Philoſophiæ Profeſſorem, qui Philoſophiæ ſuæ Pythagoreæ Diſſertationem præmiſit, cui titulus: *Pythagoras intra Sindonem noſcendus. M. Joh. Gottlieb Olearium, Joh. Gottfr. Olearii, Arnſtadienſis*, filium, qui Diſſertationem habuit *De Petri Pomponatii Vita;* Cujus celebriores diſcipulos enumerat, præcipue *Julium Caſparum Sebaſtianum*, *Vaninum* etiam appellatum, de quo duas habet Diſſertationes, unam *De Vita & fatis Vanini*, alteram *De Scriptis, & Opinionibus ejuſdem*; de quo etiam argumento ſcripſit *Joh. Mauritius Schrammius*. Doctiſſimum Philoſophiæ Profeſſorem Jenenſem *M. Gottlieb Stollium*, in Hiſtoria Philoſophica verſatiſſimum, qui eruditum opus confecit, cui titulus: *Hiſtoria Philoſophiæ Moralis Gentilium*, Germanico idiomate ſcriptum; & Diſſertationem *An Homerus fuerit Philoſophus Moralis? Valentinum* denique *Veltheimium*, Theologum Jenenſem (qui etſi Scholaſticorum patronum egit *Oratione de Scholaſticorum laudibus* habita contra Pufendorffium, quia Jenenſis, inter Antiperipateticos Jenenſes collocare fas eſto) qui mortem obiit an. 1700. Atque alios, quos ſingulatim, & fuſe tractavit *Caſpar Zeumerus in Vitis, & Scriptis Philoſophorum Jenenſium*.

In celeberrima Lipſienſi Academia præ cæteris clari habentur *Gottfrid. Olearius* (quem ſupra in lib. 3. ſæpe memoravimus) D. Theologus, & Profeſſor, & Jonſii etiam præceptor, qui plures edidit Philoſophicas Diſſertationes, *De Philoſophis exoſis. Ad Leonis Allatii Dialogum de ſcriptis Socratis. De Dæmonio Socratis. De Heracliti Philoſophia. De ejuſdem rerum naturalium Geneſi. De Philoſophia Eclectica, &c.* Quarum quædam apud Stanlejum ſunt. *Gottlibius Fridericus Jenichenius*, qui in ſua *Hiſtoria Spinoziſmi* Spinozæ vitam, doctrinam, & ſcripta delineavit. *Chriſtophorus Schraderus*, qui *de Faſtu Philoſophico virtutis colore infucato in imagine Diogenis Cynici* ſcripſit. Sed omnium maxime inter eruditos, ac Philoſophos, Lipſienſis Academiæ decus, & Præſes memorandus doctiſſimus Polyhiſtor *Joh. Burckardus Menckenius*, de re literaria optime meritus, Poloniarum Regi à Conſiliis, & Hiſtoricis rebus, &c. qui præter alia libellum dedit *De Charlatanaria Eruditorum*, eruditis omnibus gratiſſimum.

In

In inſigni Wittebergenſi Academia floruit *Conradus Samuel Schurtzfleiſchius* mortuus an. 1708. qui *Diatribam de Druidis* dedit, in qua de eorum Philoſophia, moribus, & inſtitutis egit: quam materiam pertractavit etiam *Joh. Fridericus Schopfius*. Wittebergæ habita quoque fuit *Diſſertatio de Philoſophia Homeri*.

In Academia illuſtri Altorfinorum illuxerunt clariſſimus *Daniel Omeiſius*, *qui Ethicam Platonicam cum ejus Vita* evulgavit 1696. 8. *Ethicam etiam Pythagoricam, cum commentario in Aurea Carmina: De Symbolis item Pythagoricis* ib. 1693. 8. *De Stoicorum Philoſophia Morali*, &c. Magnus quoque, ac celebris ibi Mathematicus floruit *Joh. Chriſtoph. Sturmius*; cui inter Carteſianos locus erit. Ibi etiam ſub præſidio Molleri habita fuit *Diſſertatio de Moyſe Philoſopho*; in qua ipſe omni Ægyptiorum doctrina; Philoſophia, cunctiſque ſcientiis inſtructus oſtenditur.

In Academia Julia celebres inter alios numerantur *Erneſtus Salomon Cyprianus*, Philoſophiæ in ea Profeſſor doctiſſimus, qui elegans opuſculum *De Vita, & Philoſophia Thomæ Campanellæ* confecit: de quo, ubi de Campanella, redibit ſermo. *Joh. Andreas Schmidius*, Abbas Mariavellenſis, qui eruditis ſuis Diſſertationibus magnam ſibi inter Juliæ Academiæ Profeſſores famam ſec. 17. comparavit, veterum quorundam Philoſophorum doctrinam illuſtrando. Ex his una eſt *De Anaxagora, & ejus Phyſiologia*, habita 1668. in qua Anaxagoræ Vitam, & Dogmata clarius, quam Laërtius expoſuit. Quod item fecit de Anaximene in ea, quam *De Anaximenis Vita, & Phyſiologia* inſcripſit. *De Seneca, ejuſque Theologia* aliam; aliam denique *De Theologia Hippocratis* Diſſertationem habuit, qua probavit, Hippocratem, Medicorum Principem Naturalis Theologiæ, omnis Philoſophiæ partis, Matheſeoſque inſtructum fuiſſe. *D. Joh. Georgius Niemejerus* Diſſertationem ibi habuit 1703. 4. *De Ariſtotele, ejuſque Philoſophia*.

In Academia Kilonii florentiſſima celebratur *Georgius Paſchius*, mortuus 1707. autor libri maxime commendabilis, cui titulus: *De variis modis tractandi Moralia*; Kilonii 1707. 4. in quo veterum omnium Philoſophorum Ethicam tradit, examinat, dijudicat. Librum etiam condidit *De Inventis novis*.

Inter Tubingenſes Academicos clarus eſt *Andreas Adamus Hochſtetterus*, autor *Hiſtoriæ Philoſophiæ Practicæ*. Quod & alii fecerunt. Sic quoque *Henr. Julius Scheurlius Breve Compendium Hiſtoriȩ Moralis* dedit; in quo aliorum tum Ethnicorum Chriſtianorum Moralium virorum, librorumque moralium meminit præcipuorum; quod & *Gabr. Naudæus* in ſimili libello fecerat *de Politicis*.

In Regia Argentoratenſi *De Philoſophia Celtica Exercitationem* edidit *Ulricus Obrechtus*, Prætor Regius, qui obiit 1701. & *Diſſertationem de vera Philoſophiȩ Origine*. *Joh. Schilterus De Diſciplina Pythagorica Diatribam* dedit; quæ ejuſdem *Manuductioni Philoſophiæ Moralis ad Juriſprudentiam* ſub finem juncta eſt. In quo argumento huic præfertur, quæ à Scheffero edita eſt.

In Hamburgenſi maxime celebratur magnus, ac plane incomparabilis Polyhiſtor *Joh. Albertus Fabricius*, Lipſiæ natus, ibidemque D. Theologus, & Profeſſor inſignis, ac omni majori laude digniſſimus; qui, dum adhuc apud Lipſienſes degeret, hæc, præter alia multa, Philoſophici argumenti concinnavit: *De Platoniſmo Philonis Judȩi Exercitatio*. *Liber de Vita, & Virtutibus Procli Theoreticis, & Theurgicis*. *Diſſertatio de Brachmanibus*. *Bibliotheca Grȩca*, opus vere aureum, quod multis Tomis comprehenditur, &c.

Chriſtophorus Wolfius, Lingu. O. O. in eodem Gymnaſio Profeſsor, *Hiſtoriæ Philoſophicæ antiquæ Compendium*, lectu dignum evulgavit Hamburgi 1706. 8. *Joh. Fridericus Mayerus Diſſertationem: An Pytagoras Judæus fuerit, Monachuſve Carmelita?* Hamburgi 1700. 4. de qua re vide Act. Erudit. Lipſ. ad an. 1696. & Joh. Cler. Bibl. Choiſiet. 10. *Gottofr. Arnoldus* Librum Ethico-Politicum pervetuſtum dedit (qui aliàs etiam Kelile Wadimne dicebatur) ſub titulo: *Specimen Sapientiæ Indorum veterum* Gr. Lat. cujus autor Utus Iſamus, Rex Indorum dicitur.

Atque hæc de celebrioribus Germaniæ Academiis, & Academicis, qui Philoſophis accenſeri merentur, breviter dixiſse ſufficiat, occaſione ductâ à laudato Buddeo, qui Germanos alios enumerandi mihi anſam præbuit. Non enim hic de univerſi Orbis Academiis agere animus fuit, quod immenſum eſset (de quo forſan deinceps, σὺν τῷ Θεῷ, verba faciam) ſed pauca tantum Germaniæ Scholis, & Profeſsoribus fama clarioribus, quorum major pars, ne dicam omnes, Antiſcholaſticorum, atque Antiperipateticorum eſt, ex Jonſio excerpta adnotare. Sed ad rem.

JOH. LUDOVICUS VIVES.

GEnere Hiſpanus, patria Valentinus, omnium ſui ævi eruditiſſimus; eruditorum omnium κριτικώτατος, ſec. 16. floruit. Pariſiis Philoſophiæ curriculum peregit: inde Lovanium venit, ubi humaniores literas magna ſui nominis fama publice diu profeſsus eſt. Poſtea in Angliam ſecedens, Latinas literas Mariam Reginam, Henrici VIII. uxorem, docuit. Cum autem eidem Henrico de non repudianda uxore liberos ſuos ſenſus aperuiſset; ejus juſsu carceres ad ſex menſes pertulit: quibus egreſſus, Bravum, Archiepiſcopalem Hiſpaniæ urbem Caſtellæ veteris regiam, vulgò Burgos, venit, ubi uxorem duxit. Inde tandem Brugas, Belgii urbem in Flandria, reverſus, ibi ultimum diem obiit in Orthodoxa Fide, ut ajunt ſuſpectus, circa an. 1536. Verùm alii pro comperto, & indubitato habent, ipſum Catholicum obiiſſe, atque aſſerunt, hanc non eſſe niſi vanam Proteſtantium jactantiam, quod ex eorum numero fuerit.

Scholaſticorum hoſtis fuit acerrimus (qui omnium ſui ævi eruditorum, Scholaſticam barbariem deteſtantium, mos fuit) ut videri poteſt in præclaris, & æterna memoria dignis, ſuis Operibus, ex quibus plures ſententias pro occaſione retulimus, præcipue ſupra cap. præcedenti, ubi autorum de Scholaſticis cenſuram adnotavimus. Scripſit igitur de Diſciplinis lib. 12. quorum 7. ſunt De Corruptis Artibus; 5. verò De Tradendis Diſciplinis: quos omnes ipſi in Philoſophos concinnavit; in ipſis enim Scholaſticos mirum in modum perſtringere conatus eſt. Nullo enim modo, ut ait Jonſius, ferre poterat, ut renata ſapientiæ ſtudia à Scholaſticis iterum opprimerentur. *De Initiis, Sectis, & Laudibus Philoſophorum* egit in libro, qui Tomo 3. ſuorum operum plerumque habetur. Scripſit etiam eruditiſſimos, & omni omnium laude digniſſimos *Commentarios in Auguſtini libros de Civitate Dei*; atque alia, quæ omnia 2. Tomis in f. prodierunt Baſileæ 1560. Præterea Eraſmum in Seneca emendando, & Adagiis colligendis adjuvit, ut in Bibl. Hiſp. notatur: ubi tres viros ejuſdem ævi celeberrimos ad Remp. literariam optime conſtituendam ſic notatos vides, ut Budæo ingenium, Eraſmo dicendi copia, Vivi judicium tribuatur. Et quidem Criticus fuit omnium ſuæ ætatis rigidiſſimus, & ſapientiſſimus; quidquid contra obſtrepat Ger. Joh. Voſſius, ajens: *In re Critica ſæpiſſime lapſus eſt Joh. Lud. Vives.*

Sanior, atque æquior videtur de magno hoc Critico criſis, quæ in Scaligerana

Digitized by Google

rana 1. eſt: *Vives fallitur, dum in libello quodam Lucanum Virgilio præfert; ſed librum de Anima compoſuit, Patri meo Julio Scaligero valde laudatum.* Et in Scaligerana 2. *Vives de Gellio malo animo judicavit, ſed tamen bene; de Diodoro Siculo idem male judicavit. Vives fuit doctus: quę ſcripſit in Auguſtinum ſunt optima, ſi ſpectemus illud ſæculum; ſed ſi noſtrum, nihil eſt: fuerunt aliqui Luſitani docti, pauci Hiſpani.* Cæterum pleno ore laudatur à Boiſſard. in Icon: ab eodem Voſſio in epiſt. præfix. Arti Grammat. ubi: *Ludovicus Vives vir ut variæ doctrinæ, ita ſapientię prope incomparabilis.* Eraſm. epiſt. 19. 101. & in Ciceroniano p. 185. Georg. Morhof. Polyhiſt. p. 333. Sixt. Senenſ. qui aſſerit, ipſum ſummam eloquentiam cum abſolutiſſima eruditione, & Chriſtianiſſima pietate conjunxiſſe Neandr. part. 1. Geograph. Quenſtedt, qui eum vocat *Rarum Valentiæ decus, propterea quod & Declamator egregius, & Philoſophus magni nominis, & multis rebus eminentiſſimus eſt habitus.* Gul. Crovv. Elench. Scriptorum in Sac. Script. Iſaac. Bullart. Acad. Scient. Gall. Jonſ. atque aliis plurimis, quos mens non eſt hîc omnes congerere.

LAURENTIUS VALLA

P*Atricius Romanus, & Canonicus S. Joh. Laterani, Grammaticus, Rhetor, & Philoſophus clariſſimus, Theologiæ Doctor, Gręcæ, ac Latinæ Linguæ peritiſſimus. Inimiciſſimus fuit Poggio, qui in Oppido Florentiæ ditionis natus, Romæ ſumma in autoritate vivebat in Aula Pontificia literarum Apoſtolicarum ſcriptor, vir quidem facetus, & dicteriis clarus, pauloque amarior, quam par fuit. Is in Vallam multa ſcripſit acerbiori ſtylo, cui & Valla reſpondit non leniori ſcripto.* Boiſſard in Icon; ubi etiam, & in Geſn. Bibl enumerata vides omnia ejus Opera, quæ uno volumine contenta prodierunt: & quorum major pars ad Latini ſermonis puritatem, & elegantiam (quod magnum, ac præcipuum ſui operis inſtitutum fuit) vel rem Sacram, Hiſtoriam, & eruditionem, pertinet. Unde non immerito Eraſmus lib. 7 Epiſt. 3. *Quis Vallam non & magnifice laudet, & amet quammaxime, qui tanta induſtria, tanto ſtudio, tantis ſudoribus, Barbarorum ineptias refellit, literas pene ſepultas ab interitu vindicavit, priſcæ eloquentiæ ſplendori reddidit Italiam: doctis etiam id præſtitit, ut poſthac circumſpectius loqui cogantur.* Verùm ex omnibus ſuis laude dignis operibus, quæ ad noſtram Philoſophiæ materiem ſpectare videntur, ſunt *De Dialectica lib. 3.* in quibus Ariſtotelem, & Peripateticos omnes acerrime inſectatur. Hinc de eo Jonſ. de Script. Hiſt Philoſ. lib. 3. c. 21. *Nec prætermittendus Laurentius Valla, ſive Vallenſis, patricius Romanus, Grammaticus, Rhetor, Philoſophus, & Theologus, qui primus circa id temporis Stagiritę ſe opponebat, editis hunc in finem Dialecticis ſuis Inſtitutionibus a. 1440 Nam cum bonis literis Philoſophia quoque renaſcebatur, doctis nonnullis & ſapientibus viris Scholaſticam iſtam barbariem, tanquam bonarum mentium peſtem, è liminibus Scholarum expellendi, conſilium ineuntibus, &c.* De Vallæ Philoſophia hoc etiam Ludov. Viv. judicium eſt, de Cauſ. corrupt. Art. lib. 3. in fine: *Laurentius Valla aggreſſus eſt reconcinnationem facere Dialecticæ, in qua diſſentit ab Ariſtotele, & Peripateticis veteribus, & novis. Monet in quibuſdam neutiquam prave, etſi ea ſunt perpauca; in pleriſque labitur, ut fuit vir ille vehemens, & ad faciendum judicium pręcipitatus. Nec ſolum in re Dialectica falſus eſt, ſed in Philoſophia, nam hanc quoque attingit, &, quod magis mirere, in præceptis Latinæ linguæ. Sed non minus illic improbando aberravit, quam in elegantiis, & invectivis. Cęterum Dialecticæ illius errores, qui ſunt ſane multi, nos vel omittemus prorſum, vel in aliud tempus, ſi videbitur, reſervabimus: nam ſuſcipe-*

Digitized by Google

re cum eo diſputationem, res eſſet nimium prolixa, minimeque in præſens neceſſaria, quod illius argumenta nec magnis rationibus nituntur, nec proinde ſunt ab ullo recepta, tanquam dogmata artis hujus. Hæc de Critico Criticus. Ad Philoſophicos libros referri etiam poſſunt ejus *Lib. 3. De Voluptate, & vero Bono.*

Sed ad Vallæ vitam redeamus. Ex nimia ſuæ linguæ, & calami in Romanam Curiam, & Religionem loquendi, ſcribendique libertate, Roma diſcedere cöactus, Neapolim ſe recepit, ubi nec etiam Poggii, aliorumque nociturorum perſecutionem declinavit. Nam in æquum, ac rigidum S. Inquiſitionis Tribunal impietatis reus delatus, quod non bene, & Catholice de Trinitate, Libero Arbitrio, ac Virginis puritate, ſentiret; mortis ab eo damnatus, ignis pœnam Alphonſi Regis Neap. favore vix evitavit. Quare Romam reverſus, ibi mortem obiit Kal. Aug. 1465. æt. 50. atque in Eccleſia S. Joh. Lateran. ſepultus, ubi hoc ei Elogium in marmore inſculptum legitur:

Laurens Valla jacet, Romanæ gloriæ linguæ:
Primus enim docuit qua decet arte loqui.

Magnus fuit, & acutus Romani ſermonis cenſor, & contradicendi morbo, quo vehementer laborabat, mordax, & acer in omnes. Hinc non immerito, vel temere de eo dictum:

Carpis Majores, & te quoque, Valla, Minores.
Carperis, & carpis. Sic tua fata ſinunt.

Ex Phil. Labbe in Theſaur. Epitaph faceta hæc alia in Vallæ maledicentiam Epitaph. habentur:

Obe! ut Valla ſilet, Solitus qui parcere nulli.
Si quæris quid agat, nunc quoque mordet humum.

Aliud.

Nunc poſtquam Manes defunctus Valla petivit,
Non audet Pluto verba Latina loqui.
Juppiter hunc Cæli dignatus parte fuiſſet,
Cenſorem linguæ, ſed timet ipſe ſuæ.

Vide etiam Voſſium, Trithemium, Joh. Dallæum, Gul. Budæum, Huetium, Jovium, &c.

BERNARDINUS TELESIUS.

Cum nemo melius, vel exactius Teleſii hujus Conſentini, non minus literis, quam ſanguine nobilis, vitam, & doctrinam deſcripſerit Johannes Imperiali; quæ notantur hic ex ipſius Muſæo Hiſtorico exſcribere jus eſto. Sic igitur ibi Imperialis: *Neque verò involvenda ſilentio nobis eſt Bernardini Teleſii Conſentini memoria, qui prevalido mentis conatu Phyſica Peripateticorum Principis dogmata convellere auſus, ſumma ejus ętatis ingenia cunctis fere in Orbis gymnaſiis concitavit. Is proavis genitus nobilitate, ac literarum nitore fulgentibus, puer adhuc Mediolanum ad Antonii patrui raræ doctrinę, ac integritatis contubernium profectus eſt: inde porro una cum ipſo decimoſeptimo ętatis anno Romam ſecedens, in illud incidit tempus, quo Civitas Borbonii Ducis nequitia ſpoliata, execrabile Pontificis, ac rerum omnium ſpectaculum prębuit. Communi verò ſuccumbens tunc fato Teleſius à militibus captus, bimeſtre carceris incommodum pertulit, donec Bernardini Martiriani civis ſui Principis Aureliani Borbonio nuper defuncto ſubrogati à ſecretis patrocinio eſt exemtus. Ab hoc infortunio Romanum exoſus cœlum, ad Patavinas ſe contulit Athenas, ubi ſedulò Mathematicarum addictus ſtudio, ac potiſſimum Opticæ, nova, inexcogi-*

cogitata, imperſcrutabilia prope quamplurima detexit; in Philoſophiæ pariter indagine non acquieſcens Ariſtotelis diſſertationibus, inventorum ſuorum jacere cœpit ſemina, quæ favorabili doctorum perflata calore, fructum ſubindè veritatis amatoribus haud inſuavem pepererunt: longe ſiquidem planiori, ac munitiori via hic videbatur incedere, quam Sophiſtæ alii jam tum in Ariſtotelem debacchati, quorum coriphęus Petrus Ramus, cujus opera tetro adhuc oblivionis carcere obruta, ſuſcepti incaſſum, ac temere facinoris pœnas luit. Cæterum Patavio Romam reverſus, cum Ubaldino Bandinello, & Johanne Caſa Archiepiſcopo Beneventano, doctiſſimis viris, obſtricto neceſſitudinis vinculo magis, magiſque ad incoatæ perfectionem Philoſophiæ utriuſque vocibus eſt impulſus. Itaque Conſentiam ſe referens, cum Diana Serſali nobiliſſima femina inito matrimonio, tres poſtmodum ſuſcepit maſculos, quorum tandem ſuperſtes unicus, defuncta matre, potuit grandior factus, Bernardino literarium quęrenti ocium, oneroſam domeſtici negocii molem ſubtrahere. Unde factum, ut is in Silenti luco ſe prope Coracem fluvium abdiderit, ubi celato Muſarum ſilvas, nemoraque colentium, numine percitus, & amena ſimul viridantis, exultantiſque naturæ illectus facie, bina De Rerum Naturalium Principiis volumina, aliaſque rerum Phyſicarum tractatiunculas lucubravit, quæ ſingula mox edita, & anxio Neapolitanę juventutis excepta ſtudio, ipſum ad eam urbem accedere coëgerunt, quò adſpectu ſuo hæſitantium plurimos juvenum erigeret, firmatos tueretur: abditoſque rerum præſtantiſſimarum ſenſus omnibus aperiret. Itaque ab eo die excita ibi fuit Academia, in qua ſingulari contentione, nominatim Teleſiana Philoſophia adverſus Ariſtotelis placita propugnata, diu etiam vel autore demortuo floruit, licet deinde bellorum viciſſitudinibus intermiſſa potius, quam everſa. Tandem Neapoli melancholico agitatus affectu, indeque Conſentiam filii pietate tranſvectus, poſt annum, & ſemis ecſtatico quaſi ſtupore præpeditus migravit è vivis octogenarius, cùm ſe antea Thomę fratris Archiepiſcopi Conſentini ſacris manibus ejuſdem tumuli gremio jungere concupiſſet; ejus Sectatores ex eo dicti *Teleſiani*.

PETRUS RAMUS

Natione Gallus, patria Veromanduus, natus eſt an. D. 1515. Interemtus hic vir fuit in laniena Pariſienſi A. D. 1572. inque Sequanam conjectus à diſcipulis Carpentarii barbaro more, in gratiam, ut creditur, Præceptoris, imo, ut ajunt, ejus hortatu, viri in Platonica quidem, & Ariſtotelica Philoſophia egregii; ſed qui perpetuam Ariſtotelis inſectationem in P. Ramo ferre minime potuiſſet: unde illud pluſquam Vatinianum adverſus eum odium exarſit. Voſſ de Mathem. p. 67. Primis vitæ annis proprio manuum labore victum ſibi comparabat factus ex neceſſitate ſervus, qui ex nobili nimis familia ſanguinem ſortitus fuerat. Ejus namque avus Leodium, Germaniæ in Belgio urbem, quæ ſibi patria erat, belli cauſſa relinquere coactus, Auguſtam Veromanduorum ſe recepit, ubi, ne fame periret, carbonarium egit. Hinc de P. Ramo in Scaligerana I. *Ramus ad annum uſque 19. ne quidem primas notas didicerat, inſerviebatque Dom. de la Broſſe. Lutetiam deductus tantum famulus profecit, maximo diſcendi deſiderio percitus, ut quamvis repugnante ingenio tardo, rudi, ac ſtupido; repugnante, quod majus eſt, inſtitutione ſera: labore, & diligentia in id literarum decus pervenit, quò perveniſſe vix credibile ſit, itaut anno trigeſimo contra Ariſtotelem ſcripſerit meliori ſtylo, quam poſterioribus annis. Bonus Orator, qui facultatem dicendi ſibi comparaverat.* Αὐτοδίδακτος *plane, utpote qui aliud in diſciplinis tradendis iter, novamque viam inquirere vo-*

voluit. Flumen verborum, guttula mentis, Religionis purioris, quam profitebatur, ergo mortuus eſt an. 1572. *in laniena Pariſienſi.* Tam vaſti ingenii profundæ eruditionis, atque acutus Philoſophiæ Profeſſor fuiſſe dicitur ab Ant. Teiſſier in Elog. Erudit. Vir. Gall. ac tantæ apud omnes ſui ævi eruditos exiſtimationis, ut exteræ gentes omnes moverint lapidem ad præclarum hunc virum Galliæ ſurripiendum. Sic enim ibi ſcripſit: *Poſt Romuli Amaſei obitum Bononia civitas mille ducatos annuos ei obtulit, ut illum in hujus locum pertraheret. Poloniæ Rex Cracoviam illum allicere conatus eſt. Johannes Hungariæ Rex petiit eum, ut Weiſſemburgicæ Academiæ regimen ei traderet. Omnia ejus opera rite conſcripta ſunt; ſed obſervant eruditi, ſtylum priorum, quæ adverſus Ariſtotelem elaboravit, cæteris ab ipſo deinceps elucubratis multo præſtantiorem fuiſſe. Accuſatus fuit, quod è Tractatu Vivis de cauſis Corrupt. Art. omnia excerpſerit argumenta, quibus Ariſtotelem impugnat.*

In nova ſua Antiperipatetica Secta inſtituenda, quæ ab autore *Ramiſtarum*, ſive *Ramæorum* nomen habuit, mirum quot acerrimos hoſtes, omnes nempe Peripati patronos, quot perſecutiones, quot damna perpeſſus ſit, ad internecionem uſque, ut diximus. De præcipuis ejus æmulis, ac nominis delatoribus, ita Boiſſardus in Icon. - - - - - *Acerrimos calumniatores expertus eſt Petrum Galandium, Antonium Goveanum, Joachimum Perionium, & Jacobum Carpentarium. Sed ante omnes infeſtiſſimos ſenſit Sorbonæ Doctores, qui communi omnium ſententia in Ramum inſurgentes, illum hæreſeos in Philoſophia accuſarunt, quod in Ariſtotelem Philoſophorum Principem auſus fuiſſet ſcribere. Effecerunt ſua autoritate, ut Ramo ſit interdictum in poſterum docere, vel ſcribere in ullam Philoſophiæ partem.* Quod factum notat Mr. Bayle à Franciſco I. Rege ex Theologorum decreto, quibus ipſe Rami doctrinam examinandam tradiderat: ex quorum etiam ſententia ejus libri in Regio Cameracenſi Collegio combuſti ſunt. Poſtea tamen Henricus II., Cardinalis Lotharingiæ precibus, ipſum iterum accerſivit, eique Regii Profeſſoris munus contulit. De Rami oppoſitoribus ita Hornius Hiſt. Phil. lib. 6. c. 11. *Oppoſuerunt ſe plurimi, præſertim Lutetiæ Joachimus Perionius: Tubingæ Jac. Schekius; è Theologis Beza, & Urſinus. Tria potiſſimum ei objecta: ἀμεθοδία, ἀντιλογία, ψιλολογία &c.* His Rami oppoſitoribus addit Jonſius Philippum Scherbium, Helvetum origine, Logices, & Metaphyſices in Altdorſina Academia Profeſſorem, qui Apologiam pro Ariſtotele, & Euclide contra P. Ramum, & alios ſcripſit: Johannem Proſchium, qui alteram ejuſdem tituli Apologiam confecit; alioſque.

Ex Rami diſcipulis, vel ſectatoribus fuere: Nicolaus Nancelius, ejus diſcipulus, qui magiſtri vitam erudite ſcripſit, quæ, notante doctiſſimo Bælio in ſuo Lex. tom. 2. voce *Ramus*, multa continet memoria digna. Quam Rami vitam etiam edidit alter Rami ſectator Joh. Thom. Freigius, Juriſconſultus non indoctus, qui teſte Morhofio II. 1. 12. 1. multum impendit operæ reformandis ad mentem Rami diſciplinis. Hac Rami vita, in qua Freigius motus omnes, quos Ramæa Philoſophia in Gallia concitavit, expoſuit, tanquam elegantiori uſus eſt doctiſſimus Bælius ad Rami Vitam in ſuo Lexico deſcribendam. Sed Rami vitam antea ediderat Theophilus Bannoſius. Caſparus Pfaffradius, qui pro Ramo de ſtudiis Ramæis, ac optimis inſtitutionis ejus legibus egit. Verùm omnium, qui plurimi, ſtrenuiſſimus Rami defenſor fuit Andreas Kragius, de quo ita Jonſ. de Script. Hiſt. Phil. lib. 3. c. 25. 4. *Sub id in Dania Regibus forte Friderico II. & Chriſtiano IV. floruit Andr. Kragius, natus Ripis Cimbrorum a.* 1558. *Philoſophus, & Medicus Hafnienſis non incelebris, qui P. Rami, & ejus Philoſophiæ defenſionem contra Georgii, & Lible-*

ri

ri calumnias in Epitomen 8. librorum acroamaticōn adſperſas edidit, *teſte Alberto Bartholino de Scriptis Danorum*, *qui Kragii liber prodiit Baſileæ* 1582. 8. Rami ſectatoribus accenſet Jonſius Rennemannum, Joh. Cramerum, Halberſtadienſem-Saxonem, Lipſienſem Phyſicæ Profeſſorem, qui circa an. 1579. Rami Philoſophiam publice, & private Lipſiæ docuit, Gerhardum, & Arnoldum, Bottios fratres, qui librum edidere ſub titulo: *Philoſophia reformata, ideſt, Philoſophiæ Ariſtotelicæ accurata examinatio*, *ac ſolida confutatio*, &c. Sed reliquis ejus ſectatoribus prætermiſſis, quædam de ejns doctrina, ac doctrinæ fatis delibemus.

Et primo talem ſuam hanc Antiperipateticam ſectam inſtituendi occaſionem refert Hornius loc. cit. *Occaſionem ei dederunt Pſeudoperipatetici Sophiſtæ Pariſiis*, *& alibi*, *Scholaſtica barbarie*, *& corruptiſſima Philoſophia in media literarum luce delectati*, *nec non interpretes pravi*, *& rudes Ariſtotelis. Quorum furias non tolerans*, *primo in ipſos*, *mox in ipſum Ariſtotelem acriter invectus eſt*, *& adverſariorum calumniis divexatus*, *longius proceſſit*, *novamque ſectam de ſuo nomine*, *plurimos in Gallia*, *Anglia*, *Germania*, *nactus ſectatores*, *condidit. In Italia*, *& Hiſpania obſcurum vix*, *& penè ignotum nomen ejus eſt - - - - - Nam cum barbari Philoſophi*, *quaſi artes liberales nihil ad ſtudium Sapientiæ facerent*, *eas ſpernerent*; *P. Ramus earum uſum ad Philoſophiam revocavit. Unde ejus Sectatores eam definiunt*: *Syſtema liberalium diſciplinarum. Metaphyſicam prorſus exterminant*, *& miro odio proſequuntur. Præceptorum paucitatem*, *& uſum urgent*; *ut ob hanc cauſſam à quibuſdam Philoſophiſſimi*, *qua voce Juſtinianus utitur*, *appellentur.* His autem rationibus P. Ramus ad probandum, ſcripta, quæ ſub Ariſtotelis nomine vulgò circumferuntur, Ariſtotelis non eſſe, uſus eſt. I. quia in illis aureum illud eloquentiæ oratoriæ flumen, quod Ariſtoteli Cicero tribuit, ipſe non deprehenderet. II. Ejus libros nemo aut legere, aut agnoſcere poterat, à tineis, blattiſque nimium exeſos. Quibus Rami objectionibus occurrerunt Goveanus, Perionius, aliique, ut dictum. Plura de Philoſophiæ Ramææ fatis qni cupit, adeat Joh. Launojum in lib. de Varia Ariſtotelis fortuna.

De Ramo, ejuſque ſcriptis non una, ſed varia auctorum cenſura eſt. Quidam ſumme commendant, inter quos Hornius loc. cit. ubi: *Succedit Secta altera celebris*, *quæ Ramæa eſt. Hæc initium ſumſit non à Ramo*, *ſed jam olim aſſenſores habuit*, *& autores eos*, *qui relicta Peripatetica ſchola quidvis ſibi ſtatuendum putarunt. Quales ſuperiore ſeculo fuere Laurentius Valla*, *& Ludovicus Vives. Nam quam multa ex Valla mutuatus ſit Ramus*, *Jac. Carpentarius ipſi Ramo demonſtravit. Addunt alii*, *ex Rodolpho Agricola magnam inventionis partem deſumſiſſe. Quæ ut negari omnino non poſſunt*, *certum tamen eſt*, *eos Ramo potius occaſionem melius de rebus ipſis cogitandi*, *quam ipſas res dediſſe. At cum de Ludovico Vive agitur*, *inquit Keckermannus*, *iſta excuſatio loci nihil habitura eſt*: *ibi enim generalia omnia*, *& pleraque particularia*, *quæ Ramus tanta cum pompa Philoſophis Italis*, *Gallis*, *Germanis tanquam ſua inventa proponit*, *totidem verbis reperias in Ludovici Vivis Commentariis*, *quos de Cauſſis corruptarum artium*, *& de Tradendis diſciplinis multo ante*, *quam Rami quicquam in publicum appareret*, *evulgavit. P. autem Ramus homo dexterrimi ingenii*, *ſolidæ doctrinæ*, *& liberrimi judicii*, *cum quoquo modo ad famam*, *etiam per alienæ exiſtimationis ruinam*, *ſibi contendendum putaret*; *ex omnibus antiquis Ariſtotelem exagitandum*, *atque explodendum ſibi ſumſit*; *adeoque ea*, *quæ ex Valla*, *& Vive hauſerat*, *velut interpolata in lucem emiſit.* Jonſius de Script. Hiſt. Phil. lib. 3. c. 23. 3. ipſum ita arguit: *Eodem Rege*, *& ſub Henrico II. & Carolo IX. Petrus Ramus eminebat*, *Regius*

gius

Digitized by Google

gius Mathematum, *& Eloquentiæ Profeſsor Pariſienſis*, *qui Ariſtotelem voce*, *& ſcriptis oppugnabat* - - - - - *In Inſtitutionum Dialecticarum*, *ſeu Animadverſionum ſuarum libris* 20. *Peripateticis objiciebat*, *nihil eos habere methodicum*, *multa contrà* ταυτολογικά, *ſupervacanea*, *pleraque falſa* . . . . *Verùm non adeo multos P. Ramus invenit*, *qui conſtanter ipſi inhæſerunt*, *quia ſolidis argumentis*, *& rationibus Ariſtotelem confutare non poterat*. Geſnerus in Bibliotheca ſic bene de Ramo ſentit: *Petrus Ramus Regius in celeberrima Pariſiorum Academia Profeſsor*, *plurimum elaboravit*, *ut artes ad rectam methodum*, *& uſum expeditum revocaret*, *ideoque multa ab eo conſcripta*, *publicataque ſunt de ſingulis Philoſophiæ partibus*, *è quibus ſunt quæ ſequuntur*. Ubi exacte omnia omnis generis Rami Opera enumerat; inter quæ Philoſophica ſunt: *Dialecticæ libri* 2. *Dialecticæ Francicæ libri* 2. *Scholarum Dialecticarum libri* 20. *De moribus veterum Gallorum*, *Lat.& Gallice*: *Scholarum Phyſicarum libri* 8. *in Acroamaticos Ariſtotelis libros*: *Scholarum Metaphyſicarum libri* 14. *in Metaphyſica Ariſtotelis*: *Adverſaria de Platonis Philoſophia generatim in Dialecticam*, *Phyſicam*, *Ethicam dirigenda*: *De affectionibus*, *& proprietatibus quibusdam ſingularibus*, *cum in homine*, *tum in animantibus quibuſdam aliis &c*. Thuanus ad an. 1572. Ramum laudat potiſſimum, quia rem literariam omni animi contentione juvit, & promovit, etiam ſuis opibus, inſtituta Mathematices Cathedra, cujus Profeſſori annnum ſtipendium 500. librarum è facultatibus ſuis attribuit. Laudat etiam Beza, & Chriſtianus Urſtis &c.

Contra Ramum ſtant Franc. Bacon. in Impetu Philoſophico, ubi: *Ne verò* (*fili*) *cum hanc contra Ariſtotelem ſententiam fero*, *me cum rebelle ejus quodam neoterico Petro Ramo conſpiraſse augurere*. *Nullum mihi commercium cum hoc ignorantiæ latibulo*, *perniciosiſſima literarum tinea*, *compendiorum patre*, *qui cum methodi ſuæ*, *& compendii vinculis res torqueat*, *& premat*, *res quidem*, *ſi qua fuit*, *elabitur protinus*, *& exſilit*; *ipſe vero aridas*; *& diſertiſſimas nugas ſtringit*. Rapin. Animadverſ. in Logicam ſect. 7. *Ramo non ſucceſſit feliciter conſilium à ſe initum Ariſtotelis autoritatem ſubruendi*, *juxta Vallæ*, *& Vivis documenta*. *Idea enim*, *quam efformavit novæ Dialecticæ nihil habet rationi conſonum præter id*, *quod ab Ariſtotelis Dialectica mutuatus eſt*, *quam cum reformare voluit*, *ipſam deſtruxit*. Scaligerana 2. *Ramus magnus vir fuit*, *ſed magni nimis fit*: *ipſius Mathematica ſola bona*. *Sed ipſe non eſt autor*. Lipſ. Cent. 1. Miſcell. ep. 89. *Juventus noſtra à me hoc audiat*: *Nunquam ille magnus erit*, *cui Ramus eſt magnus*. Inter laudatores, & exprobatores Rami medii ſunt Voſſius de Philoſoph. Sect. p. 88. & Verder. in Aut. Cenſ. Tandem de Ramo in Buddeus in Hiſt. Phil ſuccincta delineatione p. 77. *Longe majori ſtrepitu ab Ariſtotele ſeceſſit P. Ramus*, *qui ex eloquentia omnem Philoſophiæ*, *præſertim Logices*, *uſum metiens*, *ad id omnes labores ſuos comparatos voluit*: *unde quædam in Ariſtotelis Dialectica immutavit*. *Quod indigne ferentes Peripatetici Petrus Galandius*, *Antonius Goveanus*, *Cornelius Martini*, *Joachimus Perionius*, *& Jacobus Carpentarius*, *acriter in ipſum inſurrexerunt*. *Hinc magno fervore in Gallia*, *& Germania inter Peripateticos*, *& Ramiſtas de nugis*, *& ineptiis decertatum eſt*. *In Rami partes conceſserunt Philippi Melanchthoni ſectatores*. *Quidam Melanchthonem cum Ramo* (*à quo non multum ille diſcrepabat*) *aut Ramum cum Ariſtotele concordare conati ſunt*. *inter quos primas tenet Bartholomæus Kickermannus*.

THEO-

Digitized by Google

THEODORUS ZWINGERUS

N*Atus Baſileæ A. C. 1533. Patre Leonardo Cive Baſil. anguſtæ fortunæ: in patria Academia primum Linguam Græcam, deinde Ethicam, & Politicam, tandemque demum Medicinam publice docuit, & exercuit. Obiit Baſileæ A. C. 1588. ætatis ſuæ 54. relicto filio Jacobo, paternæ virtutis, & famæ hærede.* Vander Lind. de Script. Medic. Hic patriam, ne vili patris muneri operam daret, relinquens, Lugdunum ſeceſſit, ubi apud Typographum ad Typographicam artem addiſcendam tres annos degit, literarum ſtudio, quod ab arte vacabat, tempus impendens. Inde Pariſios venit, ibique Philoſophiam à P. Ramo didicit, cujus dignus extitit diſcipulus. Poſtea Patavium ſe contulit, ubi Medicinæ ſex annis ſtrenuam navavit operam. Denique Baſileam rediit, in qua obiit præclarus Philoſ. & Medic. Profeſſor.

Inter præclara ejus Opera, præter Medica multa, cenſentur *Theatrum Naturæ Humanæ*, digeſtum in Volum. 20. in quibus Humanæ Hiſtoriæ Bibliotheca continetur. In his voluminibus innumera exempla bonorum, & malorum, quæ in hominem cadunt, magno ſtudio, & labore à variis autoribus collecta, & optimo ordine, ut ait Geſnerus in Bibliotheca, diſpoſita memorantur. Quod opus ejus ſocer Conradus Lycoſthenes inchoaverat, & imperfectum Zwingero perficiendum reliquit moriens. Tantæ famæ hoc opus ſemper fuit, ut, ipſo adhuc vivente, ter editum fuerit; & poſt ejus mortem exemplorum myriade auctum prodierit. *Phyſiologico-Medica. Tabulæ perpetuæ in Ariſtotelis libros de Moribus ad Nicomachum. &c.* Vide Thuan. in Hiſt. Melch. Adam. de Vit. Phil. & Med. German. &c.

CAPUT VIII.

Philoſophi Eclectici.

ORdinis in hac Hiſtoriæ Philoſophiæ Synopſi nobis conſueti ratio poſtularet, ut primo de Epicureis, & Pyrrhoniis, deinde de Eclecticis ageremus; ſed quia Pyrrhonii nulli, præter recenſitos, ſunt, & Epicurei, præter jam dictos, omnes ex nova Gaſſendi ſecta orti ſunt, de quibus, quia noſtro ævo quamproximi, ut ætatis ordo ſervetur, infra agemus; ideo hoc Cap. de Eclecticis, qui inter Philoſophos ultimos lib. 3. numerati ſunt, ſermo inſtituendus eſt.

DEMONAX.

DE Demonacte ita Lucianus, ejus vitæ ſcriptor tom. 2. p. 561. *Erat itaque Demonax genere Cyprius, non ex obſcuris ortus parentibus, quantum ad dignitatem, & poſſeſſionem civilem attinebat: cæterum his omnibus ille longe erat excelſior, atque ſuperior: atque cum rebus pulcherrimis, atque præſtantiſſimis ſe ipſe dignum judicaſſet, ad Philoſophiæ ſtudium ſemet contulit, non per Jovem ab Agathobulo, & Demetrio, qui ante illum fuerant, neque ab Epicteto excitatus, ſed cum illis converſabatur, præcipue verò cum Timocrate Heracleote, viro cumprimis ſapiente, neque non eloquentia, & induſtria plurimum ornato. At Demonax nequaquam ab aliquo illorum, ut dixi, perſuaſus, ſed peculiari, quo rapiebatur ad res præclaras impetu, & inſito quodam ad*

Philoſophiam amore, ſtatim à puero permotus, omnia humana bona in univerſum contemſit - - - - Cæterum nequaquam illotis, quod ajunt, pedibus, hoc eſt, à dicendi facultate alienus, ad Philoſophiæ ſtudia acceſſit, ſed poëtarum lectionibus enutritus, multos tenebat memoria, dicendique artes non mediocri ſtudio exercuerat. Ea vero, quæ in Philoſophia tractari ſolent, haud modice, neque, ut eſt in proverbio, ſummo tantum digito attigerat, ſed exacte comperta habebat. Corpus præterea exercuerat, & ad tolerantiam variis laboribus aſſuefecerat. Breviter, in hoc ſummo ſtudio, & cura elaboravit, ne alicujus alterius egens eſſet. Quare poſtquam ſenſit ſe quoque ipſe ſibi amplius non ſufficere, voluntaria morte è vita diſceſſit, multo ſuper hoc ipſo Græcorum optimatibus ſermone relicto. Sec. 1. floruit ſub Antonino Pio, & M. Antonino & fere centenarius obiit, ut ex Luciano. Unde tamen hauſerit Cozzandus, quod aſſerit de Magiſt. Antiqu. Phil. lib. 3. c. 4. Demonactem Epicteti fuiſſe auditorem, ac Stoicæ Philoſophiæ cum præceptore ſectatorem, non video; cum Lucianus eidem coævus illum Epicteti non diſcipulum, ſed familiarem dixerit; & non Stoicum, ſed Eclecticum aperte oſtenderit his verbis immediate ſequentibus: *Philoſophiæ autem haudquaquam unam tantum ſpeciem ab aliis ſejunctam colebat, ſed multis in idem commiſtis, non admodum aperte ferebat qua potiſſimum illarum oblectaretur. Apparebat quidem Socrati ſe magis addixiſſe, tametſi habitu, & vitæ frugalitate Diogenem æmulari videretur, &c.* Quod item confirmat Morery in ſuo Lex. Magno Hiſtor. Deſcribit in ejus Vita Lucianus genus, ſtudia, eruditionem, & profeſſionem Demonactis Philoſophi; quæ idem privatim, & publicè fecerit, & ab aliis paſſus ſit; nec non ejus virtutes, præcipue dolore, pœna, paupertate, vel alia quavis ærumna afflictos conſolandi, lites inter diſcordes componendi, pacem in omnibus ſumma animi contentione tractandi, &c. Præterea Ἀπομνημονεύματα, ſeu dicta illius memorabilia, aut aliàs argutè, & ſalsè reſponſa; mortem denique ipſius, & ſepulturam, & officia, quibus Athenienſes, ac reliqui Græci ipſum magnifice proſecuti ſunt.

De ejus autem morte, & ſepultura hæc notatu digna ex Luciano exſcribam: *Cæterum cum jam non obſcure perſentiſceret, ſe ſibi amplius auxilio eſſe non poſſe, dicta ad præſentes, qua in certamine præcones uti ſolent, clauſula:*

Jam finis eſt pulcherrimorum munerum
Certaminum, non differendum eſſe amplius,
Tempus monet:

ac diſcedens ab omnibus, hilaro vultu diem ſuum obiit, quali ſemper obviam venientibus conſpectus eſt. Aliquanto ante verò quam moriebatur, interrogante quopiam: De ſepultura vero quid imperas? Ne vos hæc cura remordeat, inquit, ſolicitos: etenim fœtor me ſepeliet. Reſpondente autem illo: An non turpe foret, & nefarium, ſi tanti viri corpus volucribus, & canibus dilaniandum objiceretur? Atqui nihil abſurdum eſt, inquit, ſi mortuus quoque nonnullis animalibus utilitatem aliquam allaturus ſim. Voluntaria tamen inedia periiſe perhibetur. Scripta ejus nulla memorantur ab autoribus. Demonactis *Senarius*, citatur tantum apud Stobæum in Sermone de Superbia.

ASCLEPIUS TRALLIANUS

SIc dictus à Tralle, Bithyniæ urbe in Aſia minori, ubi natus eſt. Ammonii, diſcipulus fuit, ac ſeculi 2. ſcriptor à quibuſdam dicitur, aliis verò recentior. Scripſit hic Commentarium in Nicomachi Arithmeticam. Exſtant præterea MSS. in Bibliotheca Vaticana ejuſdem Commentarii in ſex libros Meta-

Metaphyſicorum Ariſtotelis; ut notat Geſnerus in Bibliotheca. Voſſius de Math. c. 10. Alter ab hoc fuit Aſclepius Trallianus, qui libros 5. Hiſt. Turcarum Græce ſcripſit, ut notat Geſnerus in Bibl.

Occaſione Aſclepii Tralliani verbum addam de ALEXANDRO TRALLIANO, Philoſopho, & Medico ſui ævi præclaro, qui in eadem urbe Tralle natus, Tralliani nomen ſortitus eſt. Hunc ſec. 4. Romæ claruiſſe quidam putant, alii 5. alii vero ſec. 6. ſub Juſtiniano M. Imp. quæ Morery ſententia eſt. Vander Linden de Script. Med. affirmat, eum ſub Arcadio, & Honorio claruiſſe, & Galeni æmulum ſemper extitiſſe. Ejus Scripta Medica omnia enumerat cit. Linden ib. Vide etiam Agathiam Hiſt. lib. 5. Juſtum in Chron. Med. Caſtellanum in Vit. Medic. & Voſſium de Philoſ. c. 12.

SOPATER

Patria Apaminenſis, ſive Alexandrinus, Philoſophus inter Eclecticos (nam Ædeſii Eclectici Philoſophi diſcipulus fuit) ſui ævi eximius, ex eorum tamen numero, qui Platoni magis addicti erant. In dicendo, ac ſcribendo eloquentiſſimus habitus eſt, Conſtantini M. Imp. familiaris prius, deinde verò ex objecto religionis crimine, ejuſdem Imp. juſſu inſons ſecuri percuſſus obiit, ut ex Suida; qui ejus cædem injuſte patratam aſſerit his verbis: Τὸν Σώπατρον Κωνςαντῖνος ἀνεῖλεν ὀ καλῶς ποιῶν· ὀ γὰρ χρηςὸς ὀυκ ἐξ ἀνάγκης, ἀλλ' ἐξ ἀγάπης: *Sopatrum Conſtantinus interemit non bene faciens: bonus enim non ex neceſſitate, ſed ex amore*. Cozzandus tamen de Magiſt. Antiq. Phil. lib. 1. c. 7. ex Eunapio in Ædeſio, & Aloyſio Lollino 3. Epiſt. ait, Sopratum Conſtantino Conſiliarium fuiſſe, ac calumniam paſſum inſontem peremtum eſſe: cædiſque autorem facit Albanium Prætorii præfectum ex invidia, quod à Sopatro claritate, & honore ſuperaretur; ſiquidem ad dexteram Imperatoris publice aſſeſſor conſidebat. Suidas vero neque hanc cædis cauſſam, neque Conſiliarii dignitatem habet; ait enim tantùm: ἦν γὰρ αὐτῷ συνήθης πρότερον; *Erat enim ipſi familiaris prius*. Scripſit *Tractatum de Providentia: Hiſtoriarum Epitomas*, atque alia, ut ex Suida. Vide, præter Eunapium in Ædeſio, & Suidam, etiam Sozomenum lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 5.

JOHANNES STOBÆUS

Græcus Autor, doctrina, & ſcriptis clariſſimus, quorum mentionem ſupra in lib. 3. ſæpe fecimus, ſecta fuit Eclecticus, nam Philoſophorum nemini addictus, quæ in ſingulis optima putavit, amplexatus eſt, & collecta ſelegit. Ejus Opera omni commendatione digna partim edita ſunt, partim inedita. Ex editis numerantur *Collectanea Sententiarum, & Apophthegmatum ex variis profanis autoribus Græcis per locos digeſta*. *Eclogarum libri* 2. De ineditis ita Geſn. in Bibl. *Joh. Stobæi Phyſica Græca non dum evulgata, exſtant in Italia apud Rodolphum Vincentiæ Cardinalem hoc tempore*. Sec. 4. vel 5. claruiſſe dicitur.

S. HIERONYMUS

Eccleſiæ Doctor Maximus, Doctorum omnium diſertiſſimus, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Syriacæ, & Chaldaicæ linguæ peritiſſimus, Stridonenſis à patria, in Dalmatia ſita, dictus, natus eſt, ut refert Gul. Cave in Chartophyl. Eccleſ. circa annum 329. Inclareſcere cœpit ab an. 378. quo

Presbyter à Paulino Antiocheno ordinatus; eremi Bethlemetici incola factus an. 383. ſcripſit Catalogum 392. obiit Bethlemi 420. ætatis 91. ut ex cit. Gul. Cave. Verùm Morery in Lex. Magn. Hiſt. ait, errare eos, qui putant, Hieronymum ad an. uſque 98. & 99. vixiſſe, cùm annum 80. non tranſcenderit. Romæ Grammaticam à Donato, Terentii, & Virgilii Scholiaſte, didicit; ubi etiam Chriſti Fidem per Baptiſmum accepit. Inde in Galliam venit; ex qua cum Heliodoro in Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam, & Syriam profectus eſt; ubi in ſolitudine degens, varias ab Orthodoxis etiam perſecutiones paſſus eſt. Cùm ſacris à Paulino Antiocheno initiaretur, hoc Sacramentum ſub iis conditionibus accipere decrevit Hieronymus, ut nec ulli Eccleſiæ addici, nec ſolitariam vitam relinquere cogeretur. Memoria dignum æterna illud eſt, quod nunquam Sanctum, ac terribilæ Euchariſtiæ Sacramentum ob ſummam in ipſum reverentiam offerre voluit; Circa an. 381. Conſtantinopolim ſe contulit, ut S. Gregorium Nazianzenum, cujus magna tunc per Orbem fama, audiret. Deinde ad annum alterum Romam rediit, & Damaſi Pontificis Max. à Secretis fuit: plures nobiles Romanas mulieres in Chriſtiana pietate verbis, inde etiam per epiſtolas inſtituit. Quod de ejus Cardinalatu profertur, id ſciolorum commentum eſt; eo enim temporis nulla adhuc Cardinalium dignitas, imo nec nomen erat. Poſt Damaſi mortem, tum amore antiquæ ſolitudinis, tum ut obtrectatores ſuæ virtutis, ac omne peccandi periculum vitaret, primum Alexandriam perrexit ad Didymum audiendum, poſtea Bethlemeticum Monaſterium ſe recepit, ubi reliquum vitæ tempus in cœleſtium meditatione, aſperrima corporis caſtigatione, ac ſacrarum literarum ſtudiis tranſegit. Totus in hæreticorum, Vigilantii potiſſimum, & Joviniani confutatione deditus videbatur. Sui nominis hoſtibus, quædam ei contra Fidei dogmata à ſe prolata objectantibus, Apologia ad id ſcripta fecit ſatis. Contra Pelagium primus ſcripſit; à quo concitatam acrem ſuſtulit perſecutionem. Cum Rufino, Origeniſtarum cauſſa, literariam habuit contentionem; & cum Divo Auguſtino, à quo cæteroqui magni æſtimabatur, de ſacris literis diſputationem, quæ tamen Chriſtianæ pietatis terminos non exceſſit. Imo & Auguſtinus ab Hieronymo circa Animarum originem oraculum expetivit.

Hieronymum inter Philoſophos, & proprie inter Eclecticos non numeraſſem, niſi id autorum teſtimonia non comprobaſſent. Et quidem Sixtus Senenſis Biblioth. Sanct. lib. 4. poſtquam Hieronymum in omni doctrinarum genere abſolutiſſimum, ſermonis ſplendore, & eloquentiæ viribus clariſſimum, commendavit; ſubdit: *Sed & in Scholis Philoſophorum nihil de Ariſtotelis, Platonis, & Zenonis, hoc eſt, de Peripateticis, Academicis, Stoicis, reliquit intactum, Quibus inſtructus apparatibus, contulit ſe ad ſacrarum literarum ſtudia, uſus in his Apollinari Laodiceno, Didymo Alexandrino, & Gregorio Nazianzeno præceptoribus, &c.* Et Heinſius Orat. 3. pro Biblioth. mun. Grat. act. . . . . . *Quonam modo tot linguarum ſimul, & totius pene antiquitatis, ac Philoſophiæ admirabilem peritiam, &c.* Ex his igitur, aliiſque autorum teſtimoniis, aperte educitur, ipſum non uni, ſed omnibus Philoſophorum ſectis, Eclecticorum more, addictum fuiſſe. Quod confirmatur ex eo potiſſimum, quod in ſuis ſcriptis modò Peripateticam, modò Stoicam, modò aliam Philoſophorum ſectam commendet. Sic in cap. 40. Iſaiæ Stoicorum doctrinam laudans, ait: *Hi noſtro dogmati in pleriſque concordant, nihil appellant bonum, niſi ſolam honeſtatem, nihil malum, niſi turpitudinem.* Et in cap. 3. Jonæ Ariſtotelem extoliens, ait, quoſdam honoris cauſſa numiſmata ænea ſignaſſe cum ejus imagine, quorum in adverſa parte, *Naturæ Miraculum*, eſſet inſcriptum.

Scripta

Digitized by Google

Scripta ejus pene innumera, quæ Tom. 6. in fol. edit. Pariſ. 1643. & Tom. 12. 1684. Francof. cum omnium notis, & commentariis, continentur, non eſt ut hîc numerem. Ex his autem ſcriptis quæ Genuina, Dubia, Spuria, & Deperdita, vide apud Gul. Cave in Hiſt. liter. Script. Eccleſ. Quid denique de Hieronymi Operibus autores ſenſerint, longum, & difficile eſſet adnotare. Id tantùm pro ejus laude dixiſſe ſufficiat, ea omnem omnium laudem, etiam Romanæ Eccleſiæ hoſtium, promeruiſſe. Plura, ac digna ejus elogia vide apud Marcellin. in Chron. Baron. in Annal. S. Auguſt. contra Julian. lib. 1. c. 7. Caſſian. Sulpic. Sever. Grot. Eraſm. Lud. Viv. Gottefrid. Olear. P. Cunæum; alioſque innumeros: præcipue ejus Vitam, ejuſdem Operibus appoſitam.

S. GREGORIUS NYSSENUS

NYſſæ in prima Cappadocia Epiſcopus, S. Baſilii Magni Cæſareæ Archiepiſcopi, S. Petri Epiſcopi Sebaſtes in Armenia, & S. Macrinæ Virginis frater, vir eloquentiſſimus, & multiplici eruditione præſtans, ut eum vocat Suidas; dulcis, & illuſtris Eccleſiæ fons, ut Leo Imp. appellat Conſtit. 88. ex Rhetorices Profeſſore ad curam paſtoralem ſub Valente Imp traductus fuit, Uxorem habuit Theoſebiam, feminam erga Dei cultum eximiam, ut nomen ipſum Theoſebiæ ei quam aptiſſime conveniret: quæ cùm Gregorius ejus vir ad Sacerdotium aſſumtus eſt, & ipſa inter Diaconiſſas Dei cultui devoveri voluit. Gregorius Nyſſæ Epiſcopus vix creatus, à Valente in exſilium miſſus eſt circa an. 370. quod Orthodoxis patrocinaretur. Deinde poſt 7. exſilii annos à Valente evocatus, & ſuæ ſedi redditus. Œcumenico Conſtantinopolitano Concilio inter primos ſedit an. 381. ac fidei Libelli, Symboli appellati, autor dicitur à Nycephoro, & aliis: imò tantæ fuit doctrinæ, & autoritatis apud omnes, ut Theologi Græci æque ac Latini ad confirmanda Orthodoxæ Fidei dogmata teſtem certiſſimum adhibuerint, & Patrem Patrum appellaverit. Obiiſſe dicitur valde ſenex circa an. 396. die 9. Januarii, ut Faſtis Græcorum adſcriptum eſt, ſive 9. Martii, ut ex Martyrologio Latino.

Quod autem Philoſophus fuerit Eclecticus, clariſſime oſtendit præ aliis Sixt. Senenſ. his verbis: *Gregorius Nyſſenus, quem Græci honoris cauſſa Patrem Patrum appellant, Academicis, ac Peripateticis diſciplinis excultus, vir eloquentię nervoſę, ac cultę, &c.* Et confirmat Ell. du Pin. Nov. Bibl. Autor. Eccleſ. Tom. 2. p. 682. & 683. .... *Philoſophiam Theologię commiſcet, Philoſophorumque principiis utitur tum in Myſteriorum explicatione, tum in Moralibus ſuis ſermonibus. Quapropter ejus opera tractatibus Ariſtotelis, & Platonis, quam aliorum Chriſtianorum ſimiliora ſunt.*

Scripta ejus plura, & eximia, ſtyli perſpicuitate, & elegantia commendabilia, omnia ſimul collecta exſtant Vol. 3. in fol Pariſ. in quibus præter Oratoriam artem, & eruditionem, phraſin, & dulcedinem, Chriſtiana ſimplicitas etiam notatur; ut præ aliis advertit Abraham. Scultet. in Medul. Patrum, ajens: *Gregorius fuit natura ſimplex, & bonus: ideo χρηςότητα, ideſt, ſimplicitatem ejus reprehendit alicubi Baſilius frater. Et Eraſmus bene judicat, in ſtylo quoque piam ſimplicitatem Nyſſeno placuiſſe.* Ejus Opera Genuina, Spuria, Deperdita, quæ ſint, vide apud Gul. Cave. De Gregorio Nyſſeno paſſim omnes, præcipue Greg. Nazianz. Hieronym. Trithem. Socrat. Sozomen. Theodoret. Bellarm. Poſſevin. Baron. Le Mire, Quenſtedt, Phot. &c.

JACOBUS MAZZONIUS

CEſenæ natus, Philoſophia, atque omni eruditione clarus, literatis omnibus, ac præcipue Jacobo Critonio, viro inter Scotos literatura eximio, qui omni ſtudio literatos inquirebat, cariſſimus fuit. Cùm autem ſimul Venetiis convenirent, poſt multas, arduaſque literarias contentiones coram nobilibus, doctiſque viris habitas, hoc à Critonio encomium meruit, à ſe nullum ſive argumentorum vi, & ſubtilitate, ſive elocutione, & doctrina, Mazzonio ſimilem inventum fuiſſe. Hinc jure merito Joh. Imperialis in Muſæo Hiſtorico de ipſo ait: *Hic ingenii divinitate antiquos Græcorum, & Arabum ſapientes adæquaſſe videri poteſt, Latinos verò forſan omnes acumine provocaſſe*. In Patavino Gymnaſio Pendaſii partes, cujus ſe præceptis devoverat, contra Mercenarium editis etiam ſcriptis tutatus eſt. Mirabile etiam illud eſt, quod habet cit. Imperialis ibidem, eum annos natum 27. Bononiæ Theſes 5197. ad omnes ſcientias ſpectantes, magna ſui nominis gloria, & auditorum ſtupore, propugnaſſe. Philoſophus fuit Eclecticus, Platonis æque ac Ariſtotelis doctrinam ſecutus.

Quamvis à multis Orbis Academiis ad primos Magiſterii honores vocatus eſſet, Magno tamen Hetruriæ Duci in celebri Piſarum Gymnaſio inſervire placuit. Cùm autem poſtea à Cardinali Aldobrandino rogatus Hetruriæ Dux eſſet, ut Mazzonium ſibi cederet, vel invitus hoc fecit. Quare anno 1600. Romam venit, ubi ut ingeniorum portentum & creditus, & habitus eſt. Pontificis etiam cum Ferrariæ Duce controverſias compoſuit. A Caſtanea tum Cardinali, ac Legato Bononienſi, & deinde Pontifice Maximo, Literatorum Princeps appellabatur. Literarias controverſias cum doctiſſimo Franc. Patricio, & Beliſario Bulgarino habuit. Denique Ferrariam cum eodem Aldobrandino veniens, eo loci mortuus eſt an. 1603.

Ex editis Mazzonii Operibus præcipue ſunt: *Methodus de triplici hominum vita lib. 3. quæſt. 5197. diſtincta: In univerſam Ariſtotelis, & Platonis Philoſophiam Præludia: Platonis & Ariſtotelis conſenſus: Difeſa del Dante, &c.* Mazzonius à Leonardo Salviato dicitur vir in ſupremo gradu ſcientificus, in omnibus idiomatibus civis, in omnibus facultatibus magiſter, qui tantum ſciret, quantum reminiſceretur, reminiſceretur quantum legiſſet, legiſſet quantum ubique ſcriptum reperiretur. Vide cit. Imperialem. Jan. Nic. Erythræum, &c.

LEO ALLATIUS

GRæcus, cui Patria Chios, vir πολυμαθέστατος, ut ex ejus libris omnigena eruditione refertis videre eſt. Anno ætatis nono Italiam veniens, in Calabria apud ditiſſimos, ac nobiliſſimos Spinellos commoratus eſt. Inde an. 1600. Romam venit, ac Græcorum Collegium ingreſſus, humaniorum literarum, Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudiis operam dedit. Tum à Bernardo Juſtiniano Epiſcopo Anglonæ in ſuum Vicarium Generalem electus, ſumma virtute, ac laude ſic ejus vicem geſſit ad annos duos, ut ab Andrea Juſtiniano idem ipſi munus fuerit demandatum. Sic in patria ad annos aliquot commoratus, Romam rediit, ubi Medicas diſciplinas didicit ſub præceptore Julio-Cæſare Lagalla, publico in Sapientiæ Archigymnaſio Profeſſore; cujus diſciplinæ doctoratus etiam lauream eſt conſecutus. Poſt hæc Græcorum in Romano ipſorum Collegio Præceptor factus, eos in vario ſcientiarum genere erudivit. Gregorius XV. ut Summus Pontifex creatus fuit, Leonem in Germaniam miſit an. 1621. ad Biblio-

bliothecam Heldelbergenſem inde Romam transferendam. Poſtea Cardinalis Barberini, ac omnium ſui ævi literatorum gratiam, & exiſtimationem nactus, in id totus incubit, ut libros vel proprios ederet, vel Græcos Latinos redderet, vel antiquos, & obſcuros dilucidaret. Tandem Alexander VII. ipſum in Primum Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtodem elegit. In hoc munere obeundo mirum quam præclare ſe geſſerit. Pietate etiam, ac virtute inſignis vir erat; nam & multa Collegia in patria ſua erexit ad concivium in literis, & Chriſtiana pietate eruditionem. Romæ obiit an. 1667 Plura edidit volumina de rebus tum ad Eruditionem, tum ad Religionem ſpectantibus. Philoſophica ſunt: *Socraticorum Epiſtolę. Salluſtii Philoſophi Opuſculum de Diis, & Mundo. Julii-Cæſaris Lagallę Philoſophi Romani Vita*, &c. A cunctis æque commendatur autoribus; è quibus Jonſius de Script. Hiſt. Phil. lib. 3. c. 29. 9. ita: *Pręterea nomen ſuum in Italiam tum perpetuę commendabat memorię; Leo Allatius Chius, doctiſſimus hac ętate Gręcorum*, &c.

DANIEL HEINSIUS

GAndavi, quæ Flandriæ Metropolis, natus eſt an. 1580. vel 1581. ex patre Nicolao; qui filium tres annos natum ob civile bellum de patria eduxit. Latinis, Græciſque literis, Philoſophia, ac diſciplinis fere omnibus apud Batavos imbutus, brevi ipſorum Profeſſor fuit egregius: nam vix vigeſimum ætatis annum ingreſſus, Latinæ, ac Græcæ linguæ, Legum item, & Philoſophiæ literatum curſum expleverat. Unde Amſtelodami ad Bibliothecarii munus, & Politices in ejuſdem Civitatis Univerſitate Cathedram electus, utrumque munus egregie ſic peregit, ut magnam literati famam, & exiſtimationem nedum apud Batavos, ſed etiam apud omnes Europæ literatos ſit confecutus. Multas, ſicut Tranſalpinis mos eſt, Europæ civitates, & Academias peragravit. A Principibus honoribus inſignitus eſt eximiis; nam à Guſtavo II. Sueviæ Rege Hiſtoriographus, & Conſiliarius Regius nominatus eſt; & Reſp. Veneta eum S. Marci Equitem fecit: cujus dignitatis inſignia à Marco-Antonio Moroſino, ejuſdem Reip. ad Batavos Oratore, accepit. Jam ſenex Orientales etiam linguas didicit. Summa facilitate metro, ac proſa tot edidit varii argumenti libros, omnes tamen mira eruditione refertos, ut ipſos vel numerare longum eſſet. Sive enim obſcurorum veterum ſcriptorum Græcorum, & Latinorum libros ab ipſo vel interpretatione, vel commentariis, & notis illuſtratos, ſive à ſe editos ſpectes, univerſalis, & incomparabilis dicendus eſt. Reliquis verò varii argumenti libris Heinſii prætermiſſis, Philoſophicos adnotabo, qui ſunt. *De Stoica Philoſophia. Paraphraſis Andronici Rhodii in Ariſt. Ethicam ad Nicomachum. Maximi Tyrii Platonici Diſſertationes 40. Gr. Lat. cum notis. De Contemtu mortis lib. 2. verſu, & proſa Paraphraſis perpetua in Politica Ariſtotelis. De Civili Sapientia, & Præfatio in lib. 2. Politic. Ariſtotelis. Socrates, ſive de doctrina, & moribus Socratis. Oratio, & Præfatio in lib. de Mundo, vulgo Ariſtoteli inſcriptum. Laus Pediculi. Laus Aſini* &c.

CAP. IX.

CAPUT IX.

Philoſophi Chymici.

ET PRIMO

DE CHYMIA.

De re tam vaſta, & ſpinoſa, de quo tot edita ſunt volumina, quot nulla unquam Bibliotheca capere poſſet, verba facturus, illud hic in limine animadvertendum duxi, me eidem compendiariæ Hiſtoriæ Methodo inhærentem, nonniſi Chymiæ *Scripturam*, *Etymon*, *Significationem*, *Originem*, *Doctrinam*, ac præcipuos *Sectatores* breviter vel digito tantum attingere, & indicare, non utraque manu funditus haurire, & examinare, ad brevem quidem, ſed ſufficientem ejus rei notitiam, jure merito ſtatuiſſe. Non igitur de quaque Philoſophiæ Secta tractatum faciam, quod & longiſſimum eſſet, & à meo prorſus alienum inſtituto; ſed quæ de ſingulis ἀξιομνημόνευτα, & ſcitu potiora ſunt, adnotabo.

Chymiæ SCRIPTURA, ETYMON, SIGNIFICATIO. *Chemia*, *Chemia*, *Chimia*, *Chymia*, ſcriptum invenies apud autores; nam à varia derivatione varia ſcribendi ratio venit: quævis tamen Scriptura, adhuc ſalva Orthographia, defendi poteſt tum origine, tum etiam autoritate. Χημία apud Photium ex Zoſimo Panopolita; Χημεία apud Suidam; Χυμία apud alios frequentiſſime à κέχυμαι, à quo Χυμός. Quibus vocibus Arabes, hujus artis ſi non inventores, ſaltem præcipui cultores, ſuum articulum *Al* addentes, *Alchemiam*, & *Alchymiam* efformarunt. Dicitur etiam Σπαγειρική, *Spagirica ars*; quod vocabulum Græcum eſſe ait Rul. & Johnſ. in Lex. Rolfinck. à σπᾷν, καὶ ἀγείρειν, *extrahere*, & *colligere* (quæ prima vox σπᾷν male à quibuſdam redditur *disgregare*: σπάω enim non ſignificat *diſgrego*, ſed *traho*, *extraho*, unde vulgaris vox apud noſtrates *Spao*, funiculum tenuiſſimum ſignificans, quod funiculis omnia trahuntur, & ipſum ſutores in ſuendo trahunt) Ars enim eſt, teſte Paracelſo, quæ purum ab impuro, ſive utile ab inutili extrahere, & colligere docet, ut virtus remanens validius operetur. Male igitur, ſi etymon modò dictum ſpectes, Spagyrica à quibuſdam ſcribitur, nam Spagirica potius ſcribendum, ſi Græcam ſapit originem. Vocatur etiam *Ars Hermetica*, ab Hermete, qui ejus inventor creditur; ut mox dicam; & Πυροτεχνία, *Pyrotechnia* ἀπὸ τοῦ πυρὸς καὶ τέχνης, *ab igne*, & *arte*; enim vero ars eſt, quæ per ignem operatur. Hornius vero Hiſt. Philoſ. lib. 3. c. 5. hanc tradit Chemiæ vocis originem: *Ipſum Chemiæ nomen à Chamo, Noachi filio fluxiſſe opinor; qui, uti ſupra notatur, ejuſmodi artium ſtudioſus fuit. Nam & Ægyptum ipſe primus tenuit, ubi ars illa antiquiſſimis temporibus inter myſteria ſacra habebatur: & ipſa Ægyptus in Sacris Oſiridis à Chamo Chemia dicta eſt.* Chymia in duas dividitur partes, & quarum prima, vetuſtior eſt Μεταλλουργική, *Metallurgica*, ſic dicta, quia Metallorum tranſmutationem, & purificationem operatur, unde Græcum hoc ei nomen eſt; docet enim metalla impuriora in puriora convertere, & purum in ipſis ab impuro ſeparare; atque hæc proprie *Alchymia* dicitur, ejuſque profeſſores *Alchymiſtæ*, qui Χρυσοποιΐαν, καὶ Ἀργυροποιΐαν, *Auri*, & *Argenti formationem* laborant. Ad quam Alchymiæ partem reſpexiſſe videtur Suidas, cum eam definivit: ἡ τοῦ ἀργύρου, καὶ Χρυσοῦ κατασκευή, *Argenti*, & *Auri præparatio*. Secunda eſt *Chymia Medica*, quæ ex triplici naturæ regno, Animali, Vegetabili

bili, & Minerali prædicamenta præparat ad corporis ſanitatem conſervandam, vel amiſſam recuperandam: cui competit ſupra dicta Paracelſi definitio, vel hæc, quæ in idem coincidit: *Ars bene laborandi, hoc eſt, corpora heterogenea diſſolvendi, homogenea conjungendi*. Atque hæc proprie Spagirica vocatur. Duplex hinc dicitur Chemiæ utilitas; rerum naturæ dignotio, & morborum facilior ſanatio.

ORIGO antiquiſſima eſt, ex omnium conſenſu, ſi Alchymiam ſpectes, quam ad Hermetem Ægyptium, Triſmegiſtum vocatum, quidam referunt, cujus Tabula Smaragdina totius artis fundamenta continere dicitur. Hunc tamen Hermetem non Triſmegiſtum, ſed Hermetem Arabem Medicum fuiſſe alii contendunt. Quidam Moſen quoque Alchymiæ peritum volunt, imo & ipſum Adam. Vellus etiam aureum, quod Jaſon periculoſa in Colchidem navigatione cum Argonautis tanta animi contentione quæſivit, & nonniſi perfecta re non conquievit, donec voti ſui compos in patriam rediit; non aliud fuiſſe, plures affirmant, niſi librum περὶ Χρυσοποιίας, *de Chryſopœja*, ſeu auri fabricatione, in Colchide diligenti cura aſſervatum, in quo ſcil. tradebatur, ut ait Suidas ὅπως δεῖ γίνεσθαι διὰ χημείας χρυσόν, *Quomodo fieri debeat per Chemiam aurum*. Quæ ſententia Langio etiam arridet lib. 1. Ep. Med. 53. Hanc vero artem fabulis hiſce veteres occultare voluiſſe, Alchymiſtæ tradunt. Sed Joſ. Scalig. ad lib. 4. Manil. ait: *Non habemus antiquiorem Firmicio, qui Alchymiæ mentionem fecerit*. Et Delrio Diſquiſ. Magic. lib. 1. c. 5. *Alchymiam opinor vetuſtam, ſed certa teſtimonia ante ævum Caligulæ non invenio*. Addam phantaſticam Zoſimi Panopolitæ ſententiam in lib. 1. de Chemia, homines ſcil. eſſe hanc artem edoctos ab Angelis illis, qui cum mulieribus conſueſcentes, gigantes procrearunt; cujus verba refert Photius, & Joſ. Scalig. in notis ad Euſebium. Quidquid tamen alii φανταστικῶς magis, quam vere de Chymiæ Origine jactitent; ita apud omnes fere confeſſa res eſt, & manifeſta, eam nobis ab Arabibus, ſive Mauris Hiſpaniam occupantibus, tranſiiſſe: quod probant, ut ajunt, Chymica multa, quæ afferunt Avicenna, Bulcaſis, Rhaſis, Joh. Meſue, aliique. Mauri verò ab Ægyptiis acceperunt, qui ex ea diteſcebant. Quare, ut Suidas in Chemia, atque alii ſcribunt, Diocletianus Cæſar, capta Alexandria, libros omnes ſummo ſtudio undique congregatos combuſſit, ut occaſionem Ægyptiis eriperet hac arte diteſcendi, armaque adverſus Romanos capiendi. Sed quanquam Alchymia vetuſtiſſima ſit, ſerò tamen ad Romanos pervenit. Et Joh. Franc. Buddeus in Hiſt. Phil. ſuccincta delineatione p. 81. *Chemicorum Secta ſec. 17. reliquas omnes amplitudine, & diuturnitate ſuperavit. Originem ejus quidam ad Hermetem Ægyptium, & Moſen referunt; quod de peritia ſolvendi metalla forſan concedi poſſet. Poſt Conſtantini M. tempora Tranſmutatoriam artem profeſſi ſunt inter Græcos Zoſimus Panopolites, Syneſius, Olympiodorus Alexandrinus, Theophraſtus junior, Hierotheus, Archelaus, aliique*. Attamen ſecundùm Conringium, & Buddeum Arabes non ab Ægyptiis, ſed à Græcis, atque hi ab Ægyptiis acceperunt Alchymiam. Chymiæ verò Medicinalis longe recentior eſt Origo. Hanc doctiſſimus Daniel Clericus in Hiſt. Medic. continuatione ad Arabas, decimo, vel undecimo ſeculo viventes, hoc eſt, non ante Avicennam, refert: quem omnium primum aliqua Medicamenta Chymica memoraſſe affirmat.

DOCTRINA alia Alchymiæ, alia Chymiæ, ſive Spagiricæ artis, eſt. Alchymiæ doctrinæ ſynopſin talem exhibet Joh. Franciſcus Buddeus loc. cit. p. 84. *Quamvis difficile fuerit Myſticæ hujus, ac Theoſophicæ Philoſophiæ ſyſtema aliquod exhibere, cum non in omnibus omnes inter ſe conſentiant, ſed eorum fere quiſque ſingulares quaſdam foveat opiniones; præcipua tamen, &*

Digitized by Google

omnibus fere communis doctrina, in qua ſi non omnes, plerique ſaltem eorum conſentiunt, ad hæc capita commode reduci poteſt. In philoſophandi methodo incipiendum à Deo eſt, & ab eo deſcendendum ad creaturas. Rite igitur philoſophaturo pœnitentia potius, & cupiditatum coërcitione opus eſt, quam Organo aliquo Ariſtotelico. In Deo enim res omnes quam accuratiſſime cognoſcuntur; & ſicut omnia ab eo effluxerunt, ita omnia in eum ſunt reditura. Impreſſit Deus rebus omnibus ſuam imaginem; hinc ut rerum omnium natura in Deo, ita & Dei eſſentia in rebus creatis, præcipue in homine concipi poteſt. Qui à Deo nexum, rerumque omnium Analogiam, quæ inter Creatorem, & res creatas intercedit, cognoſcit; ei & rerum omnium vires occultæ patebunt: quæ vere Magia Naturalis eſt. Veræ Aſtrologiæ peritus erit, qui mirabilem aſtrorum efficaciam, & in hæc inferiora influxum noverit. Cum metalla aſtris admirabili harmonia reſpondeant; ſcire hinc oportet genuinum ſemen metallorum, quod ab aſtris proveniat, excipere, aut ex aliis corporibus extrahere: quo ſemine non ſolum viliora metalla mutari in aurum poſſunt, ſed præparari quoque poteſt Univerſale Medicamentum, quod pellendis morbis omnibus, & vitæ quamlongiſſime prorogandæ inſerviat. Ineſt hinc Mundo Spiritus Architectus, atque Archæus operum naturalium, quorum rationem reddere neſcimus, cauſſa. Hic corpora efformare, & conſervare quamdiu potis eſt, & certa ſigna, & characteres, quos Signaturas vocant, iis imprimere, quas qui intelligat, is ſtatim quoque vires eorum, & facultates cognoſcet. Homo ex tribus componitur partibus; quarum præcipua, Divinæ ſcil. eſſentiæ particula corporis mole, ſidereique, ſeu auralis ſpiritus viribus velut captiva tenetur. Si autem corpori obediat homo, in brutali is ſtatu verſatur: ab hoc tamen emergit, & ad humanitatem redit, ſi aſtralis ſpiritus imperium accipiat: perfectum autem fieri, ſi Divinæ eſſentiæ particulæ jam liberatæ omnia ſubjiciantur. Mala omnia, quæ homines premunt, ex eo oriuntur, quod corpori, & aſtrali ſpiritui obediant. Feliciora tamen tempora imminent, quibus puriori menti locum, libertatemque concedent; & tunc cum perenni tranquillitate ſumma quoque artium, & ſcientiarum perfectio expectanda eſt. Alchymiſtarum igitur (qui Theoſophi, Adepti, &c, quæ ſunt ejuſmodi, ſpecioſioribus nominibus appellari volunt) ad ignem, fumumque deperditorum, peſſima, ac periculoſa occupatio in id tota eſt, ut Lapidem Philoſophicum conficiant, ſive is pro Panacea, ſeu Univerſali morborum omnium remedio, ſive pro Seminio ad aurum perficiendum neceſſario, accipiatur. Verùm an Medicina Univerſalis, & Aurum Artificiale ab Alchymiſtis unquam inventum fuerit, fides ſit apud eos: mea enim non intereſt rem adeo controverſam ad trutinam revocare, cùm Hiſtoricum agam, non criticum. Vulgare tantùm hîc memorem proverbium, cujus etiam meminit Guido Pancirolius, quo per longam experientiam id aſſeritur: *Nunquam vidi Alchymiſtam divitem*. Quod item reſonat Italicum illud: *Non ti fidare all' Alchimiſta povero, e Medico ammalato*.

DOCTRINA vero τῆς Σπαγυρείας, ſive Chymiæ Medicinalis, quæ regulas tradit miſta omnia in ſua Principia componentia reſolvendi, ſive partes puras, hoc eſt, Principia Activa, à partibus impuris, ſeu Principiis Paſſivis ſeparandi, talis eſt. Corporum naturalium *Principia*, ex Theophr. Paracelſò, alia ſunt *Activa*, alia *Paſſiva*. Activa ſunt *Sal*, *Sulfur*, & *Mercurius*. Paſſiva *Phlegma*, & *Caput mortuum*: quæ tamen Principia Paracelſus à Baſilio Valentino mutuò accepit; qui Baſilius aliis etiam nominibus Activa hæc Principia appellavit, *Spiritum* ſcil. *Animam*, & *Corpus*; quibus metalla omnia conſtare ait, per Spiritum Mercurium, per Animam Sulfur, & per Corpus Sal intelligens. Per hæc autem nomina non vulgaria Sal, Sulfur, & Mercurius,

rius, accipienda ; ſed per Sal intelligantur tales particulæ materiales, rigidæ, inflexibiles, & varie acutæ, quæ facillimæ ſunt ſolutionis, & linguam, & os ſæpius feriendo, guſtus ſenſum inferunt. Sulfuris nomine veniunt particulæ ramoſæ, pingues, quæ faciliime ignem concipiunt. Mercurii denique nomine inſigniuntur particulæ rotundæ, teretes, ac proinde facile mobiles. Phlegma verò, & Caput mortuum Paſſiva dicuntur Principia, quia nullam vim, & energiam habent, ſed præbent ſe ut puram materiem, inquam Activa Principia agere poſſint. Omnis autem Spagiricæ artis ἐγχείρησις, manualis operatio in ſolutione, & coagulatione conſiſtit; unde Chymicorum dicterium: *Solve, & coagula.* De Ortu, & Progreſſu Chymiæ videatur, præter alios *Herman. Conringius de Herm. Medicina*; & contra hunc *Olai Borrichii Diſſert. de Ortu, & Progreſſu Chymiæ* : & ejuſdem *Hermetis, Ægyptiorum, & Chymicorum Sapientia contra Apolog. Conringii vindicata*. Sed ad Chymicos poſt Chymiam accedamus.

RAYMUNDUS LULLIUS

ERemita, *Natus eſt in Inſula Hiſpaniæ Majorica circa A. C. 1235. Alchymiam Arnoldi Villanovani, præceptoris ſui, tumulatam quaſi, revocavit. Scripta ejus pleraque ab ejus ſectatoribus, ut Jacobo Fabro Stapulenſe, Carolo Bovillio Samorobrinno, & Henr. Cornel. Agrippa, exarata fuiſſe, ſuſpicio quorundam eſt. Æreas aliquot pilas in auri ſubſtantiam mutaſſe, inque Regis Britanni Atrio adhuc aſſervari, fertur. Fuit propriæ, ac ſingularis, cùm Philoſophiæ, tum Medicinæ, ac propemodum Theologiæ. Anno ætatis ſuæ 30. ſolo pietatis ardore, in Africam trajecit, ibique in nefariam Muhametanorum ſectam, alioſque infideles acriter invectus, multos convertit, ac ad Chriſti cultum traxit; quo ſtudio totos 45. annos inſumſit; donec Regis Bogiæ juſſu, velut alter Stephanus, Martyr lapidibus obrutus obiit in Africa A. C. 1315. ætatis ſuę 80.* Ita Vander Linden de Script. Med. In Palma Majoricæ Inſulæ civitate ex nobili Barcinonenſium ſtirpe ortum refert Mich. Mayer. à quo Protheus ingenio, Dædalus arte, & Polycletus norma judicii, appellatur. Scriptores autem omnes in oppoſitum partiti ſunt: quidam enim ipſum Martyrem, Sanctum, Doctorem Illuminatum vocant; ſepulcrum ejus in Majorica venerantur; & plura de eo miracula prædicant. Alii contrà inter hæreticos, magos, impios, hiſtriones, ac perditæ memoriæ viros eum recenſent. Inter primos ſunt tum ejus cives, qui in Majorica Lulianæ Philoſophiæ loco Ariſtotelicæ magno ſtipendio dant operam; tùm ipſius diſcipuli, & ſectatores: peculiaris namque ex eo Secta orta eſt, quæ Lulliſtarum dicitur: quibus adde Rabbinos, qui dicebant, Lullio tantam Sapientiam Deum tradidiſſe, quantam Salomoni conceſſerat, ut notat Konig. in Bibliotheca. Mirum igitur non eſt, ſi in icone quodam, in quo vocatur *Philoſophus*, in ejus ore Scheda ſit, cui inſcriptum : *Lex mea eſt ipſe Dominus*; atque additum ſequens diſtichon:

Doctrinam pandit Raymundus Lullius omnem,
Cui Deus infudit ſcibile quidquid erat.

Laudat etiam Herman. Conring. à quo dicitur homo mirifici ingenii, cui Ars Alchymiſtica, & Vini Spiritus inventio debetur: & Robert. Conſtantinus in Nomenclatura.

Contra Lullium ſunt Baco de Augment. Scient. lib. 6. c. 2. ubi ejus Artem æque ac Methodum ad impoſturam potius, quam ad doctrinam laudabilem valere ait. Henr. Cornel. Agrippa de vanit. Scient. qui Lullii Artem ad pompam ingenii, & doctrinæ oſtentationem potius, quam ad eruditionem comparandam valere, ac longe plus habere audaciæ, quam efficaciæ affirmat. Lanſius

in Orat. contra Hiſpaniam p. 377. ubi de Lullio: . . . . *Hominem ſtultiſſime ſubtilem; qui cum omnium bonarum literarum eſſet expers, ac ne Latine ſciret quidem, multa tamen auſus eſt patrio ſermone evulgare, & tali obſcuritate permiſcere, ut, doctiſſimi licet, pauci admodum ea capiant: quod ineptiſſimæ ſcientiæ certum exiſtimo argumentum. Ego Lulli Lapidem, & Doctrinam pari dignor pretio: & cum Poëta ſic ſtatuo:*

Qui Lulli Lapidem quærit, quem quærere nulli
Profuit; haud Lullus, ſed mihi nullus erit.

Mitior tamen eſt cenſura Rapin. Reflex. in Philoſ. Sect. 17. Quod autem non Sanctus, & Martyr, ſed hæreticus, ſed impius fuerit, hoc maxime utuntur argumento, quod Eimericus memorat, ipſum de pluſquam trecentis erroribus apud Gregorium XI. fuiſſe accuſatum: qui deinde ab Epiſcopo Tarraconenſi circa an. 1372. ejuſdem Pontificis juſſu examinati, & damnati fuere. Addunt ejus accuſatores, eum docuiſſe, Dei eſſentiam non unam eſſe, ſed plures: Deum Patrem ante Filium genitum; & his ſimiles execrandas blaſphemias. Verùm Lullii accuſatores Lullium pro Lullio ſumentes forſan decepti ſunt. Alter enim ab hoc noſtro fuit Raymundus Lullius, noſtro junior, dictus etiam Neophytus, natione Judæus, Tarragæ in Hiſpania natus, qui, accepto Baptiſmo, Dominicanis nomen dedit: ſed mox iterum Judaizans, varias horribiles protulit contra Religionem Orthodoxam propoſitiones.

Pluſquam quatuor voluminum millia in Philoſophia, Medicina, & Theologia noſter Lullius ſcripſiſſe fertur, ut eſt in Ephem. Gall. Erud. Tom. 1. Olear. in Abac. PP. quorum Elenchum, licet tantum præcipuorum, longiſſimum vide apud Geſnerum in Bibl. quem Catalogum à Carolo Bovillo, qui Lullii Vitam ſcripſit, exſcripſit. Extant etiam plures Lullii tractatus de Lapide Philoſophico conficiendo, de Secretis Chymicis, & ſimilibus rebus ad Chymiam ſpectantibus, in Theatr. Chym. Vide, præter dictos, Wading. in Annal. & Bibl. Min. Andr. Schot in Bibl. Hiſp. Bellarm. de Script. Eccleſ. Bzovium; Spondum, &c.

ARNOLDUS VILLANOVANUS

N*atus Villanovæ in Oppido Galliæ Narbonenſis A. C. 1300. patre plebejo: Petr. Aponenſis, & Raymundi Lullii coætaneus: Medicinæ Praxin, & Alchymiam, ſive auri conficiendi methodum Pariſiis publice docuit: Magicarum artium, quod Sigillorum, Characterum, Divinationis, & Prædictionum Aſtrologicarum facultatem approbaverit, nec non ſingularis cujuſdam hæreſeos ſuſpectus, ad Siciliæ Regem Federicum perfuga ſe contulit. Hinc à Rege Romam miſſus ad ſanandum Summum Pontificem, in itinere A. C. 1363. ætatis ſuæ 63. obiit in mari, ex eoque Genuam translatus, ibi ſepultus eſt cum marmoreo monumento, quod adhuc ibi viſitur.* Vander Linden de Script. Med. Cùm autem Villanova tum Galliæ, tum Hiſpaniæ Oppidum vocetur; hinc factum, ut Hiſpani Aragonenſes ſuum contendant, Galli Norbonenſes ſuum: prævalent tamen Gallorum argumenta, & teſtimonia; in Gallia enim ſcientias & didicit, & docuit. Latinæ linguæ, Græcæ, Hebraicæ, & Arabicæ; Philoſophiæ etiam, & Theologiæ peritiſſimus fuit. Nobile ejus ingenium, & eruditionem maximam laudat Joh. Mariana lib. 24. Rer. Hiſp. c. 9. ſed pravis ſuperſtitionibus, praviſque de religione opinionibus ſuam ex literis adeptam famam coinquinavit; unde & ipſe ab Inquiſitoribus ignominia notatus eſt, ejuſque libri damnati. Quod autem idem ſubdit: *Ex humano ſemine quibuſdam in vaſe medicamentis hominis corpus efformaſſe, qui affirmet, autorem habeo;*

ſalva

ſalva pace tanti viri, impoſturam cenſeo, cum nullimode fieri poſſit. Ex Aſtrologicis ſuis prædictionibus, quibus certam habebat fidem, edixit, Mundi finem mox futurum, annumque præfixit 1335. vel 1345. vel 1376. Sed prædictionem hac magis inſanam, ac temerariam quis unquam audivit?

Scripta ejus complura unà cum ejus Vita in fol. cum Notis Nicolai Tauleri habentur; ex quorum numero, præter Medica, ſunt *Roſarius Philoſophorum. Novum Lumen. Sigilla. Flos Florum. Epiſtola ſuper Alchymiam. De Judiciis infirmitatum ſecundùm motum planetarum. Speculum Alchymiæ. Carmen. Quæſtiones. Nova Opera Chymica, hoc eſt, Theſaurus Theſaurorum, &c.* edita ſunt Francof. 1603. De Arnoldo ita Joh. Imperialis in Muſæo Hiſt. *Portentoſo vir ingenio, Veterum Novatorum maximus, dogmatum raritate percelebris, quem ſibi civem Galli certatim, & Hiſpani vendicant. Is licet humili patria, obſcuriſque profectus laribus, tamen arcano impetu, ac excellenti mentis indagine, peritiorum naturæ operum ſcrutator acerrimus, Europam fere omnem ſui nominis majeſtate complevit. Hoc ipſi vel in ſatis fuit, Medicinam Aſtrologiæ, ac intimiori cuidam Philoſophiæ perpetuo jungere, &c.* Naud. tamen de Stud. Militar. lib. 1. *Ut erat homo multum deditus Rabbinorum, & Alchymiſtarum deliramentis, ita nonnullorum Sigillorum compoſitionem in ſua Medicina practica docuit.* Vide S. Antonin. Spond. Juſt. Caſtellan. Delrio, &c. & præcipue ejus Vitam ſuis Operibus additam.

ROBERTUS

COgnomento *Inquiſitor*, & *Perſcrutator*, Monachus Dominicanus, natione Anglus, patria Eboracenſis, ſec. 14. ſub Eduardo II. & III. floruit. Inquiſitoris autem, ſive Perſcrutatoris cognomen ex eo habuit, quòd ſumma animi contentione qnidquid Chriſtianæ, ac profanæ Philoſophiæ, & Matheſeos diſciplinæ erat, inquirebat, & ſcrutabatur. Quidam eum Magiæ accuſant; idque ex ejus operibus evincunt, in quibus ipſe, nullo Chriſtiani, magis autem Dominicani nominis habito reſpectu, curioſe nimis Secreta utcumque collecta pertractat. Scripſit enim *Mirabilia Elementorum. Impreſſiones Aëris. De Magia Ceremoniali. Myſteria Secretorum. Correctorium Alchymiæ.* Vide Pitſeum de Illuſtr. Angl. Script. Antonium Senenſem: Joh. Lelandum, &c.

AUREOLUS PHILIPPUS THEOPHRASTUS BOMBAST PARACELSUS

A*B Hohenheim, natus ex nobili familia Paracelſorum in Helvetiorum Vico Einſidlen dicto, duobus Tiguro milliaribus diſtante A. C. 1493. patre Wilhelmo, Medicinę Licentiato, ex principe quodam, ſed extra thorum, prognato. Per multas cùm Europę, tum etiam Ægypti, & Arabię pervagatus regiones, tandem reverſus, Baſileę Medicinam fecit, deſperatos ſępe morbos ſanando, eamque ibidem publice docuit. Joh. Crato affirmat, Paracelſum non primum inveniſſe ſua remedia, ſed in libro quodam ante 200. tunc annos ſcripto à Monacho reperiiſſe. Magię ſuſpectus fuit. Obiit Salisburgi A. C. 1541. ętatis ſuę 48. ibique ſepultus eſt in Noſocomio ad S. Sebaſtianum.* Vander Linden de Script. Med. Ex tribus primis nominibus ſolum nomen *Philippus* ei in Baptiſmo impoſitum notat Comingius; reliqua autem duo ad ſplendorem potius accepiſſe; *Bombaſt* autem cognomen nobiliſſimæ familiæ fuiſſe, ex qua Wilhelmus pater illegitimum ortum traxerat, Princeps Georgius ejuſdem familiæ teſtatus eſt; *Paracelſi* verò propriæ familiæ cognomen creditur: denique *ab Hohenheim* dictus

dictus à loco ejuſdem Principis Bombaſt ditionis. Ipſe tamen Paracelſus in lib. cui titulus *Paragranum*, ſolum *Theophraſti* nomen amabat, quod ſæpiſſime ſolum ponebat, aſſerens: *Et naturæ, & Baptiſmatis jure Theophraſtus nominor.* Eraſtus ipſum eunuchum fuiſſe aſſerit, ſive ex amputatione à viro quodam facta, ſive ex morſu porci, ei in infantia avulſis teſtibus; unde & feminarum oſor ſemper fuit, ut teſtatur Oporinus ſuus familiaris, qui biennio ei à ſecretis adſtitit: qui fatetur etiam, Paracelſum toto eo tempore Deo preces fundere à ſe nec viſum, nec auditum. Neque mirum, nam peſſime, & ἀθέως de Orthodoxa, omnique religione ſentiebat, novam ipſe ſuis dogmatis, imo veriùs deliramentis, ſtabilire jactans. Ex his pauca hîc referam, unde qualis ejus doctrina, ſive potius ſtultitia fuerit, cognoſci poſſit. Libro 5. de Morbis Inviſibilibus ait, Deum cacodæmoni Magiæ ſcientiam tradidiſſe perfectam, eamque ab ipſo, eo tamen inde relicto, nos haurire, & excerpere debere. In Labyrintho Medicorum errantium aſſerit, Magiam, in ſe conſideratam, ſcientiam eſſe occultiſſimam, per quam tum rerum ſupra naturam, tum etiam naturalium, quarum ratio reddi aliunde nequeat, abſolutam notionem habere poſſumus. Ecquis enim Theologorum, pergit delirans, ſpiritum malum ejicere, vel invocare ſine Magia unquam potuit? (ſimilis in hoc Paracelſus Phariſæis, qui Chriſtum Dominum in principe Dæmoniorum, & per Magiam Dæmonia ejicere dicebant) Quis Medicorum ſine Magiæ ope ægrotum vel unum curavit? Unde Magiam vocabat Artem Artium, per quam reliquæ inventæ, & per quam ſolam, non per Galeni, Avicennæ, & ſimilium libros, ad Medicinæ cognitionem pervenire quis poſſit. Magicum igitur, & Magicorum principem ſe jactando, in Præfat. libri Paragranum, & Theſauro Alchymiæ, fidem aliis, ſed levibus corde, faciebat, ſe ab Inferis Galeni literas accepiſſe, ac in ejuſdem tenebroſi loci veſtibulo cum Avicenna de Auro Potabili, de Tinctura Philoſophorum, de Quinta-eſſentia, de Lapide Philoſophico, de Mithridate, & de Theriaca, diſputaſſe. O inſaniam inſaniſſimam! ò nequiſſima deliramenta! ò ridiculam ebrii mentem! Ebrium autem ipſum dixi, non ex Henrici Bullingeri teſtimonio tantùm id affirmans, ſed ex ipſius Joh. Oporini ſui familiaris, qui in Epiſtola ad Solenandrum, & Wierum de Vita, & moribus Paraceiſi, teſtatur, ipſum nec una, vel altera diei hora non ebrium obſervaſſe, adeo vino, & crapulis indulgebat; ſicque ebrium ſemper veſtibus indutum dormiviſſe. Hoc autem, Oporinus ſubdit, nullo erat impedimento, quin Philoſophica ſibi dictitaret. O Philoſophiam vinum redolentem! ò vinoſum hominem! Sed ſi *In vino veritas*, ut in proverbio eſt, patrocinentur ei ſui fautores, & aſſeclæ, ajentes, mentem per vinum amotam, & veluti extra corpus raptam, veritatem cognoſcere, liberius philoſophari, atque etiam quandoque futura prædicere. Eſto; nec alia ei laus ſit, quam quæ ex vini furore, & veritatis per vinum inquiſitione proveniat.

Paracelſi Theologiam Magiæ ope acquiſitam ſi ſcire quis cupiat, adeat Thomam Eraſtum Part. 1. p. 24. ubi ſeptem ejus Propoſitiones ex ejuſdem ſcriptis erutas, notatas videbit; quarum ſenſus eſt. 1. Ipſum, cum Ario, fingere, Verbum, per quod creata ſunt omnia, diſtinctam à Deo eſſentiam habere, creatum eſſe, corruptioni, & Dei judicio obnoxium. 2. Plures eſſe inferioris ordinis Deos, quorum miniſterio Deus Mundum confecit. 3. Negat, Chriſtum eſſe Creatorem; ſed tantùm, ait, ei munus impertitum varias eſſentias, in Chaos confuſas, aliorum etiam ſociorum ope, ſeparandi. 4. Aſſerit, Adam imperfectum creatum fuiſſe; perfectum autem factum poſt pomum, diaboli ſuaſione, comeſum: in quod pomum diabolus omnem ſuam ſcientiam ſecum intruſerat: ac proinde Adam naturæ lumen, niſi poſt ejectionem à Paradiſo

diſo illo, non habuiſſe. 5. Homo, ait, omni naſcitur libertate privatus; hinc ad mala, & crimina ab inferioribus diis, de quibus modò dictum, impellitur. 6. Etſi *Pater omne judicium dedit Filio*, ſicut hic, & ubique ſæpiſſime Sacra Biblia clamitant; ipſe tamen omne penitus judicium Chriſto adimit. 7. Denique & omnium horrendiſſima propoſitione aſſerit, Chriſtum etiam peccatorem (horret calamus vel ſcribere) extitiſſe, ac proinde Dei judicium de eo expectandum. O præclarum Theologum, & ad noſtra uſque ſecula inauditum! O novum Theoſophiæ portentum! O excelſum, ac mirabilem Religionis inſtitutorem! Inſtitutorem dixi, nam omnes æque religiones ut errorum plenas damnans, ac Romanum Pontificem, Lutherumque caſtigandum à ſe promitters, non ſecus, ac de Galeno, & Hippocrate fecerat, novam omnino religionem ſe conditurum dicebat. Non negaverim tamen, ipſum quandoque Catholicorum more in ſuis ſcriptis locutum eſſe. Levis etiam fuit ad puerilia, inania, abſurda, & ἄλογα quædam credendum, & docendum; aſſerens, præter alia multa, ſanguinem feminæ menſtruum omnium eſſe venenorum potentiſſimum: ex partibus feminei ſeminis cum eodem commiſtis pulices, araneos, erucas, ſcarabeos, & id genus inſecta oriri; & his ſimilia fatua, & inſulſa. Quid autem dicam de artificiali illo homuncione, quem ipſe ex ſpermate virili, in vaſe vitreo hermetice obſignato incluſo, & ſub fimo equino ad certum tempus detento, donec in vaſe contenta materies moveri incipiat formaſſe jactabat? quem homuncionem per 40. hebdomadas Arcano ſanguinis, quod vocat, nutrire oportet.

Citatus Joh. Oporinus, & ex eo Geſnerus in Tract. de Chirurgiæ Script. aſſerunt, Paracelſum in enſis capulo ſuum Azoth, familiarem ſcil. dæmonem alligatum habuiſſe. Præcipuus ſui animi conatus fuit Hippocraticam, Galenicam, omnemque Medicinæ ſcientiam funditus evertere, ac ſuam unicam ſtabilire, quam cujuslibet ſectæ Medici in poſterum ſequerentur, atque ipſum ut Medicinæ Monarcham venerarentur. Hinc Hippocratem, Galenum, Avicennam, omneſque ſui, ac præteriti ævi Medicos ad contemtum *Humoriſtas* appellabat, quod morborum omnium cauſſas in humoribus quærerent. Verùm qui omnes æque deſpexerat, omnibus quoque deſpectus erat, ab iis non Theophraſtus, ſed Cacophraſtus vocatus. Tandem prætermiſſis aliis ad ejus vitam ſpectantibus, atque ægrotis, ab eo mira arte, ut ajunt, ſanitati redditis; ad ejus mortem conſiderandam veniamus, quam nemo quidem eſt, qui non admiretur, quod ſcilicet A. C. 1541. ætatis verò circiter 48. tam cito obierit, qui aliis tam longævam promittebat vitam. Crollius tamen, ut magiſtri honorem tueretur, ait, ipſum veneno ab ejus famæ hoſtibus ſublatum. Guil. Bovil. in Icon. Illuſtr. Vir. Paracelſum in hoc commendat, quod animi integritate, & pietate in egenos nulli ſecundus fuerit.

Ad Paracelſi Doctrinam quod attinet, jam ſupra diximus, eum tria hæc in Chymia ſtatuiſſe Principia, Sal, Sulfur, & Mercurium. Utramque calluit Chymiæ partem, Medicam ſcil. & Metallurgicam. Lapidem Philoſophicum, Aurum artificiale, & his ſimilia Chymica Arcana confeciſſe dicitur. Miracula, quæ in arte potiſſimum Chirurgica patraſſe aſſerunt, legitimis, & fide dignis carent teſtimoniis, ut advertit Libavius, licet ipſe quoque Chymicus magni nominis; cujus verba in Hiſt. Panac. AnnWald. ſunt. *Vim univerſalem quod attinet, ajunt quidem, Paracelſum omnes morbos ſanaſſe Lapidis præſidio. Sed cum nihil demonſtrati dicant, ipſeque magiſter plurimos deceperit, nec curaverit, multos interfecerit, aut certe pejus affecerit, nec ſibi ipſi tuſſim, & arthritidem, contracturamque adimere potuerit, vanitatis coarguitur aſſertum.* Aurum nunquam efformaſſe vel ex eo argui poteſt, quod

pauper

pauper ſemper vixerit, & obierit. Unde Carolus Quintus Imp. qui aures ei præbebat, Delirum ipſum vocavit, ex quo ei propoſuit ipſum Chymiæ ſuæ ope ditare, ut notat Rapin. Reflex. in Philoſ. ſect. 17. ubi Paracelſum ita perſtringit: *Paracelſus, qui Operatoris potius, quam Philoſophi characterem præ ſe ferebat, Raymundo Lullio, & Cardano abſurdior eſt. Sibi enim in animum induxerat Philoſophiam novam, novam artem Medicinæ, novamque religionem condere. Impulſu proprio per ridiculam neutralitatem mediatorem ſe gerens inter Papam, & Lutherum, ut ambos ad axiomata ſua ſequenda adduceret. Gobory primus ejus in Gallia ſectator fuit: Phyſicus is erat admodum ſuperficiarius, ſed diſtillator inſignis. Paracelſus profundi erat ingenii: dictionem habet mœſtam, & obſcuram. Omnia ejus verba totidem erant ænigmata, ejuſque ſermones myſteria. Rullandus Germanicus Medicus vocum ejus Lexicon contexuit, cujus ope ne dum intelligi poteſt. Paracelſus is fuit, qui Chymiam in Germania reſtauravit.*

Quamvis difficile nimis ſit Paracelſi Syſtema tum ob ejus affectatam obſcuritatem, tum ob ejus frequentem contradictionem, exponere; ipſum tamen quoad fieri poterit breviſſime, & veluti per ἀνακεφαλαίωσιν tradam. Et primò voces, quæ ad noſtræ mentis cogitata aliis communicanda, & clare ab iis intelligenda, inſerviunt, ipſe adcò barbaras, à nulla lingua erutas, ſed proprio marte formatas, invenit, ut ad id fictas dixeris, quò ſimplices magis admirarentur, & myſteriorum obſcurorum plenas putarent; juxta illud Lucretii lib. 1.

Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amantque,
Inverſis quæ ſub verbis latitantia cernant.

Tales ſunt librorum quorundam tituli, ut *Paramirum*; *Paragranum*: voces etiam ſequentes, *Iliadus*, ſive *Iliadum*, *Iliaſter*, *Idechtrum*, *Domor Cagaſtrum*, *Pagoycum*, *Relolleus*, *Cherionius*, *Eveſter*, *Ylech*, *Trarames*, *Turban*, *Leſſas*, *Stannar*, *Perenda*, *Zenda*, *Dualech*, &c. quæ nec etiam ope Lexici à Rullando, ut diximus, exarati, intelligi poſſunt. Vocibus etiam utitur vulgaris, & notæ ſignificationis, ſed aliam omnino à propria ipſis tribuens, ut *Anatomia*, *Aſtrum*, *Manna*, *Eſſentia*, *Ens*, &c. Duplex homini corpus tribuit, *Phyſicum* unum, & *Elementare*, quod videtur, & tangitur; *Cœleſte* alterum, & inviſibile, quod ex aſtris originem trahit: quod Cœleſte hominis corpus quidam ex ejus aſſeclis hominis *Genium*, *Larem Domeſticum*, & *Spiritum Familiarem* appellant.

Primam Medicorum curam ponit Paracelſus in perfecta cognitione analogiæ, ſive relationis, quæ eſt inter Μακροκοσμον, *Magnum* ſcilicet *Mundum*, & Μικροκοσμον, *Mundum Parvum*, ſive corpus humanum. In hoc enim ipſe *motus aſtrorum*, *naturam terræ*, *aquæ*, & *aëris*, *omnia vegetabilia*, *mineralia*, *conſtellationes*, & *quatuor ventos*, ſicut in Macrocoſmo agnoſcit; *Polos* inſuper, & *Axem Polarem*, *lineam Meridianam*, *Ortum*, *Occaſum*, &c. Ab ipſo, ejuſque ſectatoribus connexio inter principes corporis humani partes, & planetas ſtatuitur, ut inter Cor, & Solem; Cerebrum, & Lunam; Lienem, & Saturnum; Pulmones, & Mercurium; Renes, Teſteſque, & Venerem; Hepar, & Jovem; Bilem, & Martem: non ſecus ac ſeptem ſunt metalla ſeptem planetis correſpondentia. In corpore itaque humano Cœli, Terræ, atque omnium animalium proprietates eſſe affirmat: hinc relatio inter morbos, & plantas; ſic ab Acoro, Helleboro, &c. morbum Acorinum, Helleborinum, &c. vocat.

Quam Ariſtoteles *Materiam Primam*, ipſe *Magnum Myſterium* appellat; atque hoc nihil viſibile, nihil ſenſibile, nihil perceptibile, non formas, non colores,

Digitized by Google

colores, nec elementare quid habet: cujus ſphæra Cœlorum, univerſique ſphæræ æquivalet: à quo elementa, & res omnes creatæ tanquam à matre ortum duxerunt; non tamen ſucceſſive, ſed unica creatione ex ipſo ſubſtantia, forma, materies, &c. provenerunt. In eo, tanquam in tenebris, ſive, ut ipſe vocat, Abyſſo, animalium, vegetabilium, mineralium ſemina, ſicut & alia, prius ſepulta, per Generationem educta ſunt. Ex hac Paracelſi doctrina educunt ejus ſectatores, Generationem non eſſe aliud, niſi eductionem ſeminum, ſive ſingulorum individuorum, ex Abyſſo, ſive Tenebris, in quibus continebantur, in lucem; itaut ex inviſibilibus, ut ſemper extiterant, viſibilia fiant; atque in eandem Abyſſum, unde venerant, per eam, quam corruptionem vocamus, revertantur, poſtquam munera, ad quæ determinata ſunt, impleverint. Inde eruitur ab iis, nihil, quod gigni videtur, proprie novum eſſe, etiamſi tale videatur, ſed omnia ſemper eſſe eadem, modò tamen viſibilia, modò inviſibilia: idem dicas de corruptione. Hoc autem etiam Hippocratis autoritate confirmant, qui lib. 1. de Diæta ait: *Equidem nullum omnino corpus perit, neque fit, quod prius non erat - - - - Et neque animal mori poſſibile eſt non cum omnibus (unde enim moriatur ?) neque quod non eſt, generari, &c.* Cui addi poſſet Scripturæ illud: *Nil ſub ſole novum*. Rerum tamen ſemina non ſola propria virtute ex loco originis, ſive ex Abyſſo prodeunt, ſed auxilio etiam cœleſtis potentiæ, ſive virtutis ipſis inſitæ, quam Paracelſus *Archeum* vocat, ejuſque Commentatores *Spiritum Architectum* vertunt: quod Archeum puras partes ab impuris ſeparans in miſtis, cunctas propriis in locis ſegregat, & diſponit, etiam in Elementis.

Elementa autem non agnoſcit cum Ariſtotele Terram, Aquam, Aërem, & Ignem, quæ corpora vocat inefficacia, impotentia, &, ut ſuis verbis utar, *relollaceas, & paſſivas qualitates poſſidentia*. Eorum autem loco hæc tria ponit rerum omnium Principia, *Sal*, *Sulfur*, & *Mercurium*, ut diximus, quas *Primas* etiam *Subſtantias* vocat: quæ rerum Principia non ipſe, ſed Iſaac Hollandus, & Baſilius Valentinus primi inveniſſe dicuntur. Præter hæc Principia, in omnibus naturalibus corporibus, quæ creſcunt, & quæ vitam habent, agnoſcit Paracelſus materiam quandam cœleſtem, ſubtiliſſimam, ab omni impuritate, & mortalitate purgatam, quam *Quintam-Eſſentiam* vocat, de qua lib 4. Archidoxorum ſic ait: *Quinta-Eſſentia non eſt quinta eſſentia ultra elementa, quia eſt elementum*. Quam etiam appellat *Tincturam*, *Lapidem Philoſophorum*, *Florem*, *Solem*, *Cœlum*, *Spiritum Æthereum*, *&c.* atque morborum omnium Panaceam, ſeu Medicinam Univerſalem, Ignem inviſibilem, cunctas infirmitates devorantem, lib. de Tinctura Phyſicorum, eſſe aſſerit. Præter Medicinam hanc Univerſalem agnoſcit etiam particularia medicamenta, eaque infallibilia. Si autem ipſum interroges, cur Univerſale, & particularia ſua remedia, quæ ſunt infallibilia, non omnes ſaneut ægrotos, hominesque ſic reddant immortales? reſpondet, contra deſtinatum hominis fatum nullam valere virtutem: unde nil mirum, ſi ſua *Magnalia Dei* (ſic ſua vocat quandoque remedia) contra fatum cuique ſtatutum vim nullam habeant. Quid verò per *Iliaſtrum*, & *Cogaſtrum*, quæ duo ſunt præcipua morborum genera, intelligat: Quomodo morbi omnes à quinque cauſſis, quas *Entia* appellat, producantur, quæ ſunt *Ens Dei*, quum ſcilicet immediate à Deo immittuntur; *Ens Aſtrale*, quum ab aſtris proveniunt; *Ens Naturale*, quum naturæ vitio oriuntur; *Ens Spirituale*, ſive *Pagoycum*, cui morbi ab imaginatione tum noſtra, tum aliena in nos agente, referuntur, cujus generis ſunt morbi à maleficio, & faſcino producti; & *Ens Veneni*, quod venena omnia tum naturalia, tum artificialia comprehendit; videre eſt apud ipſum in lib. *Paramirum de quinque Entibus morborum*.

A generalibus autem morborum cauſſis ad particulares deſcendens Paracelſus, ait, omnes morbos à Sale, Sulfure, & Mercurio oriri, quas tres primas ſubſtantias appellat, ut diximus, & ex quibus hominis corpus componi aſſerit. In his igitur, non in humoribus, eorumque qualitatibus, ut hactenus Medici fecerunt, particulares morborum cauſſas inquirendas ſtatuit Paracelſus: qui vero morbi à Sale, qui à Sulfure, & qui à Mercurio producantur, vide apud ipſum *Paramir. lib. 1. De Origine morborum ex tribus primis ſubſtantiis*. Alios præterea morbos à *Tartaro* ortum ducere affirmat, ut renum, & veſicæ calculum, &c. quos *Morbos Tartareos* appellat cap 1. *De Morbis Tartareis*. *De Morborum ſignis*. *De Urinis*, &c. conſule ejus Opera.

Ut autem à plantis, aliiſque rebus naturalibus remedia particularia educantur, inſpicere præcipit earum *Characteres*, ſeu *Signaturas* quaſdam, quæ ſingularum virtutem præcipuis corporis partibus, earumque morbis aptam oſtendunt. Sic Euphraſia ex. gr. oculorum morbis medetur, quia in interna hujus floris parte nota nigra obſervatur, oculi pupillam repræſentans. Vide Crollium, & Ammannum de Characteribus, & Signaturis plantarum, alioſque. Libavius tamen, etſi excellens Chymicus, nullam inter fortuitam hanc rerum naturalium ſignaturam, & earum virtutem analogiam agnoſcit neceſſariam. Denique non tantum animalibus, vegetabilibus, & mineralibus Medicam virtutem tribuit Paracelſus; ſed etiam *Verbis*, & *Characteribus*, quibus deſperati quandoque morbi, nec vel ipſo Auro potabili, Quintæ-eſſentiæ, aut Antimonio cedentes, ſanari poſſunt. Qua de re ſic ipſe Philoſophiæ Sagacis lib. 1. *Natura vires ſuas in verba imponit, ſicut in herbas, & radices, ita in Gamahæos*. Et pauló poſt: *Imagines, & Characteres ſunt pixides, in quibus Magus ſiderum vires aſſervat*. Contra Paracelſum ſcripſerunt plures, præcipue Thomas Eraſtus, & Guntherius, qui ejus Philoſophiam, & Medicinam funditus evertere conati ſunt. Vide Danielem le Clerc in Continuat. Hiſt. Medic. ad finem; unde potiora hîc excerpta notantur. De Paracelſo plura qui cupit, adeat, præter dictos, Melch. Adam in Vit. Germ. Medic. Voſſium de Phil. cap. 9. Quenſtedt de Patr. doct. Laurentium Craſſum Elog. d'Uomini Letter. &c.

Paracelſi Scripta quis numeret? De iis ita Konigius: *Scripſit libros 230. in Philoſophia, & 46. in Medicina. Scripta ejus tanti æſtimata ſunt, ut à nonnullis in Latinum, Italicum, & Gallicum ſermonem tranſlata fuerint. Ramdius etiam Medicos libros Græce convertit*. Libavius tamen Tom 2. p. 103. & alibi paſſim, eum furti ſcriptorum, & arcanorum arguit. Idem ſentit Thomaſius de Plag. Literar. ſect. 514. ubi ex Conrigio notat, Paracelſum à Monachi cujuſdam libro, Ulmæ ante 200. fere annos ſcripto, ut modò dictum, & à Baſilii Valentini ſcriptis multa, ſuppreſſo nomine, tranſtuliſſe. Negat Sennertus, omneſque Paracelſi ſectatores, qui ab hoc Chymicorum principe *Paracelſiſtæ* vocati ſunt. Paracelſi Opera omnia Philoſophiam, & Medicinam tractantia, Tomis 12. comprehenſa, diligentiſſime enumerat Vander Linden de Script. Med. & Geſnerus in Bibliotheca; quos vide.

De iis non una eſt autorum cenſura. Laudat Melchior Adam in Vita; Petrus Ramus Orat. de Baſilea, ubi: - - - - *qui in intima naturæ viſcera ſic penitus introierit - - - - ut cum Theophraſto nata primum Medicina, perfectaque videatur*. Joſeph. Quercetanus in lib. de Ortu, & Cauſſis Metallorum; & Eraſmus in Epiſtolis. Buddeus quoque loco ſæpiuscitato p. 82. *Chemicorum ſectam reſtauravit, novumque et lumen addidit Phil. Theophr. Paracelſus, ab Hohenheim, dictus etiam Bombaſtus, gente vel Suevus, vel Helvetius. Per Chemicam artem miranda patravit - - - - Cabbaliſtica quædam arcana cum*

Aſtro-

Aſtrologicis decretis, & magia naturali conjungens, novum prorſus excogitavit Philoſophiæ genus, quod Myſticum, & Theoſophicum appellare ſolent. Ubi inter Paracelſi ſectatores, præter Fratres Roſæ-Crucis, & Robertum Fluddum, de quibus infra, numerantur etiam Valentinus Weiſelius cum ſuis ſectatoribus: Jacobus Bohmius: Quirinus Kuhlmannus, ejuſque diſcipuli. Contra verò reprehendit Voſſius de Philoſoph. p. 71. 72. ubi: *Negabat Paracelſus, primos parentes ante lapſum habuiſſe partes generationi hominis neceſſarias: poſtea acceſſiſſe, ut ſtrumam gutturi. Ajebat, Chriſtum non ex Adamo ortum, ſed Abrahamo, cui facta Promiſſio. De Reſurrectione etiam mirifica ſomniabat. Negabat enim, ſibi placere rationem, quam primi Eccleſiarum Reformatores hactenus iniiſſent; ſane felicius ſe fuiſſe Papam de ſolio detruſurum. Hic qui longævam aliis vitam,* &c. Guido Patin. Selectioribus Epiſtolis Epiſt. 58. Gall. *Audiviſtine Paracelſum Genevæ imprimi quatuor Voluminibus folio? Proh pudor! quod tam ineptus liber præla, & operarios inveniat, quorum eſt inopia ad aliquid optimi faciendum. Mallem Alcoranum impreſſum fuiſſe, qui non eſt æque periculoſus, & qui ſaltem homines non æque ſeduceret.* Animi tamen integritate, & pietate in egenos nulli ſecundus dicitur à Guil. Bovil. in Prompt. Icon. Illuſtr. Vir. Notandum denique hîc, Paracelſum inter Hæreticos primæ claſſis in Indice Romano recenſeri.

Sed antequam ad alios tranſeamus, memorandi hîc ſunt ſequentes, & ipſi inter Chymicos celeberrimi. JOHANNES DE RUPESCISSA, Ordinis Fratrum Minorum, de quo ita Geſnerus in Biblioth. *Scripſit in vinculis ad quendam Cardinalem Revelationes ſuas lib. 1. Super ſententias quoque lib. 4. Scripſit etiam Oraculum Cyrilli lib. 1. In vinculis diu apud ſuos manſit, quod prædixerit Eccleſiæ deſolationem futuram. Ex Albienſi Bibliotheca. Johannis de Rupeſciſſa De conſideratione Quintæ eſſentiæ rerum omnium, opus egregium duobus libris diſtinctum, editum eſt Baſil. 1561. Vixit circa an. 1240.* Inter ejus Opera recenſentur etiam à Vander Linden de Script. Med. *Liber Lucis*, & *Liber de Confectione veri Lapidis Philoſophorum.*

ROGERUS BACON, ſive RUGERUS BAKON, Anglus (quem ſupra p. 312. inter Peripateticos retulimus) Minoritani olim nominis, Doctor Oxonienſis. Chymicis etiam adnumerandus, Chymiæ enim fuit quammaxime ſtudioſus. Scripſit hic, referente Geſnero in Bibliotheca, *De Necromanticis Imaginibus lib. 1. Prognoſtica ex ſiderum curſu lib. 1. Regimina Cœleſtium lib. 1. De Excantationibus lib. 1. De Occultis naturæ operibus lib. 1. De vera Aſtronomia lib. 1. De Perſpectiva lib. 1. De rerum mirabilibus lib. 1. De retardatione accidentium lib. 1. Super Sententias lib. 4. In Philoſophiam Naturalem lib. 8. In Moralem lib. 10. Speculum Alchymiæ lib. 1. De Alchymiſtarum artibus lib. 1. De Grammatica Græca lib. 1. De ſitu Palæſtinæ lib. 1. De judiciis Aſtrologiæ lib. 1. Sententias experimentales lib. 1. De ſpeculi facultate lib. 1. Compendium ſtudii Theologici lib. 1. De mirabili poteſtate artis, & naturæ lib. 1.* ubi de Philoſophorum Lapide.

JOH. ISAACUS HOLLANDUS; cujus ſunt *Opera Mineralia, ſive De Lapide Philoſophico. De tribus ordinibus Elixiris; & Lapidis Theoria. Opus Saturni.* De quo vide etiam Theatrum Chymicum.

BASILIUS VALENTINUS, Monachus Benedictinus, gente Germanus, qui circa finem ſec. 15. vixit, poſt ſcil. Rog. Baconem, & Joh. Iſaac. Hollandum. Ejus ſcripta ſunt: *Azoth*, ſive Aureliæ occultæ partes duorum Philoſophorum Materiam Primam, & decantatum illum Lapidem Philoſophorum filiis Hermetis ſolide, perſpicue, & dilucide explicantes per Ænigma Philoſophicum, Colloquium Parabolicum, Tabulam Smaragdinam Hermetis, Symbola,

 Para-

Parabolas, & Figuras Saturni. *Opus præclarum ad utrumque, quod pro Teſtamento dedit filio ſuo adoptivo. Practica cum 12. Clavibus, & Appendice. De Microcoſmo, deque magno Mundi myſterio, & Medicina hominis. Apocalypſis Chymica. Currus Triumphalis Antimonii. Tractatus Chymico-Philoſophicus de rebus ſupernaturalibus, & naturalibus Metallorum, & Mineralium.*

GEORGIUS RIPLAJUS

SIve *Riplay*, Anglus, Ordinis S. Auguſtini ex eorum numero, qui Canonici Regulares dicuntur, in Matheſi, Poëſi, & ingenuis artibus eruditus, ad Philoſophiæ Naturalis ſecreta addiſcenda Galliam, Germaniam, & Italiam luſtravit. Ab Innocentio VIII. jus ei datum Carmelitarum Ordinem ingrediendi. Chymicorum Philoſophiæ omnium maxime fuit addictus; ut ejus Opera teſtantur, quæ ſunt: *Opera omnia Chymica; in quorum I. continetur Liber 12. portarum, ideſt, 1. Calcinatio. 2. Solutio. 3. Separatio. 4. Conjunctio. 5. Putrefactio. 6. Congelatio. 7. Cibatio. 8. Sublimatio. 9. Fermentatio. 10. Exaltatio. 11. Multiplicatio. 12. Projectio. In II. Liber de Mercurio, & Lapide Philoſophico. In III. Medulla Philoſophiæ Chymicæ. In IV. Philorcium Alchymiſtarum. In V. Clavis Aureæ Poſtæ. In VI. Pupilla Alchymiæ. In VII. Terra Terræ Philoſophicæ. In VIII. Concordantia Raymundi, & Ovidonis. In IX Viaticum, ſeu Varia Practica. In X. Accurtationes, & Practicæ Raymundinæ. In XI. Cantilena. In XII. Epiſtola ad Regem Eduardum.* Scripſit etiam *De Magia naturali. De rerum temperaturis*, atque alia, quæ videre eſt apud Geſn. in Bibl. & Pitſ. de Illuſt. Angl. Script. Obiit circa an. 1490.

ROCHIUS BAILLIFIUS.

MEdicus, & Philoſophus Chymicus, in humanioribus etiam literis eruditus, ſec. 16. natus eſt Falazæ, ſive Faileſiæ, quod Normanniæ in Gallia oppidum eſt; notus etiam ſub nomine *Dominus de la Riviere*. Medicorum, præcipue Pariſienſium ſibi odium concitavit, quod Medicinam ſecundum Paracelſi principia faceret. Quare præter *Tractatum de Peſte* an. 1580. atque alia, *Demoſterion, ideſt*, 300. *Aphoriſmos, continentes ſummam doctrinæ Paracelſicæ; & Reſponſionem ad Quæſtiones propoſitas à Medicis Pariſienſibus*, publicavit.

JOH.-AURELIUS AUGURELLUS

PHiloſophus, Alchymiſta, & Poëta ſui ævi celeberrimus, patria Ariminenſis, initio ſec. 16. floruit, & præter Lyricos verſus, & ſermones, heroico verſu ſcripſit Chryſopoeam lib. 3. quod opus præ aliis optimum, & Geronticon lib. 1. Quamvis Principum, Regumque limina frequentaret, pauper tamen, Chymicorum more, & vixit, & obiit Tarviſii, ſive Tauriſii, quæ Marchiæ Tarviſinæ urbs eſt, an. æt. 83. Ejus verò fautores hanc paupertatem non veram, ſed fictam, & affectatam aſſerunt, ut arcanorum ſuorum invidos, & invidiam effugeret. Vide Jovium in Elog. Craſſum de Poët. Gr. Jul. Cæſ. Scalig. in Hypercrit. Baillet Jugemens des Sav. Tom. 7. &c.

HEN-

Digitized by Google

HENRICUS-CORNELIUS AGRIPPA.

DE inſigni hoc Chymico, Theologiæ, Medicinæ, Juriſprudentiæ , aliarumque liberalium artium cultore , quem P. Jovius ejus cæteroqui non fautor , *Portentoſum ingenium* appellat; Lud. Vives *Venerandum Dominum Agrippam , literarum , literatorumque omnium miraculum , & amorem bonorum* ; Jacob. Gohori *inter clariſſima ſui ſeculi lumina* numerat ; & reliqui *ſui ſeculi Triſmegiſtum* vocant ; ita Vander Linden de Script. Med. : *Natus ex nobili familia à Nettesheim Coloniæ Agrippinæ A.C. 1486. Maximiliano I Imp. à Secretis , & Caroli V. Imp. Conſiliarius , ac Hiſtoriographus , nec non Reip. Metenſis Syndicus , Advocatus , & Legatus fuit . Ante autem hos aliquot annos , nempe 1509. Dolæ Burgundiorum in Gymnaſio publice cum omnium ſtupore docuit . Juris , & Medicinæ Doctoris gradum tum demum aſſumſit , cum jam antea Equitis Aurati dignitatem virtute bellica fuiſſet meritus . Medicinam fecit tum in urbe Gebennarum , tum etiam Friburgi Briſgojæ , & in Gallia . Amicitiam coluit cum Joh. Tritbemio , Abbate Herbipol. & Eraſmo Roterodamo. Magiæ , & Necromantiæ ſuſpectus , cùm appropinquante morte ad pœnitentiam urgeretur , Cani ſuo nigro , quem veluti Cacodæmonem circumduxiſſe ferebatur , collare magicis inſcriptum notis indignabundus cum his verbis exſolvit : Abi perdita beſtia , quæ me totum perdidiſti : nec unquam familiaris ille Canis , ac aſſiduus itinerum omnium comes , poſtea conſpectus eſt . Præcipiti enim fuga ſaltu in Ararim ſe immerſiſſe , nec enataſſe , ab his , qui vidiſſe aſſerebant , dicebatur ; uti P. Jovius in Elog. doctorum Virorum refert. Sed quod Joh. Wierus lib. 2. c. 5. de Præſtig. Dæmon. merum figmentum eſſe affirmat . Obiit Gratianopoli in Gallia egeſtate extrema A.C. 1534. æt. ſuæ 48. duaram uxorum nobilium maritus , & liberorum aliquot parens* . Hornius etiam in Hiſt. Phil. Corn. Agrippam Cacodæmoni ſe mancipaſſe affirmare non eſt veritus .

Inter ejus Opera , quæ 2. Volum. in 8. continentur , ſunt : *De Occulta Philoſophia* ; *Commentaria in Artem brevem Raymundi Lullii ; De triplici ratione cognoſcendi Deum ; Dehortatio à Theologia Gentili ; Expoſtulatio cum Joh. Catilineto ; Epiſtol. lib. 7. Contra Peſtem Antidota ſecuriſſima ; De Medicina*, &c. Cit. Wierus aſſerit , *Tractatum de Cæremoniis Magicis* , qui vulgò Agrippæ tribuitur , ejus non eſſe . Vide , præter dictos, Melch. Adam Vit. Germ. Med. Naudeum in Apolog. &c.

JOH. BAPTISTA VAN HELMONT.

Natus eſt Bruxellis A.C. 1577. Anno ætatis ſuæ 17 totum Philoſophiæ curſum abſolvit . Ipſe ſe vocare ſolitus eſt Philoſophum per ignem . Fuit nobilis Bruxellenſis , & Toparcha in Merode , Royenborch , Oorſchot , Pellines , &c. Obiit A.C. 1644. ætatis ſuæ 67. Vander Linden de Script. Med. Et Jonſius de Script. Hiſt. Phil. lib. 3. c. 28. 2. : - - - *Theologus , Medicus , & Philoſophus acutiſſimus , ſeculi ſui vere Paracelſus (uti appellat ipſum excellentiſſimus Wedelius in quodam programmate) qui præter multos libros doctiſſimos , quibus ſecretiori præſertim Philoſophiæ ſua dedit incrementa* , &c. Joh. Caramuel Lobkovviz ita de Helmontio ſcripſit : *Helmontius (novi hominem) fuit pius , doctus , ac celeber : Galeni , & Ariſtotelis juratus hoſtis ; ſub quo ægri non laborabant diu ; nam ſecunda , aut tertia ad ſummum die carebant vita , aut morbo . Vocabatur præcipue ad illos , qui ab aliis Medicis deſerebantur* , &c Joh. Franc. Buddeus in Hiſt. Phil. ſuccincta delineatione p. 83. de Paracelſi

ſecta-

ſectatoribus loquens, de Helmontii Philoſophia hæc ſubdit: *Sed omnium maxime Paracelſicam Philoſophiam illuſtravit, & auxit Joh. Bapt. Van Helmont, ejuſque filius Franciſcus Mercurius, uterque naturæ arcanorum peritiſſimus. Ille Philoſophum per ignem ſe vocavit, & Paracelſi Philoſophiæ, quam ſequebatur, ac plurimi faciebat; ſingulares quaſdam ſuas opiniones adjunxit. Rerum enim omnium Principium Aquam cum Thalete ſtatuit, ac Mentis Involucrum quoddam, animam ſcil. caducam, & ſenſitivam, à lapſu primorum parentum accerſitam. Franciſcus Mercurius eandem fere ſecretiorem philoſophandi rationem ſecutus eſt, & Pythagoream quoque Metempſycoſin revocavit.* Ob portentoſas morborum fere inſanabilium curationes ad Sacræ Inquiſitionis Tribunal ejus nomen delatum fuit, quod illas ſupra naturæ vires aliqui factas putabant: ſed ab his accuſationibus optime ſe defendens, Hollandiam, quò libertate gauderet, ſeceſſit.

Ejus Opera, volumine 1. in fol. comprehenſa, Medica plerumque ſunt. Inter Philoſophica recenſeri poſſunt: *Cauſſæ, & initia Naturalium: Logica inutilis: Phyſica Ariſtotelis, & Galeni ignara: Elementa: Terra: Aqua: Aër: Progymnaſmata Mettori: Gas Aquæ: Blas Meteoron: Vacuum Naturæ: Meteorum Anomalum: Terræ Tremor: Complexionum, atque Miſtionum Elementalium Figmentum: Aſtra neceſſitant, non inclinant, nec ſignificant de Vita, Corpore, & Fortunis nati: Formarum ortus: Magnum oportet: Natura contrariorum neſcia: Imago Mentis: Demens Idea: Sedes Animæ: Tractatus de Anima: Diſtinctio Mentis à ſenſitiva Anima: De Animæ noſtræ Immortalitate: Nexus Senſitivæ, & Mentis, &c.* In Helmontii Opera contra Galeniſtas exarata dodecaſticho luſit Jan. Walhornius; cujus initium:

Claude Scholas, Galene, tuas: ſatis occiſorum eſt,
Ohe jam ſatis eſt, plena ſepulcra ſonant, &c.

Ego verò ingenue quidèm fateor, nos multa Helmontio præclara, & efficacia inventa medicamenta debere; ipſum tamen ſæpiſſime verborum novitate, & fictione, vel locutione obſcurè, ut Chymiſtarum eſt, locutum φανταστικῶς fuiſſe. Vide præter Medicos noſtri ævi celebriores, Val. Andr. Bibl. Belg. L. Craſſ. Elog. d'Uom. Lett. &c.

DANIEL SENNERTUS

Natus Uratislaviæ A. C. 1572. patre Nicolao Sennerto, calceario, & cive. Wittebergæ 1598. Philoſophiæ Magiſter, & ibidem 1601. Medicinæ Doctor, pauloque poſt, anno nempe 1602. ejuſdem Profeſſor Publ. nec non tandem etiam Electoris Saxon. Archiater conſtitutus eſt. Obiit Wittebergæ 1637. æt. 65. Vander Linden de Script. Med. Hic Chymicorum omnium induſtriam ſuperavit, primuſque Chymiæ ſtudium in Wittebergæ Univerſitatem invexit. Quamvis enim Peripateticus eſſet, Chymiæ tamen fuit ſtudioſiſſimus, per quam, & Medicinæ praxin magnam ſibi gloriam comparavit. Enim verò non ſicut reliqui Chymici bellum Ariſtoteli, & Galeno indixit; ſed potius Chymicos & Ariſtotelicos invicem conciliare conatus eſt libro illo *De Chymicorum cum Ariſtotelicis, & Galenicis Conſenſu, & Diſſenſu.* Sennertus brutorum animam non corpoream, ſed ſpiritualem eſſe, affirmabat, & docebat: unde ejus adverſarii, quorum maximus Joh. Freitagius, eum impietatis accuſabant, aſſerentes, ex hac ſententia neceſſario deduci, brutorum animam eſſe immortalem. Quibus Sennertus ſatis facere putavit dicendo, brutorum animam incorpoream quidem eſſe, unà tamen cum corpore perire; hominis verò animam ſpeciali Dei dono immortalitate donatam. Sed quàm inepta hæc reſponſio ſit, vel pueri dicant. Omnis

enim

enim ſpiritus ex ſui natura immortalis eſt; tum quia nullum agens (præter Deum, à quo ex nihilo creatus, in nihilum redigi poteſt, modò velit, quod nunquam fiet, cum Deus ſit immutabilis) eſt, à quo deſtruatur; contra verò quidquid exiſtit, quantum in ſe eſt, ſemper in eodem ſtatu permanere contendit. Tandem, cum partes, quibus componatur, non habeat, omnis diſſolutionis, & mortis expers erit. De Sennerto ita ex Recentioribus Joh. Franc. Buddeus in Hiſt. Philoſ. ſuccincta delineatione pag 80. *Dum ita in Italia, & Anglia reſtaurandæ, atque perficiendæ Philoſophiæ Naturali incumbitur, in Germania, & quidem Wittebergæ Daniel Sennertus manum eidem operi admovit. Chemicam enim artem cum Medica conjunxit, hoſtem ideo acerrimum expertus Joh. Freitagium, Medicum Groningenſem, qui contra Sectam Sennerto Paracelſicam ſtrenue declamavit. Nota cumprimis ejus ſententia, quod ſeminibus omnibus inſit anima, quæ cum iis propagetur, & corpus denique, organaque ipſa ſibi efformet.*

Inter Sennerti Sectatores præcipuus ab eodem recenſetur *Joh. Sperlingius*, de quo ibidem ſic: *Sennertum ſecutus eſt, & ſtrenue defendit Joh. Sperlingius, cui, qui accuratiores Ariſtotelici videri volebant, ſe acriter oppoſuerunt, cum primis Joh. Zeiſoldus. Et Sperlingius quidem Commenta Ariſtotelico-Scholaſtica de Materia Prima, de Privatione, ceu tertio rerum naturalium Principio, de Productione Formæ ex potentia Materiæ, & his ſimilia acriter exagitavit; cum primis autem de Origine Animæ Humanæ diſputatum, Sperlingio quidem, & aſſeclis ejus aſſerentibus, propagari eam per traducem, Ariſtotelicis creationem ejus defendentibus.*

Inter Sennerti Opera, quæ poſtremo edita ſunt Lugduni 1676 ſex Tomis in folio, præter dictum opus, Chymica, & Medica multa, ſunt ex Philoſophicis: *Epitome Scientiæ Naturalis: Hypomnemata Phyſica: De Origine animarum in brutis: Auctarium Epitomes Phyſicæ, &c.* Scripſit etiam *De bene vivendi, beateque moriendi ratione.* Vide ejus Vitam ſuis Operibus appoſitam; & Teſtimonia clariſſimorum Virorum de eo ibidem; Morery, Bayle, &c.

FRATRES ROSEÆ CRUCIS

Dicti etiam *Illuminati, Immortales, Invisibiles*, quorum Societas in Germania initio ſec. 17. primum viſa eſt; talem ſui inſtituti originem jactant. A. C. 1378. nobilis quidam Germanus, cujus nomen nonniſi per has literas A. C. cognoſcitur, in Monaſterio quodam degens, Græcam, Latinamque linguam didicit: deinde in Palæſtinam ſecedens, in Damaſci urbe ægrotavit, ubi Arabas Sapientes loquentes audiens, ipſos poſtea in propria Academia, in Dalmuti Regno poſita, audire, ac conſulere voluit: qui & ipſum proprio nomine ſalutarunt, & ſecretorum ſuorum, omniſque ſcientiæ participem effecerunt. Hic poſtquam diu peregre fuit, tandem in patriam reverſus eſt; ubi aliquot ſibi aſſociavit, quos ſuæ ſcientiæ heredes fecit, & ad plures abiit an. 1484. Hæc Societas ſucceſſores habuit uſque ad an. 1604. cum eorum quidam ſepulcrum invenit ejus, qui eam Societatem adinveniſſe dicebatur, variis ornatum characteribus, ſignis, & inſcriptionibus, præcipue verò his literis A. C. R. C. librum item pergamena charta confectum, & aureis conſcriptum literis cum elogio præſumti eorum Societatis Fundatoris. Hæc deinde Societas (quæ reapſe nonniſi Empiricorum Medicorum Secta eſt) novos Fratres habuit, qui cum in publicum prodire non auderent, *Invisibiles* dicti ſunt. Ex hac eadem Secta orti ſunt, qui in Hiſpania *Illuminati* vocabantur: omnes tamen æque Phanatici erroris damnati ſunt. Anno 1615. Joh. Bringeretus librum Germanico idiomate edidit, in quo Tractatuum alteri titulus erat: *Declaratio, & Con-*

feſſio

ſeſſio Fidei Fratrum Roſeæ Crucis in Germania. Qui liber Regibus, Principibus, ac Literatis dicatus erat. Illuminati Bibliothecam Ptolemæi Philadelphi, Academiam Platonis, Lyceum, & his ſimilia ſe eſſe jactabant, & altiſſima multa ſibi tribuebant, quorum vel illud minimum, cunctis Mundi linguis loqui poſſe. Inde an. 1622. chartulam, ridiculos hos ſenſus continentem, quæ vel ipſi Heraclito riſum extorqueret, pluribus in locis affigi curarunt; in qua ſic: *Nos Deputati noſtri Collegii principalis Fratrum Roſeæ Crucis viſibiles, & inviſibiles hujus urbis incolæ, gratiâ Omnipotentis, in quo juſtorum cor verſatur, ſine libris, & ſignis docemus, & cujuſcumque loci, ubi eſſe volumus, linguis loquimur, ut homines nobis ſimiles à mortis errore abducamus*. Sed jam multis ab hinc annis ab hominum conſpectu hi phanatici evanuere; quidquid ſentiat Alchymiſta ille Germanus, autor libri, cui titulus: *De volucri arborea*; atque alter libri autor, qui *De Philoſophia pura* inſcribitur.

His de Fratrum Roſeæ Crucis Origine, & Progreſſu (fabuloſa licet putentur omnia) adnotatis, pauca de eorum moribus, & doctrina delibemus. Statim ac in Societatem erant admiſſi, fidem ſervare, ſecretum tegere, ac Societatis leges tenere, ipſis imperabatur. Nonniſi per ænigmata ſcribebant; ac diſciplinas omnes, Medicinam præcipue ſtabilire ſatagebant, quam eouſque ignoratam affirmabant. Arcana multa ſe poſſidere dicebant, quorum vel minimum eſſet Lapis Philoſophicus. Denique omnes Chaldæorum, Perſarum, Ægyptiorum, & Indorum Philoſophorum ſcientias ipſos tenere, ac docere jactabant. Vide Morery in Lex. M. Hiſt. Naudeum; Spondum A. C. 1623. Gautier Chron. Merc. Gall. Tom. 9. &c.

Contra Fratres Roſeæ Crucis *Lauream* Philoſophicam ſcripſit Olaus Wormius, Medicus, & Profeſſor Hafnienſis. Pro ipſis tamen fuit Michaëi Mejerus, doctiſſimus Holſatus, qui *Librum Apologeticum* edidit, in quo eorum originem, hiſtoriam, & ſecretiora collegia expoſuit. Robertus Fluddus, qui *Apologiam* pro iis compoſuit, ut mox in Fluddo. Alii denique plures, quos enumerat Lippenius in Bibl. Philoſ. p. 1338.

ROBERTUS FLUDD.

ALiàs *Fludus*, *Fluddus*, & *de Fluctibus* appellatus, *Natus eſt in Anglia ex antiqua, & nobili proſapia: in juventute Armigeri dignitatem in bello meruit: tum demum arcana naturæ penitiſſime rimari, & Medicinæ operam dare cœpit, in qua etiam ſummos honoris gradus aſſumſit, adeptus dignitatem Doctoris Academiæ Oxonienſis*. Vander Lind. de Script. Med. Jonſius de Script. Hiſt. Phil. l. 3. c. 32. 1. *Caroli I. Regis Armiger, & Medicus fuit Robertus Fludus, ſive Fluddus, aliàs de Fluctibus, Philoſophiæ, Chymiæ, & Medicinæ laude ornatus, qui natus 1606. poſt multos editos in iis ſtudiis libros, Londini mortalitatem exuit an. 1638. . . . . Vigebat tum in Anglia Fratrum Roſeæ Crucis ordo, qui omnia lumini interno adſcribebat, cujus patrocinium ſuſcipiebat, edens pro Fraternitate Roſeæ Crucis Apologiam, quæ ſeorſim quoque Leydæ prodiit. Varia item Veterum Hebræorum placita naturalia, & phyſica nobis expoſuit in Philoſophia ſua Moſaica Naturali, & paſſim in ſuis operibus. In his ſimul de Vita propria varia jucunda, & lectu digna conſignavit. Opiniones Fluddi, &c.*

Sripſit, præter modò dictas Apologiam, & Philoſophiam Moſaicam, alia multa ad Chymiam, Medicinam, Geomantiam, Cabbalam, & Muſicam ſpectantia: in quibus, Alchymiſtarum more, obſcure, ænigmatice, phanatice locutus eſt. Quæ autorum fere omnium criticorum cenſura eſt; præcipue Abbatis Bordelonii in ſua Hiſt. Critica p. 186.

Verùm

Digitized by Google

Verùm in re tam vaſta, cujus nulli limites, quid faciam? Ad ſtomachum ne uſque referam innumeros pene Chymicos, plerumque phanaticos? Sed hoc nec neceſſarium, nec utile duxi, cùm omnes fere coctam crambem recoxerint, ut in proverbio eſt: præterquamquod de iis perfectum opus complere, prorſus eſſet impoſſibile; de ſolo enim Lapide Philoſophico in variis Mundi locis, & ætatibus autores pluſquam 4000. vel potius 5000. ſcripſerunt: quorum præcipui Hermes, ſive *Mercurius Triſmegiſtus*, eorum Caput, & Pater, *Calid*, *Artephius*, qui plus 1000. annis vixiſſe gloriabatur, *Morienus Romanus*, *Coſmopolita*, cujus eſt *Novum Lumen Chymicum*, *Comes Treviſanus*, *Philalethes*, atque alii, qui in Theatro Chymico continentur.

Quare prætermiſſis etiam *Joh. Auguſtino Pantheo*, Veneto; utroque *Martino Rulando*, Patre ſcil. & Filio; *Roberto Vallenſa*, qui *De Veritate*, *& Antiquitate Artis Chemicæ* ſcripſit; *Olao Borrichio*, qui *de Ortu*, *& Progreſſu Chymiæ* tractavit; *Petro Poiret*, de quo ita Buddeus loc. ſæpius cit. pag. 83. *Myſticis hiſce Philoſophis addendus eſt Petrus Poiret, qui ut Trinitatis clariſſimam imaginem in hominis anima quærit, ita non aliam ad ſapientiam viam, quam divinam illuminationem agnoſcit*; & aliis hujus notæ viris, quorum Opera partim in Theatro Chymico contenta, partim ſeorſim edita leguntur; hoc de Chymicis caput (in quo generalia ad Chymiam ſpectantia, & Chymicorum doctrinam in Paracelſo adnotaſſe ſatis erit) claudat doctus quidem, ſed impius, & irreligioſus ille

JORDANUS BRUNUS.

NAtus Nolæ, quæ celebris, & antiquiſſima noſtri Regni Neapolitani urbs eſt. Magnis præclari ingenii ſui dotibus non uſus eſt, ſed abuſus. Nedum enim Ariſtotelis Philoſophiam eo tempore, quo illam vel leviter lædere piaculum erat, inſectatus eſt; ſed potiores, ac ſanctiores Catholicæ Fidei veritates exagitavit, & oppugnavit. Quare Italiâ extorris factus, regionem, ubi impia quæque loquendi libertas eſſet, ſibi quæſivit. Poſt Germaniæ, Galliæque peregrinationem, in Italiam reverſus, ibi, ut fertur, crematus, debitas impietatis ſuæ pœnas luit an. 1600. Quod ejus doctrinam ſpectat, à quibuſdam Lullii ſectator, ac proinde Chymicus, dicitur; ab aliis Epicureus creditur. Sic enim Buddeus l.c. p. 77. de Lullio loquens ait: *Inter ejus ſectatores à quibuſdam numeratur Jordanus Brunus Nolanus; Epicureis ab aliis additur ob Mundorum multitudinem ab eo aſſertam*.

Sunt inter autores optimæ notæ, qui aſſerunt Renatum des Cartes quaſdam ſuarum idearum à Bruno deſumſiſſe; potiſſimum verò doctrinam de Vorticibus. Unde de eo in Act. Erud. Lipſ. menſ. Jun. 1682. p. 187. - - - - - - *Notat enim ſolenne ipſi fuiſſe præterire nomina autorum, & exemplum affert Mundanorum Vorticum, ad quos Jordanus Brunus, & Joh. Keplerus ita digitum intenderint, ut tantum iſtud vocabulum ipſis defuiſſe videatur*. Ita igitur Bayle in Lex. Hiſt. Crit. verbo *Brunus* notat ex Mr. Leibnitz, Carteſium à Bruno, & Keplero doctrinam de Vorticibus, ſuppreſſo nomine deſumſiſſe. Quod confirmat Huet. Cenſ. Philoſ. Carteſ. c. 8. p. 215. ubi: *Extitit inter novitios Philoſophos Jordanus quidam Brunus Nolanus, quem Carteſianæ doctrinæ anteſignanum jure dicas, adeo accurate omnem propemodum ejus compoſitionem præſignavit in eo libro, quem de Immenſo, & Innumerabilibus inſcripſit*.

Scripſit plura, etiam ad Philoſophiam non ſpectantia. Philoſophicorum Operum tituli ſunt: *De Specierum ſcrutinio, & Lampade combinatoria Raymun-*

di Lullii. *De Monade*, *Numero*, *& Figura* : *item de Innumerabili*, *Immenſo*, *&c.* *De Imaginum*, *Signorum*, *& Idearum compoſitione ad omnia inventionum*, *diſpoſitionum*, *& memoriæ genera lib.* 3. *De Umbris Idearum*. *Cantus Circæus ad memoriæ praxin ordinatus*, *quam ipſe Judiciariam appellat*. *De Compendioſa Architectura*, *& complemento Artis Lullii*. *Artificium perorandi*. Pariſiis degens Comœdiam Italico idiomate ſcripſit, cui titulus: *Il Candelajo*. Dici voluit *L'Academico di nulla Academia*, aliter *Il Faſtidito*. Vide cit. autores.

CAPUT X.

Philoſophi Mathematici.

QUoniam Practicæ Philoſophiæ partibus Matheſin ſupra adnumeravimus; Hiſtoriæ noſtræ ordo, & ætas poſtulat, ut antequam ad alios Philoſophos nobis proximiores deveniamus, de præcipuis tantum (ut hujus Hiſtoriæ finem tandem aliquando videamus) Philoſophis, qui peculiari ſtudio Matheſi addicti, illam inſtaurarunt, & auxerunt, verba faciamus. Quare, ſilentio præteritis ODINCTONE, qui ſec. 13. floruit; CLIMITONO LANGLEY, qui ſec. 14. vixit; memorandus cum primis nobis eſt magnus ille neotericorum Aſtronomorum parens, & Aſtronomiæ inſtaurator

NICOLAUS COPERNICUS

MAthematicus, Philoſophus, Medicus, ac tandem Warmiæ Canonicus, vir undique doctiſſimus, &, ſive ingenium ſpectemus, ſive felicitatem, plane inter ſummos mortalium numerandus, qui *Torunum in Boruſſia patriam nactus an.* 1473. *in Mathematicis ſtudiis adeo excelluit*, *ut in ſuo genere*, *quo nimirum Ariſtarchi Paradoxa ſecutus fuit*, *facile princeps habendus ſit* - - - - *Præter ſtudium Mathematices fuit vir inſigni pietate*, *virtute ſpectata*, *& morum humanitate ſumma præditus*, *&c.* Boiſſard. in Icon. In Italiam profectus, Bononiæ Mathematicas diſciplinas addidicit, quas deinde Romæ docuit, ubi nullus plane vir hujus Artis cupidus fuit, qui ipſum ut viæ ducem, & facem non agnoſceret. Inſolitæ huic Matheſeos eruditioni perfectam Græcæ linguæ peritiam addidit, morumque innocentiam, quæ omnibus exemplo præire poterat; ut de eo affirmat Iſaac Bullart. Acad. Scient. Gall.

Scripſit *Revolutionum libros* 6 *& Canonem Triangulorum cum tabula*. De Copernico, ejuſque doctrina ita Voſſius de Mathem. pag. 187. *Anno Chriſti* 1536. *ac deinceps magnam ſui admirationem concivit Nicolaus Copernicus Toruntenſis Boruſſus*, *Canonicus Warmienſis*; *cujus habemus de Revolutionibus Orbium Cœleſtium libros* 6. *Iis docet*, *quaſdam Ptolemaicas Hypotheſes eſſe abſurdas*, *& axiomatis Mathematicis adverſas*. *Item Computationem Alphonſinam motibus Cœleſtibus non reſpondere*. *Hypotheſes igitur aliter conſtituit*: *ſed ſic*, *ut multa repugnent dogmatibus Ariſtotelicis per tot ſecula receptis*. *Quale eſt*, *quod ſtatuit*, *Solem in centro univerſi quieſcere*: *terræ*, *& aquæ globum cum vicino aëre circa Solem motu triplici moveri*; *octavam ſphæram conſiſtere immotam*. Et p. 188. - - - - - - *Nec tamen Copernici opinionem prorſus eſſe novam putandum*; *cum illam Philolai*, *& alteram Heraclidis Pontici*, *& Ecphanti compoſuerit*, *& ex illis duabus fecerit propriam*. Ab Iſmaële Bulliald. vocatur *Vir abſolutæ ſubtilitatis*, *& Hypotheſeos Pythagoricæ antiquæ inſtaurator*. Franc. Bacon. de Augment. Scient. lib. 4. c. 1. *Conſtat ſimiliter*, *ſententiam Copernici de*

Ra-

Ratione Terræ (quæ nunc quoque invaluit) quia Phænomenis non repugnat, ab Aſtronomicis Principiis non poſse revinci; à Naturalis tamen Philoſophiæ Principiis, recte poſitis, poſse. Vide etiam P. Ramum; Nic. Fuller. Miſcell. Sacr. p.94. Melchior Adam. in Vit. Germ. Philoſ. Laur. Craſſum; P. Jovium, atque alios plurimos; potiſſimum verò P. Gaſſendum in Vita Copernici; qui tandem obiit annos natus 70.

Notandum 1. hìc eſt, hanc Copernici de Motu Terræ ſententiam (quam acerrime deinde propugnarunt Rheticus, Rothmanus, Lansbergius, Keplerus, Galilæus, Patricius, Foſcarius, Carteſius, Gaſſendus, aliique) 80. annis ante Copernicum in Italiam invexiſſe Nicolaum Cuſanum Cardinalem S. Petri ad Vincula; inventionis tamen laudem Copernico tributam fuiſſe, quod ipſam illuſtraverit, & ad Cœleſtium phænomena explicanda accomodaverit. Vide ſupra in Philolao in lib. 3. hujus Hiſt. p. 139. Notandum 2. Copernicum in Mundi centro Solem quidem immobilem locaſſe; ejus tamen Sectatores ſoli motum circa proprium axem tribuiſſe, qui ſpatio 27. dierum compleatur, ad Solis maculas explicandas, quæ etiam 27. dierum ſpatio ſitum mutant, ut teleſcopiorum uſu ab Aſtronomis obſervatum. Notandum 3. Terram, ex Copernico, triplici motu moveri, diurno circa proprium axem, qui 24. horarum ſpatio abſolvitur: annuo circa Solem ſub ſignis Zodiaci: tertio denique motu Terræ axis in eadem ſemper poſitione conſervatur; unde & anni temporum, & dierum inæqualitatis ratio redditur.

T Y C H O   B R A H E

NObilis Danus, Othonis Brahe, Knuſtrup, & Beate Bilde Domini, filius, Chymiæ peritiſſimus, Mathematicus præſtantiſſimus, natus eſt Knuſtropii, ſive Knudſtorpii 3. Decembris 1546. Annum agens 14. cum Solis Eclipſin eodem temporis momento, quo Aſtrologi prædixerant, eveniſſe videret; miram Matheſeos vim ſtupens, hanc ſcientiam totis viribus addiſcere decrevit. Quare Lipſiam ad Juriſprudentiæ ſtudium miſſus, hac neglecta, Matheſi, ſuis, & legum Doctoribus inſciis, totum ſe devovit: in quam addiſcendam, & exercendam curam omnem, vitam integram, & pluſquam bis centum aureorum millia impendit. Italiam, & Germaniam luſtravit; Principibus multis, & Imperatoribus carus fuit; quorum gratiam, honores, & oblatas exedras contemſit. Verùm à Frederico II. Danorum Rege, Huenæ inſula donatus, celebrem ibi ad cœleſtium obſervationes arcem condidit, quæ Uraniburgus, & Uranopolis, hoc eſt Cœli, vel Cœleſtis Civitas dicta eſt: ubi teleſcopiorum, aliorumque omnium ad Matheſin ſpectantium inſtrumentorum ope, in Aſtronomicas potiſſimum obſervationes totus ac ſemper incubuit. Tandem poſt Frederici II. mortem ſub Rudolphi II. Imperatoris gratia, & præſidio Pragam venit, ubi mortem obiit die 24. Octobris 1601. ætatis 55. ex urinæ retentione, ut ajunt, quam paſſus eſt, dum eodem cùm Imperatore curru veheretur; ſive dum ad menſam cum Imperatore aſſideret, ut vult Thomaſinus parte 1. Elog. p.251. Corporis ſtatura fuit mediocri, flavo capillitio, adſpectu pulcro, niſi quod naſi parte mancus, quam gladii ictu amiſit: unde naſum aureum, ſive argenteum portabat, ſed adeò naturali ſimilem, ut pro naturali à multis haberetur. Natura erat bilioſus, propoſiti tenax adeo, ut nulla arte à ſua ſententia dimoveri poſſet. Vane etiam ſuperſtitioſus erat, itaut, ſi vetulam domo egrediens offenderet, inceptum iter non proſequeretur, ſed domum rediret. Sic etiam ſi in agrum pergens in leporem incurreret, pro malo omine id habebat.

Scripta ejus ſunt : *Liber de Cometa , ſive nova Stella . Prælectiones habitæ in Academia Hafnenſi . Oratio habita in Academia Hafnenſi . Progymnaſmatum Aſtronomiæ inſtauratæ libri 3. Epiſtolarum Aſtronomicarum libri 2. Liber Mechanicorum . Epiſtola de confectione Elixiris . Tabulæ Rudolphinæ . Reſponſio Apologetica ad quendam Scotum Ariſtotelicum Philoſophum , & Medicum Galenicum . Somnium , Lunariſve Aſtronomia . Stellarum octavi orbis inerrantium accurata reſtitutio . Epiſtola ad G. Peucerum .* De Tychone , ejuſque doctrina , hæc celebriorum autorum cenſura eſt . Voſſius de Mathemat. p.193. *Sempiternam ſui memoriam literariæ Reip. intulit Tycho Brahe , qui in ſiderum obſervatione nulli priorum ceſſit ; inque numero fixarum obſervando non acquievit Hipparcho ; imo Ptolemæi , & Alphonſinorum induſtriam exſuperavit . Hujus aurei exſtant libri Aſtronomiæ Inſtauratæ , quibus , ut antea in Ptolemæo Copernicus , ita ipſe in Copernico multa correxit . Itaque exinde tres præcipuæ fuerunt Aſtrologorum Sectæ ; quarum Tychoniana foret media inter Pythagoricam , ſive Copernicanam , & Ariſtoteleam , ſive Ptolemaicam .* P. Gaſſendus in Vita Tychonis Brahe lib.6. p.181. *Aſtronomiæ , & Chymiæ ſtudiis maxime incubit : cætera quidem non prorſus neglexit ; ſed tamen quaſi* πάρεργα *habuit , niſi quod Poëſin tota vita coluit . Id ſcilicet probant , quæ varia ejus Carmina interjecimus ; in quibus cum bona , cum mala , cum mediocria ſint (& præter alia quidem nonnulla , in quibus videtur non ſatis accurate ſyllabarum quantitas obſervari) intelligi licet , fudiſſe eum illa naturæ potius genio , & oblectandi animi cauſſa , quam contentione animi , famæve aucupandæ gratia .* Et quidem Tychonis verſibus quàm aptiſſimum eſſet Martialis illud:

Sunt bona , ſunt quædam mediocria , ſunt mala plura .

In Chymia adeo peritum fuiſſe volunt , ut Chymicis ſuis remediis plurimos deſperatæ ſanitatis ægrotos ſanos reddiderit , ad id nulla unquam mercede ductus , ſed pietate . Scalig. poſterior Gall. *Tycho Brahe luculentiſſimas in Aſtrologiam obſervationes elucubravit pro Æquinoctiis . Ad invicem ſcripſimus . Multa me docuit .* Vide etiam Thuanum ad an.1601. ubi , ipſum concordibus omnium ſuffragiis Principis Aſtronomorum nomen promeruiſſe , ait ; & cum Willelmo Heſſo , qui in eadem ſcientia excellebat , arcta ſtudiorum neceſſitudine conjunctum fuiſſe . Thomaſinum in Elog. Illuſtr. Vir. ubi aſſerit , Tychonem in Aſtronomia peritiſſimos quoſque ad ſe magnis præmiis allexiſſe : inſignia ejuſdem Artis inſtrumenta impenſis vere regiis fieri curaſſe : & domos magnificas , ac turres ingentes pro Aſtronomicis obſervationibus à fundamentis erexiſſe . Qui vero Tychonis Vitam , & doctrinam penitius ſcire cupit , adeat P. Gaſſendum , qui ejus Vitam contexuit , & ſcientiam examinavit .

Quod autem ad ejus Syſtema attinet , pauca hæc notanda . Cum Ptolomæi Syſtema ad Aſtronomiæ phænomena explicanda inſufficiens , & erroneum ; Copernici verò Eccleſiæ ſanctionibus contrarium animadvertiſset ; novum ipſe , ac inter utrumque medium excogitavit , in quo Terram in mundi centro locavit immobilem , circa quam Sol , & Luna volvantur ſpatio temporis jam cunctis noto : Solem vero , non Terram , reliquorum Planetarum centrum poſuit ; circa quem ſcil. Mercurius , Venus , Mars , Juppiter , & Saturnus ſtatum ſuum curſum abſolvant : itaut omnes hi Planetæ Soli quidem concentrici ; Terræ tamen eſsent eccentrici : atque hinc facile ratio reddi poſſit , cur modò Apogæi , hoc eſt , à Terra remotiores ; modò Epigæi , ſive Terræ propiores , videantur , &c. Vide Gaſsendum loc. cit.

JOH.

JOH. CAMILLUS GLORIOSUS

Philoſophus, & Mathematicus eximius, natus eſt Neapoli an. 1572. Mathematicis diſciplinis præcipue addictus, brevi earum Magiſter evaſit peritiſſimus. Cum pleriſque Philoſophis, & Mathematicis ſui ævi clariſſimis, potiſſimum vero cum Cremonino, Galilæo, Liceto, & Claramontio, amicitiam iniit; ſed literariis de Mathematica re altercationibus inter ipſos obortis, amicitia in æmulationem verſa eſt, ſingulis de gloria, ac nominis fama, ultra etiam modeſtiæ fines, contendentibus. Scripſerat enim Glorioſius de Cometa an. 1618. Neapoli viſo: ejus vero obſervationibus Licetus contradixit; cui Glorioſus reſpondit. Controverſiæ etiam inter ipſum, & Claramontium fuere non paucæ. Patavium ad Mathematicas ſcientias vocatus, laudabiliter ſuo munere functus eſt. Inde Neapolim rediit, ubi à doctiſſimis quibuſque, Prorege imprimis, honorifice & exceptus, & cultus eſt. Ex catharro non curato diem obiit 8. Januarii 1643. ætatis 71.

GALILÆUS GALILÆI

Florentinus, celeberrimus Mathematicus, ſuperioribus annis claruit. Patavii diſciplinas Mathematicas docuit. Inde Piſas à Magno Hetruriæ Duce vocatus eſt, à quo ſingulis menſibus centenos argenteos nummos magnos, quos Laminas vocant, ſalarii loco accepit. Condidit librum titulo Nuncii Siderei: item Dialogum de Syſtemate Mundi, in quo ſententiam ſuam de Terræ circa Cœli orbes, nullo agitatos motu, converſione aperuit. A Quæſitoribus Fidei Romam vocatus, & palinodiam publicè canere juſſus eſt. Eidem inventionem Stellarum Medicearum tribuunt. Vixit annos 84. luminibus, ut ajunt, tandem orbatus. Konig. Vincentii Galilæi nobilis quidem viri filius fuit, ſed ex illegitimo toro natus. Piſis docuit annos tres, Patavii annos 18. Obiiſſe dicitur à Morery anno 1642. æt. 78. ut in ejus etiam Epitaphio legitur. Ope Tubi Aſtronomici (cujus adinventor dicitur) in Sole maculas, in Luna umbras, in Saturno, ac Venere phaſes, in Jove Satellites detexit, aliaſque præclaras Aſtronomicas obſervationes fecit. Unus ex celeberrima Lynceorum Academia fuit. De ejus Philoſophia, & Scriptis, hæc autorum teſtimonia.

Vit. Hobbian. Auctar. p. 48. *Etſi Galilæus præ aliis ad res Aſtronomicas impetu quodam ferebatur, in Philoſophia tamen Naturali magna cum laude verſatus eſt, & in naturam motus (cui fidem faciunt ſcripta cedro digniſſima) ſupra antiquos longiſſime penetravit.* Rapin. Animadv. in Philoſophiam ſect. 18. Gall. *Inter omnes Philoſophos recentiores, qui celeberrimi fuerunt, ſunt Galilæus Italus; Bacon, Hobbes, Boyle Angli; Gaſſendus, Des Cartes Galli; Van Helmont Belga. Galilæus omnium ſolertiſſimi ingenii eſſe videtur. Hinc, meo quidem judicio, Neotericæ Philoſophiæ Parens dici poteſt. Ejus methodus cum illa Platonicorum valde affinis eſt: jucundus eſt ejus ſtylus, &c.* Carteſius part. 2. Epiſt. Ep. 91. de Galilæo hæc habet: *Ille mihi videtur melius philoſophari, quàm Philoſophorum vulgus, qui, quantum poteſt, materias Phyſicas rationibus Mathematicis examinare conatur. Eatenus ſane illi omnino adſtipulor, & puto, nullam aliam inveſtigandi veri rationem eſſe, &c.* Hug. Grot. in Ep. ad Voſs. *Vir in omni Mathematum parte ſummus, in Philoſophia cætera non infimus Galilæus Galilæi, &c.* Vide etiam Acta erudit. ann. 1684. pag. 319. Leonem Allat. in Ap. Urb. Iſ. Bullart. in Acad. Scient. Gall. Voſſium de Mathem. L. Craſſum Elog. &c. Tanti nominis apud Gallos fuit, referente Allatio loc. cit. ut nonnulli illius tantum videndi cauſſa

iter in Italiam inſtituerint. Hoc ejus Epitaphii initium: *Galilæo Galilæi Florentino, Philoſopho, & Geometræ vere Lynceo, Mirabilium ſemper inventorum Machinatori, &c.*

GULIELMUS GILBERTUS.

GLoceſtrenſis Philoſophus, & Medicus Londinenſis, tres ampliſſimos Commentarios de Natura Magnetis edidit. Quibus magis probavit doctrinam ſuam, quam Magnetis Naturam. Nam incertior ſum, quam dudum.* Joſ. Scalig. Epiſt. 200. Et Epiſt. ad Caſaubonum: *Quidam Anglus ante triennium libro de Magnete edito nihil dignum expectatione ea, quam excitarat, protulit.* Wolfgangius tamen Lochman. præfix. de Magnet. cauſam aperit, cur Scaligero Gilberti Philoſophia non arrideat, quod ſcil. Peripateticus cum eſſet per occultas qualitates philoſophabatur; cujus verba ſunt: *Equidem ſcio, neminem in hac materia (de Magnetis Natura) ſanè difficillima, illum ſibi habere parem. Nam quod alii vix attingunt verbo, illud Gilbertus noſter ampliſſime diduxit, & ab ovo quaſi rem inchoavit, & clariſſime, ac acutiſſime explicavit. Scaliger quamvis cætera alia ſubtiliter, tamen non ſatisfacere potuit rei veritati in hac quæſtione. Ad occultas qualitates cum cæteris provocat Philoſophis. Verùm ignoranti nihil non occultum, & abſconditum eſt.* Laudatur etiam ab aliis, ut à Franciſco Bacone pluribus in locis, præcipue ubi ait: *Gilbertus noſtras cùm Naturam Magnetis laborioſiſſime, & magna judicii firmitudine, & conſtantia, nec non experimentorum magno comitatu, & fere agmine perſcrutatus eſſet, confinxit ſtatim Philoſophiam conſentaneam rei apud ipſum præpollenti.* Rapinus Animadv. in Phyſicam §. 9. Gall. *Gilbertus melius quam cæteri Magnetis experimenta elucidavit.* Et quidem tanti eum faciebant eruditi, ut dolere Peireſchius ſoleret, non agnitos ſibi Gulielmum Gilbertum, autorem libri de Magnete, nec Thomam Lydiatum celebrem Mathematicum; ut advertit Gaſſendus in Vita Peireſchii, ubi magni Gilbertum facit. Vide plura apud Carpent. Geograph. lib. 1. c. 3. Digby Tract. de Corpor. c. 20. Nic. Fuller. Miſcell. Sacr. lib. 4. c. 19. Iſaac Barrovv. Opuſc p 87. &c.

Quod autem ad ejus Philoſophiam attinet, notandum, ipſum ex Copernici ſecta fuiſſe, atque ideo Terræ (quam *Magnetem magnum*, contrà vero Magnetem *Terrellam*, ſeu parvam Terram vocavit) motum tribuiſſe circa proprium axem. Hinc Joh. Ovven in ipſum ſic luſit:

Stare negas Terram. Nobis miracula narras.
Hæc cum ſcribebas, in rate forſan eras.

Quod Gilberti ſyſtema ita paucis expreſſit Gaſſendus in Vita Copernici p. 331. *Hæc Copernicana Hypotheſis anſam præbuit Gulielmo Gilberto, Anglo, cudendæ, atque invehendæ Philoſophiæ Magneticæ, quatenus Terram magnum Magnetem, & Magnetem Terrellam, quaſi parvam Terram habuit; ac à diurna Terræ circa ſuum axem verticitate penaere eam, quæ eſt in Magnete, magneticiſque corporibus ſtatuit.*

JOH. BAPTISTA A PORTA

NEapolitanus, Philoſophus, Mathematicus, Medicus, Aſtrologus, & Phyſiognomicus ſui ævi celeberrimus fuit. Ad ipſum audiendum ne dum Itali, ſed Galli etiam, & Germani, aliique undique confluebant. Aſtrologiæ Judiciariæ dictæ, & Magiæ, quarum ſtudio ſummopere delectabatur, & per quas humanorum eventuum futura prædicere conſueverat, uſum ei Romana Curia

ria interdixit. Neapolitanæ Academiæ, quæ *Ocioſorum* appellabatur, fundationi multum tribuit. Suam verò Academiam domi habebat peculiarem, *Secretorum* dictam; cui nemo adſcribebatur, niſi qui aliquod in natura ſecretum detexiſſet, vel novum aliquod inventum expertus eſſet. Mortuus eſt an. 1615. æt.70. Præter Comœdias pluſquam 30.& Tragœdias ab eo conſcriptas, Philoſophica ejus Opera ſunt: *Magia Naturalis. Elementa Curvilinea. De Diſtillatione. De Ziferis. De Occultis literarum Notis. De Refractione Optices. De Aëris Transmutationibus. De Munitione. Della Fiſonomia dell' Uomo. Della Fiſonomia Celeſte. Villæ lib.12. Pneumaticorum lib.3. Phytognomonicorum lib. 8.*

FRANCISCUS BACONIUS

VErulamii Dominus, Vice-Comes Sancti Albani, ſummus Angliæ Cancellarius, nobili genere natus eſt Londini in Palatio Eboracenſi 22. Jan. 1560. Nobilior tamen fuit ex inſigni omnium fere ſcientiarum eruditione. Juriſprudentiam vel invitus didicit. Mathematicis vero, & Philoſophicis diſciplinis ex naturali animi propenſione addictus, tantum in eis profecit, ut nulli ſui temporis ſecundus evaſerit. Cum in Anglia lites de Religione exortæ eſſent, ut de ipſis recte decernere poſſet, Theologiæ etiam operam dedit; & quamvis Proteſtantis ſectæ eſſet propugnator, de Romano tamen Pontifice, & Catholicis, mirum quam religioſe, & modeſte locutus ſit. Unde Juriſconſultus, Poëta, Hiſtoricus, Philoſophus, & Theologus exiſtens, ſuis Principibus carus, literatis omnibus mirabilis factus eſt. Præter reliquos honores, quibus inſignitus fuit, totius Angliæ Cancellarii dignitatem, quam ſuus etiam Pater Nicolaus exercuerat, & ipſe obtinuit. Facies ei ſevera, greſſus, & actus gravis; honeſtus tamen, & liberalis adeo fuit, ut moriens vix, quo cadaver efferretur, domi reliquerit. Et quidem paulo ante mortem ob liberalitatis exceſſum in magnam inopiam redactus, epiſtolam, miſeratione dignam, ad Jacobum I. Angliæ Regem dedit, qua ipſum rogavit, ut extremæ ſuæ vitæ diebus ei ſuccurreret, veritus, ne aut oſtiatim victum ſibi quærere, aut ex literarum ſtudiis vivere cogeretur, qui eouſque vixerat, ut ſtuderet. Obiit an.1626. æt. 66. in Villa de Highgate prope Londinum.

Scripta ejus celebriora ſunt: *De Sapientia Veterum. De Naturali, & Univerſali Philoſophia. Novum Organum Scientiarum. De Dignitate, & Augmentis Scientiarum. Sylva Sylvarum, ſive Hiſtoria Naturalis. Hiſtoria Ventorum. Hiſtoria Regni Henrici VII. Sermones Fideles, &c.* Ejus *Judicium de Philoſophis* extat etiam apud Stanlejum Hiſtor. Philoſ. p.657. De eo ita Autores.

Jonſius de Script. Hiſt.Philoſ. lib.3. cap.27. - - - - - *Primus tempeſtatis illius Philoſophiæ imperfectionem adſpiciens, ejus reformationem ſuſcepit. Hinc de Augmentis Scientiarum librum edebat, ab omnibus maximo cum applauſu exceptum, in quo præter alia omnem Hiſtoriam literarum, & Philoſophiæ, ſolidioris ſapientiæ ſtudiis deditis maxime commendabat, inculcabat. Idem libro profuit, quem de Sapientia Veterum ſcripſit, in quo Mythologicam Veterum Philoſophiam nobis expoſuit. Eidem Regiæ Societatis initia etiam debentur - - - - - Omnia ejus Opera uno volumine, quæ extant, Philoſophica, Moralia, Politica, Hiſtorica cum Vita (Baconii) ab anonymo deſcripta (cujus autor Henning. Wittenius., teſte Placcio in Theatro (ultima vice Francofurti ad Maen. 1665. fol. prodierunt.* Buddeus in Hiſt. Philoſ. ſuccincta delineat. p. 79. *Seculo 17. ineunte nova lux Philoſophiæ orta eſt, præſertim in ſcientia Naturali. Exemplum omnibus præbuit Franciſcus Baco de Verulamio, qui ut*

miſſis

Digitized by Google

miſſis illis abſtractis, & ocioſis ſpeculationibus ad particularia deſcenderent, experimentaque inſtituendo, naturam rerum accuratius contemplarentur, omnibus autor fuit. Hujus ductum cum multi ſequerentur, dici non poteſt quanta ad accuratiorem Philoſophiam facta ſit acceſſio. Cauſſa autem, cur Ariſtotelis Philoſophiæ non acquieverit, non odium in Ariſtotelem; ſed Ariſtotelis Philoſophiæ inſufficientia ad naturalia explicanda, dicitur in ejus Vita his verbis: *Illi Ariſtotelica Philoſophia inſipida viſa fuit, non propter vilipendium Autoris, quem ſummis ſemper laudibus evehere in more habuit, ſed propter inefficacitatem viæ: ejuſmodi nimirum cum eſſet hæc Philoſophia, quæ ad diſputationes, & contentiones ſolum nata, ad productionem autem operum, quæ vitæ humanæ commoda eſſent, ſterilis omnino eſſet.* Inter ejus Opera, quæ cæteroqui commendabilia omnia, in Ephemeridibus Erudit. Gall. 8. Martii 1666. præ cæteris commendatur ejus *Novum Organum*, quo novam Logicam docet; cujus præcipuus ſcopus eſt bonam Inductionem contexere, ſicut Logicæ Ariſtotelicæ finis principalis eſt bonum efformare Syllogiſmum. Hoc opus ab Autore ipſo, omnium exquiſitiſſimum ſemper habitum eſt; in quo ſcil. elaborando octodecim annos inſudaſſe perhibetur. Vide etiam, præter Vitam ejus Operibus additam, Gaſſendum in Vita Peireskii lib. 6. p. 237. Whear. in Meth. Leg. Hiſt. Civil. Grotium in Epiſt. ad Maurerium. Joh. Boacler. de Eloquent. Politici. Sam. Pufendorf. Specim. Controverſ. c. 1. ſect. 5. Rapin. in Animadv. in Philoſ. ſect. 18. & in Ethic. ſect. 9. & in Phyſ. ſect. 9. Burnet Hiſt. Reform. Par. 2. lib. 3. & in Præfat. in Utopiam Mori. Herman. Conringium, cujus hoc extat diſtichon in Baconii effigiem:

Magnus honore tuis, ſed major, Baco fuiſti
Ingenio, atque auſis: ars tibi ſola deeſt.

ATHANASIUS KIRCHERUS

Fuldenſis in Germania, Soc. Jeſu, Philoſophus, Mathematicus, & plurium linguarum peritiſſimus fuit. Ferdinando II. Imp. regnante, Guſtavus Adolfus Sueviæ Rex ingenti cum exercitu bellum Germaniæ intulit an. 1631. quare Kircherus in communi propria etiam pace turbata, profugus Avenionem, Galliæ urbem, petiit; ibique Opus edidit, cui titulus *Primitiæ Gnomonicæ Catoptricæ*, editis prius an. 1629. *Præluſionibus Magneticis*. Inde Romam linguarum Profeſſor venit, ubi libros omnes euſque concinnatos evulgavit; atque ut Summo Pontifici Innocentio X. gratum faceret, *Obeliſcum Pamphilium*, de Pontificis Cognomine ſic appellatum, eruditum quidem Opus confecit.

Ejus Opera, præter dicta, ſunt *Prodromus Coptus. Specula Melitenſis, opus Phyſico-Mathematicum. Ars Magnetica. Dictionarium linguæ Ægyptiacæ. Ars Magna Lucis, & Umbræ. Muſurgia Univerſalis. Œdipus Ægyptiacus 4. tomis comprehenſus; hoc eſt, Templum Iſiacum; Schola Ægypt. Symbolica: Encyclopædia Ægypt. & Theatrum Hieroglyphicum. Itinerarium Exſtaticum in Cæleſtes Globos. Iter ſecundum Exſtaticum in Mundum Subterraneum. Scrutinium Phyſico-Medicum de Peſte. De Crucibus Neapolitanis Diatr. Mundus ſubterraneus. Ars Magna ſciendi, &c. Iter Hetruſcum, &c. China illuſtrata, &c.*

De Kirchero ita Jonſius de Script. Hiſt. Phil. lib. 3. c. 29 *Nec ignoremus, eadem ætate fuiſſe Athanaſium Kircherum, celebrem ſuis operibus, quibus occultam iſtam, & reconditam Ægyptiorum Phyloſophiam præ cæteris, qui in eo ſtudio hactenus verſati fuerant, reſtituere conatus eſt - - - - Nonnulla quoque, ni fallor, quæ ad Brachmanum literaturam, & ſtudia faciunt, Kircherus in China ſua illuſtrata tradidit. Prodiit, &c.*

JOH.

Digitized by Google

JOH. ALPHONSUS BORELLUS

PHiloſophus, & Mathematicus celeberrimus, Neapolis noſtræ decus ingens, ubi natus eſt 28. Jan. 1608. Philoſophiam, & Matheſin, quibus ſumma, & unica animi contentione ſemper ſtuduit, Florentiæ, (ubi Mediceorum Familiæ gratioſus ſemper fuit) Piſis, aliiſque celebrioribus Italiæ locis, publice, & laudabiliter docuit. In ultima vitæ ſuæ periodo Romam ſeceſſit; ibique in Clericorum Regularium S. Pantaleonis Monaſterio Religioſorum more & vixit, & obiit ex pleuritide die 31. Decembris 1679. A Borrello omnis Phyſico-Mechanica Philoſophia, & Medicina proceſſit, quam hodie nedum noſtrates Philoſophi, & Medici, ſed exteri fere omnes ſectati ſunt; omnia tum Medica, tum Phyſica Phænomena per Motum, & Materiam varie figuratam, ac vario, diverſoque modo agitatam, explicantes: quæ Principia ſunt Phyſico-Mechanica dicta, phænomenis explicandis aptiſſima.

Scripta ejus ſunt: *De Rerum uſu judicium. Tractatus de vi percuſſionis. Reſponſio ad Cenſuras R. P. Honorati Fabri contra librum Autoris de vi percuſſionis. De Motibus Naturalibus à Gravitate pendentibus. De Motu Animalium;* Opus poſthumum, ſed præclarum.

ROBERTUS BOYLE

EQues Anglus nobiliſſimus, quartus Richardi, primi Comitis de Cork, filius, genere quidem clarus, clarior tamen ſcientiarum fere omnium eruditione fuit, ut qui πανσοφὸς & dici mereatur, & haberi. Enimverò nedum Matheſeos, & Medicinæ partes omnes, Hiſtorias, Chymiam, Theologiam, Rabinorum, & SS. Patrum doctrinas, in Religione Controverſias, Philoſophiam tum Theoreticam, tum Practicam, & quæ ad ſacram, profanamque eruditionem ſpectant, optime callebat; verum etiam omnibus moralibus virtutibus ornatiſſimus erat. Plures annos ſacrorum Librorum lectioni, penitiorique conſiderationi totum ſe devovit; quos ut melius intelligeret, Græcam, & Hebraicam linguam didicit. Omnia pietatis ſtudia coluit; mendacii, obtrectationis oſor, ſilentium adamabat, ne linguâ ſibi, vel aliis noceret. De cunctis bene ſentiebat; nec eum aut generis nobilitas, aut ſapientia tumidum, ſuperbum, ſui plenum unquam fecit, ſed contra humilis, honeſtus, hilaris ſemper viſus eſt. Deo quotidie ferventiori ſpiritu ſe commendabat; cui, ut Naturæ Autori, omnia in naturalium veritatum inquiſitione ſtudia referebat; non aliud ex ipſis conſequi exoptans, quàm ut clarior, ac perfectior Dei majeſtatis, ſapientiæ, gloriæ, & bonitatis idea in ſua, aliorumque mente oriretur; idemque ut facerent reliqui Londinenſis Regiæ Societatis Profeſsores, quique omnes in naturalium veritatum notione laborabant, ſummopere commendabat. Omnia igitur ſtudia nonniſi ad ſolam Dei gloriam, & hominum utilitatem faciebat, & ab aliis fieri curabat. Pauperibus multa aureorum millia quotannis erogabat. Quamvis autem Anglicanæ Eccleſiæ addictus, tanto pro Chriſtianæ Religionis propagatione ardore tenebatur, ut Sacra Biblia, & Grotii librum de Religionis Chriſtianæ Veritate, in Turcarum, Arabum, & Indorum linguam verti, atque edi curaverit; itaut annuos ſuos reditus, qui ad plura aureorum millia erant, omnes, exceptis paucis frugaliſſimæ ſuæ vitæ neceſsariis, Chriſtianæ Religionis per libros, & concionatores propagationi, & egenorum alimentis deſtinaverit. Quæ omnia digniora eſſent, quæ de tanto viro commemorarentur, ſi tot virtutibus, quibus ornatus erat, Catholicæ Religionis lumen acceſſiſſet.

Corpore, & temperamento debilis, lithiaſi, ſive calculi doloribus obnoxius fuit; vitamque traxit ſumma victus frugalitate, ea omnia vitando, quæ calculi dolores ultra ſuas patientiæ vires poſsent producere: ſicque ſemper non voluptati vixit, ſed neceſſitati. Chymiæ, & Mechanicis experimentis, atque inventionibus totus erat addictus: utramque tamen ſcientiam non ad avaritiam, aut jactantiam profitebatur; ſed ut quid in ipſis veritatis, & utilitatis eſset, dignoſceret, & ad Dei gloriam hominibus communicaret. Tandem paucis poſt ſororis obitum diebus, laboribus magis, quam ætate confectus, fato conceſſit die 30. Decembris 1691. Vide Morery ſup. & Burnetum Epiſcopum Salisburienſem in Orat. Funebr. pro Boyle.

In Scriptis ejus, quæ 4. Vol. in 4. comprehenduntur, hæc habentur: *Nova Experimenta Phyſico-Mechanica de vi Aëris elaſtica, & ejus effectibus. Defenſio Doctrinæ de Elatere, & Gravitate Aëris, propoſitæ in Novis Experimentis Phyſico-Mechanicis adverſus Objectiones Franciſci Lini. Tractatus de mira Aëris (etiam citra Calorem) Rarefactione: de Duratione virtutis Elaſticæ Aëris expanſi: de Condenſatione Aëris ſolo frigore facta, ejuſque Compreſſione ſine Machinis; & de ejuſdem Quantitatis Aëris rarefacti, & congreſſi mire diſcrepante Extenſione. Paradoxa Hydroſtatica, novis Experimentis maximam partem Phyſicis, & facilibus, evicta. Tentamina quædam Phyſiologica: Quibus ſubjungitur Specimen Phyſico-Chymicum de Differentibus partibus, & Redintegratione Nitri; necnon Hiſtoria Fluiditatis, & Firmitatis, ut & Tractatus de abſoluta Quiete in Corporibus. Chymiſta Scepticus, vel Dubia, & Paradoxa Phyſico-Chymica circa Spagiricorum Principia, vulgo dicta Hypoſtatica, prout pugnari ſolent à turba Alchymiſtarum. Experimenta, & Conſiderationes de Coloribus, & ſpeciatim de Natura Albedinis, & Nigredinis, cum Obſervationibus de Adamante in tenebris lucente. Introductio ad Hiſtoriam Qualitatum Particularium: ſubjunctis Tractatibus de Coſmicis rerum Qualitatibus, de Suſpicionibus Coſmicis, & de Temperie ſubterranearum, de Temperie ſubmarinarum Regionum, & de Fundo Maris. Exercitationes de Atmoſphæris Corporum conſiſtentium, deque mira ſubtilitate, determinata Natura, & inſigni vi Effluviorum: ſubjunctis Experimentis novis, oſtendentibus, poſse partes Ignis, & Flammæ reddi ſtabiles, ponderabileſque: unà cum detecta Penetrabilitate Vitri à Ponderalibus partibus Flammæ. Specimen de Gemmarum Origine, & Virtutibus.* Scripſit præterea alia multa ad eruditionem, & Religionem ſpectantia.

CLAUDIUS PERRAULTIUS

PEtri, celebris cauſſarum Patroni, ſive Advocati, filius, Medicus, & Regiæ Academiæ Scientiarum ſocius, Pariſiis natus an. 1613. magnam ſibi famam, & gloriam editis ſuis Phyſicis, & Mechanicis Operibus acquiſivit. Horum præcipua ſunt: *Eſſais de Phyſique. Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire naturelle des Animaux, dreſsés ſur les diſſections faites dans l'Academie des Sciences. Traduction de Vetruve avec de Notes ſavantes. Abregé de Vetruve. Ordonnances de cinq eſpéces de colonnes ſelon la methode des Anciens. Recueil de plufieurs machines.* Obiit 9. Octobr. 1688. æt. 75.

Perraultio tres fratres fuere, literis & ipſi præclari; quorum natu maximus PETRUS PERRAULTIUS Tractatum *de Origine Fontium* ſcripſit: Italicum etiam Taſſi Poëma, cui titulus: *La Secchia rapita* traduxit. Secundus NICOLAUS PERRAULTIUS Doctor fuit Sorbonicus, & Tractatum de *Thelogia Morali*

rali edidit. Tertius denique CAROLUS PERRAULTIUS de literis, & literatis omnibus in Gallia optime meritûs, Poëſi deditiſſimus fuit, quam præ aliis coluit, & exercuit, plura *Poëmata* conſcribens. Edidit præterea *Tomos* 4. *Parallelorum inter Antiquos*, *& Recentiores*, quos ille plerumque prætulit.

ISAACUS NEWTON, natione Anglus, Eques Auratus, & Regiæ Societatis Londinenſis Præſes, noviſſimæ, celeberrimæque Newtonianæ Sectæ autor, paucis abhinc menſibus obiit octogeſimum circiter annum agens. Magnus hic Philoſophus, ac Recentiorum in Anglia Philoſophorum dux, novum philoſophandi Syſtema excogitavit, Carteſii Syſtemati quo ſe opponeret; quod magnam ei & famam, & autoritatem apud ſuos conciliavit. Hujus tamen Syſtematis etſi non perfectam Epitomen, brevem ſaltem ideam aliquam per ſua Principia, ac præcipua doctrinæ capita tradere, operæ pretium eſſe exiſtimavi.

Newtonianæ itaq; vaſtæ pariter, ac difficilis Philoſophicæ doctrinæ ſumma hæc eſt. Cùm fabuloſum potius, quàm rationi conſentaneum ſit per Hypotheſes philoſophari, ut à Carteſio factum; magis ex ipſis claris, certiſque Phænomenis, & Experimentis, Naturæ leges deducendæ, quas phænomenis obſcurioribus applicando, eorum ratio reddi poſſit. *Naturæ lex Corporum Gravitas eſt*, cujus rationem reddere nequimus. Credendum igitur, *Gravitatem*, *corporibus naturaliter inſitam*, *Motûs cauſſam eſſe*, *non verò Motum cauſſam Gravitatis*. *Præterea Gravitas in corporibus mutua eſt*; itaut ſicuti corpora omnia in Terram ſuam Gravitatem exercent, ita contrà Terra ſuam in ipſa corpora Gravitatem exercet. Imò & *omnia corpora ſeſe mutuò petunt*, *aut verſus ſeſe mutuò tendunt*. Vis autem, qua verſus ſeſe mutuò tendunt, vocatur ab ipſo *Attractio*. Eodem igitur modo, ac Sol in Planetas, hi in Solem gravitatem habent, ſive ut Philoſophi dicunt, gravitant: Jovis, & Saturni Satellites in Jovem, & Saturnum; & viciſſim Jupiter, & Saturnus in ſuos Satellites: atque hinc etiam fit, ut Luna, & Tellus in ſe mutuò graves ſint. Omnes itaque Planetæ Primarii nedum in Solem, ſed etiam inter ſe gravitatem habent, quod de Planetis quoque Secundariis verum eſt, qui in Solem gravitatem habent, & Sol in ipſos. Atque hinc pendere ait Newton vim illam, quam *Centripetam*, & *Centrifugam* appellat. Hæc autem omnia ex Cœli phænomenis probari aſſerit.

Ex quibus Gravitatis Regulis (quam majorem, vel minorem eſſe ait prout majores, vel minores, plures, vel pauciores ſunt particulæ, quæ corpus componunt) oſtendit, Corpora Cœleſtia ſecundum propriam molem, & gravitatem, motum, & locum, in quo moveantur, obtinuiſſe, atque in variis Cœli partibus collocata fuiſſe. Carteſii autem Vortices neque regulis Motus, neque Cœleſtium corporum diſpoſitioni, & motui conſonare, pluribus conatur oſtendere. Novam inſuper in ſua Optica Theoriam de Coloribus docet, aſſerens ipſorum varietatem non tam à varia corporum ſuperficie, quam à varia radiorum conditione pendere: qui radii cum ex propria natura alii magis, alii minus refractioni obnoxii ſint; varios inde colores producunt.

Atque hæc totius noviſſimæ Newtonianæ Philoſophiæ ſumma eſt, & veluti Elementa. Quæ philoſophandi ratio nedum per Angliam, ſed per Europam fere omnem longe, lateque diffuſa eſt: imo recens philoſophandi modus, & norma cunctis ferme Newtonianum hoc Syſtema viſum eſt. Hinc ingens Newtonianorum numerus, in quo præcipue ſunt omnes Regiæ, ac per totum Orbem celeberrimæ Londineſis Academiæ ſocii. *Introductiones*, *& Elementa* hujus Philoſophiæ ſcripſit *Joh. Keill*, necnon *G. J.'s Graveſande* ſub titulo: *Phyſices Elementa Mathematica Experimentis confirmata*; atque etiam ſub hoc altero:

altero: *Ejuſdem Philoſophiæ NeWtonianæ Inſtitutiones in uſus Academicos*: quibus accenſendus etiam Jac. Hermannus, atque alii, qui omni animi conatu ſua hæc *Philoſophiæ Naturalis Principia Mathematica* propugnarunt. *David* quoque *Gregorius* ſecundùm hoc Syſtema *Aſtronomiam* illuſtravit.

Verùm an hoc philoſophandi Syſtema rationi conſentaneum ſit, Hiſtorici non eſt examinare. Diligentiſſime tamen examinavit in Regia Studiorum celeberrima Univerſitate Neapolitana Phil. & Med. Doctor eruditiſſimus, & in eadem Univerſitate inter Regios Medicinæ Profeſſores, etiam Primarios, Καθέδραν τὴν Ἀρχικὴν tenens, NICOLAUS CYRILLUS, ſeculi hujus Philoſophorum Φιλοσοφώτατος, noſtræ Neapolis decus, & Regiæ Londinenſis Societatis, cui nuper adſcriptus, ornamentum, meus triginta circiter ab hinc annis in Philoſophicis ac Medicis inſtitutionibus Præceptor, quem honoris cauſſa nomino; cujus Vitam in omni literarum genere ſemper occupatam; Facta, tum in Medicis Conſiliis, & Praxi; tum in omni negociorum genere, ſumme commendabilia; Doctrinam denique, tum in juvenum in Regia hac Univerſitate in Philoſophicis, ac Medicis rebus inſtitutione, tum per editas Notas, & doctiſſimas Diſſertationes in Ettmullerum in nova hac editione Neapoli facta, Doctrinam, inquam, omnium ore laudatiſſimam, hìc recenſere ſuperſedeo; mei namque inſtituti non eſt de Viventibus illuſtribus Viris agere; de quibus pro meritis agent poſteri.

Atque hæc eadem ratio eſt, cur de Principe generoſiſſimo, Regum optimo, Regnantium ſapientiſſimo, literarum, bonarumque artium omnium inſtauratore, literatorum Mecœnate, JOHANNE V. Luſitaniæ Rege, &c. Inter Philoſophos Mathematicos ne dum jure optimo locando, ſed primas in eis tenere digniſſimo, ne verbum quidem hìc fecerim. Accedit, quod tanti Regis Vitam contexere, illuſtria Facta memorare, Virtutes diſſerere, Sapientiam enarrare, ne dicam exornare, neque Hiſtoriæ hujus Synopſis anguſtiæ, neque ſi quid eſt in me ingenii, quod ſentio quam ſit exiguum, paterentur. Equidem fateor, tantæ materiæ pertractandæ optimum quemque Scriptorem vix ſatis eſſe; verùm ſi mihi Deus vitam, ſanam mentem in corpore ſano, & ocia dabit, id, etſi non pro meritis, pro virili ſaltem aliquando præſtare conabor.

CAPUT XI.

Philoſophi Incertæ Sectæ, vel Novæ Sectæ non conſpicuæ Autores.

S. BASILIUS MAGNUS, *Cappadox, meritò Magnus appellatus, per plures annos S. Gregorii Nazianzeni Athenis, & in ſolitudine comes individuus, Cæſareæ in Cappadocia, quæ prius Mazaca dicebatur, Archiepiſcopus creatus eſt die Junii 14. anni 328. Arianis, ipſique Valenti Auguſto ſæpe reſtitit; multiſque exantlatis pro Fide Catholica laboribus, ad meliorem vitam tranſiit Kal. Januariis anni* 379. Phil. Labb. de Script. Eccleſ. Opera ejus omnia, eruditione ſumma, & eloquentia refertiſſima, Gr. Lat. extant Tom. 3. fol. Pariſiis. Prætermiſſis laudibus, quas Eccleſiæ PP. omneſque etiam non Eccleſiaſtici Scriptores affatim in ipſum congeſſerunt; eas tantùm, quas ut Philoſophus promeruit, adnotabo. Sixtus Senenſis lib. 4. Biblioth. *Baſilius Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus, re & cognomine Magnus. Jure Chriſtianorum Philoſophus, & Phi-*

Digitized by Google

& Philoſophorum Chriſtianiſſimus dictus eſt. Eraſmus Epiſt. lib. 28. Epiſt. 7. *D. Baſilius vir optimo jure dictus Magnus, ſed Maximi cognomine dignior. - - - Equidem contumeliam eſſe judico, Baſilii facundiam cum quoquam eorum comparare, quorum eloquentiam ſupra modum admirata eſt Græcia, juxta modum æmulata Italia - - - Agnoſcas ibi ſummam humanæ Philoſophiæ cognitionem, ſed nullam prorſus oſtentationem, &c.* Cave in Vit. S. Baſilii p. 262. - - - *Eminebat in Grammaticis, Rhetoricis, Philoſophicis, Aſtronomicis, Geometricis, Arithmeticis, Phyſicis, & quibus non? Omnes Gentilium theſauros expilaverat, ſecretioreſque Philoſophicæ ſecularisque doctrinæ receſſus rimatus erat. - - - Ejus in Philoſophicis ἀκρίβεια ſtyli ejus nitorem, & lenitatem minime vitiabat; nec ſuavitas, & elegantia Orationis ejus nervoſum robur, & evidentiam argumentorum infirmabat*. Hieron. Phot. Ell. du Pin. Suid. Rich. Sim. &c.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS, Cognomento *Theologus*, Nazianzi in Cappadocia natus, qui Athenis circa an. 354. cum S. Baſilio operam literis dedit ſub Libanio, aliiſque ſophiſtis, tantum in literis, pietate, & Eccleſiaſtica diſciplina profecit, ut perfectiſſimis Græciæ Oratoribus adnumerari, & *Maximum Eccleſiæ lumen*, *Vas electionis*, *Theſaurus profundus*, *& os Chriſti* appellari meruerit. Philoſophis etiam accenſendum duxi, tum quia Athenis Philoſophiæ cum D. Baſilio, ut diximus, operam dedit; tum etiam quia ejus Opera (quæ plura, eloquentia, & omnigena eruditione refertiſſima) perfectam redolent Philoſophiam; ut de eo teſtatur præter alios Ell. du Pin. Biblioth. Eccleſ. Tom. 2. pag. 655. *Concionibus ejus plures Philoſophicæ ſententiæ admiſcentur, & Hiſtoriæ, Fabulæque locis refertæ ſunt. Moralem doctrinam eo modo tradit, qui Philoſophorum magis, quàm populi captui accommodatus eſt, &c.*

NEMESIUS quoque Emeſſæ Epiſcopus, celebris primum Philoſophus, deinde Chriſtianus factus, ſilentio hic non prætereundus; cujus exſtat *Liber De Natura Hominis* Gr. Lat. in quo de Hominis Anima, & Corpore, ejuſque partibus, de quinque Senſibus, & Affectibus; de Fato etiam, & Providentia tractat, aliiſque.

ROGERUS HEREFORDENSIS à patria dictus, Philoſophus Anglus, Phyſicis, Aſtrologiciſque ſtudiis, & operibus clarus fuit circa an. 1170. ſub Henrico II. Angliæ Rege. Scripſit *De Rebus Metallicis lib. 1. In Artem Judiciariam lib. 1. Theoriam Planetarum lib. 1. De Ortu, & Occaſu Signorum lib. 1. Collectaneum annorum Planetarum lib. 1. Expoſitiones Alphidii lib. 1.*

ANTONIUS GALATEUS, Philoſophus, & Medicus, Poëta, & Geographus ſui ævi clariſſimus, Galateus à patria dictus, quæ in noſtri Regni Neapolitani Agro Salentinorum ſita eſt. Literatorum omnium, qui ſibi coævi erant, amiciſſimus fuit; à quibus etiam valde commendatur, ut à Pontano in ſuis verſibus; ab Hermolao Barbaro, qui an. 1480. ei Traductionem Paraphraſis Themiſtii lib. 8. exaratam nuncupavit. Scripſit *Verſus* commendabiles tum Lat. tum Ital. lingua; *Deſcriptionem ſitus antiquæ Japygiæ; De ſitu Elementorum; Quæſtiones Phyſicas; De optimo genere philoſophandi; ſive Methodum ſtudendi Philoſophiæ, &c.* Ultimis vitæ diebus cum podagra affligeretur, ut mentem à doloris ſenſu abduceret, *Laudationem Podagræ* compoſuit. Obiiſſe fertur circa an. 1490. Vide Jovium in Elog. c. 119. Leandr. Alberti Deſcr. Ital. Voſſium lib. 4. de Hiſt. Lat. Caſtellan. de Vit. Med. Geſnerum in Biblioth. &c.

LUDOVICUS REGIUS, ſive ROY, genere Normannus, inter Criticos ſec. 16. inſignis, poſt varias peregrinationes Regius Philoſophiæ Profeſſor Pariſiis extitit; ubi etiam ultimum diem obiit an. 1679. Compoſuit, & è Græco

Digitized by Google

in Latinum multa vertit; quorum hæc notat Geſnerus in Biblioth. *Vita Gulielmi Budæi. Oratio in funere Caroli Valeſii. Adnotationes in Timæum Platonis, &c.* Vide Ste Marthe in Elog. Doct. Gall. lib. 3. La Croix du Maine Bibl. Franc. &c.

FREDERICUS BONAVENTURI, patriâ Urbinas, in Græcis literis, & Philoſophia peritiſſimus, Urbini Duci cariſſimus, pro quo etiam legatione ad Gregorium XIV. aliosque Principes functus eſt, moleſtis his curis ultro abdicatis, totum Philoſophiæ ſtudiis ſe devovit, ruri degens, ubi & fatis ceſſit an. æt. 47. in fine ſec. 16. duodecim ex Pantheſilea Carpegna filios relinquens. Varios Philoſophicos Tractatus exaravit, ut *De Ventis. De octimeſtri partu. De Monſtris. De Æſtu maris. De Via Lactea. De cane rabido. De Jure Regni, &c.* Jan Nic. Erythræus Pin. 1. Imag. illuſtr. c. 151.

OTTO HEURNIUS, *Natus Ultrajecti A.C. 1577 Patre Joh. Heurnio: Leydæ, quò cum Patre ſeceſſerat, 1599. Philoſophiæ Magiſter, annoque inſequente eadem in Univerſitate ejuſdem Profeſſor renunciatus: & 1601. demum Medicinæ Doctor creatus eſt: atque tum ſucceſſit in locum Patris paulo ante defuncti.* Vander Linden de Script. Med. Edita ejus Opera, ſed rariſſima, ſunt *De Barbarica Philoſophia lib. 2. Babylonica, Ægyptiaca, Indica, &c. Philoſophiæ Primordia.* De Ottone, ſive Othone, ejuſque ſcriptis, ita Jonſ. de Script. Hiſt. Phil. lib. 3. c. 26. *Poſt hunc nominandus Otto Heurnius, Joh. filius, Philoſophus, & Profeſſor Medicus Ultrajectinus doctiſſimus, natus an. 1577. propter Barbaricæ Philoſophiæ Antiquitates, quas juvenis adhuc annos agens 23. in duplicem conciſum coëgit libellum, quorum alterum Chaldaicum appellat, Indicum alterum; ille Chaldaicæ Philoſophiæ Hiſtoriam ab originibus ſuis primis, ejuſque & varias in Aſia viciſſitudines, & propagationem ad Græcas demum gentes, expoſuit: hic in breviſſimos tractatus quatuor eſt diviſus; quorum primus Indorum antiquorum, & recentiorum percenſet Philoſophos, eorumque varia genera, ſectas, & placita: ſecundus Philoſophos Babyloniorum, Phœnicumque: Ægyptiorum, & Indorum Philoſophiæ magiſtros, eorumque doctrinam pertractat tertius: quartus agit de impura Magia Aſiatica, Africana, Europæa, variiſque eorum ſpeciebus. Prodiit hic liber ex officina Plantiniana in forma minore 1600. & quia alias inventu difficilis eſt, eum quædam continere recondita, multi crediderunt; ſed nonniſi generalia, vulgaria, ac trita pertractat; de quibus confer excellentiſſimum Gundlingium in Hiſt. Philoſ. Mor. p. 15. ſive etiam doctiſſimum Ackerum in ſupplem. ad Bibl. Philoſ. Struv. p. 34.* Vide etiam Meurſium in Athen. Batav. Melchior Adam in Vit. Med. Germ. Valer. Andr. Bibl. Belg. Laur. Craſſum Elog. d'Huom Letter. &c.

SIMON GRYNÆUS Philoſophus, & Theologus Baſileenſis, vir Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ linguæ, omniſque Philoſophiæ peritiſſimus, qui à Melch. Adam. in Vita, ſuæ ætatis Philologorum, Philoſophorum, & Theologorum princeps appellatur, Feringæ, Sveviæ oppido, natus eſt an. 1493. Philoſophiam, Matheſin, reliquaſque ſcientias, quas optime callebat, Wittebergæ, Heidelbergæ, Viennæ Auſtriæ, & Baſileæ multis annis publice, privatimque profeſſus eſt; ubi tandem ex peſte obiit an. 1541 æt. 48. Imo & Philoſophiæ Magiſter κατ' ἐξοχὴν Viennæ Auſtriæ vocabatur. Hinc non immeritò hæc, & alia præclara de ipſo autorum ſunt teſtimonia. Eraſmus Epiſt. lib. 26. epiſt. 39. *Simon Grynæus eſt homo Latine Græceque ad unguem doctus, in Philoſophia, & Mathematicis Diſciplinis diligenter verſatus, nullo ſupercilio, pudore pene immodico.* Et lib. 28. Epiſt. 15. *Vir in omni literarum genere citra ſupercilium eruditus, ita provehendis liberalibus ſtudiis natus.* Voſſius de Mathem. *De ſtudiorum omni genere præclare merebatur Simon Grynæus.* Scaligerana prima Gall.

Gall. *Simon Grynæus vir elegans fuit, tam egregias concinnavit Præfationes in Pollucem, alioſque præſtantes autores. In Plinium majorem valde laboravit*. Vide, præter alios multos è recentioribus, Johannis Sapidi Jambos doctiſſimos de eo ſcriptos. Multa è Græco ſermone in Latinum tranſtulit; multa propria compoſuit; è quibus illud Philoſophicum Opus: *De Ignitis Meteoris, & de Cometarum cauſſis, & ſignificationibus*. Etſi Grynæus in Romano Indice inter Hæreticos primæ claſſis rejicitur; ejus tamen Opera, addita Autoris damnati nota, permittuntur in Ind. Madrit. edito an. 1667.

SCIPIO CAPYCIUS, nobiliſſimæ Neapolitanæ Familiæ germen, magnum Patriæ, ſuique ævi ornamentum, & ipſe Phyloſophis æque ac Poëtis adſcribendus. Enimverò veterum omnium Philoſophorum ſententias exacto examine rimatus, Thaletis Aquam, Epicuri Atomos, Heracliti Ignem, atque aliorum communia quatuor Elementa, validis rationibus confutavit, ſuamque *de Aëre*, unico rerum omnium naturalium Elemento, opinionem cum Anaximene protulit, ac probare conatus eſt in ſuis *Libris 2. de Principiis Rerum*, quos hexametro verſu, non ſecus ac Empedocles inter Græcos, inter Latinos Lucretius, eleganter concinnavit. Scripſit præterea *De Divo Johanne Baptiſta, Vate Maximo, libros 3.* eodem metro: *Elegias*; *Epigrammata*; *& Chriſti Domini Vitam*, quæ amici, cui eam tradiderat, incuriâ intercidit. Exſtat etiam *Magiſtratuum Regni Neapolitani cum Romanorum Magiſtratibus Comparatio*, ab eodem ſoluta oratione exarata. Vixit circa an. 1550.

THOMAS CAMPANELLA in Calabriæ Oppidulo, Styli nomine, natus an. 1568. decimotertio ætatis anno ſacram Divi Dominici veſtem induit. Subtiliſſimo ingenio præditus cum eſſet, dum adhuc Philoſophiæ ſtudiis ſub præceptore operam daret, ejus ægroti vicem geſſit, Theſes Philoſophicas publice Conſentiæ propugnanti electiſſima opponens argumenta; unde adſtantibus tantæ admirationi fuit, ut dicerent, in ipſum Teleſii ſpiritum recidivaſſe. Quod cùm Thomas audiviſſet, ſtatim Teleſii, cujus nec nomen cognitum ſibi erat, opera legenda quæſivit. Quibus lectis, tanto erga eum amore ſuccenſus eſt, ut ipſius ſectator factus fuerit, & propugnator. Quare undecim menſium ſpatio *Apologiam pro Teleſio* confecit, qua libro à doctiſſimo Marta contra Teleſium undecim annorum ſpatio elaborato, reſpondit. Cumque Neapolim, ut Apologiam hanc typis mandaret, veniſſet; vix Urbem ingreſſus, videns plurimos in celeberrimum Franciſcanorum Templum, *S. Maria della Nova* dictum, turmatim intrare, & ipſe ſimul introivit. Ut autem vidit, ibi publice Philoſophiæ Theſes controverti; obtento contradicendi permiſſu, in diſputando ſic optime ſe geſſit, ut à Monachis ſui Ordinis ovans in Monaſterium duceretur. Sed cùm aliàs in Diſputationibus Theologicis publice factis, & à veterano quodam Dominicano Magiſtro expoſitis, ipſe Magiſtro ob quaſdam propoſitiones bene habitas plauderet; Magiſter eum acriter de temeritate objurgavit, quod Theologiæ imperitus, de re, quam non noverat, judicium protuliſſet. Cui Thomas acrius objecta reponens ait: Atqui ego, qui Theologiam, ut ais, vix à limine ſalutavi, tibi, non tamen ut putas, ſapienti oſtendam, me præſtantius quàm tu & eam bene noſſe, & in Cathedris poſſe publice profiteri. Ex audaci hac reſponſione graviter ille perculſus, hoſtili, crudelique animo Thomam adeo perſecutus eſt, ut eum de crimine læſæ Majeſtatis apud Regios Judices accuſaret, quod Neapolim prodere auſus eſſet, & Monarchiæ arcana evulgaſſet. De hæreſi quoque apud Inquiſitionis Tribunal accuſatus eſt. Quare Thomas ſtrictiori carcere devinctus ad annos 25. gravia multa paſſus eſt; donec, ſive Urbani VIII. ſive aliorum ope, libertate donatus, Lutetiam Pariſiorum ſe contulit an. 1634. ubi Philoſophiam docens, ad mortem uſque permanſit, quæ ex gravi melancholiæ

cholia

choliæ morbo ei contigit menſe Majo an. 1639. æt. 71. Acri fuit ingenio, ſed prudentia deſtituto, linguâ liber, naturâ inquietus, animo turbidus. Cardinalis Richelius magna beneficia in ipſum contulit. Hoc ejus Symbolum: *Propter Sion non tacebo*.

Scripta ejus hæc feruntur: *Phyſiologia*: *Quæſtiones Phyſiologicæ*: *De Senſu rerum*, & *Magia*: (*Pars mirabilis Occultæ Philoſophiæ, in qua monſtratur, Mundum eſse Dei vivam ſtatuam, beneque cognoſcentem: omneſque illius partes, partiumque particulas ſenſu donatas eſse, alias clariori, alias obſcuriori, quatenus ſufficit illarum conſervationi, ac totius, in quo conſentiunt, & fere omnium. Naturæ arcanorum rationes aperiuntur*. Verba ſunt Lindenii: quæ omnia, quam rectæ rationi adverſentur, nemo non videt.) *Opuſcula Phyſica*: *Metaphyſica*: *Poëtica*: *Atheiſmus Triumphatus*: *Tractatus Aſtrologicus*: *Monarchia Hiſpaniæ*: *Medicinalium juxta propria principia lib. 7. Civitas Solis* (Opus ab eo, dum in carcere detineretur, elaboratum, & à Gab. Naud. in Bibliograph. Polit. atque ab H. Conring. de Civ. Prud. c. 14. commendatum) *Apologia pro Galilæo* (ubi diſquiritur, utrum ratio philoſophandi, quam Galilæus celebrat, faveat Scripturis Sacris, an adverſetur) Quibus Operibus hoc ſequens addit. Jan. Nic. Erythr. in Pinacoth. de quo, aliiſque, ſuum etiam judicium profert, ſic ajens: *Scripſit ingens Opus de Reformatione Scientiarum, decem in Codices diviſum, quorum ſinguli plures in partes diſtribuuntur: unde nihil acutiſſimo ingenio homini tam fuiſse propoſitum apparet, quam relictis veteribus viis ad omnium ſcientiarum notitiam novum, atque directum iter aperire. Scripſit etiam alia permulta partim edita, partim non dum impreſsa, quorum index à Jacobo Gaffarello recenſetur*. A cit. Lindenio de Script. Med. recenſetur etiam *Prodromus Philoſophiæ inſtaurandæ, ideſt, Diſſertationis de Natura Rerum Compendium*, cum Præfatione ad Philoſophos Germaniæ. Imo tot volumina Campanella concinnaſſe dicitur à Salom. Cypriano, ut ipſemet Pariſiis an. 1635. ea in 10. Tomos colligere decreverit; quorum Primus prodiiſſe an. 1638. ab eodem Cypriano dicitur ſub hoc titulo: *Thomæ Campanellæ Styli Ordinis Prædicat. Philoſophiæ rationalis partes V. videlicet Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Poëtica, Hiſtoriographia, juxta propria principia ſuorum operum Tom. I.* Refert etiam Jonſius de Script. Hiſt. Phil. lib. 3. c. 29. Campanellam de libris à ſe compoſitis libellum ad Gabr. Naudæum miſiſſe ſub titulo: *Thomæ Campanellæ de libris propriis, & recta ratione ſtudendi Syntagma ad Gabr. Naudæum*. Ubi à cit. Jonſio Magnus Philoſophus, & Polygraphus jure dicitur. Denique de Vita, & Philoſophia Campanellæ legatur Erneſtus Salomon Cyprianus; de quo ita laudatus Jonſius lib. eodem cap. 36. *In Academia Julia quondam Excellentiſſimus Erneſtus Salomon Cyprianus, vir undequaque doctiſſimus, cum ad Philoſophiæ munus eo vocaretur, Programma auſpicale de Philoſophia Thomæ Campanellæ concinnaverat. Id poſtmodum auctius an. 1705. apud Amſtelodamenſes recudi fecit ſub titulo libelli: De Vita, & Philoſophia Thomæ Campanellæ, 8. quod elegans opuſculum in capita quinque diviſit; in primo de Philoſophi Vita, Studiis, & Fatis egit: in ſecundo variorum eruditorum judicia de Campanella collegit: in tertio de Theologia, & Magia: in quarto de ejus Philoſophia: in quinto de libris Campanellæ tractat, quos amici ejus cum erudito orbe communicarunt, &c.*

Campanella *ardentis, & portentoſi vir ingenii* dicitur à Naudæo. Joh. Deſkler ſcript. Adeſpot. 1686. p 323. *Campanella philoſophatur magna ſeveritate, ſed ſua Metaphyſica methodo, &c.* Leo Allat. Ap. Urban *Scripſit ab anno ætatis viceſimo non quæ ab aliis ſcripta erant, ſed in hoc incumbens, ut nova in omnibus fere ſcientiis excogitaret*. Iſaac Bullart. Acad. Scient. Gall.

Præ-

Præclara ſua virtute, ac eruditione dignum ſe præſtitit, qui ſeculi ſui Philoſophorum Princeps audiret. Vide præterea Konig. Laur.Craſſ.Morery Lex.Hiſt. potiſſimum verò Salom. Cyprianum loc. cit.

Ludovicus Lesclache in pago quodam Arverniæ natus, Pariſiis Philoſophiam ingenti plauſu, & auditorum concurſu docuit. Novam docendi Philoſophiam methodum invenit, per Tabulas ſcilicet, in quas eam omnem redigere ſtuduit. Eas impreſſas diſcipulis vendebat: quod ſibi quidem magno lucro, diſcipulis verò utilitati non exiguæ fuit. Vir eximiæ honeſtatis, ac probitatis fuiſſe traditur. Lugduni obiit 17. Auguſti 1671. Ejus exſtat Philoſophia in Tabulas redacta: cui pòſt mortem Clavem ad ipſam intelligendam, atque alia addiderunt.

Antonius Mizaldus, Gallice Mizault, *Natus Montluconii in Gallia, Ducatus Borbonici oppido; fuit non ſolum Medicus, ſed etiam Philoſophus, & Mathematicus eximius. Obiit Lutetiæ A.C. 1578*. Linden. de Script. Med. In naturæ arcanis inveſtigandis omnium fuit periſiſſimus, ut ejus opera demonſtrant; quorum Catalogus ſeorſim editus in ſuis operibus habetur, & apud cit. Linden. quorum præcipua ſunt: *Phænomena, ſeu temporum ſigna: Meteorologica: Cometographia: Planetologia: Mundi Sphæra, ſeu Coſmographia: Catalogi Sympathiæ, & Antipathiæ: Harmonia Cœleſtium corporum, & Humanorum: Ephemerides aëris perpetuæ, ſeu Popularis, & Ruſticæ Tempeſtatum Aſtrologiæ ubique terrarum veræ, & certæ, libelli, ſeu claſſes V. quorum I. eſt de Pluvia, & Serenitate. II. eſt de Rore. III. de Ventis. IV. de Tonitruis. V. de Terræ motu, Cometis, &c. De Arcanis naturæ lib*.4. Plures etiam Tractatus Gall. & Lat. edidit; ut *Hortorum Secreta, cultus, & auxilia: De Hortenſium arborum inſitione: Exploratio, & diſſectio corporis arborei in ſua ſigillatim membra, & partes: Auxiliaris, & Medicus Hortus, rerum variarum, & ſecretorum remediorum acceſſione locupletatus: Artificioſa methodus comparandorum hortenſium fructuum, oleorum, radicum, uvarum, vinorum, &c. Memorabilium jucundorum, & utilium Centuriæ* 9. *&c.* Vide Thuan. Ghilin. La Croix du Maine, & du Verdier, &c.

Julius-Cæsar Lagalla Neapolitanus, Philoſophiæ, & Medicinæ in Collegio Romano Profeſſor inſignis per annos 33. circa annum 1612. floruit. Scripſit Tractatum *De Immortalitate Animæ*, atque alios ad rem Philoſophicam ſpectantes, quos Leoni Allatio, qui ejus etiam vitam ſcripſiſſe dicitur, reliquit. Vide Konig. in Biblioth.

Paganinus Gaudentius, Philoſophus, Theologus, & Jure Conſultus celeberrimus, Eloquentiæ primum, deinde Hiſtoriarum, & Politices Profeſſor in Academia Piſana, defunctus an. 1649. eruditis ſuis operibus Philoſophiæ, & Philoſophorum Hiſtoriam plurimis juvit; quæ ſunt: *Dogmatum Origenis cum Philoſophia Platonis comparatio. De Pythagorica Animarum Tranſmigratione Diſſertatio*; quæ Piſis prodiit an. 1641. 4 de qua potiſſimum confer Morhofium Polyhiſt. II. 1. 2. 9. *De errore Sectariorum, & philoſophicis veterum Eccleſiæ Patrum opinionibus. De veterum contemtu Ariſtoteleo. De Juliani Imperatoris Philoſophia. De Philoſophiæ apud Romanos Origine, ac Progreſſu libellus*, rariſſimus, qui prodiit Piſis 1643. 4. cujus excerptum dedit Tomus III. Obſervationum ſelectarum, qui Halæ impreſſus habetur 1703. Erudite profectò, perſpicue, ac ſolide rem ſuſceptam ubivis exponit. Ex Jonſio de Script. Hiſt. Phil. lib. 3. c. 19.

Marinus Mersennus Monachus Ordinis Minimorum, natus in oppido Æſiæ, qui fluvius eſt Galliæ Belticæ, in regione Cenomanorum, populorum Galliæ, die 8. Septembris ann. 1588. ex patre Juliano, & Johanna Mouliere. Pari-

Digitized by Google

Pariſiis, ubi literarum ſtudiis vacavit, in Minimorum numero ſcriptus a.1607. eorum inſtitutum jurejurando profeſſus eſt a.1612. æt.24. & multum in ſcientiis profecit, præcipue in linguarum ſtudiis, quarum Hebraicam à P. Joh. Bruno ejuſdem Ordinis optime didicit. Ab ann.1615. ad 1619. in Cœnobio Niverni Philoſophiam, ac Theologiam docuit, cui Cœnobio inde etiam præfuit. Matheſin quoque perfecte calluit; quare propter inſignem ſuam eruditionem, moreſque ſuaviſſimos, & incorruptos, viris ſanguine, dignitate, vel literis, clariſſimis gratus fuit, atque in ſuis in Italiam, Germaniam, &c. peregrinationibus acceptiſſimus. Obiit Pariſiis die 1. Septembris ann.1648. æt.60. Inter ejus Opera, quæ plura, numerantur *Quæſtiones in Geneſin. Harmonicorum Libri, in quibus de Sonorum natura, cauſſis, & effectibus. Cogitata Phyſico-Mathematica Tom.3. Veritas Scientiarum. Quæſtiones inauditæ, &c.* Vide ejus Vitam à P. Hilarione de Coſta ſcriptam, alioſque.

JOHANNES CLERICUS, literatorum noſtri ævi literatiſſimus, de quo ita cit. Jonſ. lib 3. c.37. *Eruditorum Belgarum princeps eſt Joh. Clericus, Philoſophiæ, & S. Linguæ apud Remonſtrantes Amſtelodami Profeſſor, natus Genevæ anno 1657. die 19. Martii. Hiſtoriæ Philoſophiæ profuit Hiſtoria Philoſophiæ Orientalis, quam primus ex Anglicana editione Stanleji in Latinum verſam notis, & elegantiſſimis obſervationibus inſtructam Amſtelodami dedit* 1690. 8. *Huic adduntur Zoroaſtris Oracula, doctiſſimis itidem notulis ornata cum indice philologico, qui textum Stanleji illuſtrat egregie. Cunctam deinde Hiſtoriam Orientalis Philoſophiæ una cum notis Operum Philoſoph. ſuorum Tomo II. inſeruit, ut cætera Viri ſcripta taceamus. Deſcriptionem Vitæ Clerici editioni Lipſienſi Operum Clerici præmiſit Gottl. Fr. Jenichenius. Cui vero jungendus ille Anonymus, ipſi Clerico familiaris à puero, qui locupletiorem Vitæ Clerici Hiſtoriam conciſo, ſed eleganti libello dedit, &c.*

BENEDICTUS DE SPINOZA, natione Judæus, deinde Judaiſmi deſertor, nomine potius, quam Fide Chriſtianus factus, ac tandem Atheus, natus eſt Amſtelodami ann.1632. obiitque ann.1677. æt. circiter 45. Omnium primus Atheiſmum nova methodo, & Syſtemate docuit, quamvis præcipua ejus doctrinæ dogmata cum pleriſque tum veteribus, tum recentioribus, Europæis, & Orientalibus communia fuerint. Pater ejus dives mercator fuit origine Luſitanus. Ante Baptiſmum Baruch, poſt Baptiſmum Benedictus appellatus eſt. Latinam linguam à Medico quodam Amſtelodami didicit, ſtatimque Theologiæ complures annos ſtuduit, ac tandem Philoſophiæ totum ſe devovit. Cum autem Geometricum haberet ſpiritum, nec præceptores, nec harum ſcientiarum Autores pro voto ei facerent ſatis, & ille tamen ſummo ſciendi amore arderet, quid in hiſce ingenii vires valerent, experiri decrevit. Ad hoc propoſitum urgendum ſcripta Philoſophica nobiliſſimi, & ſummi tunc temporis Philoſophi Renati des Cartes magno ei fuerunt adjumento: hujus enim Methodum philoſophandi præ aliis ad Geometricas demonſtrationes accedere, rationique conſonam nimis exiſtimabat; etſi Renatum in pleriſque rejiciebat, præcipue vero quod ad hominis Voluntatem, quam idem cum Intellectu eſſe dicebat, & nulla penitus libertate donatam, ut ex Ludovico Mayer Præfat. Renati des Cartes, &c. Principiorum more Geometrico demonſtr. per Benedictum de Spinoza, ubi: *Cum diſcipulum ſuum Carteſii Philoſophiam docere promiſiſſet, religio ipſi fuit ab ejus ſententia latum unguem diſcedere, aut quid, quod ejus dogmatibus, aut non reſponderet, aut contrarium eſſet, dictare. Quamobrem judicet nemo, illum hic aut ſua, aut tantum ea, quæ probat docere. Quamvis enim quædam vera judicet, quædam de ſuis addita fateatur; multa tamen occurrunt, quæ tanquam falſa rejicit, & à quibus longe diverſam ferat ſententiam.*

Cujus

Digitized by Google

Cujus notæ inter alia, ut ex multis unum tantùm in medium afferam, ſunt, quæ de Voluntate habentur Schol. Propoſ.15. Part.1. Principiorum, & cap.12. Part.2. Append. quamvis ſatis magno molimine, & apparatu probata videantur. Neque enim eam diſtinctam ab Intellectu, multo minus tali præditam eſſe libertate exiſtimat, &c. Spinozam verò, & Beckerum Carteſii Philoſophia non uſos, ſed abuſos meritò dixit Buddeus Hiſt. Philoſ. ſuccincta delineat. p 90. ubi ait: *Benedictus Spinoza, & Balthaſar Beckerus, etſi Carteſianæ Philoſophiæ addicti, ipſius tamen Principiis abutentes, impium, & deteſtabile Syſtema condiderunt; & ille quidem errore nefando non alium, quam ipſum Mundum agnovit Deum; iſte verò non concipiens quomodo ſubſtantia cogitans agere in corpora poſſit, omnium ſpirituum operationes negavit.*

Poſtquam igitur ſeſe ab omnigenis occupationibus, & negociorum curis, veritatis inquiſitioni magna ex parte officientibus, liberaſſet, quo minus à familiaribus in ſuis turbaretur meditationibus, urbem Amſtelodamum, in qua natus, & educatus fuit, deſeruit, atque primò Renoburgum, deinde Voorburgum, & tandem Hagam Comitis habitatum conceſſit, ubi etiam 9. Kal. Martii anno ſupra milleſimum, & ſexcenteſimum ſeptuageſimo ſeptimo ex phthiſi vitam hanc reliquit, poſtquam annum ætatis quadrageſimum quartum exceſſiſset. Nec tantum in veritate perquirenda totus fuit, ſed etiam ſpeciatim ſe in Opticis, & vitris, quæ Teleſcopiis, & Microſcopiis inſervire poſſent, tornandis, poliendiſque exercuit; & niſi mors eum intempeſtiva rapuiſſet (quid enim in his efficere potuerit, ſatis oſtendit) meliora ab eo fuiſſent ſperanda. Licet vero totum ſe Mundo ſubduxerit, & latuerit, plurimis tamen doctrina, & eruditione conſpicuis Viris ob eruditionem ſuam magnumque ingenii acumen innotuit; uti videre eſt ex Epiſtolis ad ipſum ſcriptis, & ejus ad ipſas Reſponſionibus. Plurimum temporis in natura rerum perſcrutanda, inventis in ordinem redigendis, & amicis communicandis, minimum in animo recreando inſumſit: quin tantus veritatis expiſcandæ in eo ardor exarſit, ut, teſtantibus ijs, apud quos habitabat, per tres menſes in publicum non prodierit; quinimo, ne in veritatis indagine turbaretur, ſed ex voto in ea procederet, Profeſſoratum in Academia Heidelbergenſi, ei à Sereniſſimo Electore Palatino oblatum, modeſte excuſavit, uti ex epiſtola 53. & 54. perſpicitur. Ita ex Præfatione Operum poſthumorum Benedicti de Spinoza. His autem verbis Fabricius in eadem Academia Theologiæ Profeſſor Spinozam Electoris nomine invitavit: cit. Epiſt.53. *Philoſophandi libertatem habebis ampliſſimam, qua te ad publice ſtabilitam Religionem conturbandam non abuſurum credit - - - Hoc unum addo, te, ſi huc veneris, vitam Philoſopho dignam cum voluptate tranſacturum, niſi præter ſpem, & opinionem noſtram aliter omnia accidant.* Cui Spinoza ſic reſpondit ibidem epiſt.54. *Si unquam mihi deſiderium fuiſset alicujus facultatis profeſſionem ſuſcipiendi, hanc ſolam optare potuiſſem, quæ mihi à Sereniſſimo Electore Palatino per te offertur, præſertim ob libertatem philoſophandi, quam Princeps clementiſſimus concedere dignatur - - - Cogito deinde, me neſcire, quibus limitibus libertas iſta philoſophandi intercludi debeat, ne videar publice ſtabilitam Religionem perturbare velle.*

Quod ad Spinozæ Vitam hæc denique addenda. Judæorum hoſtis, ex quo deſertor fuit, ſemper acerrimus, ipſos & verbis, & ſcriptis inſectatus eſt; nec ullo modo, annuis etiam ei oblatis congiariis, ab eis adduci unquam potuit, ut externos ſaltem ipſorum ritus frequentaret. Implacabilis autem omnino factus ex quo Hebræus quidam ipſum ad mortem uſque enſe petivit; nullo tamen ſuſcepto damno, niſi tantum in veſtibus. In cunctis vitæ neceſſariis ſobrius, & parciſſimus, divitiarum contemtor, comis, & humanus ſemper vixit: quin-

Digitized by Google

imo oblatam ſibi à Simone Uries amico ſuo hæreditatem recuſavit, nolens, Uries fratrem hac hæreditate privari; nec annuos florenos 500. ſibi in teſtamento ab eo legatos, omnes voluit, ſolis 300. contentus, quibus viveret. Teterrimum ſuum Atheiſmi virus non æque in omnes evomebat, ſed in eos tantum, qui ei diſcipulos ſe mancipabant. Ceterum in ſua Religione quemque manere, & rigide eam obſervare, hortabatur. Hinc interrogatus à muliere, apud quam degebat, an in ſua Religione ſalva fieret, reſpondit: *Modò eam ſerves, & pietatis opera perficias.* Poſtremò Sebaſtianus Kortholtus Præfat. edit 2. Tractatus Chriſtiani Kortholti patris ſui de tribus Impoſtoribus, hæc habet de Spinoza: *Vacavit interdum doctis, & principibus viris, quos non tam convenit, quam admiſit, cum iiſque de rebus civilibus ſermones inſtituit. Politici enim nomen affectabat, & futura mente, & cogitatione ſagaciter proſpiciebat, qualia hoſpitibus ſuis non rara prædixit . . . Se profeſſus eſt Chriſtianum, & vel Reformatorum, vel Lutheranorum actibus non modò ipſe adfuit, ſed & aliis autor ſæpe numero, & hortator extitit, ut templa frequentarent, domeſticiſque verbi quoſdam divini præcones maximopere commendavit: Nec unquam jusjurandum, aut petulans de Deo dictum ex ore Spinozæ exiit; nec largiore uſus eſt vino, & ſatis duriter vixit. Ideoque hoſpiti quavis anni parte* 80. *aureos Belgicos tantummodo perſolvit, & ſummum* 400. *quotannis impendit. Auro plane non inhiabat, &c.* Fertur, Spinozam ante mortem ſæpe dixiſſe: *Deus propitius eſto mihi miſero peccatori;* ac pluries Dei nomen invocaſſe: cumque interrogaretur, an Deum vere exiſtentem crederet? reſpondit, hoc ei nomen ex more, & conſuetudine, non ex voluntate prolatum. Mandragoram quoque ante mortem bibiſſe dicitur, ut placide ſomnolentus moreretur; ſed hoc fabuloſum alii dicunt.

Inter impia, ac virulenta Spinozæ ſcripta eſt primò liber ille ſub hoc pſeudonymo titulo editus an. 1665. *Lucii Antiſtii Conſtantis de Jure Eccleſiaſticorum liber ſingularis*; in quo docetur: *Quodcumque Divini, Humanique juris Eccleſiaſticis tribuitur, vel ipſi ſibi tribuunt, hoc aut falsò, impieque illis tribui, aut non aliunde, quam à ſuis, hoc eſt, ejus Reipublicæ, vel Civitatis Prodiis, in qua ſunt conſtituti, accepiſſe.* Præterea alter eſt proprio Autoris nomine inſignitus ſub titulo: *Tractatus Theologico-Politicus*; cujus dogmata iis, quæ in altero modò dicto continentur, ſimillima ſunt: unde educitur, amborum autorem unum eſſe. Qui Tractatus Gallice etiam ſub hoc titulo prodiit: *Reflexions curieuſes d'un Eſprit deſintereſsè ſur les matiers les plus importantes au ſalut tant public, que particulier;* imo & ſub aliis etiam titulis, ut advertit P. Bælius in ſuo Lex. Hiſt. Crit. Ejus etiam eſt, quem ſupra notavimus, *Principia Renati des Cartes Geometrico more demonſtrata per B. Spinozam*. Sunt & ejuſdem *Opera Poſthuma: Epiſtolæ, &c.*

Sed ut execrandam impudentiſſimi Novatoris doctrinam, qua peſtilentiſſimum Atheiſmi virus diſſeminare, non aperte tamen, ſed obſcure, & artificioſe, ſtuduit, ad perpetuam impii confuſionem paucis hic tradam; ſciendum primò eſt, ipſum Geometrico ſemper more, ἀλόγως tamen proceſſiſſe: unde antequam ſua ratiocinia contexeret, & ſubtiliſſimum ſuum Atheiſmi Syſtema conficeret, ut ædificii fundamenta poſuit octo Definitiones, & ſeptem Axiomata, quibus decem Propoſitiones ſuperadſtruxit. Totius autem Syſtematis ſumma eſt. *Nihil dari præter Deum, qui ab Univerſo, ſeu rerum Univerſitate non diſtinguitur; ſicque Deum eſſe omnia, & omnia eſſe Deum.* Omnes ſui Syſtematis conatus tendunt ad deſtruendam *diſtinctionem inter Deum & Creaturam*; cùm cæteroqui apud omnes in confeſſo ſit, Creaturam omnem participationem quidem eſſe Divinæ Naturæ, re tamen ipſa, ſive ſubſtantialiter, ut

ajunt

ajunt, ab ea diſtinctum, & diverſum quid eſſe, cum poſt productionem fuerit, quod ante productionem non erat. Per Spinozam igitur *Rerum Univerſitas, ſive Univerſa rerum Subſtantia, in qua omne, quod eſt, comprehenditur, ſive naturæ Cogitantis, ſive Extenſæ, infinita eſt, increata, æterna, ipſaque Deus eſt, præter quam non eſt alius Deus*. Quam impiam de Deo ſententiam ab antiquis quibuſdam Philoſophis Spinoſa deſumſiſſe videtur; qui ipſum Mundum Deum eſſe dicebant. Hi autem potiſſimum fuere Eleaticæ Sectæ Philoſophi, quibus Spinoza de ſuo hoc addidit, quod Atheiſmum per proprium Syſtema, & Geometricas demonſtrationes probavit, ſive probare credidit. Hinc de Spinoza Buddeus in Hiſt. Phil. ſuccincta Delineat. p. 64. *Atheiſmus Eleaticæ Sectæ proprius eſt. Imo multa ſimilia prorſus iis docuiſſe videntur, quæ recentiori ætate in ſcenam revocavit Ben. Spinoza. Xenophanes enim docuit, unum eſſe omnia. Parmenides, atque Meliſſus, dum motum omnem, omneſque adeo generationes, & mutationes ſuſtulerunt, inducti forte ſunt hac ratione, quod unam crederent eſse ſubſtantiam - - - - Rurſus ab Alexandro Epicureo, qui inter amicos Plutarchi fuit, Atheiſmum ſuum accepiſse Davidem de Dinanto, Scholaſtici dicunt, quem conſentientia cum Spinoza docuiſse conſtat*. Definitiones, quas inſipiens Novator ſibi præmiſit, ſunt:

I. Per cauſſam ſui intelligo id, cujus eſsentia involvit exiſtentiam; ſive id, cujus natura non poteſt concipi, niſi exiſtens. II. Ea res dicitur in ſuo genere finita, quæ aliâ ejuſdem naturæ terminari poteſt; ex. gr. Corpus dicitur finitum, quia aliud ſemper majus concipimus; ſic etiam cogitatio alia cogitatione terminatur: at corpus non terminatur cogitatione, nec cogitatio corpore. III. Per ſubſtantiam intelligo id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur; hoc eſt, id, cujus conceptus non indigeat conceptu alterius rei, à quo formari debeat. IV. Per Attributum intelligo id, quod intellectus de ſubſtantia percipit, tanquam id, quod ejuſdem eſsentiam conſtituit. V. Per Modum intelligo Subſtantiæ affectiones, ſeu id, quod in alio eſt, per quod etiam concipitur. VI. Per Deum intelligo ens abſolute infinitum, hoc eſt, Subſtantiam conſtantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam, & infinitam eſsentiam exprimit. Dico, abſolute infinitum, non autem in ſuo genere; quicquid enim in ſuo genere tantum infinitum eſt, infinita de eo attributa negare poſsumus: quod autem abſolute infinitum eſt, ad ejus eſsentiam pertinet quidquid eſsentiam exprimit, & negationem nullam involvit. VII. Ea res libera dicitur, quæ ex ſola ſuæ naturæ neceſſitate exiſtit, & à ſe ſola ad agendum determinatur; neceſsaria autem, vel potius coacta, quæ ab alio determinatur ad exiſtendum, & operandum certa, & determinata ratione. VIII Per Æternitatem intelligo ipſam exiſtentiam, quatenus ex ſola rei æternæ definitione neceſsario ſequi concipitur: talis enim exiſtentia ut æterna veritas ſicut rei eſsentia concipitur; proptereaque per durationem, aut tempus explicari non poteſt, etſi duratio principio, & fine carere concipiatur.

Axiomata ſunt I. *Omnia quæ ſunt, vel in ſe, vel in alio ſunt. II. Id, quod per aliud concipi non poteſt, per ſe concipi debet. III. Ex data cauſſa determinata, neceſſario ſequitur effectus, & contra, ſi nulla detur determinata cauſſa, impoſſibile eſt, ut effectus ſequatur. IV. Effectus cognitio à cognitione cauſſæ dependet, & eandem involvit. V. Quæ nihil commune inter ſe invicem habent, etiam per ſe invicem intelligi non poſſunt; ſive conceptus unius alterius conceptum non involvit. VI. Idea vera debet cum ſuo Ideato convenire. VII. Quidquid ut non exiſtens poteſt concipi, ejus eſſentia non involvit exiſtentiam.*

Propoſitiones denique ſunt. *I. Subſtantia prior eſt naturâ ſuis affectionibus,*

bus. Demonſtratio patet ex defin. tertia, & quinta. II. Duæ ſubſtantiæ diverſa attributa habentes, nihil inter ſe commune habent. Demonſtratio patet ex defin. 3. unaquæque res enim in ſe debet eſſe, & per ſe debet concipi, ſive conceptus unius alterius conceptum non involvit. III. Quæ res nihil commune inter ſe habent, earum una alterius cauſſa eſſe non poteſt: quod poſt Axioma quartum verum eſt. IV. Duæ, aut plures res diſtinctæ, vel inter ſe diſtinguuntur ex diverſitate attributorum ſubſtantiarum, vel ex diverſitate earundem affectionum. Demonſtratio: Omnia, quæ ſunt, vel in ſe, vel in alio ſunt, per axioma 1. hoc eſt, per definitionem 3. & 5. extra intellectum nihil datur præter ſubſtantias, earumque affectiones; nihil ergo extra intellectum datur, per quod plures res diſtingui inter ſe poſſunt, præter ſubſtantias, ſeu, quod idem eſt, per earum attributa, earumque affectiones. V. In rerum natura non poſſunt dari duæ, aut plures ſubſtantiæ ejuſdem naturæ, ſive attributi. Demonſtratio: Si darentur plures diſtinctæ, deberent inter ſe diſtingui vel ex diverſitate attributorum, vel ex diverſitate affectionum, per propoſitionem præcedentem; ſi tantum ex diverſitate attributorum, ergo concedetur, non dari niſi unam ejuſdem attributi: at ſi ex diverſitate affectionum, cùm ſubſtantia ſit prior naturâ ſuis affectionibus, per propoſitionem 1. ergo depoſitis affectionibus, & in ſe conſiderata, hoc eſt per definitionem 3. & 6. vere conſiderata, non poteſt concipi ab alia diſtincta, hoc eſt, non poterunt dari plures, ſed tantum una. VI. Una ſubſtantia non poteſt produci ab alia ſubſtantia. Demenſtratio: In rerum natura non poſſunt dari duæ ſubſtantiæ ejuſdem attributi, per propoſitionem præcedentem, hoc eſt, per propoſitionem ſecundam, quæ aliquid inter ſe commune habeant, adeoque per propoſitionem tertiam una alterius cauſſa eſſe nequit, ſive una ex alia non poteſt produci. VII. Ad naturam ſubſtantiæ pertinet exiſtere. Demonſtratio: Subſtantia non poteſt produci ab alio, per propoſitionem præcedentem; erit itaque cauſſa ſui: Subſtantiæ enim eſſentia, per definitionem primam, ſui exiſtentiam neceſſariò involvit; ſive ad ejus naturam pertinet exiſtere. VIII. Omnis Subſtantia eſt neceſſariò infinita. Demonſtratio: Subſtantia unius attributi nonniſi unica exiſtit, per propoſitionem ſeptimam. Erit itaque ipſius natura vel finita, vel infinita exiſtere: at non finita, nam, per definitionem ſecundam, deberet terminari ab alia ejuſdem naturæ, quæ etiam neceſſariò deberet exiſtere, per propoſitionem ſeptimam: adeoque darentur duæ Subſtantiæ ejuſdem attributi, quod eſt abſurdum, per propoſitionem quintam: ergo exiſtit infinita. IX. Quò plus realitatis, aut eſſe unaquæque res habet, eò plura attributa ipſi competunt: Demonſtratio patet ex definitione quarta. X. Unumquodque unius Subſtantiæ attributum per ſe concipi debet. Demonſtratio: Attributum eſt, quod intellectus de Subſtantia percipit, tanquam ejus eſſentiam conſtituens: ergo, per definitionem tertiam, per ſe concipi debet. Ex quibus omnibus Spinoza varia Corollaria, & Scholia deducit, quæ apud ipſum videre eſt.

Contra Spinozam ſcripſerunt *Joh. Conr. Durrius*, *Jac. Thomaſius*, *Joh. Muſæus*, *Henr. Morus*, *Wittichius*, *Velthuſenius*, *Franc. Cuper*, religione Socinianus, in Tract. cui titulus: *Arcana Atheiſmi revelata, philoſophice, & paradoxe refutata*; plures etiam *Doctores Lutherani*, & *Calviniſtæ*; *P. Dan. Huet. in Demonſtr. Evangel. R. Simon. Joh. Colerus in Tract. de Vera Religione J. C. contra Spinozam*; *Mr. Yvon*, diſcipulus Labadii, & Labadiſtarum Miniſter, in ſuo Tract. *Impietas convicta*; *P. Le Vaſſor in lib. de Vera Religione*; *Mr. van Til*; *Manſveldius*; *Batelerius*; *Petrus Bælius in Lex. Hiſtor. Crit.* ubi ait, neminem meliùs, ac doctiùs Spinoziſmum oppugnaſſe, confutaſſe, ac funditùs evertiſſe, quàm *Joh. Bredenburgium* in Opere ſuo, cui tit.

Ener-

Digitized by Google

Enervatio Tractatus Theologico-Politici, *una cum Demonſtratione Geometrico ordine diſpoſita*, *Naturam eſſe Deum*, *&c.* atque alii, quorum numerus pene innumerus eſt. Videri etiam poſſunt *Le Journal des Sçavans* 31. *Jan.* 1699. *Les Nouvelles de la Rep des Lettres*; *& L'Hiſtoire des Ouvrages des Sçavans* eodem anno. Atque hæc de Spinoza.

CAPUT XII.

Epicurei Emendati, *ſive Gaſſendiſtæ*.

EPicureis, qui in Hortis cum Epicuro, & poſt ipſum Athenis floruerunt, cap. 15. lib. 3. hujus Hiſtoriæ recenſitis; atque Epicureis Romanorum Philoſophis cap. 1. lib. 4. hujus enarratis, (quibus *Diogenes Laërtius* addi poſſet, qui tempore Antonini, & Severi vixiſſe dicitur, clarus præcipuè ob libros X. Vit. Philoſophorum, Arriæ, philoſophanti fœminæ φιλοπλάτωνι, Septimio Severo, & Antonino Caracallo, Impp. cariſſimæ, dicatos; in quibus ſe pluribus in locis Epicureum oſtendit; potiſſimum verò, quod de Epicuro librum X. integrum conſcripſerit, doctrinam commendaverit, & acerrime defenderit) Recentiores addendi Epicurei ſunt, qui Epicuri Philoſophiam ab erroribus, Chriſtianæ Religioni contrariis, expurgatam profeſſi ſunt. Quorum Dux, & Autor

PETRUS GASSENDUS

NAtione Gallus, patriâ civis Dinienſis, cujus Eccleſiæ Epiſcopalis primum Canonicus, deinde etiam Præsbyter Præpoſitus, Sac. Theologiæ Doctor, ac Regius in Pariſienſi Academia Matheſeos Profeſſor, Philoſophus noſtri ævi celeberrimus, pauperibus ortus eſt parentibus 9. Kal. Febr. 1592. quò major ejus nobilitas, & gloria ex literarum ſtudiis videretur. Poſt expleta linguarum, humaniorum literarum, & Philoſophiæ ſtudia (quam etiam publice, & laudabiliter docuit) Matheſi ac potiſſimum Aſtronomiæ totum ſe dedidit, id cumprimis ſuadentibus Nicol. Fabr. Peireſcio, Magnæ Provinciæ Tribunalis Conſiliario, & Domino du Vair, ejuſdem Tribunalis Præſide, apud quos erat gratioſiſſimus. Cum autem Ariſtotelis Philoſophia, quam ex præceptoribus hauſerat, ei non arrideret, ex reliquis veterum Philoſophiæ Syſtematis Epicureum elegit emendandum, ut ſectaretur. Doctrinæ, eruditionis, pietatis vir fuit inſignis; unde etiam literatis, Principibus, & Cardinalibus carus ſemper fuit. Tandem extremum diem obiit Pariſiis ann. 1655. die 24. Octobris æt. 64. quem marmoreo tumulo poſt mortem dignatus eſt Henricus-Ludovicus Habertus de Montmor, Libell. Suppl. Magiſter, qui vivum domi ſemper honoris gratia habere voluit. Idem Habertus magnifico marmoreo tumulo, quod ei erexit Lutetiæ in Eccleſia S. Nicolai Campenſis, atque in ipſo Sacello illuſtr. Familiæ Mommorianæ, quod S. Joſepho ſacrum, pro Amico ſuo, & Hoſpite ſibi cariſſimo, Epitaphium ſuperaddidit. De Gaſſendo plura qui cupit, adeat Samuelem Sorberium, Chriſtianiſſimo Regi ab Hiſtorica re, qui ejus Vitam deſcripſit ſub titulo: *Diſſertatio de Vita*, *& moribus Philoſophi*, *ac Mathematici celeberrimi Petri Gaſſendi*, *ad Virum illuſtrem Henr. Ludovicum Habertum Mommorium*, *Libellor. ſupplic. magiſtrum integerrimum præſcripta*; in qua etiam ejus ſcripta enarrantur. His igitur de Vita breviter enarratis, ſcripta videamus.

Hæc,

Digitized by Google

Hæc, quæ Tom. 6. fol. continentur, res Philoſophicas, Mathematicas, Vitas celebriorum Mathematicorum, Peireſcii etiam, ejuſque Bibliothecæ laudes, Epiſtolas, &c. tractant. Quorum hoc eſt Jonſii judicium de Scr. Hiſt. Phil. lib. 3. c. 31. *Anno 1624. lucem publicam videbant ejus Exercitationum Paradoxicarum adverſus Ariſtoteleos libri 7. in quibus omnes hujus Philoſophi errores deteguntur, præcipua totius doctrinæ Peripateticæ fundamenta excutiuntur, opiniones vero novæ, aut è vetuſtioribus obſoletæ, ſtabiliuntur*. Primus liber 8. continet Exercitationes; quarum uniuſcujuſque tale eſt argumentum. I. *Quod homines Ariſtotelici ex germana Philoſophia Sophiſticen effecerint*. II. *Quod immerito Ariſtotelici libertatem philoſophandi ſibi ademerint*. III. *Quod rationes nullæ ſint, quibus ſecta Ariſtotelis videri poteſt præferenda*. IV. *Quod maxima ſit incertitudo librorum, doctrinæque Ariſtotelicæ*. V. *Quod apud Ariſtotelem innumera deficiant*. VI. *Quod apud Ariſtotelem innumera ſuperfluant*. VII. *Quod apud Ariſtotelem innumera fallant*. VIII. *Quod apud Ariſtotelem innumera contradicant. - - - Sed reliquos libros 6. eruditi non viderunt; num editi fuerint, Launojus ſignificare non potuit. In iſtis autem quid tractaverit, ejus in lib. 1. Præfatio docet, ubi inquit: Liber ſecundus opponitur Dialecticæ Ariſtotelicæ, ubi nulla ipſius Dialectices neceſſitas, utilitaſve declaratur, &c. Liber tertius deſtinatur in Acroaſin Phyſicam, &c. Liber quartus adoritur libros de corpore ſimplici, ubi primum & ſtellis, & ſoli comparatur quies, &c. Liber quintus aggreditur vulgares tractatus, quos de miſtis inſtituit, &c. Liber ſextus adverſus Metaphyſicam inſtituitur. Liber denique ſeptimus eſt in Moralem Philoſophiam. Confer Launojum de varia Ariſt. fortuna.*

De libris pro Epicuro editis ita ſequitur laudatus Jonſius: *Sed Gaſſendus ab edendis contra Ariſtotelem libris abſtinuit, & totum poſtea ſe Philoſophiæ Epicureæ reſtaurandæ dedit. Itaque peculiare Opuſculum de Vita, Moribus, & Doctrina Epicuri libris 8. concinnavit. - - - In hoc Epicuri & Vitæ, & Scholæ hiſtoriam expoſuit ita, ut nemini fortaſſe alteras curas hac in parte reliquerit. Liber primus, & ſecundus nonniſi nude vitam, mores, & Scholam Epicuri perſequitur; ita tamen, ut ejus etiam recenſeat libros, amicos, & ſucceſſores. In primis cap. 5. lib. 1. docet, quando, & qua occaſione Epicurus Philoſophiæ ſe dederit, ſectamque condiderit. Quartus liber occaſionem quæſitæ Epicuro infamiæ detexit. Quintus objectam malignitatem depulit. Sextus objectum gulæ vitium. Septimus objectam venerem. Ultimus odium objectum artium liberalium. Etiam primus è recentioribus edidit Animadverſiones in Diogen. Laërt. lib. X. qui de vita, moribus, placitiſque Epicuri agit, 3. volum. in fol. His denique Philoſophiæ Epicuri Syntagma addidit, in quo Philoſophiæ Epicureæ principia expoſuit. In omnibus autem Epicuri acrem vindicem egit ſic, ut non modò virtutes ejus, ſed etiam vitia, & errores expoſuerit, & ſæpe contra ipſum diſputaverit. Ita quando de Providentia agit, quam omnino in dubium vocavit, partes ejus, & cauſſam plane deſerit. Doctrinam de Atomis ita amplectitur, ut ne locum det Atheiſmo, &c.*

Omnia igitur præclari hujus Mathematici, ac Philoſophi Opera ad hæc fere rediguntur. *Syntagma Philoſophicum. Liber proœmialis de Philoſophia univerſe. Logices lib. 2. Phyſices ſect. 3. Ethica. Phyſica Opuſcula. Philoſophiæ Epicuri Syntagma. Exercitationum Paradoxicarum adverſus Ariſtotelicos lib. 7. Fluddanæ Philoſophiæ Examen. Diſquiſitio Metaphyſica adverſus Carteſium. Epiſtolæ 14. de rebus Mathematicis. Inſtitutio Aſtronomica. Commentaria de rebus Cœleſtibus ab ann 1618. ad 1655. Opera Humaniora, & Miſcellanea. Diogenis Laërtii liber X. Vitæ Epicuri; Peireſcii; Tychonis Brahe; Nicolai Copernici; Georgii Peurbachii, & Joh. Regiomontani.*

Abacus

Abacus Seſtertiorum, ſive, &c. Romanum Kalendarium. Notitia Eccleſiæ Dinienſis. Epiſtolæ, & Reſponſa Autoris ad varios, & eorum Reſponſa ab an. 1621. ad 1655.

Quale autem Gaſſendo Philoſophiæ Syſtema fuerit, ut enarrem, ſic paucis me abſolvam. In omnibus Democriti, Epicurique doctrinam ſecutus eſt; quam non ſolum explanavit, & illuſtravit, ſed etiam emendavit, & idoneam, quam Chriſtiani ſequerentur, reddidit. Itaque Epicurum ex Ethnico, & Ethnicorum irreligioſiſſimo, Chriſtianum fecit; ſuumque ſic Præpoſiti Eccleſiæ munus optime complevit. Hinc Mundum creatum contra Epicurum docuit: cuncta in mundo non per fortuitum Atomorum concurſum facta fuiſſe, & fieri, ſed Divina Diſpoſitione: Dei Providentia omnia gubernari: A Deo tum in vita, tum poſt mortem & pœnas timendas, & præmia ſperanda, &c. Quidquid igitur Chriſtianæ doctrinæ contrarium erat, demſit, vel emendavit: unde & ejus Sectam Epicuream Emendatam appellare placuit.

De Gaſſendo innumera pene ac præclara ſunt autorum teſtimonia, quæ, ut brevitati conſulam, exſcribere prætermitto; horum unum aut alterum adnotaſſe contentus. Leo Allatius Ap. Urb. p. 70. *Petrus Gaſsendus Dinienſis Eccleſiæ Theologus, vir primarius, qui novo ingenii acumine, diſerta orationis textura, & admirandorum monumentorum copia Europæ innotuit*. Joh. Launoi Epiſt. de Gaſſendo: *In eo peracre ingenium & judicium, incredibile ſtudium, labor indefeſſus, ſingularis in aſſerenda veritate methodus, varia eruditio, eaque exquiſitiſſima, terſa, & elaborata ſcriptio, bonitas eximia, & pietas, vitæ gravitas, morumque integritas ſumma, frugalitas priſca, &c.* Voſſius de Mathem. *Anno 1628. ac deinceps, varia doctrina, imprimis Matheſi eluxit Petrus Gaſsendus, Gallus; cujus ſingularem, & multijugam eruditionem non potui non mirari, cum Belgicam hanc luſtrans ann. 1629. me non ſemel ſalutatione, & alloquio ſuaviſſimo dignaretur*. Rapin. Animadv. in Phyſicam ſect. 9. Gall. *Gaſsendus eſt autor, qui ſatis laudari nequit. In tota Vetuſtate nullus reperitur Philoſophus, qui ſex ampla Volumina tam nervoſe conſcripſerit*. Et Animadv. in Philoſophiam 18. Gall. *Gaſsendus, qui cenſeri tantum voluit Democriticæ, Epicureæque Philoſophiæ Reſtaurator, pauca è proprio penu loquitur, de ſuo fere nihil habet præter ſtyli venuſtatem, quæ Autoris mirifici famam ipſi facile conciliavit. Ad ipſum in ejus Phyſica refutandum ſufficiunt Ariſtotelis adverſus Democritum, eiuſque diſcipulos argumenta*. Vide ejus elogia apud Mares. Menag. Merſenn. Hobb. Ricciol. Magnan. Craſſ. &c.

NICOLAUS-CLAUDIUS-FABRICIUS PEIRESCIUS

VIr æterna fama digniſſimus; nunquam ſatis laudandus; eruditione, & genere nobiliſſimus; Nobilis Gallus immortalium meritorum; literarum, dum vixit, magnus inſtaurator, & literatorum Mecœnas plane incomparabilis, quibus, & ſimilibus glorioſis nominibus graviſſimi Autores ſæpe vocant, & dignis honeſtant laudibus; *Natus eſt in Belgenſerii caſtro prope Tolonem primo die Decembris 1580. Senator Parlamenti Provinciæ, ingenii inter primos ſui ſeculi, Philoſophus acutiſſimus, Mathematicus eximius. Obiit Aquis Sextiis an. 1637. In Academia Romana funebri Oratione, aliquot Cardinalibus præſentibus, in literatorum panegyri honoratus. Elogia ejus, linguis 40. expreſſa, in uno volumine habentur, cui titulus Pangloſſia*, ſive generis Humani Leſſus in funere delicii ſui. Hofmannus: Viri tam illuſtris de literis, quibus promovendis totus inhiabat, & de literatis, quibus & propenſo animo fave-

favebat, & excelſa liberalitate opitulabatur, optime meriti, Vitam copioſe, & integris ſex libris deſcripſit Gaſſendus; cujus jam tertia editio eruditorum manibus aſſidue teritur. Qua de re ita Jonſius de Script. Hiſt. Phil. lib. 3. c. 31. de Gaſſendo loquens: *Iterum Vitam Peireſcii deſcriptam dedit, dignam, quæ ab omnibus politiſſimis ingeniis legatur. Fuit Nic. Claud. Fabr. Peireſcius Aquiſsenſienſis. Parlamenti Conſiliarius, vir omnibus optimis literis, doctriniſque egregie excultus, & clarus ob inſtructiſſimam omni optimorum librorum copia Bibliothecam. Inde quia ſumma in Gaſsendum erat liberalitate, hic non ſolum Vitæ, ſed Bibliothecæ quoque ejus hiſtoriam optime omnium deſcribere potuit. In hanc quoque omnia congeſſit, quæ memoriæ digna ſunt, hoc eſt, quæ pertinent ad rem literariam, ad antiquitates, ad Philologica, Mathematica, Phyſica, & Moralem ſcientiam, &c.* Catalogum MSS. propriorum illuſtris, ac ſapientiſſimi hujus viri cit. Gaſſendus in Auctario ſubnectit, quod Lector adeat.

Peireſcium in Gaſſendiſtarum numero merito locavimus: ejuſdem enim in Philoſophicis ſententiæ eum eſſe decebat cum illo, cui arctiſſima familiaritate, & ſtudiorum communicatione devinctus erat. Ejus cæteroqui juſtas laudes paſſim apud omnes recentiores auctores, præter dictum Gaſſendum, invenire quis poterit, præcipue apud Bouche, Pittonum, Salmaſium, Morinum, Grotium, Naudæum, Bullart. &c. quos vide.

FRANCISCUS BERNIER

MEdicus, ac Philoſophus Agathopoleos, ſive Montis Peſſuli; præter editum Opus *De Itineribus*, Gall. *des Voyages*, quod omnium manibus teritur, & magni fit, celeberrimus etiam inter Gaſſendiſtas eſt ob *Epitomen Philoſophiæ Gaſsendi*, à ſe compoſitam, & evulgatam; in qua magnus hic Gaſſendi diſcipulus nedum Præceptoris ſui doctrinam omnium optime defendit, præcipue contra Joh. Baptiſtam Morinum, Medicum, & Matheſeos Profeſſorem Pariſienſem, duabus illis Apologiis, quarum alteri titulus eſt *Anatomia ridiculi muris*, alteri verò *Favilla ridiculi muris*, ann. 1651. & 1654 Pariſiis impreſſis; verum etiam mentem, & genuinam ſententiam expoſuit eleganter; atque multa, quod nemo unquam diſcipulorum fecerat, addidit, quæ poſt Gaſſendum tum in Phyſica, tum in Aſtronomia & excogitata ſunt, & inventa; ſicut ipſemet Bernier in Præfatione huic Epitomæ præfixa, teſtatus eſt; ac Dubia quædam ſuper difficilioribus Philoſophiæ quæſtionibus ſibi efformata immiſcuit.

THOMAS HOBBES

HObbeſius, ſive Hobbius, natione Anglus, natus eſt Malmesburiæ Nonis Aprilis 1588. In literario ludo adhuc degens tantos in Latinis, Græciſque literis progreſſus fecit, ut Euripidis Medeam anno ætatis 14. ſimili metro Latinis verſibus eleganter expreſſerit; & inde etiam Thucydidis Opera è Græco in Anglicum verterit, & evulgaverit an. 1628. ut in hac Athenienſium Hiſtoria Anglis civibus ſuis oſtenderet, quanta democraticum regimen Athenienſibus mala pepererit. Peripateticæ Philoſophiæ ſtudiis annos quinque ſtrenuam dedit operam; quam tamen, quia tunc temporis literatis omnibus contemtui erat, dereliquit, ac ſaniori, plauſibiliorique ſui ævi Philoſophiæ, bonarumque artium ſtudiis ſe addixit. Comitis de Devonshire filium primogenitum erudiendum ſuſcepit, cum quo Galliam, & Italiam luſtravit: quo, & patre mortuis, alium

è ma-

Digitized by Google

è magnatibus juvenem diſcipulum obtinuit ann.1629. quem in Galliam etiam duxit; ubi Hobbeſius Mathematicis ſtudiis, licet paulo ſerius, animum adjecit, eo potiſſimum animo, ut methodo ipſis propria intellectus ad rerum cognitionem optime duceretur, atque difficilia inveniendi, vera aſſerendi, falſa redarguendi certiſſima ratione imbueretur. Anno 1631. ad Comitis de Devonshire Viduam iterum acceſſit, ut ejus alterum filium in literis, & moribus inſtitueret, cum quo Galliam iterum adiit, & Italiam; ubi Phyſices, & Matheſeos ſtudiis jugiter intentus, brutorum operationes, & ſenſationes ad rigidum revocavit examen: in quibus ſtudiis P. Merſennum familiarem, & ſocium habuit. Anno 1637. in Angliam accitus, ipſam relinquere coactus eſt ob bellum civile an.1640. ibi excitatum, & in Galliam quartò jam venit; ibique ſub Principis de Galles auſpiciis vivens, quem Mathematicas etiam docuit diſciplinas, locum philoſophando aptiſſimum, & Philoſophos præclaros amicos nactus eſt Merſennum, Gaſſendum, alioſque, quibuſcum familiariter vixit, & philoſophatus eſt. Ibi primùm *tum pro ſuo in Regem officio, atque obſequio, tum pro decumano, quo ſemper in Democraticos odio laboravit, libellum ſcripſit juris Regii aſſerendi gratia, qui poſtea in Librum de Cive, & tandem in Leviathan excrevit;* ut eſt in ejus Vita pag.45. cujus pauca dumtaxat Exemplaria Pariſiis ann.1642. evulgavit. In hoc Opere omnium jura tum publica, tum privata, tum ſacra, tum profana uni Regiæ poteſtati ſubmittit; cui quantum tribuit, tantum illis derogat. Atque hinc factum, ut omnium ne dum Catholicorum, verum etiam Hæreticorum odium Hobbes in ſe concitaverit. Ex his fuere Renatus Deſcartes, Robertus Scharrokius, Richardus Cumberlandus, Franc. Jul. Chopius, Sethus Wardus, Sam. Strimeſius, atque alii, qui plura volumina contra ipſum ediderunt. Pugnarunt tamen pro Hobbeſio magni nominis viri; in Gallia Sam. Sorberius, qui librum hunc de Cive an.1647. Amſtelodami ſecundo edi curavit, & Gallice etiam vertit, & evulgavit, Marinus Merſennus, Petrus Gaſſendus, quibuſcum etiam familiariter in celeberrima Pariſienſi Academia vixerat, teſte Bælio voce *Hobbes:* in Belgio porro Lambertus Velthuſius: in Germania Joh. Chriſtophorus Beckmannus; quos multa quoque propter Hobbeſium perferre oportuit. Carolus II. Angliæ Rex, Regno redditus an.1660. magni Hobbeſium fecit, multiſque honoris ſignis decoravit: diu namque apud cit. Comitem de Devonshire latens vixerat, præpotentium inimicorum odium timens: à quo etiam pro Regia liberalitate annuo congiario donatus eſt. Quamvis Anglicanæ Eccleſiæ ritus obſervaſſe; Chriſtianam Religionem, quatenus in Eccleſia Anglicana, regni legibus ſtabilitur, ex animo amplexum eſſe, ac ſemper retinuiſſe, & de Deo optime ſentiiſſe, ejus Vitæ ſcriptores affirmant, ubi pag.105. ajunt: *Deum agnovit, eumque rerum omnium originem, inter anguſtos tamen humanæ rationis cancellos nullatenus circumſcribendum.* Et pag.107. *Sanctius illi, & reverentius viſum, de Deo credere, quam ſcire. Sacerdotes interim culpare ſolitus eſt, qui Chriſtianam Religionem abſolutam, & ſimplicem vel ſuperſtitionibus macularent, vel inanibus interdum profanis ſpeculationibus implicarent;* nihilo tamen minus Atheus vulgo audit. Quam notam, Hobbeſii famam ſummè denigrantem ita purgare conantur ejus fautores in Vita p.107. *Quare fortiter calumniati ſunt, qui ipſum Atheiſmi reum detulerunt; quod inde forſitan profectum, quia Scholaſticorum, aliorumque iſto de grege morem rejecerat, qui otioſi in Muſæis ſuis ſedentes, juxta imbecillem ingenioli ſui captum, Naturæ Divinæ incomperta affingunt attributa.*

Quod vero ad ejus mores, & vitæ finem hæc notanda. Honeſti hominis characteres habuiſſe dicitur; patriæ enim amorem, Regi fidem, amicis officia, pauperibus miſerationem, cunctis ſua jura, ſervavit; & paucis: *Quicquid ad*

pietatis exercitia, aut bonos mores conferret, plurimi fecit, ut in ejus Vita l.c. niſi quod *Ætate adbuc intra juventutis terminos conſtante (liceat verum fateri) nec abſtemius fuit, nec μισόγυνος*; ib. p.104. vino namque & veneri indulgebat. Plus temporis meditationi dabat, quam lectioni: *Quin & illud ſæpe dicere ſolitus eſt, quod ſi tantum libris incubuiſſet, quantum alii è Literatis vulgo faciunt, eadem cum illis ignorantia laboraſſet*. Vit. Hob. p.112. Et quidem fuit *Lectio ejus pro tanto ætatis decurſu non magna: Autores verſabat paucos, ſed tamen optimos. Homerus, Virgilius, Thucydides, Euclides, illi in deliciis erant. Ingentem librorum ſupellectilem, qua ſuperbiunt Bibliothecæ, non magni fecit, cum mortales plerumque pecorum ritu, &c.* ibidem. Tandem obiit 4. Decembris 1679. æt 91. in cœlibatu, tanquam Philoſophiæ ſtudiis maxime commodo, ſemper vivens.

Opera ejus Philoſophica, quæ ann.1668. Amſtelodami edita prodierunt, ſunt: *Problemata Phyſica. Dialogi 6. de Emendatione hodiernæ Geometriæ. Libri 3. de Corpore. Liber de Homine. Libri 3. de Cive. Tract. de natura Aëris. Tract. de Principiis, & Ratiocinationibus Geometrarum. Leviathan, ſive de Materia, Forma, & Poteſtate Civitatis Eccleſiaſticæ, & Civilis*. Anno tamen 1671. prodiit ejuſdem *Roſetum Geometricum*. Scripſit etiam Hobbeſius Objectiones in Meditationes Carteſii, ut ipſemet Carteſius teſtatur in Epiſtolis, ubi ipſum in Morali magis, quam in Phyſica, vel Metaphyſica valere affirmat. Unde hic notandum, quod ſecta, quæ de conditoris nomine Hobbeſiana dicta eſt, nonniſi de Morali diſciplina intelligenda eſt; in Phyſicis enim, & Metaphyſicis peculiare Syſtema condidiſſe, dici non poteſt. Cum igitur nec Ariſtoteli, nec Carteſio aſſenſus fuerit, nec novum aliquod Syſtema confecerit; contra verò cum Gaſſendo familiaritatem, & communia habuerit ſtudia; merito ipſum inter Gaſſendiſtas referre duximus. Imo & Epicureum ſe quam ſæpiſſime tum in Moralibus, tum in Phyſicis manifeſte oſtendit, ut advertit Sam. Parker. de Deo in diſp. p.86. & 87. his verbis: *Hoc probe ſcio, Hobbium nihil nobis obtuliſſe, niſi quod apud veteres in Epicuro reprehenſum inveniamus. Ut enim Epicurus omnia à Democrito ſurripuiſſe dicitur, ita Hobbius omnia Epicuri flagitia ingenti faſtu tanquam ſua recudit; atque ut nova videantur, novis nominibus (quorum ille, ut ſunt novatores omnes, egregius artifex) appellare affectavit. Exemplo ſit magnum illud, & primum omnis ſuæ Philoſophiæ Moralis, & Civilis effatum. Ut enim Epicurus Voluptatem ultimum cujuſque finem eſſe ſtatuit, ita hic eadem vocabuli ambiguitate Sui Amorem, &c.* Et Rapin. Animadv. in Vet. & Nov. Philoſophiam ſect.18. & Animadv. in Phyſ. ſect.9. Gall. - - - *Hobbes obſcurus eſt, gratiarumque expers: in ſuis ideis ſingularis, eruditus, parum tamen ſolidus: in ſua doctrina inconſtans; modo enim Epicureum, modo Peripateticum ſeſe exhibet - - - Thomas Hobbes magnam ingenii profunditatem oſtendit, & etiam inter poſtremorum horum ſeculorum Epicureos audaciſſimus eſt, eorumque in omnibus Principia, nequaquam ſibi temperans, ſectatur. In omnibus, quæ mentem, ejuſque principales operationes reſpiciunt, perperam ratiocinatus eſt, horum ſcil. principium Phantaſmatibus, & Imaginationi tribuens.*

Ut autem Hobbii in Ethicis, & Politicis Syſtema in Leviathane traditum paucis exhibeamus; exſcribenda hic eſt ejus doctrinæ ſumma, quæ habetur in Vita p.45. *Ejus autem ſumma hæc fuit: Sine Pace impoſſibilem eſſe incolumitatem; ſine Imperio Pacem; ſine Armis Imperium; ſine opibus in unam manum collatis nihil valere Arma; neque metu Armorum quicquam ad Pacem proficí poſſe in illis, quos ad pugnandum concitat malum morte magis formidandum; nempe dum conſenſum non ſit de iis rebus, quæ ad ſalutem æternam*

ne-

neceſſariæ creduntur, *Pacem inter cives non poſſe eſſe diuturnam*. Quot tamen contra impium hunc Librum, & Hobbii alios, edita fuerint ſcripta ne dum Catholicorum, ſed Heterodoxorum etiam, præcipue Anglorum, videre eſt in fine ſæpius citatæ ejus Vitæ. Et quidem ſi non Atheus, ſaltem Irreligioſiſs, ac novarum, impiarumque in religionem opinionum autor dicendus eſt. Omnia item corporea eſſe credebat. Reliqua vide apud ipſum in cit. ſuis Operibus.

De Hobbio ita Autores. Jonſius de Script. Hiſt. Phil. lib.3.c.32. - - - *Animum totum ad Philoſophiam applicuit*, *in qua ita profecit*, *ut ſectam condiderit*. *Multa invenit*, *nonnulla tamen etiam pervertit*. *Hæc & ratio eſt*, *cur tantum in ſe concitaverit odium*, *&c.* Sam. Puſendorf. de Jure Nat. & Gent. in Præfat. *Thomas Hobbes in Operibus ſuis ad Civilem Scientiam ſpectantibus plurima habet quantivis pretii*; *& nemo*, *cui ejuſmodi rerum eſt intellectus*, *negaverit*, *tam profunde ipſum Societatis Humanæ*, *& Civilis compagem rimatum fuiſſe*, *ut pauci priorum cum ipſo heic comparari queant*. *Et qua à vero aberrat*, *occaſionem tamen ad talia meditanda ſuggerit*, *quæ aliàs fortaſſe nemini in mentem veniſſent*. *Sed quod & hic in Religione peculiaria ſibi*, *& horrida dogmata finxerit*, *&c.* Sam. Sorbiere Præfat. in Oper. Gaſſendi: *Gaſſendo fuit cariſſimus Thomas Hobbes*, *cujus libellum de Corpore*, *manibus Pratæi noſtri paucis ante obitum menſibus accipiens*, *oſculatus eſt*; *ſubjungens*: *Mole quidem parvus eſt iſte Liber*, *verùm totus*, *ut opinor*, *medulla ſcatet*. Unde non mirum, ſi à Gaſſendo in Epiſt. ad Sam. Sorberium laudatur impenſius, ubi ait: *Liber de Cive certe eſt non vulgaris*, *dignuſque*, *qui omnium*, *qui altiora ſapiunt*, *manibus teratur*; *neque* (*ſi illa ſepoſuero*, *quæ Religionem*, *in qua ſumus* ἑτερόδοξοι, *attinent* (*ſcriptorem agnoſco*, *qui argumentum ſcrutetur*, *quam ille*, *profundius*. Parker. modò cit. de Deo p.88. *Hoc unicum in omni ſua Philoſophia ſategiſſe videtur Malmesburienſis*, *ut omnes*, *quotquot videmus*, *effectus tum naturæ communis*, *tum humanę*, *ſolis materiæ viribus adſcribantur*. Voët. lib. 2. Bibl. Theol. c. 22. *Periculoſis*, *& male cohærentibus axiomatibus ſuis præſtantiſſimam ſcientiam politicam non parum conturbat*. Buddeus Hiſt. Phil. ſuccincta Delin. p.91. *Hic Machiavelli ſub alio ſchemate Philoſophiam iterum in ſcenam produxit*, *Principibus nimis favens*, *eorum poteſtatem in civium fortunam*, *vitam*, *& religionem extendens*. *Sectatores præter Lambertum Valthuyſium nactus eſt nullos*; *hoſtes autem*, *& cenſores quamplurimos*, *Richardum Cumberlandium*, *Gibertum Coquium*, *alioſque*. Conring. de Civ. Prud. c.14. in fine: *Anglus Hobbes libro Elementorum Philoſophorum de Cive edito non dubitavit hiſce verbis gloriari*: *Phyſica res novitia eſt*, *ſed Philoſophia Civilis multo adhuc magis*, *ut antiquior non ſit libro*, *quem de Cive ſcripſi*. *Inſano profectò faſtu*, *&c. Satis autem apertum eſt in illis quidem de Cive Elementis nihil eſſe boni*, *quod non ab omni retro memoria fuerit notum*. *Ne quidem illud autem potuiſſet ſupereſſe*, *ſi præjudicii defectu vidiſſet Hobbes*, *quam multum alia deduci debeant ex illo horribili principio*: *Naturâ inter homines non ſocietatem*, *ſed diſſocietatem inſtitutam eſſe*. *Et verò illo poſito*, *omnis ſocietas humana contra Naturæ fuerit inſtitutum*. *Quo aſſerto neſcio numquid poſſit excogitari abſurdum magis*, *& improbum*. *Sed relinquimus hominem illum inſanienti ſuæ ſapientiæ*. A Val. Henr. Vogler. de Stud. hodier. corrupt. p.37. vocatur *Novæ Sectæ principatus affectator*; *Peſſimus in formandis demonſtrationibus artifex*, *magnus*, *ac merus plerumque paralogiſta*, *&c.* Denique hoc de Hobbio judicium tulit Galeottus Galeatius Kalsbergius, teſte Joh. Dechker. de Script. Adeſpot. p. 328. & 329. an.1686. *Famam*, *quam numerorum*, *proportionumque ſcientiâ comparavit*, *prudentiæ ſtudiis adeo non auxit*, *ut quoque labefactaverit maxime*. *Nam juſtum*, *& in-*

juſtum

Ethices ſtudiis ſe addixit. Maxime tamen omnium Mathematicis diſciplinis delectabatur; quarum Analyticam ſumme promovit. Anno 1612. Collegio relicto, cum peracta ſtudia ei non placuiſſent: anno 1614. Matheſi per biennium ſe totum addixit. Inde in Hollandiam ſecedens, militiæ nomen dedit, ſed tamen nobilium more ſemper ſine mercede, & ſub Principe Mauritio, qui poſtea fuit Auraſicæ Princeps, militavit. Bredæ degens, elegantiſſimum Muſices Tractatum compoſuit. Germaniæ peragrationem ſuſcepit, & Pragæ bello interfuit. Poſt hæc militia omnino ſe abdicavit; ac totus in id incubuit, ut opinionibus omnibus, quibus mentem eouſque imbuerat, ſepoſitis, nova Philoſophiæ, & philoſophandi Principia inveniret. Anno 1620. Geometricorum etiam Problematum ſolutionem, atque Matheſin omnem repudiavit, ut totus Philoſophiæ ſtudiis vacaret. In patriam redit, atque inde Pariſios; tum in Italiam venit, inde in Galliam revertitur; ubi à Card. de Berulle exſtimulatus eſt, ut ſuam Philoſophiam evulgaret. Anno 1629. In Hollandiam ſecedit, ac *Meditationes Metaphyſicas* componit; Anatomiæque, & Chymiæ ſtudiis animum intendit. A. 1633. ſuum *de Mundo Tractatum* abſolvit: ejus tamen publicationem cavit, Galilæi abjuratione perterritus. A. 1637. ſuam *Methodum*, *Dioptricam*, *Meteora*, *& Geometriam* publici juris fecit. Graves ſuſtulit perſecutiones à G. Voëtio, Ultrajectinæ Univerſitatis Rectore, ac Theologiæ Profeſſore, magnoque Calvini propugnatore. Cum PP. etiam Soc. J. cum Gaſſendo, aliiſque literarias habuit contentiones. A. 1641. ſuas edidit *Meditationes Metaphyſicas* (contra quas Arnaldus, Gaſſendus, Hobbius, atque alii ſcripſerunt) & *Principia Philoſophię*, quæ Eliſabeth, Federici V. Electoris Palatini filiæ, ſuæque diſcipulæ dicavit. *Tractatum de Paſſionibus Animæ*, ſcripſit; atque *Diſſertationem de Natura Amoris*, quæ magnam ei apud Chriſtinam, Svecorum Reginam, gloriam, & exiſtimationem comparavit: unde ab ea per Chanut Holmiam venit, ut dictum, ubi diem obiit; ejuſque cadaver inde in Galliam abductum. Sed his de Carteſii Vita, & Libris, adnotatis, pauca ex multis de eo Aut. teſtimonia adducamus.

Iſaac. Barrovv. in Opuſc. pag. 156. *Renatus Carteſius, vir procul dubio optimus, atque ingenioſiſſimus, ac ſeriò Philoſophus, & qui videtur ad Philoſophiæ hujus (De Materia, & Motu) contemplationem ea attuliſſe auxilia, qualia fortaſſis nemo unquam alius: intelligo eximiam in Mathematicis peritiam; animum, &c.* De Carteſii Epiſtolis ita Dan. Georg. Morhofius in Polyhiſt. *Carteſii Epiſtolæ pleræque Phyſici argumenti ſunt - - - - - Poſt ejus mortem ejus editę ſunt Epiſtolæ in 4. Lugd. Batav. quæ ad viros doctos ſcript ſunt ſuper dubiis Philoſophiæ ſuæ locis. Nullo itaque ex Commentario melius intelligi poteſt doctrina Carteſiana, quam ex iſto, quem præbent Epiſtolæ. Multa illic proponuntur rariora Naturæ φαινόμενα, in quibus explicandis illic ſuum exercuit ingenium. Gallica etiam lingua plures ſcriptæ.* Ex Morery Lex. Magn. Hiſtor. *Carteſii acumen admirationi meritò fuit. Et ſane geniis, qui hoc poſtremo ſeculo claruerunt ſupra vulgus elatiſſimis accenſendus eſt, ingenii fœcundi, reconditæque eruditionis. Ejus Syſtema rite diſpoſitum: Doctrinæ ipſius concatenatio ad ejus ſcopum tendens, ejuſque ordo bene excogitatus deprehenditur.* De ejus Meditationibus Metaphyſicis, & de Methodo, hæc habet Iſaac Bullart. in Acad. Scient. Gall. *Meditationes ejus Metaphyſicæ ad ſeculi noſtri gloriam arguunt, neminem ante ipſum hoc argumentum (quod ſcil. Deus exiſtat, Animaque noſtra immortalis ſit) tam profunde, tam evidenter, tamque ſolide pertractaviſſe - - - - - Methodus ejus præclariſſima Europæ ingenia ſtupefecit, quæ argumentationibus Scholæ adſueta, ejus Axiomata prima fronte ægre quodammodo deguſtaverunt.*

De

De Tractatu de Homine ſic in Ephemer. Erudit. Gall. 5. Jan. 1665. *Hunc Tractatum uſque adeo confuſum reliquerat D. Carteſius, ut à nemine intelligi poſſet, niſi D. Clercelier ejus materiem ordine diſpoſuiſſet; eumdemque D. de Forge, & Guſcoven figuris illuſtraſsent*. P. Rapinus Animadverſ. in Phyſicam. §. 10. Gall. *Denique ut Genti noſtræ, & Carteſii memoriæ debitam laudem tribuamus, fateamur ejus Phyſicam, ſubtiliſſimis, & abſolutiſſimis recentioribus adnumerandam eſse. Curioſas ideas, & egregios mentis conceptus continet; cumque attentius eadem conſideratur, melius ordinatum Doctrinæ Syſtema, quam apud Galilæum, & apud Anglos, in ea reperitur: imo plus novitatis, & inventionis, quam apud Gaſsendum in ea occurrit. Verbo ut abſolvam, Opus hæc eſt, cujus ordo optime excogitatus eſt. Methodus ejus penitus eſt Geometrica, quæ à principiis ad principia, à propoſitionibus ad propoſitiones procedit*. Vide eundem in Philoſophiam §. 18. Tandem Buddeus in Hiſt. Phil. ſuccincta delineat. pag. 86. - - - - - - *Cùm nulla ſibi Secta Philoſophiæ arriſerit, ſepoſitis per dubitationem omnibus Philoſophorum opinionibus, ac rerum omnium veritatibus, novum plane ad certiſſimas, & evidentiſſimas Mechanicæ leges, quas optime callebat, ut ex ipſis fundamentis rite poſitis, Philoſophiæ Syſtema conſtruxit*.

Reliquum tamen eſt, ut de Carteſii Sectatoribus, & Oppugnatoribus, quædam hic breviter ſubnectamus. Buddeus l. c. p. 87. *Sectatores habuit Henricum de Roy, Danielem Lipſierpium, Adrianum Heerebord, Ludovicum de la Forge, Joh. Claubergium, Antonium le Grand, Tobiam Andreæ, &c. Oppugnatores Giſbertum Voëtium, Martinum Schoockium, Jacobum Revium, Cyriacum Lentulum, Joh. Schulerum, P. Gaſsendum, P. Poiret, Danielem Huetium, qui acrem in cum ſtrinxit cenſuram; cui Joh. Eberhardus Schwelingius, Andreas Pretermannus, & Joh. Schotanus ſe oppoſuerunt*. De Carteſii famæ, & doctrinæ detractoribus ita in Ephem. Erudit. Gall. 31. Jan. 1667. *Ultrajectini quidam Theologi Carteſium infamare moliti, publice ſcripſerunt; ejus Philoſophiam effreni vitæ favere, & ad Atheiſmum deducere. Nullo fundamento nitebatur ejuſmodi calumnia: nullus enim Philoſophus tantam adhibuit operam ad Dei exiſtentiam, & Animæ rationalis immortalitatem demonſtrandam; omneſque vitæ ſuæ actiones tam rite compoſuit, ut ejus mores Doctrinæ ſuæ conformes ſemper fuerint. Illum tamen in publicis Theſibus impietatis accuſarunt .... Sed criminationem prorſus diluit ampla Apologia, in qua apud Ultrajectinos Magiſtratus de iniquis judiciis in ſe latis conqueritur, &c.*

De Carteſii methodo, ac doctrina plerique non recte ſenſerunt P. Rapin. in Philoſoph. §. 18. *Verum quidem eſt illum dubitationem nimis docere, cujuſmodi exemplar imitandum ingeniis natura ſua incredulis haud apte proponitur*. Alex. Morus in Præf. præf. Euſeb. Chron. quamvis affirmet Carteſium commodius ac felicius Ariſtotele pleraque in Phyſicis explicaſſe, tamen confidentiſſime adjungit: *Nos laudamus Carteſium, Ariſtotelem admiramur. Abſit invidiæ dicto: non dicam centum, ſed compluria tamen ex ſummis ætatis noſtræ ingeniis in unum conflari oporteret, ut Ariſtotelem redderent*. Sam. Parker. in Diſp. 6. de Deo & provid. §. 16. *Carteſius omnia in dubium revocari voluit, ut ea ratione ſummam de omnibus certitudinem inveſtigaret: at exitu tam infelici, ut tandem magno ſudore, atque majori apparatu nihil, niſi ſe eſſe probaverit*.

Denique plura qui cupit de Carteſio, adeat ipſum in Epiſtolis ſuis, quibus Hiſtoriam vitæ, & Philoſophiæ ſuæ quodammodo nobis communicavit; ejuſque Vitæ Scriptores, Danielem Liſtorpium, qui Specimina etiam Philoſophiæ Carteſianæ tradidit: Chanutum, Galliarum Regis apud Svecos Legatum, & Car-

Digitized by Google

& Carteſii in Soccia amiciſſimum, qui ejus Vitam exaraſſe dicitur à Morhoſio Polyhiſt. lib. 1. c. 25. p. 316. quæ tamen adhuc in manuſcripto forte latet, nam nulli viſa, ut affirmat Jonſius: Joh. Tepelium, qui libellum de Vita, & Philoſophia Carteſii concinnavit, in quo Carteſii Hiſtoriam, Scripta, Philoſophiam, Oppugnatores, & Propugnatores, & ſummorum virorum ſuper hac Secta judicia enarrat, quibus ſuam etiam ἐπίκρισιν addidit: Petrum Borellium, Galliarum Regis Archiatrum, & Philoſophum, qui Compendium Vitæ Carteſianæ, ejuſque Operum Catalogum edidit: atque Adrianum Bailletum, Belgam Criticum inſignem, qui pleniſſimam Vitæ Carteſii deſcriptionem vaſto volumine compoſuit; quæ deinde brevior prodiit an. 1693. ſub tit. Vita Carteſii in Compendium redacta. De Carteſii verò Philoſophia præcipue egerunt Leibnizius; Sturmius, & d'Uties. Pro Carteſio Apologiam contexuit Claubergius. Contra Carteſii Philoſophiam ſcripſit Huetius, cui Regius, aliique ſe oppoſuerunt.

PHILOSOPHIÆ CARTESIANÆ EPITOME.

CUm recentiorem hanc Philoſophiæ Sectam per Europam fere omnem longe lateque diffuſam eruditi plurimi potiſſimum Mathematici amplexati ſint; eaque doctorum noſtri ævi ferme omnium mentes, & calamos vel oppugnata, vel propugnata defatigaverit; cumque non pauci vel aliarum ſcientiarum ſtudiis, curiſque variis pene confecti, in hujus Sectæ doctrinam incumbendi ocium non habeant; vel Carteſii Opera Philoſophica legendi, quod à Romano Indice prohibita ſint, jus amiſerint; operæ pretium me facturum eſſe exiſtimavi, ſi Philoſophicæ hujus Doctrinæ Epitomen ipſis ob oculos ponerem, & quæ à Carteſio, ejuſque Sectatoribus ſcripta ſunt, paucis enarrarem.

LOGICA, *SIVE* METHODUS.

PUtans Carteſius, regulas omnes, quas Scholaſtica Logica ad mentem in veritatum inquiſitione dirigendam ad ſtomachum uſque proponit, vanas, & inutiles eſſe; atque nonniſi ea per hanc Logicam nos edoceri, quæ ignorari non poſſunt; novam recte utendi Ratione, & veritatem in ſcientiis inveſtigandi Methodum excogitavit. Et quidem cum Logicæ munus ſit Mentem ad veritates inquirendas per rectam ratiocinationem dirigere; omnium Philoſophorum conatus is ſemper fuit, ut varias per Logicam regulas ad rectum rationis uſum traderent. Carteſius verò earum loco, quæ multæ ſunt in communi omnium Logica traditæ, ad tres Mentis operationes, ſimplicem ſcil. Perceptionem, Judicium, & Ratiocinationem pertinentes, quatuor tantùm, ſed ſimpliciſſimas, & intellectu facillimas proponit in ſua Diſſertatione de Methodo, ubi ait: *Sic pro immenſa iſta multitudine præceptorum, quibus Logica referta eſt, ſequentia quatuor mihi ſuffectura eſſe arbitratus ſum, modò firmiter, & conſtanter ſtatuerem, ne ſemel quidem ab illis toto vitæ meæ tempore deflecterem*. His tamen regulis præmittendum duxi, quid, & quotuplex Methodus ſit breviter explicare

Μέθοδος, *Methodus*, quæ aliàs dici poſſet Via compendioſa, vel Ratio diſcendi, & docendi, eſt *Ars bene diſponendi ſeriem plurimarum cogitationum vel ad veritates ignotas inveniendas, vel notas aliis demonſtrandas*. Atque hinc Methodus duplex eſt, altera, quæ veritates ignotas inveſtigat, & dicitur Ἀνάλυσις, *Analyſis*, ſive *Methodus reſolutionis*, ab ἀναλύω, reſolvo: altera, quæ inventas docet, ac Σύνθεσις, *Syntheſis*, ſivè *Methodus Compoſitionis* vocatur,

catur, a συντίθημι, Compono. Analyſis eſt *Particularis applicatio mentis ad id, quod magis notum, & particulare in quæſtione eſt, ipſam ad ignotum uſque ſucceſſive ducens*. Ad rectam Analyſin inſtituendam has tantum 4. Regulas ſibi ſufficiſſe, atque aliis etiam ſuffecturas ait loc. cit.

Primum erat, ut nihil unquam veluti verum admitterem, niſi quod certò, & evidenter verum eſſe cognoſcerem; hoc eſt, ut omnem præcipitantiam, & anticipationem in judicando diligentiſſime vitarem; nihilque amplius concluſione complecterer, quàm quod tam clare, & diſtincte rationi meæ pateret, ut nullo modo in dubium poſſem revocare.

Alterum, ut difficultates, quas eſſem examinaturus, in tot partes dividerem, quot expediret ad illas commodius reſolvendas.

Tertium, ut cogitationes omnes, quas veritati quærendæ impenderem, certo ſemper ordine promoverem: incipiendo ſcil. à rebus ſimpliciſſimis, & cognitu facillimis, ut paulatim, & quaſi per gradus ad difficiliorum, & magis compoſitarum cognitionem aſcenderem; in aliquem etiam ordinem illas mente diſponendo, quæ ſe mutuò ex natura ſua non præcedunt.

Ac poſtremum, ut tum in quærendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis, tam perfecte ſingula enumerarem, & ad omnia circumſpicerem, ut nihil à me omitti eſſem certus.

Præcipitantiam appellat Carteſius illud mentis vitium, quo illa ſtatim de rebus judicat, priuſquam ſcil. illas, quæ ei offeruntur, examini ſubjecerit. *Anticipationem* verò, ſeu *Præoccupationem*, *Præjudicium*, & *Præventionem*, alterum mentis vitium, quo illa non minus opinionibus, quæ à falſo principio dependent, acquieſcit, quàm ſi ex indubitabili axiomate illud deduxerit. Quod Anticipationis vitium his regulis vitandum docet; ſi ſcil. nihil certum eſſe credamus, vel quia id à præceptoribus didicimus: vel quia communiter id omnes credunt: vel quia ab infantia ei fidem præſtitimus: vel quia ex principio ſuppoſito id verum credimus, quod nunquam examinatum eſt: vel denique, quia rei ob id ſolum, quod nova ſit, fidem præſtamus.

Syntheſi, ſeu Methodo Compoſitionis utimur ad veritates per Analyſin inventas, & jam nobis notas, aliis tradendas. Hæc verò in hoc præcipue conſiſtit, ut ab eo, quod magis ſimplex, & generale in quæſtione eſt, ad minus generalia, & compoſita, ordine progrediamur. Quæ Methodus Geometris familiariſſima eſt in Demonſtrationibus, in quibus ea, quæ maximi momenti ſunt ex notis, & cognitu facillimis principiis per ſimplicium veritatum catenam deducunt. Sed his de duplici Methodo adnotatis, reliqua in Carteſii Methodo contenta ſummatim enarremus.

Breves Moralis Scientiæ regulas ex hac Methodo depromtas exponit. Argumenta item, quibus Dei, & Animæ noſtræ exiſtentia demonſtrari poſſit. Sed quia hæ primæ ſunt Metaphyſicæ Veritates, de iis mox in Metaphyſica.

Quæſtiones quaſdam Phyſicas à ſe inveſtigatas ordine enunciat; ubi de motu cordis, atque aliis ad medicinam ſpectantibus, & de differentia inter animam noſtram, & brutorum. Ubi variis argumentis probat, bruta animantia nullam prorſus animam rationis alicujus capacem habere, ſed eſſe mera automata, machinas ſcil. perfectiſſimas à Deo fabricatas, in quibus ex varia ſuorum organorum diſpoſitione ad hanc, vel illam occaſionem varios & mirabiles edit natura motus. Tandem proponit quid requiratur ad ulterius philoſophandum; & rationes, quæ ipſum ad ſcribendum impulerint.

ME-

Digitized by Google

METAPHYSICA.

NOtandum primò, Veritatis Κριτήριον, *Criterium*, quod Cicero latine vertit Judicium, non ad ſolum ſenſum cum Epicureis, nec ad ſolam rationem cum Platonicis, ſed ad utrumque cum Potamo ſpectare; de quo ſic bene Suidas: *Duo ait Potamus eſſe inſtrumenta cognoſcendi verum*; *unum quidem eſt illud, à quo fit judicium, hoc eſt, Mens ipſa, quæ primatum in animo tenet*; *alterum eſt, per quod fit judicium, ut certiſſimum viſum*. Imò potius ſenſus non ut rerum judices nobis dati ſunt, ſed ut miniſtri, per quos res, non quales in ſe ſint, ſed prout noſtræ conſervationi vel conferant, vel noceant, dignoſcamus. Senſuum igitur eſt non de rebus judicare an ſint, ut videntur, nec ne, ſed menti repræſentare, adeſſe objecta, quæ talem efficiunt ideam.

Notandum ſecundò, Veritatis Χαρακτῆρα, *Characterem*, ſeu ſignum veritatis certum, & indubitatum, eſſe *Evidentiam*; omne enim, quod clare & diſtincte percipitur, ſeu de quo dubitari nequit, verum eſt. Quod conſonare etiam videtur ſententiæ Theophraſti, qui ad ferendum judicium in omni perceptione Evidentiam ſupponit. Verùm ad vitandos errores in veritatis inquiſitione, hoc cavendum monet Carteſius, ne Voluntatem, quæ nullis terminis circumſcribitur, Intellectus limites, qui certi, & determinati ſunt, exſilire patiamur; atque ita ab omni judicio ferendo, quod voluntatis eſt, abſtinendum, donec res ab Intellectu clare, & diſtinctè concipiatur.

Notandum tertiò, veritatem inquirenti ſemel in vita, quantum fieri poteſt, de omnibus eſſe dubitandum. Quod Carteſius hauſiſſe videtur ex doctrina Ariſtotelis, qui 3. Metaphyſ. titulum inſcripſit: *De Utilitate dubitandi, & de quibus primum dubitare oportet*; & Divi Auguſtini, qui lib. de Spir. & Anim. ait: *Removeat ergo à conſideratione ſua omnes notitias, quæ per corporis ſenſus extrinſecus accipiuntur. Quæ namque corporalia ſunt, eorumque ſimilitudines ſenſus, & imaginationes in memoria infixæ, cum recordando reminiſcuntur, ad exteriorem hominem pertinent. Mens ergo, &c.* Hanc tamen Dubitationem non eſſe referendam ad uſum vitæ, ſed ſolam veritatis contemplationem, ne antequam dubiis exuamur, agendi occaſio præteriret, exiſtimat.

Ex hac, quam ſibi finxit, de rebus omnibus dubitatione Carteſius primam hanc veritatum omnium Metaphyſicarum educit: *Cogito, ergo ſum*. Repugnat enim, id, quod cogitat, & ipſo tempore, quo cogitat, non exiſtere. Ac proinde hæc cognitio *Ego cogito, ergo ſum*, eſt omnium prima, & certiſſima, quæ cuilibet ordine philoſophanti occurrat. Quod ex Divo Auguſt. ad Evodium deſumtum videtur, ubi ait: *Cùm utique non eſſes, omnino falli non poſſes*. Si igitur, pergit Carteſius, ſum, quia cogito, Mentis humanæ eſſentia in Cogitatione conſiſtit, & à Cogitatione ejus pendet exiſtentia; tandiu enim eſt, quandiu cogitat. Quare Mens eſt *Res Cogitans, ſive Cogitatio in ſe ipſa exiſtens*. Quod apte nimis expreſſit Divus Auguſt. lib 2. ad Evodium, ubi ait: *Cùm ſe noſſe Mens quærit, Mentem ſe eſſe jam novit*. Et lib. 4. de Orig. Anim. *Nihil mihi legis affer, ut vivere me ſciam; habet enim mea natura, ut hoc neſcire non poſſim*. Cogitationis autem nomine intelligit ea omnia, quæ nobis conſciis in nobis fiunt, quatenus eorum conſcientia in nobis eſt: ſicque non modò intelligere, velle, imaginari, ſed etiam ſentire, hoc ſenſu acceptum, cogitare eſt.

Quamvis autem Mens humana etiam *Spiritus, & Anima* vocari ſoleat; ſi tamen hæ voces rigoroſe ſumantur, variam habent ſignificationem. Et quidem *Mentem* dicimus, cùm ejus eſſentiam denotamus, prout ſcil. eſt res Cogitans: *Spiritum* verò, cùm ejuſdem eſſentiam, & exiſtentiam ſignificamus,

rem ſcil. Cogitantem in ſe ipſa exiſtentem : *Animam* denique , cùm ejus relationem ad corpus humanum , cui juncta eſt , exprimimus . Quod etiam Divus Auguſt. (cujus Philoſophiæ Carteſianam conſonare in omnibus Carteſiani putant) advertit lib. de Spir. & Anim. c. 34. ajens : *Non aliud ſignifico , quam Animam, cum Mentem dico ; ſed propter aliud Animam , & propter aliud Mentem ; nam totum , quod homo vivit , hominis Anima eſt ; cùm verò Anima in ſe agit ſe , & ex ſe, & per ſe, ſola Mens dici ſolet.*

Mentis Exiſtentia , & *Natura* ſic probatis , ad alias Metaphyſicas veritates inveſtigandas ita Geometrico quodam ordine procedit . *Extra mentem res alias exiſtere* , quæ illi per varios cogitandi modos , quos Ideas appellat , repræſentantur, ut probet , hoc utitur ratiocinio . Si ideæ (Adventitias intellige ; nam Fictæ tales ſunt in ſe , quales à nobis finguntur , ut idea Sirenis ; & Innatæ ſemper veræ ſunt , etiam relatæ ad objecta , nam naturali lumine cognoſcuntur, ut idea cogitationis, veritatis , &c.) quæ mihi res extra me poſitas repræſentant , conſiderantur in ſeipſis , prout ſcil. modi noſtræ cogitationis ſunt , & tunc omnes veræ ſunt : æque enim verum eſt , me has , quam illas ideas habere . Vel conſiderantur relatæ ad objecta , quæ repræſentant , & tunc in ipſis error eſſe poteſt . Quod idem eſt , ac dicere , ideas omnes duo in ſe includere , Formale , ſeu Proprium (liceat hìc , & alibi ſæpe Philoſophicis uti communibus verbis , etſi non Latinis) quatenus ſunt mentis operationes : alterum Objectivum , ſeu Vicarium , quatenus ſunt rei cogitatæ imagines , ſive quatenus ſunt vice illius : atque hoc ſenſu idea nihil aliud eſt , quam res ipſa percepta , ſive cogitata , prout eſt objective in intellectu . Hæ autem ideæ Adventitiæ vel ex ſeipſis ſunt , nullamque ſui cauſſam agnoſcunt , vel ab alia cauſſa procedunt . Non à ſeipſis ; nam ſi conſiderantur prout ſunt modi cogitationis , à mente producuntur ; ſi verò relatæ ad objecta , quæ repræſentant , tunc ut effectus neceſſario aliquam cauſſam ſupponunt . Hæc cauſſa vel ipſa mea mens eſt , ſive aliqua facultas producendi in me has ideas , vel cauſſam extra me poſitam dicendum eſt . Non ipſa mens mea eſt , nam etiam invitus ideam frigoris , caloris, &c. habeo , ergo à cauſſa extra me dependent . Firmiori etiam hoc argumento rerum externarum exiſtentiam probat . Hæ ideæ adventitiæ relatæ ad objecta , quæ repræſentant , variæ , & ab invicem diverſæ ſunt . Quæ enim ſubſtantias mihi exhibent , majus quid eſſe , & plus realitatis , ſive perfectionis objectivæ repræſentant , quàm illæ , quæ modos exhibent : ſicque majorem realitatem objectivam habebit , quæ Deum infinitum , quàm quæ ſubſtantiam finitam repræſentat . Per realitatem verò objectivam ideæ intelligitur entitas rei repræſentatæ per ideam , quatenus eſt in idea ; eodemque modo dici poſſet perfectio objectiva , & artificium objectivum . Notum etiam cuique eſt Philoſophicum illud Axioma : Nihil eſt in effectu , quod non contineatur in cauſſa formaliter , vel eminenter . Quibus poſitis , ſic ſuum proſequitur argumentum Carteſius . Hæ Ideæ non ſunt nihil , nam nihili nullam habemus ideam ; non ex nihilo , nam nihili nullæ ſunt proprietates ; ergo ſunt ex aliqua cauſſa extra me poſita . Neceſſe tamen eſt , ut ſaltem tantumdem realitatis formalis contineatur in cauſſa idearum , quantum realitatis , ſive perfectionis objectivæ continetur in ideis : ſi enim aliquid in ideis ponatur , quod in earum cauſſis non fuerit , id eſſet ex nihilo . Naturali igitur lumine evidenter perſpicuum eſt , me non eſſe cauſſam idearum , ſed aliam extra me ſitam , quæ formaliter , vel eminenter , vel ſaltem objective , omnes idearum perfectiones valeat continere .

Dei Exiſtentiam , & *Naturam* , quam tertiam Metaphyſicam veritatem ex ficta dubitationis ordine deducit, his probat argumentis . Ex ideis rerum exiſten-

ſtentium illa una innata mihi eſt, quæ Ens ſumme perfectum, Deum ſcil. repræſentat. Unde eleganter Plato de Rep. ait: *Idea ſummi Boni eſt perfectiſſimum cognoſcibilium, cauſſa omnis veritatis, ſine cujus cognitione nulla eſt bona operatio*. Sed cùm hæc idea neque ex nihilo, neque à me ipſo poſſit produci; neceſſariò ſequitur, Ens ipſum ſumme perfectum exiſtere, à quo hæc idea, tanquam à cauſſa efficiente, producatur. Cum autem neceſſe ſit, ut quantum realitatis objectivæ eſt in ideis, tanquam in effectu, ſaltem tantundem ſit realitatis formalis in cauſſa idearum, clariſſime naturali lumine educitur, hoc Ens ſumme perfectum exiſtere, cujus ſummarum perfectionum ideam habeo. II. Ex idea imperfectionis ideam perfectionis, ac proinde Entis ſumme perfecti ſic educit. Idea imperfectionis ab idea perfectionis dependet; omnis namque idea privationis dependet ab idea poſitivi: ergo ſi ſubſtantias omnes, ſive corporeas, ſive incorporeas imperfectas agnoſco, aliquod Ens dari debet, quod his omnibus careat imperfectionibus, & contra contineat omnes in ſe perfectiones, quarum prima, & maxima, exiſtentia eſt. Imò videtur prior quodammodo idea Entis ſumme perfecti, quam cujuſque Entis imperfecti, cum prior ſit idea poſitivi, quam privativi. III. Probatur Deum exiſtere ex eo, quod ego jam exiſto: meam autem exiſtentiam ſatis ſupra probavi. Si ego à me exiſterem, dediſſem mihi omnes perfectiones, quarum prima, & maxima eſt exiſtentia, ac proinde non dubitarem, non optarem, non errarem, omnia ſcirem, &c. ergo ſum ab alio. Si ab alio, vel hic ab alio non dependet, & Deus eſt; nam ſi habet poteſtatem à ſe exiſtendi, quod majus eſt, habet etiam poteſtatem dandi ſibi omnes perfectiones, quod minus eſt. Vel ab alio dependet, & de hoc rurſus quæro, an à ſe exiſtat, vel non: & ne ad infinitum procedatur, veniendum ad Ens ſumme perfectum, quod à ſe ſit. Atque hæc ſunt tria illa argumenta, quibus Carteſius Dei exiſtentiam probavit.

Si quis tamen objiciat, nos ad cognitionem Entis infiniti non poſſe pervenire, niſi per ideam infinitam, quod eſt impoſſibile, cum mens noſtra finita ſit; Reſpondendum ait, mentem noſtram non per ideam infinitam abſolutam Deum cognoſcere, quam Deus ſolus, qui infinitus eſt, habet, per quam ſcil. omnes infinitæ Dei perfectiones, ut in ſe ſunt, comprehenduntur; ſed per ideam infinitam reſpectivam, quæ ſcil. repræſentet nobis omnes perfectiones Subſtantiæ infinitæ, ſed eas omnes, quas mens in Ente infinito concipere poteſt. Nunc enim videmus, & cognoſcimus Deum tanquam *per ſpeculum in ænigmate, illic autem videbimus eum, ſicuti eſt;* quæ Pauli Apoſtoli verba ſunt. Atque hinc etiam ſit, ut Deus per ſuas perfectiones deſcribi quidem quodammodo poſſit, definiri non poſſit, cum incomprehenſibilis ſit, ac genus, & differentia in eo dari nequeant.

Quod attinet ad hæc, P. Malebranche de Inquirenda Veritate lib. 3. c. 7. quamvis Carteſii ceteroqui ſectator, negans, poſſe Ens infinitum, immenſum, & univerſale, percipi per ideam, hoc eſt, per ens ſpeciale, per ens differens ab Ente univerſali, & infinito, aſſerit, Deum videri per ſeipſum; imò & ipſum ſolum ſic videri poſſe, quia ſolus mentem penetrare, & ipſi ſe prodere poteſt. Solùm igitur Deum, qui per propriam ſuam ſubſtantiam mentem illuminat, mentem videre, ait, viſu immediato, & directo; reliqua verò omnia in ipſo videre per unionem, quam cum ipſo habet: ut fuſius apud cit. Malebranche.

Corporis Exiſtentiam, Naturam, & realem à Mente Diſtinctionem ſic probare conatur Carteſius. Dixi, probare conatur, nam Metaphyſica hæc veritas probatu perquam difficilis putatur, ut advertit cit. P. Malebranche l. 1. c. 10. & alibi, licet hæc veritatum omnium certiſſima ſit, quia quidquid cor-

pus

pus eſt, per ſenſus clariſſime cognoſcitur; verùm non clariſſime probatur; ſenſus enim, ut ſupra notavimus, veritatis judices non admittuntur. Sed ad probationes. Mens non ſolùm per Puram Intellectionem ideas habet, de quarum objectis, quod vere exiſtant, jam amplius dubitare non licet; verùm etiam per Imaginationem, & Senſationem ideæ in ipſa excitantur. Harum idearum prima, & notior ea eſt, quæ Extenſionem in longum, latum, & profundum mihi repræſentat. Sed non ex hoc ſolùm, quod ſit in me talis idea, concludere poſſum, hanc Extenſionem extra me vere exiſtere. Pro cujus veritatis inquiſitione hac utendum Analyſi. Præter ea, quæ ad probandam exiſtentiam rerum extra mentem ſupra ſunt dicta, & quæ ad hanc veritatem probandam plurimum faciunt, quæri poſſet hic, cur hæc idea Extenſionem potius, quam aliud quid mihi repræſentat? nempe quia ſic à ſua cauſſa, à qua determinatur, procedit; omnis enim effectus ſuam cauſam ſupponit. Hæc cauſſa vel ego ſum, vel Deus, vel ipſa Extenſio. Non ego, quia hæc Extenſionis idea nullam plane intellectionem præſupponit, in qua mea natura poſita eſt. Inſuper cùm in me ſint quoque ideæ repræſentantes quaſdam alias Extenſionis facultates, ut locum mutandi, varias figuras induendi &c. ſi hæ ideæ ſubſtantiæ modi ſunt, manifeſtum eſt, nonniſi in ſubſtantia corporea, ſive extenſa ineſſe debere, non autem in ſubſtantia intelligente, cùm nulla intellectio, ſed aliqua potius extenſio in ipſarum claro conceptu contineatur. Eſt igitur in me paſſiva quædam facultas ſentiendi, ſive ideas rerum ſenſibilium percipiendi: ergo neceſſariò dari debet facultas activa, quæ earum cauſſa ſit. Hæc activa facultas vel in me eſt, vel in Deo, vel in Extenſione. Non in me, tum quia mens mea continere nequit omnes illas proprietates, quas Extenſionis idea formaliter continere debet; omnis enim cauſſa formaliter continere debet omnes effectûs proprietates: tum etiam quia ſæpe me non cooperante, imo etiam invito, hæ ideæ in me repræſentantur. Quomodo inſuper mens unquam poterit ex ſe earum rerum ideam producere, quarum cognitio, cùm in cognitione, & poteſtate ſuæ naturæ non ſit, nullimode ab ipſa dependet? Non Deus, vel aliqua creatura corpore perfectior Extenſionis ideam in me producere poteſt, corpore, ſive Extenſione actu non exiſtente: nam ſi Deus, vel alia quævis creatura hanc ideam mihi immediate immitteret, fallax eſſet, quod de Deo impium, & ἀλογον eſt cogitare; hæc namque idea non corpus, ſed nihil repræſentaret.

Contra tamen hypermetaphyſicus P. Malebranche de Inquir. Verit. lib. 3. c. 1. art. 2. has rationes nihil certi demonſtrare dicens, aſſerit, nos omnia in Deo videre per unionem, quam habemus cum hoc Ente perfectiſſimo, quod rerum omnium creatarum perfectiones, continet; hoc eſt, nos in una Dei idea videre quæ in ipſo ſunt, quæ tamen ipſe vult nos videre. Atque hoc ſenſu Deus non ſolum prima, ſed etiam immediata cauſſa idearum eſſet.

Supereſt igitur, ut res corporeæ omnino exiſtant, quæ per ſenſuum organa nonniſi mediis ideis à mente percipiuntur. Quæ veritas in hoc potiſſimum ſita eſt, quod proprietas idearum repræſentandi potius hanc rem, quàm illam, neceſſariò ſupponit objectum actu exiſtens, quod omnes proprietates, quas ideæ repræſentant, formaliter debet continere. Neque dicas exinde deduci, etiam ideam Chimæræ habere pro objecto Chimæram actu exiſtentem. Nam Idea Extenſionis naturalis eſt, clara, & à mea mente independens, ut omni mentis conatu illam deponere non poſſim; contra verò idea Chimæræ artificialis eſt: omnes autem ideæ artificiales à naturalibus formantur per additionem, detractionem, &c.

Atque hinc colligit Carteſius, *Corporis Naturam in Extenſione in longum,*

Digitized by Google

gum, *latum*, *& profundum* conſiſtere: hæc enim eſt, quæ primo adſpectu in corporis idea repræſentatur, hæc omnium primò menti occurrit; imo hæc vere eſt, quæ ejus eſſentiam conſtituit: poſſumus namque corpus ſine motu, quiete, figura, colore, &c. concipere; non poſſumus verò nec etiam mente à corporis conceptu conceptum Extenſionis ſeparare.

Ad hæc verò P. Malebranche de Inquir. Verit. lib. 3. c. 7. art. 4. ait, Corporis Naturam perfectius cognoſci, quàm Mentis, quamvis diſtinctius cognoſcamus exiſtentiam Mentis noſtræ, quàm corporis noſtri, ac reliquorum. Idque ex hoc, quia Corpora videmus per proprias ideas, quæ omnes proprietates rerum, quas repræſentant, includunt; ſecus verò noſtram Mentem, quam nec per propriam ideam, nec in Deo videmus, ſed per propriam conſcientiam cognoſcimus; atque hinc cognitio, quam de illa habemus, eſt imperfecta, quia id tantùm de Mente noſtra ſcimus, quod ſentimus agi in nobis. Contra hæc Malebranche de Ideis vide Arnald. De ver. & falſ. Id.

Denique *Mentem*, *& Corpus realiter diſtingui* ſic probat: Illa realiter diſtinguuntur, quorum unum ſine alio clare & diſtincte concipi poteſt, ſive quorum non una, ſed diverſa eſt natura: ſed Mentem ſine Corpore clare & diſtincte concipio, quia Mentis natura in Cogitatione, Corporis in Extenſione reponitur: Ergo Mens, & Corpus duo ſunt realiter diſtincta.

Unio Mentis cum Corpore, *& cum Deo*, in quo conſiſtat, res quidem ut cognitionum omnium pulcherrima, jucundiſſima, & maxime neceſſaria, ita omnium minus explicari, imo & percipi poteſt. Hinc Divus Auguſtinus eam vocat mirabilem, ineffabilem, incomprehenſibilem in pluribus Operum ſuorum locis, præcipue de Civ. Dei lib. 21. c. 10. ubi: *Modus*, *quo corporibus adhæret Spiritus*, *& animalia fiunt*, *omnino mirus eſt*, *nec comprehendi ab homine poteſt*, *& hoc ipſe homo eſt*. Ut autem arctiſſima hæc Mentis cum Corpore Unio, per quam unum id efficitur, quod homo appellatur, à Carteſianis explicetur, notandum monent 1. veram unionem non eſſe, niſi inter res realiter diſtinctas, hoc eſt inter duas ſubſtantias: unde ſequitur, omnem veram unionem eſſe vel inter Corpus, & Corpus, vel inter Mentem, & Mentem, vel inter Mentem, & Corpus. Notandum 2. omnem veram unionem conſiſtere in mutua dependentia rerum unitarum inter ſe; quæ dependentia in attributis relativis reponitur. Sic Corpus Corpori unitur per mutuum ſuperficiei contactum: duæ Mentes unitæ tandiu ſunt, quandiu cogitationes unius à cogitationibus alterius dependent: Corpus denique, & Mens unita dicuntur, cum Motus illius ab hujus cogitationibus, & hujus cogitationes à mentibus illius dependent.

Quibus notatis, è Carteſianis Sylvanus Regis in ſua Metaphyſica ait, hanc mutuam, arctiſſimamque Spiritus cum Corpore Unionem conſiſtere in mutua, & actuali dependentia omnium cogitationum Mentis ab aliquibus Corporis motibus, & motuum Corporis quorundam ab aliquibus cogitationibus Mentis. Cujus etiam ſententiæ fuiſſe videtur Claubergius, qui hujus Unionis eſſentiam ponit in actuali concurſu, & commercio ſuarum operationum. A quibus hoc tantum differt Ludovicus de la Forge in ſuo eruditiſſimo Tractatu de Mente Humana c. 13. quod hanc Unionem ipſe ponat non in actuali, ſed tantum mutua, ac reciproca dependentia cogitationum unius à motibus alterius; & vice verſa: & in mutuo commercio actionum, paſſionumque ſuarum, ſive ipſa Voluntas Mentis, quæ unita eſt, ſit cauſſa hujus dependentiæ, ſive alia Voluntas, ipsâ ſuperior. Idem de la Forge poſtquam rerum omnium unionem quæſivit in attributis relativis, aut reſpectivis; omniaque nonniſi per actionem, & paſſionem uniri dixit, ſubdit, hujus Unionis vinculum Voluntatem eſſe; ſic enim

loc.

Digitized by Google

loc. cit. *Præterea invenio conjunctionem localem pro vinculo; quod inter corpora locum habet; quæ ea reddit capacia agendi, & patiendi dependenter à ſe mutuò; amorem pro vinculo duarum mentium; & poſtremo Voluntatem pro unione Mentis, & Corporis, quatenus hæc Voluntas extra ſuum ſubjectum procedit per ſuas operationes*. Unde dici poſſet Anima eſſe in Corpore, ut Deus eſt in Univerſo; ut enim hic per ſuam Voluntatem omnia movet, & agit, ita Anima per ſuam Voluntatem movet Corpus, cui unitur. Doctiſſimus P. Malebranche de Inquir. Verit. lib 2. part. 2. c. 3. hæc habet: *Unio Mentis cum Corpore, quantum quidem illam cognoſcere poſſumus, conſiſtit in mutua, & naturali analogia, &, ut ita dicam, correſpondentia cogitationum Mentis cum veſtigiis cerebri, & affectuum Mentis cum motibus ſpirituum*. Sunt & alii inter Carteſianos, qui ajunt, fœdus illud Mentis, & Corporis fieri ope alicujus modi, quem appellant Unionem, qui glutinis inſtar has duas ſubſtantias connectat. Sed quid nomine hujus modi, quem Unionem vocant, intelligant, jam ſatis non explicant.

Cauſſa verò hujus Unionis vel Corpus, vel Anima, vel utraque ſimul, vel Ens ipſis ſuperius, hoc eſt, Deus eſſe debet. Non in Anima, nec in Corpore ſolum, nam etſi utraque ſatagant ipſam conſervare, tamen diſſolvitur. Non in utriſque ſimul, nam cum hæc Unio ipſis accidentalis ſit, neceſſariò à cauſſa exteriori procedere debet, quæ nonniſi Deus eſſe poteſt, qui per ſuam voluntatem id fecerit. Neque objicias, quod inde ſequeretur, hanc Unionem fore indiſſolubilem, cum Dei voluntas immutabilis ſit; Deus enim nonniſi prima, & mediata cauſſa hujus Unionis eſt; immediata verò, & ſecunda ejus cauſſa ſunt corporis organa; quæ quia eſſentialiter obnoxia ſunt mutationibus, ideo hæc Unio diſſolvi poteſt. Deus igitur Mentem creavit, & per ejuſdem Mentis voluntatis vinculum hac lege Corpori junxit, ut ex quibuſdam corporis motibus quædam excitarentur in Mente paſſiones, ſive cogitationes, & contra talibus Mentis cogitationibus tales Corporis motus reſponderent.

Unio Mentis cum Deo modo longe ſtrictiori, & magis eſſentiali; quàm cum Corpore eſt, nam *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus*, ut eſt his verbis optime expreſſum in Act. Apoſt. 17. 28. quæ veritas claro etiam mentis viſu percipitur. Hæc tamen Mentis unio cum Deo non ejuſmodi eſt, ac duarum mentium; non enim illa, ſicut & iſta, neceſſariam, ac mutuam rerum unitarum dependentiam importat: Mens namque Corpori quidem per unionem Phyſicam, quæ in mutua dependentia agendi, & patiendi invicem conſiſtit, Deo verò per unionem Moralem conjungitur, in qua mutua illa dependentia non eſt. Homo itaque etſi Deo unitus, libere tamen agit; Deus autem libere magis, & ab homine prorſus independenter. Eſt igitur hæc Unio in eo repoſita, quod nos arctiſſime Deo, ut effectus ſuæ cauſſæ, uniamur, quatenus in ipſo ſimus, & exiſtamus dependenter ab ipſo; non verò contrà.

Ex ipſa Animæ natura jam ſupra conſiderata, quod Subſtantia Spiritualis ſit, ſive res cogitans, in ſe ipſa exiſtens, clariſſime etiam ejus *Immortalitas*, educitur. Quod vel hoc argumento aperte demonſtratur. Si deſtrui poſset, vel à ſe ipſa, vel ab alia ſubſtantia creata deſtrui deberet. Non à ſeipſa, nam, ut apud Philoſophos axioma eſt, omne tendit ſemper ad ſui conſervationem, nunquam verò ad ſui deſtructionem. Non ab alia ſubſtantia creata, anima enim conſiderata ſecundùm ſuum eſse abſolutum ſubſtantia eſt: ſed de ſubſtantia eſſentiale id eſt, ut exiſtat independenter ab aliis; ergo ab aliis ſubſtantiis creatis, à quibus independenter exiſtit, deſtrui nequit. Si igitur neque à ſe, neque ab aliis ſubſtantiis creatis deſtrui poteſt, eſt Immortalis. Neque à Subſtantia Increata, hoc eſt, à Deo deſtrui poteſt, modò de ordinaria, non de extraordi-

naria

naria Dei poteſtate id intelligatur. Vide etiam D. Auguſt. de Immort. Animæ, & Epiſt. 5. ad Voluſianum.

Tres vulgo Facultates Animæ tribuunt, *Intellectum*, *Memoriam*, *& Voluntatem*; duas tantum Carteſius, *Intellectum*, *& Voluntatem*: Memoriam enim ad Intellectum reducit: nam ſive præterita, ſive præſentia, ſive futura Anima cogitet, ſemper æque cogitare, & percipere eſt; nec reminiſci aliud eſt, quam cogitare, vel imaginari præterita. Cujus ſententiæ fuiſſe etiam dicitur Divus Auguſt. lib. de Spir. & Anim. c. 7. ubi ait: *Sunt enim duo in Anima, & ſunt id, quod Anima, Naturalis ſenſus cognoſcens omnia (ſive Intellectus) & dijudicans inter omnia (hoc eſt Voluntas) naturalis effectus, &c.* Et de Metaphyſica ſatis.

PHYSICA.

Carteſius Princip. Philoſophiæ parte 2. art. 64. Phyſicæ Principia non alia admittenda, vel optanda eſſe docuit, quàm quantitatem. Ibi enim ipſe poſtquam in diſcipulis ſuis Geometriæ aliquam notitiam, vel ſaltem ingenii aptitudinem ad Mathematicas demonſtrationes intelligendas ſuppoſuit, hæc ſubdit: *Nam plane profiteor, me nullam aliam rerum corporearum materiam agnoſcere, quàm illam omnimode diviſibilem, figurabilem, & mobilem, quam Geometræ Quantitatem vocant, & pro objecto ſuarum demonſtrationum aſſumunt; ac nihil plane in ipſa conſiderare præter iſtas diviſiones, figuras, & motus: nihilque de ipſis verum admittere, quod non ex communibus illis notionibus, de quarum veritate non poſſumus dubitare, tam evidenter deducatur, ut pro Mathematica demonſtratione ſit habendum.*

Sua in philoſophando Methodus talis eſt. Quum corporis alicujus particularis naturam demonſtrare vult, primò omnes illius effectus conſiderat, ut ex ipſorum conſideratione ad eorum cauſſas cognoſcendas facilius poſſit pervenire. Sed quia ad cauſſarum notitiam difficile pervenimus, niſi quaſdam Hypotheſes efformemus; in corpore, cujus jam effectus examinavit, talem figuram, talem magnitudinem, talemque partium diſpoſitionem ſupponit, quæ clariſſime videat relationem quandam neceſſariam habere cum effectibus, à quibus dependent, ut poſſit inde concludere, corporis illius naturam in tali magnitudine, tali figura, ac tali partium diſpoſitione conſiſtere. Debent autem omnes, quæ in Phyſica efformantur, Hypotheſes ita à ſe invicem, & omnes à primis veritatibus pendere, ut unum inde Syſtema efficere videantur.

Primæ in Phyſica Veritates, à quibus, juxta Carteſium, reliquæ omnes pendent Phyſicæ Veritates, ſunt: *Eſt quædam natura Corporea, quæ in ſeipſa exiſtit: Hæc, conſiderata ſecundum Magnitudinem, idem eſt, ac Quantitas: Hæc Quantitas ex ſui natura diviſibilis eſt, & actu diviſa per motum localem: Motus localis nonniſi certis quibuſdam legibus perficitur: Secundum has leges partes Quantitatis varias figuras receperunt: Demum ſecundum varias has figuras corpora phyſica, ex his compoſita, capacia ſunt producendi varios effectus.*

Corporis, ſeu Quantitatis Eſſentia, ſive Natura in Extenſione in longum, latum, & profundum conſiſtit. Si enim rei cujuſque natura per illud ejus eſſentiale attributum conſtituitur, quod illi omni, ſoli, & ſemper competit; & quod omnium primo in ipſius conceptu veniat, ac quod ab alio non dependeat, ſed ab ipſo dependeant omnia; ex omnibus Quantitatis attributis eſſentialibus Extenſio ſola eſt, quæ ejuſmodi ſit: nam licet Impenetrabilitas, Diviſibilitas, & Figura etiam Quantitatis Attributa Eſſentialia ſint,

eique omni, ſoli, & ſemper competant; non tamen primo adſpectu in Quantitate veniunt conſideranda; Extenſionis enim idea nec mente quidem ab idea Quantitatis ſeparare poſſumus, contra verò reliquorum ideam ab idea Quantitatis poſſumus ſeparare.

Quantitas, *Corpus*, *Materia*, re quidem idem ſunt. Hæc eſt omnis Phyſices illius Principium. Hæc etiam à quibuſdam *Materia Prima* dicitur, quatenus conſideratur ut ſubjectum omnium formarum, & modorum. Omnes autem formæ reſpectu Materiæ per eum ſunt accidentales, & nullæ dari poſſunt formæ ſubſtantiales, licet ratione compoſiti eſſentiales vocari poſſunt. Hinc omnes formæ ſunt materiales, & invicem tranſmutari poſſunt. Materia omnis conſiderata ſecundum ſuas partes, per quas metiri eam poſſumus, dicitur *Totum*. Totius partes vel ſunt *Aliquotæ*, quæ ſcil. Totum exacte metiuntur: Vel ſunt *Aliquantæ*, quæ Totum exacte metiri non poſſunt; vel *Proportionales*, cum Totum proportionaliter dividitur in duas partes æquales, & hæ rurſus in alias æquales, &c.

Omnis Quantitas Impenetrabilis eſt, Figurabilis, & Diviſibilis in indefinitum. Infinitum inter, & Indefinitum, ex Carteſio, hoc diſtat, quod Infinitum ſit, cujus nulli prorſus ſunt limites; Indefinitum verò, cujus limites mente invenire non poſſumus. Quum Carteſius ait, omnem Materiam dividi poſſe in partes indefinitas, Proportionales intelligit; corpus enim omne dividi poteſt in duas medietates, & harum una rurſus in duas medietates, & ſic in indefinitum. Partes tamen ſive Aliquotæ, ſive Aliquantæ ſemper finitæ ſunt.

Ex hac doctrina Diviſibilitatis Materiæ in Indefinitum per ſuas partes Proportionales clariſſime educi aſſerit, nullas dari poſse Ἄτόμους, ſive particulas minimas indiviſibiles: cùm enim extenſas has Atomos eſse neceſse ſit, nam ſunt corpora, ac proinde habere partes extra partes, quæ variis loci punctis reſpondeant; harum unam ab alia diſtinctam, & independentem concipere poſsumus, ac ſi non inſtrumento ob ejus exilitatem, mente ſaltem poſsumus per medietatem in indefinitum dividere; quod ſufficit, ut ſit diviſibilis.

Corporis *Rarefactio* fit, cùm corpus aliquod extraneum corporis alicujus poros intrans, ipſius partes invicem quodammodo ſeparat, ac majus ſpatium occupare cogit: major autem illa Quantitatis Extenſio ab Extenſione novi extranei corporis, priori ſuperaddita, procedit. Contra vero *Condenſatio* fit, cum corpore illo extraneo à prioris corporis poris emuncto, partes invicem accedunt, & ſic minor Corporis Extenſio videtur, extranei corporis extenſione ſublata.

Locus, & *Spatium* non differunt à corpore, quod dicitur eſse in loco, niſi ex parte noſtri conceptus, re tamen idem ſunt. Locus autem duplex eſt, *Internus* unus, qui idem eſt, ac Spatium; *Externus* alter. Locus Internus, ſeu Spatium à corpore in eo contento in re non differt; Spatii etiam natura, ſive Eſsentia, non ſecus ac corporis, per Extenſionem in longum, latum, & profundum conſtituitur. Spatium itaque non eſt niſi corporis Extenſio, prout eſt talis magnitudinis, & figuræ, ac talem ſitum inter corpora externa, quæ illud immediate circumſtant, & tanquam quieſcentia ſpectantur, occupat. Locus Externus vel ſumitur pro ſuperficie corporum, quæ proxime locatum ambiat, vel ſumitur pro relatione ad corpora immobilia, quæ locatum circumſtant; & tunc dicitur etiam *Situs*. Nomina autem *Superficiei*, quæ pro Loco Externo ſumitur, non venit pars ulla corporis ambientis, ſed purus modus, ſive terminus inter corpus ambiens, & ambitum, qui non ſit pars unius corporis magis, quam alterius. Situs igitur proprie eſt reſpectus, ſive relatio corporis locati ad corpora, quæ illud circumſtant, & tanquam quieſcentia ſpectantur.

Poteſt·

Digitized by Google

Poteſt igitur corpus ſitum non mutare, etſi corpus illud ambientis ſuperficies mutetur.

Vacuum neque *Separatum*, neque *Diſſeminatum*, neque *Coacervatum* dari poſſe ex modò dicta Loci, ſeu Spatii natura, quæ in Extenſione in longum, latum, & profundum conſiſtit, educit Carteſius. Unde cùm Corporis, & Spatii natura in Extenſione conſiſtat, & in re idem ſint; idem erit dicere dari Spatium ſine Corpore, hoc eſt, Vacuum, ac dari Corpus abſque Corpore, quod manifeſtam implicat contradictionem. Quod hoc etiam argumento probat Carteſius: Vacuum vel eſt nihil, vel aliquid. Non eſt nihil, ergo eſt aliquid. Si aliquid, vel modus eſt, vel ſubſtantia. Non modus, nam modus concipi nequit ſine ſubſtantia, cujus eſt modus: contra verò Vacuum per ſe concipitur. Si ſubſtantia, vel ſpiritus eſt, vel corpus. Non ſpiritus, quia ſpiritus nullam habet extenſionem. Ergo erit corpus. Si dari, imò & concipi nequit Vacuum, nullus quoque erit *Naturæ Horror*, *Metus*, *& Fuga à Vacuo*; metus enim in impoſſibilia non cadit. Omnes autem mirabiles effectus, & experimenta, quæ Naturæ metui à Vacuo vulgò tribuuntur, per aëris preſſionem, & pondus, & per circularem illum motum, ſive Circumpulſionem in omni motu neceſſariam, debent explicari.

Motus (quod alterum ab eo ponitur rerum naturalium *Principium*, & quidem *Activum*, ſicut *Materies Principium Paſſivum*; à Motu enim Materiæ diviſio, figura, formæ, omneſque, ac variæ ejus proprietates ortum habent) definitur à Carteſio Princip. Philoſ. part.2. art.25. *Tranſlatio unius partis materiæ, ſive unius corporis, ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediate circumdant, & tanquam quieſcentia ſpectantur, in viciniam aliorum*. Sylvanus Regis Phiſ. lib.1. part.2. cap.1. Motum ſic definit: *Eſt applicatio ſucceſſiva activa corporis ſecundùm totum id, quod habet exterioris diverſis partibus corporum illud immediate contingentium*. Contra verò *Quies* definitur: *Applicatio conſtans eiſdem partibus, ſeu Applicatio Succeſſiva, ſed Paſſiva corporis ſecundùm totum id, quod habet exterioris, diverſis partibus corporum, quæ ipſum immediate contingunt*. Magnum quorundam etiam Philoſophorum præjudicium eſt, quòd Quies non ſit, niſi ceſſatio à Motu; ac proinde nullam ad Quietem vim requiri: eadem enim, vel ſaltem non multo minor vis requiritur ad inducendam corpori Quietem, quàm Motum; ut videri poteſt ex hoc, quod eadem ferme vi opus ſit ad navim in aqua ſtantem movendam, quàm ad eandem, dum movetur, ſubito retinendam. Error autem in hoc conſiſtit, quòd propriam corporis gravitatem, & aëris preſſionem, quæ ad Quietem urgent, non ſentimus: contra verò corporis gravitatis, & externæ aëris preſſionis reſiſtentia nonniſi vi aliqua ſenſibili ſuperanda eſt.

Motus eſt vel *Communis*, vel *Proprius*. Proprius dicitur, qui fit propria vi, & actione (quamvis hæc vis, & actio in mobili improprie eſſe dicatur, cùm potius moventis ſit, quàm mobilis: ſic tamen dicitur, quia vis illa agentis in mobili perſeverare putatur). Atque huic competit definitio Motus modò tradita. Motus Communis, ſive *Lationis* dicitur, cùm non propria vi corpus movetur, ſed ab alio transfertur, abſque eo quod ſitum mutet; qui *Tranſlatio* potius, quàm Motus dicendus eſt, ut cùm quis in navi ſedens de loco in locum transfertur. Qui Motus Communis ſpecies potius Quietis eſt, quàm Motus; & ne dum Quieti non opponitur, ſicuti Motus Proprius, qui tantùm Motus dicendus eſt, ſed nec etiam Motui Proprio.

Nulla ſunt corpora, quæ ex ſe moveri poſſunt. Quod his probat argumentis Cardemoy Diſſert.4. de prima cauſſa motus, à Malebranche petitis. I. Res ex ſe non habet, quod amittere poteſt, integra manente ipſius natura: ſed cor-

Digitized by Google

pus poteſt amittere motum, abſque eo quod deſinat eſſe corpus: ergo nullum corpus motum ex ſe habet. II. Si corpus motum ex ſe haberet, etiamſi ex aliqua cauſſa illum amitteret, iterum producere poſſet: ſed non producit: ergo motum ex ſe non habet. Quum duæ tantum ſubſtantiæ ſint, Corpus ſcil. & Spiritus; omnium effectuum cauſſa vel Corpus, vel Spiritus eſſe debet; neceſſe enim eſt, ut omnes effectus aliquam ex his ſubſtantiis pro cauſſa agnoſcant: ſed ex demonſtratis Corpus nequit eſſe cauſſa motus: ergo Spiritus tantum Corporis motor erit.

Primam autem Motus cauſſam non quemvis Spiritum creatum eſſe, ſed Spiritum increatum, æternum, infinitum, hoc eſt, Deum tantummodo eſſe. Sic probare conatur acutiſſimus P. Malebranche de Inquir. Verit. lib. 6. part. 2. cap. 3. - - - - - *Sed ſi Spiritus creati ideam examinemus, nulla omnino connexio inter Spiritus voluntatem, & corporis motum deprehendetur. Concludendum eſt ergo, ſi lumina noſtra ſequi velimus, à nullo Spiritu creato, & finito motum produci poſſe, quemadmodum corpora ſeipſa minime movere concluſimus. Dei tamen, hoc eſt, Entis ſumme perfecti, ac proinde omnipotentis, ideam contemplantes videmus, tantam eſſe connexionem inter ejus voluntatem, & omnium corporum motum, ut impoſſibile ſit omnino, ut velit, corpus aliquod moveri, & non moveatur. Dicere ergo debemus, à ſola ejus voluntate motum produci, atque vim moventem corporibus motis non ineſſe, cùm ea nihil ſit præter Dei voluntatem. Dicitur tamen globus cauſſa Naturalis motus, quem communicat corpori, cui occurrit, non Realis, cùm communicare non poſſit, quod in ſe non habet. Sed cauſſa Naturalis non eſt cauſſa Realis, & vera, ſed tantum Occaſionalis, qua Autor Naturæ ad agendum illo, vel hoc modo, hac, vel illa occaſione determinatur.* Quod autem nulla ſit inrer Spiritus creati voluntatem, & corporis motum connexio, hoc potiſſimum argumento confirmat: quod etſi ad brachium noſtrum movendum, exempli gratia, Spiritibus animalibus, qui per certos nervos ad tales muſculos contrahendos mittendi ſunt, opus ſit; cum hæc omnia æque ignorantes illud, ac anatomes peritiſſimos movere videamus; clarum eſt, inquit, non eſſe Spiritus voluntatem, quæ corpus moveat, qui neſcit quomodo, vel qua lege illud movere debeat, ſed ſolam Dei voluntatem, qui poteſt, & novit illud movere. Deus igitur ad Spiritus voluntatem corpus movet, & Spiritus voluntas Naturalis tantum, ſive Occaſionalis cauſsa motus eſt. Spiritus voluntatem, *Naturalem*, *ſive Occaſionalem* cauſſam vocat cit. Autor, non *Inſtrumentalem*, ut vulgo: Deus enim ad agendum inſtrumentis non eget, ſed omnia per ſolam ſuam voluntatem, quæ efficax eſt, operatur.

Deus, ait Carteſius, prima cauſsa Motus eſt, qui Materiem ſimul cum Motu, & Quiete creavit: in qua Materia eandem ſemper Motus, & Quietis quantitatem perſeverare vero ſimile eſt: quod facile concipitur, ſi conſideretur, Deum non ſolum in ſeipſo immutabilem eſse, ſed etiam conſtanti, immutabilique ſemper modo operari; iis mutationibus exceptis, quæ ſine ipſius mutatione fiunt. Tantam itaque Motus, & Quietis quantitatem Deum creaſse ſupponendum eſt, quantum ad Univerſi conſervationem neceſsariam duxit.

Motus Proprietates Eſsentiales ſunt Celeritas, Determinatio, & Quantitas. Celeritas dicitur relatio illa, quam habet Spatium, per quod mobile fertur, cum tempore, quod in hoc percurrendo conſumitur. *Determinatio* eſt relatio, quam habet mobile ad plagam, verſus quam movetur: quæ Determinatio in motu quidem perpendiculari ſimplex eſt, in obliquo compoſita. *Quantitas* motus dicitur vis illa, quam habet mobile, ſeu potius mobili agens impreſſit, ad ſuperandam reſiſtentiam corporum circumſitorum uſque ad locum,

in

in quem determinate movetur: atque hæc abſolute, vel reſpective major, vel minor eſt. Quantitas motus cum Celeritate non confundenda; Quantitas enim ad corporis molem, celeritas ad ſpatium percurrendum, & tempus, refertur. Poteſt materies, eandem motus Quantitatem conſervando, nunc tardius, nunc celerius moveri, ut videre eſt in aqua majus, vel minus ſpatium percurrente.

Omnes Motus ſunt Pulſione. Motus enim, quos quidam ſibi finxerunt, *Sympathiæ*, *Antipathiæ*, *Tractionis*, *& ob fugam Vacui*, nec ſunt, nec eſse poſsunt. Sic quidam ad miros quoſdam motus explicandos, quorum & modum, & rationem ignorabant, has nudas voces, ignorantiæ effugium, invenerunt: cum contra per ſolam Pulſionem omnes motus, etiam Tractionis, & Suctionis dictos, explicare quis poſset. In omni autem motu *Circulus*, *ſive Circularis Pulſio* fieri debet. Qui circularis motus, quia à Platone in Timæo etiam expreſsus eſt, *Platonica Circumpulſio* etiam dicitur.

Motus Leges Naturales tres ſunt. Prima. *Omne quod movetur, quantum in ſe eſt, ſemper moveretur, niſi ab alio in motu turbaretur*. Quæ lex à naturali illo principio deducitur, quod unaquæque res, prout eſt ſimplex, & indiviſa, quantum in ſe eſt, ſemper maneat in eodem ſtatu, nec unquam mutetur, niſi à cauſſis externis; aliàs novus hic ſtatus à nihilo eſset, quod eſt abſurdum. Hæc autem cauſsa motum turbans tum viſibilis, tum quæ viſum effugiat, eſse poteſt, ut aër, &c. Falſum hinc evincitur illud quorundam, etiam Philoſophorum, effatum, quòd omne, quod movetur, tendat ad quietem: nam cum Motus Quieti opponatur, contra naturæ leges id eſset, ut aliquid ad ſuum oppoſitum, ſive ad ſui deſtructionem ex ſe tenderet. Accedit, quod motus corporis modus eſt, ut figura, color, &c. ſed omnes hi corporis modi ſemper tales in corpore perſeverant, donec ab aliqua cauſsa extrinſeca mutentur: ergo ſic etiam motus. Motus igitur in mobili tandiu durabit, quandiu motus Quantitas in projecto potis erit ſuperare aëris, aliorumque corporum circumſitorum reſiſtentiam. Notandum hic, motus Quantitatem in corpore conſiderari relate ad ſuam molem; ambientium verò corporum reſiſtentiam relate ad ſuam ſuperficiem. Hinc corpora majora diutius in motu perſeverant, quàm minora, etſi pari motus Quantitate cieantur, quia illa ſub majori mole minorem continent ſuperficiem. Atque hinc etiam eſt, quod corpus ſphæricum diutiſſime omnium corporum aliter configuratorum in motu perſeveret, quia ſub ſphærica ſuperficie reliquis alius figuræ corporibus maxime major corporis moles continetur.

Secunda naturæ lex eſt. *Omne, quod movetur, ſemper tendit moveri per lineam rectam*. Quod ſic probat. Immutabilitati, & ſimplicitati Divinæ operationis conſonat, ut mobile ad plagam ſuæ determinationis breviori via, faciliorique modo perveniat: Sed linea recta eſt omnium breviſſima, quæ à puncto loci, à quo, ad punctum loci, ad quem, duci poſsunt: Ergo per lineam rectam moveri debet. Hoc etiam confirmatur experientia; nam quidquid circulariter movetur, ſemper conatur recedere à centro motus per tangentem circuli; ut videre eſt in lapide per fundam rotato; cujus conatum recedendi à centro ipſa etiam manu ſentimus.

Tertia naturæ in Motu lex: *Si corpus, quod movetur, alteri occurrat, ſiquidem habeat minorem vim ad pergendum per lineam rectam, quàm hoc aliud ad ei reſiſtendum, tunc in aliam partem deflectitur, & ſuum motum integrum ſervando, ſolam motus determinationem amittet. Contrà verò, ſi illud majorem habeat vim ad pergendum ſecundum lineam rectam, quam hoc ad ei reſiſtendum, tunc corpus in motu exiſtens, ſecum hoc aliud movendo, tantum*

de

de ſuo motu deperdet, *quantum ei tribuet*. Sub qua lege continentur omnes cauſſæ particulares mutationum, quæ corporibus accidunt, ſaltem eæ, quæ ſunt corporeæ. Quo autem pacto ſingula corpora in aliorum corporum occurſu motus ſuos augeant, vel minuant, vel in totum, vel in partem convertant, longo calculo, multiſque regulis determinavit Carteſius, Regis, aliique; qui utramque etiam hujus regulæ partem fuſius, & multis probant.

Reflexio dicitur illa Determinationis in motu mutatio, quæ fit, quum corpus durum in durum, & majorem vim reſiſtendi habens, impingens, ab illo reflectere, & Determinationem mutare cogitur, aliam priori oppoſitam acquirendo. Error tamen eſt multorum, corpora, dum reflectuntur, aliquantulum in puncto Reflexionis quieſcere; novus enim hic motus quieti ſuccedens eſſet à nihilo, cum à nullo duorum corporum eſſe poſſit; quod magnum abſurdum eſt.

Refractio appellatur illa Determinationis mutatio, quæ fit cùm corpus ab uno medio in alterum oblique incidit; ſi enim perpendiculariter incidat, nulla erit Refractio, ſive Determinationis mutatio. Si corpus è medio faciliori in difficilius oblique inciderit, ut ex aëre in aquam, tunc corpus à perpendiculari recedet, contrà verò ſi é medio difficiliori in facilius tranſeat, ad perpendicularem accedet, ut ex aqua in aërem.

Corpora *abſolute Dura* dicuntur, quorum particulæ inter ſe mutuò quieſcunt: *reſpective* autem *Dura*, quæ manibus noſtris ad ea accedentibus reſiſtunt. Contrà verò Corpora *abſolute Fluida*, vel *Liquida* appellantur, quæ in multas exiguas particulas, diverſis motibus à ſe mutuò agitatas, dividuntur: *reſpectivè* verò ſic dicuntur, quæ manibus noſtris ad illa accedentibus cedunt. Corporum igitur gluten Quies eſt, per quam junguntur; motu dividuntur. *Mollia* Corpora, media ſunt inter Dura, & Liquida; eorum enim particulæ non tam firma adhæſione junguntur, ut Dura, nec tam celeri motu agitantur, ut Fluida. *Rarum* Corpus eſt, cujus partes non undique ſibi mutuo adhærent, ſed per poros, ſeu ſpatiola tenuiori corpore repleta ex aliqua parte diſtant. *Denſum* verò è contrario eſt corpus, cujus partes ſe ferme undique tangunt, ſeu quod poros minores habet. Corpus itaque per ſubtilioris materiæ egreſſum fit Denſum; contra verò per ejuſdem materiæ ingreſſum, Rarum redditur. *Aſpera* ſeu *Scabra* Corpora vocantur, quorum partes in ſuperficie, ita diſponuntur, ut aliæ promineant, aliæ ſubſidant. *Levia* verò, ſeu *Polita*, quorum ſuperficies æqualis eſt ob æqualem partium ſitum: quæ corpora Polita majorem vim habent agendi, & reſiſtendi, quàm Aſpera. *Contigua* corpora, à *cum*, & *tango* nomen ſortita, dicuntur, quæ ſe mutuò in parte tangunt, & nullam habent inter ſe mutuam dependentiam. *Continua* verò corpora, quæ à *cum*, & *teneo* nomen habent, vocantur, quorum partes per quietem ita invicem connectuntur, ut unum corpus efficiant, & mutuam agendi, & patiendi dependentiam habeant.

De Mundo Adſpectabili verba facturus, Sphæræ Armillaris doctrinam, ſtellarum magnitudinem, diſtantiam, & duplicem motum, atque alia, quæ Carteſio cum reliquis Philoſophis, & Mathematicis recentioribus communia ſunt, prætermittens, *Mundi Syſtema* à Carteſio traditum Part. 3. Princip. Philoſ. art. 20. & ſequentibus hic breviter referam. Cum putaſſet Carteſius, Hypotheſin Ptolemæi phænomenis explicandis non ſatisfacere; Copernici verò, & Tychonis Hypotheſes, quatenus Hypotheſes ſunt, eodem modo ad phænomena explicanda ſe habere, itaut Tycho verbo quidem minus, re tamen plus motus Terræ tribuerit, quam Copernicus; ſuam ipſe proponit Hypotheſin, in qua omnem prorſus motum ſe Terræ detracturum promittit; ipſamque Hypothe-

pothefin omnium ſimpliciſſimam non pro rei veritate, ſed pro Hypotheſi tantum habendam deſiderat.

Et primo quidem ſupponit, *Solem* à Fixis, & flamma ratione luminis, quod emittit, non differre, cum ipſe etiam ex materia valde fluida, ſubtili, & mobili conſtet; quæ tamen non ex una Cœli regione in aliam migret, ſed ſecundum partes tantum moveatur: quo motu partium inteſtino omnes circumjacentis Cœli partes ſimul rapiuntur. Quod autem hæc Solis flamma alimento non egeat, ex eo deducit, quod cauſſam, qua deſtruatur, non habeat.

Supponit quoque, *Diſtantiam Fixarum* à Terra, & Saturno, omnium Planetarum remotiſſimo, maximam, & immenſam eſſe; eaſque non uni Cœlorum Sphæræ fixas eſſe, ut putavit antiquitas, ſed ipſarum quamlibet, non ſecus ac Sol, cui in omnibus ſimiles ſunt, in vaſto, & proprio Cœli ſpatio, omneſque in immenſa Cœli abyſſo hac illac diſperſas contineri.

Quod autem *Cœli* omnes non ſolidi ſint, ut communis veterum opinio fuit, ſed fluidi, ex eo deducit, quod Planetarum, Cometarumque motus in ipſis fieri nequirent. Hinc quoque fit, ut corpora in ipſis contenta, quantumvis ſolida, facile quidem, & minima vi ab ipſis moveantur.

Planetæ, qui omnes Solem pro centro habent, circa ipſum à materia cœleſti ex Occidente in Orientem feruntur, hoc tamen ordine, ut Soli proximior breviori tempore curſum ſuum abſolvat, quàm remotior; atque hic rurſus breviori tempore, quàm qui eo remotior eſt; Saturnus ſcil. ſpatio 30. annorum; Juppiter 12. Mars proximè 2. Terra dierum 365. Venus 224. Mercurius 80., vel 87.

Terram (quam Planetam eſſe ait) inter Venerem, & Martem ſitam, in ſuo Vortice quieſcentem, ſimul cum ipſo, & pediſſequa Luna, extimum ſui Vorticis occupante, à materia hac Cœleſti circa Solem ferri ſpatio unius anni, & interim circa proprium axem ſingulis diebus verti, exiſtimat, à materia ſui Vorticis circa ipſam ſe movente. Quam ſuam ſententiam explicat exemplo Vorticis in aqua facti, in quo ſi variæ feſtucæ exiſtant, videbimus, eas omnes in gyrum moveri, & nonnullas etiam circa propria centra converti; atque eò celerius proprium gyrum abſolvere, quò centro Vorticis erunt viciniores. Eas tamen vix unquam circulos omnino perfectos deſcribere, quamvis circulares motus ſemper affectent, credendum eſt; ſed nonnunquam parum in longitudinem, vel latitudinem deflectere. Atque hinc fieri putat, Planetas nunc Parhelios, hoc eſt Soli propinquiores, nunc verò Aphelios, hoc eſt, à Sole remotiores obſervari: atque eadem de Planetis omnibus ſupponendo, omnia eorum phænomena explicat.

Terra, ſicut & alii Planetæ dum circa magnum Solis Vorticem ab ejus materia feruntur, poſſunt quidem eſſe centra aliorum minorum Vorticum, à quorum materia (ut in aquæ Vorticibus ſæpe ſe vidiſſe ait Carteſius) quæ in eaſdem partes, ac major Solis Vortex, feratur, alii quoque minores Planetæ circa propria centra ducantur; atque ipſimet minores Planetæ circa proprium axem ob ejuſdem materiæ circularem motum gyrare cogantur. Sic in magno Solis Vortice Terræ Vortex eſt, in cujus extima parte *Luna* ſita eſt, quæ circa ipſam gyrat ſpatio ferme unius menſis. Eſt etiam alius Vortex parvus, qui *Jovem* pro centro habens, defert circa ipſum quatuor ejus *Aſſeclas* tali celeritate, ut remotiſſimus diebus 16. ſequens diebus 7. tertius horis 85. & centro proximus horis 42. unum circuitum perficiant. In alio denique minori Vortice *Saturnus* pro centro eſt, circa quem duo etiam minores Planetæ volvuntur. Omnes tamen hi minores Vortices in vaſto Solis Vortice ſiti, ſtato tempore circa ipſum Solem curſum ſuum abſolvunt.

Quod

Digitized by Google

Quod verò *Terræ* in Vortice ſuo exiſtenti tum circa proprium axem ſpatio 24. horarum gyranti, tum circa Solem ſpatio unius anni translatæ ***nullum motum*** tribuerit, ex eo potiſſimum probare conatur Carteſius loc. cit. quod nulli eorum motus proprie dicti definitio competat, quia non transfertur Terra ex vicinia partium Cœli, quæ illam immediate contingunt, quatenus iſtæ Cœli partes ut immotæ conſiderentur. Sed hanc Carteſii ſententiam, utpote Eccleſiæ Catholicæ ſanctione damnatam (etſi ipſe nullis Eccleſiæ dogmatis repugnantem demonſtrare conatus eſt) non amplectendam putamus.

Quomodo Mundus ex Materia creata, & Motu, ſimpliciſſimis rerum omnium materialium Principiis, à Deo formari potuerit (non quomodo Deus, cujus nemo judicia, & arcana unquam novit) docet Carteſius hac Hypotheſi.

Omnium Mundi corporum Materies una, eademque à Deo creata eſt, diviſibilis, imò actu diviſa in particulas quamproxime inter ſe æquales, variæ tamen figuræ, ut ſpatia omnia particularum diverſimòde figuratarum replerentur. Cum autem Deus huic Materiæ motum indidit, neceſſe fuit, ut ejus particulæ in circulum moverentur. Nam cùm hæ particulæ rectà progredi nequirent ob continuum aliarum occurrentium impedimentum, oportuit, ut ab iis recta motus determinatione mutata, circa aliqua centra gyrare cœpiſſent; unde & in varios *Vortices* abierunt. Eſt igitur Vortex, qui à vertendo nomen habet, immenſus numerus partium materiei, circa idem centrum rotantium: quarum particularum numerus prout major, vel minor fuit, majores, vel minores Vortices orti ſunt, iique pene innumeri.

Cujuſque *Vorticis Motus* conſiderandus ut motus alicujus ſphæræ; itaut in omni Vortice Centrum, Poli, Axis, & Ecliptica deſignari poſſint. *Vorticum Figura* ſphærica eſſe nequit, ne ſpatium inter Vortices, ſe in puncto tantum tangentes, relictum, vacuum eſſe dicatur. Motus unius Vorticis ut alterius motum non impediat, ſed juvet, ita inter ſe diſpoſiti conſiderandi ſunt, ut Ecliptica unius aliorum Polis reſpondeat. Vorticis particulæ circa Eclipticam majorem vim habent ſeſe movendi, & à centro Vorticis recedendi. Denique particulæ centro viciniores celerius moventur, quàm remotiores.

Ex motu particularum Vorticis tres Materiæ ſpecies ortæ ſunt, quas Carteſius *Tria Elementa* vocat, quòd ex ipſis omnia Mundi corpora ſint conflata. *Primum Elementum* eſt Materia illa ſubtiliſſima, ex attritis, & veluti abraſis per continuum motum globulorum angulis, ſive extuberantiis orta; quæ variæ diverſæque figuræ cùm ſit, & maximæ motus celeritatis, & ſpatia à globulis relicta implere, & in minutiſſimas adhuc particulas dividi poteſt.

Sol, & Stellæ Fixæ ex hac ſubtiliſſima materia Primi Elementi ortum ſic habuerunt. Cum ex continua globulorum Secundi Elementi attritione, & rotundatione major Primi Elementi quantitas orta ſit, quàm ad interſtitia globulorum implenda ſufficeret; quæ ex repletis globulorum interſtitiis ſupererat, in Vorticum centra confluens, Solis, & Fixarum materies facta eſt. Hæc autem ſubtiliſſima materies à replendis globulorum interſtitiis ſuperflua, nonniſi in centro locari potuit, nam minorem vim recedendi à centro motus habebat, quàm globuli Secundi Elementi, ut patet ex regulis motus. Quod autem fluidiſſimum hoc corpus, quod in noſtri Vorticis centro Solem, in aliorum Vorticum centro Fixas appellamus, ſphæricum ſit, exemplo confirmat Carteſius ampullæ vitreæ, quæ ex hoc ſolum ſit rotunda, quod aër in vitrum liquefactum per tubulum immiſſus non tam ab orificio verſus fundum, quam ab ipſo fundo ad latera omnia reflectatur. Conatus recedendi à centro motus tum in materia ſubtiliſſima, quæ in centro eſt, tum in ea, quæ globulorum ſpatia replet, reperitur. Major tamen eſt in particulis Eclipticæ Vorticum ſubjectis, quam in pola-

polaribus. Quæ cauſſa eſt, cur portio hujus materiæ è partibus Eclipticæ vicinis effluens, in partes circumpolares vicinorum Vorticum ingrediatur; itaut continuus ſit effluxus hujus materiæ ſubtiliſſimæ ex Ecliptica unius Vorticis ad partes circumpolares alterius. Qui partium Primi Elementi continuus influxus, Solis, & Fixarum *alimentum* dici poſſet; quo indigere quodammodo videntur propter continuum earundem effluxum.

Particulæ Striatæ ſunt ramenta minus diviſa materiæ Primi Elementi, figuræ irregularis, & ad motum ineptiora tum ob ſuam figuram, tum etiam quia Axi Vorticis propiora: quæ cùm in ſpatio triangulari, à globulis Secundi Elementi ſe tangentibus relicto, reperiantur, in motu globulorum ſibi invicem adhærendo, triangularem figuram induant neceſſe eſt: quas particulas Carteſius Princip. Philoſ. part.3. art.90. exiguis columnis, tribus ſtriis in modum cochlearum intortis excavatis aſſimilat; itaut gyrando tranſire poſſint per anguſtos illos meatus globulorum 2. Elementi, habentes figuram trianguli curvilinei. Hæ particulæ ex contrariis Polis verſus centrum venientes, dum totus Vortex in unam, eandemque partem movetur, non in eandem, ſed in contrariam partem intortas eſſe debere manifeſtum eſt. Ex his Magnetis vires deducit Carteſius, ut infra.

Solis, & Fixarum Maculas ex his etiam particulis generari, ait. Nam ubi iſtæ ad Solis ex. gr. corpus pervenerint, celerrimo motui particularum ipſius conſentire nequeunt; unde facilè ob inæqualitatem ſuæ figuræ, & molem majorem, ſibi mutuò adhærentes, moles ſatis magnas, & opacas componunt; quæ ab agitatiſſimis Solis particulis ad ejus ſuperficiem propulſæ, velut totidem Maculæ in Solis ſuperficie conſpiciuntur: quæ tandem ab ejuſdem particulis celerrime agitatis reſolvuntur in materiem partim in Solis ſubſtantiam refundendam, partim per Cœlum vicinum diſpergendam; dum interim in alia Solis parte novæ generantur ex nova Materia Striata ipſum ingrediente: non ſecus ac in liquore aliquo ebulliente ſpuma generatur à craſſioribus liquoris particulis, quæ ad ſuperficiem ejicitur, & tandem diſſipatur. Hæ Maculæ (quarum primus inventor, & obſervator fuit Galilæus, qui illas an 1610. Patavii Matheſin docens Helioſcopii uſu detexit) cur in Solis Ecliptica tantum videantur: cur Sol quandoque pallidior viſus ſit per multos dies: cur quædam ſtellæ Fixæ nunc majoris, nunc minoris magnitudinis appareant; imo & earum quædam à Maculis undique tectæ ad plures annos non ſint viſæ: cur hæ Maculæ quandoque in Faculas circa Solem verſæ ſint; vide apud Carteſium loc. cit.

Secundum Elementum vocat Carteſius *Globulos* à materia, in celerem motum adacta, formatos. Hi Globuli cum materia ſubtiliſſima Primi Elementi, eorum poros replente, *Materiam Cœlorum* conſtituunt; itaut Cœlorum nomine veniant hi Globuli Secundi Elementi cum interſperſa materia Primi, omne Vorticum ſpatium occupantes: unde & *Materia Cœleſtis* etiam appellatur, *Ætherea*, & *Subtilis*. Hos autem Globulos non ubique Vorticum æquales, nec æque celeriter moveri ſupponit Renatus, ſed centro propiores remotioribus minores eſſe, & celerius moveri, ut patet ex regulis Motus, & fuſius ipſe probat. Id tamen intelligendum uſque ad orbitam Saturni; ultra quam æqualis fere ſunt magnitudinis, ſed non æque celeriter moventur, nam quò magis diſtant, eò celerius moventur.

Tertium denique *Elementum* appellat Renatus particulas illas craſſas, & ob ſuam figuram ad motum ineptiores: quæ invicem adhærentes, & implicatæ, majores ſemper evadunt. Ex his *Cometas*, *Planetas*, *ac Terram*, quam incolimus, extitiſſe refert. Et primo Cometarum naturam, & productionem ita explicat. Cùm è fixis aliqua tot, tantiſque denſis maculis (de quarum genera-

tione ſupra ubi de Sole dictum) obducitur, ſi ad eas diſſolvendas impar eſt, tunc omne penitus lumen amittens, ex fluida, & luminoſa, dura, & obſcura evadet. Duriſſimo igitur hoc cortice undique involuta materia primi Elementi, quæ in centro ejus Vorticis erat, ac proinde deficiento actione ejuſdem materiæ in omnem proprii Vorticis materiam, hæc per vicinos Vortices omnis diſpergetur, & Cometa, hoc eſt materies illa primi Elementi duriſſimo hoc cortice incluſa, à vicino aliquo fortiori Vortice abſorbetur. Cum autem omnis Cometa tantæ ſit ſoliditatis, ut ſuperet vires globulorum ſecundi Elementi Vorticis abſorbentis, eorum etiam, qui remotiſſimi à centro reliquis ſunt ſolidiores, majorem etiam habebit vim recedendi à centro hujus Vorticis: quare ad extimam uſque Vorticis ſuperficiem perductus Cometa, ab eo excidet, & alium ingredietur; à quo etiam expulſus, alium intrabit. Cùm verò aliquis Cometarum Solis Vorticem intrat, nobis viſibilis ſit uſque dum expulſus in alium Vorticem ab oculis noſtris diſpareat. *Planetæ* verò Πλανῆται, ἀπὸ τοῦ πλανᾶσθαι, ab errando dicti, unde & Latini eos *Errantes*, & *Erraticas Stellas*, & Nigidius etiam *Errones* appellavit, Stellæ etiam Fixæ prius erant; deinde verò, non ſecus ac Cometæ, genitis undique circa ipſas denſis maculis, cortice quodam involutæ, à fortiori vicino Vortice abſorptæ ſunt. Putat enim Renatus, vaſtiſſimum illud ſpatium, quod nunc magnum Solis Vorticem conſtituit, initio in 14. pluresve Vortices diviſum fuiſſe. Et quidem cùm Solis, Jovis, & Saturni Vortices cæteris majores fuerint, quatuor illis minoribus Stellis, quæ nunc Jovem circumſtant, in Planetas jam verſis, & propriis Vorticibus à Jovis Vortice abſorptis, in eundem Vorticem ipſæ etiam delapſæ, circa Jovem gyrare cœperunt. Sic etiam quæ duæ Saturno propiores erant, in Saturni Vorticem lapſæ ſunt, circa quem & nunc volvuntur. Luna pariter circa Terram, in cujus Vorticem cecidit, eadem ratione nunc vertitur. Omnium tandem harum Fixarum, Terræ ſcil. Jovis, & Saturni, Veneris quoque, Martis, & Mercurii, ubi in Planetas verſæ ſunt, Vorticibus à fortiori Solis Vortice raptis, ipſi pariter Planetæ cum pediſſequis ſuis in vaſtiſſimum Solis Vorticem delapſi, circa ipſum volvi cœperunt. Reliquorum autem Vorticum Sidera, ſi plura, quàm 14. in hoc ſpatio ut quam fuerint, in Cometas verſa fuiſſe ſupponit. Non igitur aliud Cometas inter, & Planetas diſcrimen eſt, niſi ſoliditatis: quæ enim Fixæ majorem corticis ſoliditatem nactæ ſunt, quàm ullum in Solis Vortice locum invenire potuiſſent, in Cometas abierunt: illæ verò, quarum ſoliditas aliquibus hujus Vorticis globulis reſpondere potuit, in Planetas mutatæ, una cum æqualis ſoliditatis globulis circa Solem moventur. Locum itaque, ex regulis motus, in Solis Vortice ſuæ ſoliditati correſpondentem occuparunt; qui ſcil. ſub minori ſuperficie majorem molem habebant, à Sole remotiores, contrà verò propiores.

Terra denique è Fixa in Planetam, inquit, verſa eſt, denſis quibuſdam maculis ex particulis ſtriatis circa ipſius ſuperficiem genitis, & partim à materia primi Elementi per vicinum Cœlum diſperſis, partim in duriſſimum corticem abeuntibus, & Sidus undique obtegentibus: unde & à vicino Solis Vortice unà cum ſuo Vortice abſorpta eſt. In Terra igitur tres regiones agnoſcit, Intimam ſcil. à materia primi Elementi, ſed non pura, volitantibus in ea quibuſdam particulis tertii Elementi, efformatam: Mediam, à particulis tertii Elementi ſibi invicem implicatis, & durum, ſed poroſum corticem componentibus, conflatam; qui pori tam exigui ſunt, ut nonniſi materiæ primi Elementi, ſtriatiſque particulis tranſitum præbeant; Tertiam denique & Extimam, quam Aërem vocat, congeriem ſcil. materiæ Cœleſtis, & tertii Elementi, ex qua Terreſtria corpora omnia, quæ nos circumſtant, orta ſunt.

Terra

Terra itaque, inquit, in Planetam mutata, ubi à Solis Vortice abſorpta fuit, magna in tertia, & extima ejus regione mutatio fieri debuit à materia Cœleſti Vorticis Solis, agente in particulas tertii Elementi, quibus extima hæc regio referta erat. Has autem terreſtres particulas in tria ſumma genera diſtinguit. Quædam enim ipſarum, ipſe ait, inſtar ramorum arboris, in varia quaſi brachia diviſæ, & hinc inde expanſæ, à materia Cœleſti deorſum propulſæ, & ſibi invicem adhærentes, corpus aliud ſupra primam Terræ cruſtam efformarunt. Aliæ verò ſolidiores, figuræque cubo, globo, vel ruderi anguloſo ſimilis; quæ particulæ ſiquidem graviores fuerint, infra cœteras deſcendent; ſi verò leviores, ſpatia ramoſarum implebunt. Aliæ denique ſunt oblongæ inſtar bacillorum, ramis tamen deſtitutæ, quæ facile ramoſis ſe immiſcent, ſi ſpatia inter ipſas ampla repererint; nunquam tamen illis annectuntur. Ex quibus triplicis generis particulis tria alia corpora circa primam Terræ cruſtam genita ſunt; quorum interius, primæ Terræ cruſtæ adhærens, vocat *cruſtam Interiorem* craſſiſſimam, ex qua metalla oriuntur. Secundum corpus ex particulis longis, levibus, & flexibilibus inſtar anguillarum, circa duras, & rigidas intortis, compoſitum, *Aquam ſalſam* appellat. Tertium denique *Terram Exteriorem*, ex argilla, lapidibus, arena, & limo conflatam. Quæ Terra Exterior dicta fornicis inſtar ſupra corpus fluidum, ſeu Aquam aliquamdiu ſuſpenſa ſuſtentari potuit, donec ſuis quibuſdam rimis magis magiſque ex Solis calore, & continuo materiæ Cœleſtis tranſitu, hiantibus (non ſecus ac æſtate in Terra à Sole exſiccata rimæ generantur, quæ eò magis hiant, quò major eſt Solis vis) ejus partes invicem disjunctæ ſunt; cùmque in modum fornicis amplius ſuſtineri nequiverint, tandem ruptæ ſunt, & in cruſtam interiorem craſſiſsimam, metallorum matrem, ceciderunt, locum cadentibus hujus fornicis fragmentis cedente Aqua, quæ ſupra interiorem cruſtam ſita eſt. Sed quia ſuperficies cruſtæ interioris minus lata erat, quàm ſuperficies cruſtæ exterioris labentis, oportuit, ut fragmenta prius lapſa cruſtæ interiori perfectè adhærerent; ſupra quæ Aqua aſcendens Mare conſtituit: reliqua verò in latus inclinata alia aliis ſuperincumbendo, Montes, Scopulos, & Camporum planitiem efformarunt: quod clarius Part. 4. Princip. Philoſ. art. 44. & ſequ. apud ipſum videre eſt. Tandem terreſtres alias particulas ſubtiles, & flexiles, in materia Cœleſti à Terra hac Exteriori ad datam noſtri Cœli diſtantiam innatantes, *Aërem* vocat. Quibus per Hypotheſin ſuppoſitis, ſic naturalium corporum naturam, & proprietates explicat.

Aër eſt congeries particularum tertii Elementi tam tenuium, & à ſe mutuo disjunctarum, ut motui materiæ Cœleſtis obſequantur; quæ cujuslibet ſint figuræ, flexiles tamen ſunt inſtar mollium plumularum, vel tenuium funiculorum, Cœleſtique materiæ innatant: quarum quælibet independenter ab aliis vicinis circa proprium centrum movetur, totamque exiguam illam ſphæram occupat, quæ ad circularem hunc motum perficiendum requiritur. Quod verò ad ejus proprietates, & affectiones attinet; *Rarus* eſt, quia partibus conſtat à ſe mutuo disjunctis. *Fluvidus*, quia ejus partes nulla quiete inter ſe junguntur, ſed continua agitatione cientur. *Pellucidus*, quia radii, ſeu globuli ſecundi Elementi rectà per amplos Aëris meatus tranſeunt. *Calore rareſit*, quia ejus partes, quæ flexiles ſunt, quò celerius per calorem agitantur, eò latius ſe extendunt, & majus ſpatium occupare coguntur. Contra tamen *Frigore denſatur*, ſuarum particularum agitatione per frigus imminuta. Ultimò *Aëris Elater*, ſeu *Vis Elaſtica* in eo conſiſtit, ut ejus partes, flexiles cum ſint, violenter compreſsæ vim habeant reſiliendi, & in ampliorem locum ſe extendendi: non ſecus ac in Chalybis lamina inflexa, & reſiliendi vim faciente, obſervatur.

Aqua eſt corpus compoſitum ex particulis flexilibus, levibus, & lubricis, quæ anguillarum inſtar in continua ſunt agitatione. Si verò hæ partes flexiles, & lubricæ, quæ *Aquam Dulcem* conſtituunt, duris, & inflexilibus Salis nectantur, & implicentur, *Aquam Salſam* componunt: nunquam tamen ita cohærent, ut non facile ſeparentur; ſicque Salſa, ſale relicto, in dulcem abire poteſt. Aqua corpus *Fluidum* eſt, quia ejus partes à materia Cœleſti continuò agitantur: *Pellucidum* verò, quia ejus pori materiam Cœleſtem continentes ad luminis radios tranſmittendos apti ſunt. Salis partes, quia ſolidæ, & graves, in vaporem cum Aqua non aſcendunt: quia rigidæ, linguam pungunt, & diſcerpunt: item quia rigidæ, carnium poris infixæ, & omnem ab ipſis humiditatem expellentes, ex qua fermentatio, & inde corruptio fieri poteſt, carnes à corruptione præſervant.

Maris Æſtus, ſive *Fluxus*, & *Refluxus* fit à materia Cœleſti Vorticis Terræ, quæ à Luna ad Maris ſuperficiem ſita eſt: quæ cùm anguſtius ſpatium inter Lunam, & Mare tranſire debet, celeriùs movetur; unde majorem preſſionem Mari facit: quare Aqua majori huic preſſioni cedens, ſubſidit, ſicque deficere videtur, dum interim in aliis maris locis Aqua attollitur, in ipſa, quæ hinc deprimitur, aqua refluente. Sed quia pars Maris, quæ nunc eſt ſub hac majori aëris preſſione, ob diurnam Terræ ſuper proprio axe circumvolutionem, ſpatio horarum 6. cum minutis 12. erit in loco, ubi minor eſt preſſio, iterum elevabitur. Eadem quoque de cauſſa poſt horas 6. cum minutis 12. iterum deprimetur in ea Vorticis parte, quæ Lunæ per diametrum opponitur (quod Vorticis ſpatium etiam anguſtius eſt, quia materia Cœleſtis, quæ inter ipſam, & Lunam eſt, per majorem motum, & preſſionem, ipſam Terram verſus oppoſitam Vorticis partem deprimit) ac tandem poſt totidem horas cum minutis iterum attolletur: ſicque Mare bis in die creſcere, ac bis decreſcere obſervatur. Hic autem Maris Æſtus major eſt in Noviluniis, & Pleniluniis, quàm in Quadraturis; maximus in Æquinoctiis, quia tunc Luna Terræ propior eſt; ut Lunæ curſum, per Ellipticam orbitam peragendum, conſideranti patet.

Metalla omnia & *Foſſilia* in Terra Interiori à particulis terreſtribus variæ figuræ, & molis, gignuntur, atque inde ad Terram Exteriorem vi caloris tum interni, qui à materia primi Elementi in centro poſita provenit, tum externi, qui à Sole eſt, aſcendunt. Hinc Metalla non in omnibus Terræ locis inveniuntur, ſed in iis, in quibus fragmenta Terræ Exterioris Interiori junguntur, potiſſimum verò in radicibus montium ad Meridiem, & Orientem, ubi major caloris vis. Pro varia tamen partium terreſtrium conditione, & miſtura, varia quoque Metalla, & Foſſilia generantur.

Ferrum eſt metallum omnium leviſſimum, & poroſiſsimum, conſtans particulis nimis craſſis, & ramoſis, ex quarum mutua complicatione ejus durities, & difficilis malleatio pendet. Rubigine tamen, & aqua forti facile corroditur. Quum verò Ferrum vi ignis à ſordibus expurgatur, ſi quidem quàm citiſſime refrigeſcat, abit in *Chalybem*. Tunc enim Ferri ramenta, ſeu particulæ arctiſsime ſibi junctæ, grumos, ſive guttas quaſdam efformant, quæ mutua colliſione rotundantur, ac perpoliuntur. Hinc Chalybs eſt duriſſimus ob arctiſſimam ſuarum partium rotundarum connexionem. Eſt frangibilis, quia ejus partes, rotundæ cum ſint, facile ab invicem ſeparantur, nam per ſimplicem ſuperficierum ſphæricarum contactùm junguntur. Chalybs denique inflexus vim habet reſiliendi, quam vim Elaſticam vocant; quam vim alia etiam corpora habent. Hoc autem inde fit, quod Chalybs, & ſimilia corpora poroſitates habent plurimas, ſoli materiæ Cœleſti ipſas ambienti tranſitum præbentes. Quæ poroſitates, cùm Chalybs, vel quid ſimile, inflectitur, ex parte infle-

inflexionis anguſtiores redduntur : unde particulæ materiæ Cœleſtis ex parte inflexioni oppoſita facillime ingreſſæ , cùm egredi nequeant , Chalybis poroſitatibus veluti totidem cunei infixæ , vim magnam faciunt, ut poros undique æquales, priſtinamque corpori figuram reſtituant.

Plumbum eſt Metallum à Ferro in hoc tantum differens , quod Plumbum partibus conſtet ramoſis quidem , ſed minoribus , levioribus , & flexibilioribus, quàm Ferrum . Eſt Plumbum Ferro ponderoſius , quia ejus partes , utpote æquabiliores , & minores arctius uniri poſſunt . Eſt Ferro minus durum , quia ejus partes non ſunt tam ramoſæ , & tam rigidæ . Aurum , & Argentum purificat , quia eorum impuritates ſulfureis Plumbi partibus adhærent . Non ab aqua forti , ut reliqua Metalla , ſed ab aceto diſſolvitur , nam ſulfur minus acre continet .

Stannum à Plumbo in hoc ſolum differt , quod partes ramoſæ Stannum componentes Plumbi partibus acriores, rigidiores , & minus flexiles ſint.

Æris à Plumbo, & Stanno differentia eſt , quod Æris ſal acrior & fixior ſit , ejuſque ſulfur abundantius , & volatilius ; unde difficiliùs ſolvitur . Ex Chymica verò Æris ſolutione , quàm acer, & corrodens ejus ſal ſit , aperte cognoſcitur .

Aurum , *& Argentum* in hoc differunt, quod partes ramoſæ Aurum componentes majores , & arctius unitæ ſunt , quàm partes Argenti . Hinc Aurum Argento ponderoſius eſt ; difficiliùs funditur , &c. Pori tamen Argenti licet Auri poris anguſtiores ſint , ſunt tamen frequentiores : unde ſimul ſumti ſuperant latitudinem pororum Auri ſimul ſumtorum . Quæ Metalla quibus Planetis dicata , &c. vel ipſi vulgo jam innotuit .

Argentum Vivum, Græcis ὑδράργυρος , quæ vox Latine ſonaret *Aqueum Argentum* , quia Mercurio attributum , *Mercurii* etiam nomine appellatur . Improprie tamen inter Metalla reponitur , cum non durum , ſed fluidum corpus ſit. Partes ipſum componentes ſolidiores ſunt , teretes , & leves , minus arcte ſibi mutuò adhærentes , à globulis ſecundi Elementi , & materia Primi , ipſius poros replentibus , & permeantibus facile agitatæ ; unde corpus liquidum , & ponderoſum nimis , opacumque conſtituunt.

Mineralia à Metallis in hoc ſolùm differunt , quod Mineralia partes habeant breviores , & minus compactas , quàm partes Metallorum ; ſunt enim minus arcte inter ſe unitæ : unde malleo reſiſtere nequeunt , ut extendantur . Mineralium nomine venit quidquid foſſile (præter Metalla , quæ è Foſſilium quidem genere ſunt , ſed Mineralia non dicuntur) è mineris educitur , ut Salia omnia , Stibium , Sulfur , Lapides omnes , ut Pyrites , Cos , Cryſtallus, Adamas , ac pretioſi omnes , &c. qui lapides in Terræ Interioris partibus generantur ex Sale , Terra , & Oleo ſimul junctis . Quò plus igitur terreſtris materiæ continent hi lapides , eò ſunt ponderoſiores ; quò plus olei , eo læviores . Sal verò ad has partes uniendas concurrere videtur . Quibus de lapidum generatione ſuppoſitis, facile de cujuſque natura , & proprietatibus ratio reddi poteſt . De Sulfuris, Bituminis , &c. generatione vide Carteſ. Princ. Phil. part. 4.

Inter Mineralia duo ſunt ſpeciali conſideratione digna , Vitrum , & Magnes . *Vitrum* eſt corpus durum , fragile , & pellucidum in Terræ viſceribus genitum à calcis , & cinerum particulis craſſioribus , & figuræ irregularis , quæ ope ignis maxime agitatæ , & lævigatæ non in punctis , ut prius, ſed in quibuſdam exiguis ſuperficiebus ſe contingunt , & hoc pacto ſimul connexæ Vitrum componunt . Vitrum liquefactum quò citius refriguit , eò fragilius evadet , & contrà . Cujus ratio redditur: quia Vitri meatus ſatis ampli ſunt, dum candens eſt; unde materia Cœleſtis cum ſubtilioribus fortaſſe particulis tertii Elementi facile

Digitized by Google

le per ipſos tranſit: cum autem Vitrum refrigeratur, hi pori redduntur anguſti, & ſi quidem celeriter refrigeretur, ex parte interna, quæ tardius frigeſit, pori quidem latiores erunt, ex parte verò externa, quæ citius frigeſcit, anguſtiores ob ſubitam, & arctiorem partium adhæſionem: unde materia Cœleſtis in poris internis, & latioribus contenta per anguſtiores hos externos poros ægre tranſiens, impetum facit ad poros ſibi dilatandos. Contrà verò dum lente refrigeratur, globuli ſecundi elementi vias ſibi undique ampliores efficiunt, priuſquam partes invicem uniantur. Eadem quoque ratio eſt, cur Vitrum non æque in omnibus ſuis partibus incaleſcens, facile diſrumpatur: ita etiam ſi vehementiori igni ſtatim apponatur: contra tamen lento primum igni appoſitum, deinde gradatim vehementiori, non frangetur, &c. Tandem Vitrum pellucidum eſt, quia poros habet rectos, vel ſaltem non interruptos (quod ſufficit ad luminis actionem tranſmittendam) per quos radii facile tranſeunt. Secundum hanc Hypotheſin facile de his, ac reliquis Vitri proprietatibus rationem reddi poſſe, cum Carteſio ejus Sectatores affirmant; potiſſimum verò de *Lacryma* illa *Vitrea*, nobis ex Hollandia advecta, & ita arte fabricata, ut vel forti malleo in ventre, ſeu in parte craſſiori percuſſa, diſrumpi nequeat; ſi verò vel leviter percutiatur in craſſiori caudæ parte, poſt magnum fragorem tota Lacryma in ſubtiliſſimum pulverem comminuetur.

Magnes eſt lapis ad ferri naturam accedens; imò tanta eſt inter utrumque cognatio, ut ambo ex iiſdem fodinis eruantur, atque ſi Gilberto credendum eſt, optimum quodque ferrum è Magnete conflatur. Componitur Magnes ex craſſis Terræ particulis ferri ſimilibus; unde nullus omninò eſt Magnes, in quo aliquid ferri non contineatur. Magnetis tres præcipuæ ſunt proprietates, ſeu vires. I. In ſtatu libero conſtitutus, ad Mundi Polos ſponte dirigitur. II. Ferrum, vel alium Magnetem ad ſe adducit; nonnumquam etiam fugat. III. Ferrum ad ſe admotum utraque virtute imbuit: quod *Ferrum Magneticum*, vulgò *Calamitatum* dicitur.

Quas Magnetis proprietates ut explicet Carteſius, in mentem revocat ea, quæ ſupra dixit de particulis Striatis, tribus ſtriis ad modum cochlearum intortis, ex partibus craſſioribus primi Elementi compoſitis, & ita intortis, ut quæ ex Auſtrali Terræ Polo veniunt, verſus ſiniſtram ex. gr. quæ verò ex Boreali in oppoſitam partem contortæ ſint. Unde fit, ut quæ ex Auſtrali Polo veniunt, per Borealem Terræ Polum Terram ingredi nequeant; ſed veluti Vortice quodam facto, eundem ſemper Terræ polum ingredi debeant, eamque ſecundum longitudinem poroſitatum axi Terræ parallelarum permeare, de quibus ſupra. Quæ particulæ Striatæ non poſſunt per eandem partem regredi, per quas ingreſſæ ſunt, propter tenuiſſimas quaſdam particularum extremitates in ſpiris iſtorum meatuum verſus eam partem inflexas, verſus quam progredi ſolent, & ita in adverſam partem aſſurgentes, ut earum regreſſum impediant.

Ait inſuper: non omnia corpora poros habere aptos ad ſtriatas particulas recipiendas, ſed tantùm dura, & partibus duris, ramoſiſque compoſita, quale Ferrum eſſe ſupra dixit. In reliquis verò metallis propter nimiam partium ſoliditatem, pororumque anguſtiam, tales nequeunt excavari. Pori igitur Magnetis à poris Ferri, & hujus à poris Chalybis in perfectione tantùm differunt: Magnetis namque pori poris Chalybis perfectiores, & recipiendis particulis ſtriatis aptiores ſunt; pori verò Chalybis poris Ferri perfecti, & idonei magis ſunt.

Tandem aſſerit, in unoquoque Magnete duos diſtingui Polos, Auſtralem unum, qui materiam Striatam ab Auſtrali Terræ parte venientem recipit; Borealem alterum, Auſtrali ex diametro oppoſitum, quem intrat materia

Striata

Digitized by Google

Striata à Boreali parte veniens. Quibus ſuppoſitis, ita Magnetis phænomena explicat.

I. Si Magnes ſuper ſubere aquæ impoſito, vel aliter liber collocetur, ejus Poli ſemper verſus Mundi Polos vertuntur, hoc tamen modo, ut Borealis Magnetis Polus Auſtralem Terræ reſpiciat, & contrà. Materia namque Striata à Mundi Polis veniens, cui Magnetis meatus liberiorem, quam reliqua corpora, tranſitum præbere poſſunt, ſi oblique in Magnetis Polos inciderit, vi, quam habet perſeverandi ſecundum lineam rectam in ſuo motu, Magnetem eouſque impellet, donec illum ad eum ſitum reduxerit, quo per unum Polum ejus poros ingredi, & rectà per alterum egredi poſſit. Auſtralis autem Terræ Polus Boreali Magnetis opponitur, & contrà, quia materia Striata, Borealem Magnetis Polum ingrediens, eſt ea, quæ Borealem Terræ ingreditur, & contrà, ut patet ex dictis.

II. Axes Magnetis, & Acus Magneticæ in Æquatore Terræ ſunt Horizonti paralleli; quò magis verò ad alterutrum Polum accedunt, eò alterutra eorum pars Terræ centro inclinabitur: quia lineæ, quas Striatæ particulæ ſub Æquatore prope Terram deſcribunt, ſunt Horizonti parallelæ; in regionibus verò circumpolaribus ſunt obliquæ.

III. Eodem modo, quo Magnes reſpectu Terræ collocatur, collocatur etiam reſpectu vicini Magnetis; ut ſc. polus Borealis unius Auſtrali alterius reſpondeat, & contrà: nam materia Striata Auſtralem unius ingreſſura eadem eſt, quæ Auſtralem Alterius ingreſſa, per Borealem egreditur.

IV. Magnes intra ſphæram activitatis alterius Magnetis conſtitutus illum trahit, vel ab eodem trahitur. Pro quo ſupponendum, materiam Striatam celerius per poros Magnetis, quàm per ullos alios fluere, nam ſecundum ſuam figuram excavati ſunt. Materia igitur hæc è Magnete celeriter egrediens, & in circumſita corpora impingens, maxima ex parte reflectetur per latera ad poſteriora, oppoſitum Magnetis Polum ingreſſura. Quare circa quemlibet Magnetem Vortex quidam Materiæ Striatæ conſiderandus eſt, major, vel minor, pro Magnetis mole, non ſecus ac de ejuſdem materiæ circa Terram Vortice dictum. Parvus igitur hic Vortex Sphæra activitatis Magnetis vocatur. Si igitur Magnes in Vortice alterius conſtituatur, ſive in ejus Sphæra activitatis, materia Striata circa Magnetem circumacta, alterum Magnetem offendens, in quo meatus pro ſuo tranſitu aptiores invenit, potius hunc ſubit, quàm verſus primum reflectetur: idem dicendum de materia egrediente ex altero Magnete, quæ potius vicinum ſubit, quam verſus priorem reflectatur: materia igitur hæc circa duos Magnetes ita vertitur, ut circa unum. Quare a materia Striata, ex utroque Magnete celeriter fluente, aër intermedius ad latera facile expellitur; unde Magnetes invicem accedunt.

V. Si Magneti liberè ſito alter Magnes ita apponatur, ut Borealis Polus unius Boreali alterius reſpondeat, & contrà, unus alterum non trahet, ſed fugabit. Materia namque Striata ex Polo Boreali unius egrediens, cum non poſſit ſubire Polum Borealem alterius, neceſſariò reflecti debet per latera retrorſum; quod ut contingat, opus eſt, ut inter utrumque Magnetem ſpatium aliquod intercedat; quod cum non ſit, materia Striata ex Magnete majoris activitatis egrediens, vi & impetu, quo egreditur, in Magnetem minoris activitatis irruens, illum propellit, debitumque ſibi ſpatium procurat.

VI. Magnes Ferro ſibi admoto omnem Magneticam virtutem communicat; Ferri enim poris, ut Magnetis pori evadant, id tantum deeſt, ut exiguæ illæ ramulorum extremitates ſupradictæ in ejus meatibus promineant, & verſus unam, eandemque partem, Auſtri ex. gr. flectantur in iis meatibus, per quos ma-

Digitized by Google

materia Striata verſus Auſtrum ferri debet; in aliis vero verſus oppoſitum. Hoc autem Ferro præſtare poteſt materia illa Striata, torrentis inſtar è Magnete exiens, quæ iſtas ramulorum extremitates eo modo infle&ctat, quo deinceps facile ejus poroſitates pertranſire poſſit; ſic Ferrum in Magnetem vertetur. Quod confirmant laminæ quædam ferreæ in modum Crucis in ædificiorum ſummitate locatæ, & caſu ſecundum lineam meridianam ſitæ, quæ longo annorum ſpatio à materia Striata, ſecundum lineam meridianam fluente, in Magnetes verſæ ſunt.

VII. Magnes quandoque varie inclinatur à Polis verſus Ortum, vel Occaſum, quod ei contingit à variis Ferri, Magnetumque fodinis, ad quas Magnes declinat.

VIII. Si Magnes diu in ſitu alio reſpectu lineæ meridianæ, vel alterius Magnetis violenter detineatur virtutem omnem amittit; corruptis ſcil. eorum poris à particulis Striatis, oblique in ipſos incidentibus. Quod etiam Magneti accidit, ſi ejus pori humiditate, rubigine, ſitu, vel violento igne corrumpantur. Notandum tamen, verbum *trahere* vulgari, non philoſophica ſignificatione à Carteſio quandoque uſurpari pro mutuo accedere. Atque hæ ſunt præcipuæ Magnetis proprietates à Carteſio explicatæ, & hic breviter traditæ. Alias Magnetis proprietates ab eo explicatas vide apud ipſum Princ. Phil. part. 4. art. 150. & ſequentibus; ubi etiam de vi, quam dicunt, attractionis in Succino, Vitro, cera Hiſpanica, & ſimilibus, quæ fortiter confricata ad ſe vicina corpuſcula alliciunt, ſimili fere modo pertractat.

Ignis, ex Carteſio Princ. Phil. part. 4. art. 80. producitur, cùm particulæ terreſtres cujuſcumque figuræ, vel magnitudinis, expulſis vi aliqua globulis ſecundi Elementi ab earum interſtitiis, ſolæ in materia primi Elementi innatant, ac ſingulæ ſeorſim ejus rapidiſſimum motum, ſive potius agitationem ſequuntur. Ignis dupliciter excitatur; primò quidem, ſi particulæ terreſtres à materia primi Elementi in motum rapiantur, itaut agitationem ab illa accipiant; ſicque Ignis Igne excitatur: ſecundò verò ſi particulæ terreſtres vi aliqua agitatæ globulos ſecundi Elementi expellere valeant; ut cùm ope radiorum Solis, lente aliqua vitrea collectorum, Ignis excitatur: quo etiam modo à ſilicibus percuſſis producitur.

Ut autem conceptus ignis conſervetur, alimento opus habet, particulis ſcil. terreſtribus craſſis, ſolidis, & ad motum aptis, quæ à materia primi Elementi in minutiſſimas particulas diviſæ, & ab ea impulſæ, vim habent repellendi globulos ſecundi Elementi à loco, ubi Ignis eſt. Quæ craſſæ particulæ tenuiores redditæ, in fumi forma diſſipantur; unde opus eſt, ut novæ ſemper ſuppeditentur, quibus Ignis à globulorum incurſu defendatur. Ea tamen corpora ad Ignem conſervandum aptiora ſunt, quæ poros habent latiores, figuramque partium ramoſam, & inæqualem. Cur autem Lucernæ ſempiternæ dictæ in Hypogæis ad annos plurimos ſine alimento ſervatæ ſint, ratio eſt, quia in Hypogæis perfecte clauſis aër vel nullis, vel minimis ventis commovetur; quare particulæ terreſtres à lucerna elevatæ, quia craſſæ, & ramoſæ, ſibi invicem adhærentes, exiguam veluti fornicem efformantes, continuum quaſi flammæ propugnaculum factæ ſunt, ne à globulis ſecundi Elementi ſuffocaretur: ſicque veluti ſtella quædam exigua in fornicis medio ſervata eſt. Cùm verò Lucerna hæc ex Hypogæis in apricum deducitur, ſi quidem in fuliginoſi illius fornicis compoſitione oleoſa materia tota abſumta fuerit, irruentibus in Lucernam globulis ſecundi Elementi, & fuliginoſum illum fornicem diſſipantibus, Lucerna extinguetur; ſi vero oleoſa materia non omnis conſumta ſit, tunc tamdiu flamma ſervabitur, quamdiu durabit oleum.

Ut

Ignis effectus *Calor*, & *Lux*. Et Caloris quidem ſenſum in nobis excitat per violentum ſuarum partium terreſtrium motum, & agitationem partibus noſtri corporis communicatum: Lucis vero per propulſionem globulorum ſecundi Elementi, factam à materia primi Elementi. Atque hinc pergit explicare, cur quædam corpora luceant, & non urant, & phoſphorus artificialis, & ſimilia quædam contrà urant, & non luceant, ut calx aqua adſperſa, &c. Si enim materia primi Elementi tantùm vim habeat propellendi globulos ſecundi Elementi, non autem nimis craſſas miſti partes agitandi, & ſecum in celerem motum rapiendi, Lux tantùm producitur. Si verò materia primi Elementi tenuiores miſti partes inveniat, & ad celerem motum promtiores, unde facile ab ipſa agitentur, vim autem tantam non habeat, quæ globulos etiam ſecundi Elementi propellere poſſit, Calor; non Lux excitabitur. Sic etiam ratio redditur, cur quædam corpora ſine flamma urantur.

Denique flamma ob ſuam levitatem ſurſum tendit, & acuminata eſt; quia ejus particulæ terreſtres quò plus aſcendunt, eò magis motum amittunt; unde aëris compreſſioni minus reſiſtere valentes, ſub fumi forma diſperguntur. Aër verò circumjacens à fumo aſcendente impulſus circulatione quadam deorſum tendens, pellit particulas corporis oleoſi, quo flamma alitur, verſus ſuperiora.

Ignis Subterraneus ab exhalationibus ſulfureis in ſubterraneis cavitatibus invicem adhærentibus, & particulis nitroſis ſimul junctis oritur. Sylvanus tamen Regis ipſum fieri aſſerit ex miſtura Sulfuris, Ferri, & Aquæ in Terræ cavitatibus facta; non ſecus ac in Chymia talis miſturæ libræ 30. & incaleſcere, & in ignem abire obſervantur: imò & ipſe ignis è Terræ cavernis per montium cacumina erumpens, & Sulfur, & Ferrum continere videtur.

Terræmotus igitur ex hujus materiæ accenſione ob aliquam cauſſam (quæ varia eſſe poteſt) facta oritur; ſi enim unde erumpat, non habet, Terram concutit, & *Qua data porta ruit*: quo igne per voraginem quandam erumpente, Terræmotus ceſſat. Franciſcus tamen Travaginus in ſua Diſquiſitione Phyſica de Terræmotu ait, ipſum tunc accidere, cùm Terra in ſuo motu diurno circa proprium axem repente ſiſtitur, ut in navi currente obſervari aſſerit, ſi in lapidem offenderit; in qua cuncta contenta ſtatim in partem motui oppoſitam nutabunt: ſimiliter in Terræmotu ob Ortu ad Occaſum Terræ vibrationes ſe obſervaſſe affirmat. Sit fides penes autorem.

Calor, *& Frigus* non ſunt, ait, qualitates corporibus inhærentes, ſed ſenſationes quædam partibus noſtri corporis communicatæ à partibus corporum, quæ Calida, & Frigida vocamus. Calor enim eſt: *Violenta quædam, & irregularis agitatio partium corporis, quod Calidum vocamus ex qua agitatione certus quidam motus partibus nervoſis imprimitur, qui menti communicatus Caloris ideam illi excitat*. Contrà verò *Frigus eſt ſenſatio priori contraria, facta à partibus corporis, quæ in quiete ſunt, vel motu æquabili*. Hinc explicatur effatum illud Philoſophicum: *Calidi eſt rarefacere, Frigidi condenſare*.

Fontium, *Fluminum*, *& Puteorum Origo ex Maris aqua eſt*; quæ in Terræ exterioris, ejus ſcil. quam incolimus, meatibus à ſalinis particulis expurgatur; unde eorum aqua dulcis eſt. Quòd ſi fontes, & putei quidam, præcipue Mari proximi, ſalſi obſerventur, id ex eo contingit, quod eorum aqua non bene à ſalibus depurata eſt, quia per Terræ poros latiores fortaſſe tranſivit. Fontes verò Calidi, Frigidi, Ferrei, Aluminoſi, &c. ſubterraneis locis, & mineris, per quas tranſeunt, novas has proprietates debent. Aquæ adſcenſus ad camporum planitiem, & montium juga, à Solis calore, & igne ſubterraneo, procedit.

Meteora non omnia hîc tradenda duxi, ſed ea tantùm, de quibus aliquid

novum, vel peculiare Carteſius, ejuſque ſectatores excogitarunt, iis relictis, quæ cum aliis Philoſophis ſunt communia. Et primò *Ventorum* naturam ut explicet Renatus, utitur exemplo Æolipylæ, quæ eſt globus quidam cavus plerumque æreus, exiguum foramen in una tantùm parte habens. Si vas iſtud parum aquæ continens, cætera verò vacuum, igni ſuperponatur, cùm ignis aquæ particulas agitet, & in vapores convertat; cumque hi majus ſpatium occupare conentur, eorum particulæ aliæ alias impellunt, & verberant; itaut omnium ferme vaporibus collectis, vapores foramini proximiores magno impetu extrudant, qui ventum impetuoſum producunt. Pari modo vapores, Solis calore, vel alia vi elevati, & per aërem diſperſi, ſi à montibus, nubibus ſuperimpoſitis, aëre à ventis oppoſitis impulſo, vel alia cauſſa in anguſtum redacti, impediantur, ne undique ſe dilatent,

Qua data porta ruunt, & Terram turbine perflant,

& quidem verſus eam partem, ubi vapores aſſi condenſati, & minus ſpatium occupantes, ipſis cedunt. Quibus de Ventorum generatione ſuppoſitis, ratio redditur, cur mane Orientales, veſpere Occidentales venti ſpirent. Cur in maris litore degentibus ventus interdiu è mari, noctu verò è Terra ſpirare obſervetur. Cur venti è Terra venientes æſtate quidem calidi ſint, hyeme verò frigidi; contrà verò qui è mari, &c. Quomodo etiam Renatus ventum continuum ab Oriente venientem ſub Zona Torrida conſpicuum explicet, vide apud ipſum. Venti denique ſicci ſunt, vel humidi, ſalubres, vel nocui, quandoque etiam peſtiferi, tum ratione locorum, unde oriuntur, tum etiam ratione corpuſculorum, quæ ſecum deferunt.

Si vapores ex frigore ſuperioris aëris, vel vi ventorum, inter ſe compreſſi, & condenſati, in aquæ guttulas coëant, ſi quidem prope Terram condenſentur, *Nebulas*, ſi longe & ſuperius, *Nubes* producunt. Cùm verò ob intenſiſſimum aëris frigus vapores à materia ſubtili cum ipſis miſta flecti nequeunt, & ſibi invicem adhærent, tunc in exiguos *Glaciei* floccos vertuntur.

Si Nubes ita fortiter à ventis coarctentur, & denſentur, ut earum partes ſibi invicem adhærentes, ponderoſiores reddantur, ut inferioris aëris reſiſtentiam ſuperare valeant, tunc in Terram decident, vel *Nivis*, vel *Pluviæ*, vel *Grandinis* formam præſeferentes. Sub Nivis quidem forma, ſi Nubis partes ſimul junctæ, à vehementi frigore obriguerint, & ſic rigidæ deſcendant. Sub Pluviæ verò ſpecie, ſi aëris, per quem tranſeunt, calore penitus liqueſiant. Si tamen jam liquefactæ decidentes frigidum ventum prope Terram offendeſint, rurſus coactæ Grandinem conſtituent.

Tempeſtates cum ſola pluvia, & vento fortiori, quales in mari frequentiores ob majorem vaporum copiam accidunt, & quas etiam hirundines humilius volitantes, & muſcas à vento ab alto deſcendente deorſum propulſas, captantes prædicere ſolent, à nube, vel nubibus ab alto ſimul deſcendentibus, ſubjectumque aërem impetu propellentibus, & vehementiſſimum ventum, modico tamen tempus durantem, generantibus ortum habent. Has Oceano, præcipue prope Promontorium Bonæ Spei, formidabiliores noſtri nautæ vulgò Travadas vocant; eaſque prædicunt viſa exigua nube, quam à ſimili forma *Oculum bovis* appellant: quæ quidem nubes quò minor initio apparuerit, eò majorem Tempeſtatem portendit: ſignum enim eſt, eam ex alto deſcendere, unde majorem impetum acquirat.

Ignes Sancti Helmi à nautis dicti, ſunt exhalationes à vaporibus ſeparatæ, & ſimul congeſtæ vi ventorum, quæ poſtquam hac illac fluctuaverint, navis funibus, vel malis adhærentes, à Tempeſtatis agitatione accenduntur. Si ignis unus eſt, quem *Helenam* vocant, malum portendit; ſignificat enim, Tempe-

ſtatem

ſtatem adhuc fortem inſtare, non exhauſta ſcil. ejus materia. Si duo appareant, quos *Caſtorem*, & *Pollucem* dicunt, hi exhauſtam Tempeſtatis materiam, ac ſerenitatem mox futuram pronunciant. Si denique tres, vel plures appareant, malum; abundantem enim Tempeſtatis materiam denotant.

Tempeſtates Fulgure, *Fulmine*, & *Turbine ſævientes*, ſic gigni Carteſius opinatur: Cùm plures nubes Tabulatorum inſtar unæ aliis ſuperſtratæ ſint, ut invicem diſtent; ſi aër calidus prius ſuperiorem nubem, quàm inferiorem liquaverit, & ponderoſiorem reddiderit, tunc ſuperior hæc inferiorem irruens, cum fragore, impetu, & ſonitu decidet, & *Tonitru* producet: eodem modo, quo olim in Alpibus circa menſem Majum ſe vidiſſe, Carteſius ait, nives liqueſcentes, & in valles præcipitantes, fragorem, Tonitrui non abſimilem produxiſſe. Unde etiam liquet, cur hyeme rarius, æſtate frequentius tonet; hyeme enim ſufficiens calor non eſt, qui nubibus diſſolvendis ad ſuperiora uſque pertingat.

Quod ſi contingat, ut nube ſuperiori in inferiorem cadente, tanta in aëre intermedio exhalationum copia ſit, quæ valeant conſtrictæ, & collectæ ob vim, & impetum cadentis nubis ignem concipere, tunc illæ accenſæ, & per nubis latera exeuntes, *Fulgur* efficient; quod poteſt etiam ſine tonitru ſuperveniente contingere vel ob nubium diſtantiam, vel quia nubes ſuperior exilis exiſtens, notabilem fragorem producere non valet. Contrà verò ſi exhalationes in eo nubium ſpatio intermedio non ſit, vel ob aliquam cauſſam accendi nequeant, tunc tonitru ſine coruſcatione exauditur. Quod ſi nubes ſuperior magna exiſtens, & per partes ſe mutuò conſequentes decidat, & intermediæ exhalationes accendantur, tunc & Fulgur, & Tonitru producuntur.

Si autem nubes ſuperior tota ſimul velociter decidat, tunc *Turbines* etiam generantur. Cùm enim extremæ partes nubis celerius deſcendant, quam intermediæ, quia aër extremitatibus ſubjectus, minus itineris ad inde egrediendum perficiens, decidentibus extremitatibus facilius cedit, quàm aër partibus intermediis ſubjectus; ſit, ut multo aëris inter utramque nubem incluſo, & à cadente nube compreſſo, hic magna vi, vel ſubjectam nubem, vel latera diſrumpens, cum impetu egrediatur, magnaque violentia in Terram irruens, ex ea iterum aſcendat, ſe celeriter circumagendo, & ſic Turbinem, mare ex imo avertentem, & in columnam attolientem, turres evertentem, arbores annoſas etiam evellentem, producit: qui ſine fulgure, & fulmine eſſe poteſt, ſi exhalationes, quæ accendantur, ibi non fuerint.

Atqui ſi in aëre utramque nubem interjacente exhalationes multæ ſint, hæ vi tempeſtatis accenſæ, & eodem impetu in Terram cum turbine ruentes, *Fulmen* producunt; quod pro ratione partium componentium vel tenuiorum, vel craſſiorum contrarios effectus gignere ſolet. Lapis tamen ille duriſſimus ſimilis ſilici Pyritæ generari poteſt à craſſioribus exhalationibus, in ſubtiliorum accenſione ſimul concreſcentibus, & in lapidem obdureſcentibus: non ſecus ac terra in vaſe aqua pluvia pleno ſubſidens in lapidem concreſcit, additis ei nitro, & ſulfure, & ſimul accenſis.

Stellæ Cadentes, *Excurrentes*, & *Trajicientes* dictæ, & in aëre ſine tempeſtate ad modicum apparentes, generantur ab exhalationibus tenuioribus, à ventis, vel ſimili cauſa accenſis, & ob eorum tenuitatem ſtatim extinctis. Qui verò diutius durare ſolent *Ignes Fatui*, & *Lambentes* dicti, à craſſioribus exhalationibus producuntur.

Iris, quæ in aëre, aquis averſo Sole cadentibus, obſervatur, à varia luminis reflexione, & refractione, in aqueis illis guttis labentibus facta, procedit. Quam ſuam de Iride ſententiam confirmat exemplo Iridis, per pilam

vitream rotundam, pellucidam, aqua repletam, & Soli in adverſa parte ad talem altitudinem objectam, productæ; nec non illius, quæ in aqua à fontium fiſtulis, vel oris aſpergine, averſo Sole, emiſſa generatur; atque ejus, quæ fit à Priſmate vitreo triangulari, per cujus foramen radii luminis egredientes in objecta charta, vel albo linteo Iridis colores depingunt. Iridis igitur cauſſam accuratius examinans, afferit, Iridem primariam quidem à radiis bis refractis, ſemel verò reflexis; ſecundariam verò à radiis bis reflexis, biſque refractis repræſentari: ideoque hujus colores coloribus primariæ debiliores, & minus conſpicuos eſſe.

Ex dictis educit primò, unumquemque hominem ſuam Iridem videre; radii enim luminis non iidem, ſed diverſi ad diverſorum oculos pertingunt. Secundò, eò majorem Iridis arcum videri, quò Sol Horizonti proximior erit. Tertiò, non eſſe à ratione alienum, quod multi affirmant, integram ſcil. quandoque Iridem viſam fuiſſe; quod contingere potuit, ſi ſpectatore ſupra altum montem, Sole verò in Horizonte conſtitutis, linea ex centro Solis ad oculum ſpectantem traducta, altiſſime ſupra Horizontem elevetur. Quartò Iridem quandoque inverſam apparere poſſe: ſi integra cum ſit, ſuperior ejus pars nube aliqua obtegatur: ſive, ut Renatus mavult, ſi radii in maris, vel lacus ſuperficiem incidentes, reflectantur in decidentes aquæ guttas, ex quibus reflexi, & refracti ad oculum perveniant. Quintò, Iridem, quæ in aquæ pluviæ guttis efformatur, eandem & in pratis, roris guttis madentibus, gigni poſſe, hiſce idem, ac illæ, efficientibus.

Ἅλωες Græcè, Latinè *Areæ*, ſunt Coronæ illæ ſplendentes, quæ ſereno Cœlo circa ſidera apparent. Hæ ſidus aliquod pro centro habentes, modò parvæ, quarum ſcil. diameter quatuor, vel quinque graduum ſit; modò magnæ, quarum ſcil diameter ad 45. gradus extendatur, videntur, ac modò etiam rubræ, modò albæ, dilutive coloris obſervantur. Earum autem naturam, ut de Iride dictum, in varia luminis refractione ponit. Radii enim Solis, Lunæ, alteriuſve ſideris in particulas glaciei in modum ſtellarum efformatas impingentes, in his particulis, quæ craſſiores in medio ſint, quàm in partibus extremis, refracti, & ſub eodem angulo ad oculum delati, Coronas illas diverſimode coloratas circa ſidera producunt. Coronæ verò illæ, quæ à lippientibus, vel oculos diu compreſſos habentibus videntur, nulli corpori externo, ſed ipſis oculis radios luminis varie detorquentibus, & refrangentibus, tribuuntur. Pari modò radii illi bini, quorum alter ſuperiori, alter inferiori parti candelæ adhærere videtur, à duplici radiorum candelæ reflexione producuntur: ſuperior enim candelæ radius qui videtur, ab inferioribus candelæ radiis repræſentatur, & contra; ſicut ipſa manu aliquam candelæ partem obtegente experimur.

Imagines illæ in nubibus efformatæ, quæ ſi plures Soles repræſentent Παρήλια, *Parbelia* à Græcis dicuntur; ſi verò plures Lunas Παρασελῆναι, Paraſelenæ; à nubibus, ventorum vi undique compreſſis, & rotundatis ortum habent. Si enim alicujus hujuſmodi nubis exterior ſuperficies calidiori vento, vel Solis radiis liquefacta, frigore venti ex oppoſita parte venientis iterum condenſata, cruſtam quandam, ſive anulum glaciei, interiorem nivem circumdantem efficiat; tunc Solis radii in hanc politam, ac veluti cryſtallinam glaciei ſuperficiem incidentes, varieque verſus nivem contentam reflexi, & refracti, duas, aut plures Solis, aut Lunæ imagines ſub eodem circulo repræſentabunt. A qua ſententia non multum diſtare videtur Ammianus Marcellinus, qui lib. 20. Rer. Geſt. de Parheliis ita ſcribit: *Sol autem geminus ita videri exiſtimatur, ſi erecta ſolito celſius Nubes, æternorumque ignium propinquitate collucens, orbis*

orbis alterius claritudinem, tanquam è ſpeculo puriore formaverit. Denique Meteoron illud celebre Romæ viſum die 2. Martii 1629. duas ſcil. Halones, aliosque Soles circa Solem viſos: hujus Meteori relationem, iconem, & explicationem, Vide apud Carteſium cap. ult. Meteorum.

Plantas, & *Bruta* improprie *Animata* dici, ait: unamque eſſe Animam Rationalem hominibus tantum tributam. Quod autem Plantæ naſci, creſcere, & vivere quodammodo, ac mori videantur, id externæ prorſus cauſſæ tribuendum. Et quidem Plantæ exortus à varia ſuccorum Terræ, & cujuſque Plantæ ſeminis fermentatione, ſive à Solis calore ſuccos agitante, ſive ab aquis pluvialibus ſalia Terræ diſſolventibus, ſive denique à ſuccis diverſæ naturæ invicem occurrentibus, circa Terræ ſuperficiem producta, dependet. Terræ enim ſuccus ſemen ſibi commiſſum circumdans, vi exterioris fermentationis propulſus, poros tunicarum ſeminis, craſſæ quidem tunicæ latiores, tenuis verò, & tenuiſſimæ ſtrictiores, ingreditur, per quos continua percolatione depuratus, ſeminis lobos ſubit, quorum ſucco peculiari permiſtus, novam patitur fermentationem. Qua fermentatione ſubtilior, & purior redditus, radicis ſeminalis ramulos ſubit, per quos varie diſpeſcitur. Hic ſuccus ob continuam alterius venientis ſucci pulſionem ſurſum ad ſeminis plumam, deorſumque ad radiculam fertur; magis autem ad radiculam, quæ ideo creſcit priuſquam pluma ſenſibiliter ſupra Terram attollatur. Hoc igitur pacto adaucta radicula uberiorem ſuccum à Terra per proprios poros recipit, qui contrariam motus determinationem habens, cogit ſuccum è lobis venientem ſecum ad plumam aſcendere; ſicque pluma, & lobi his ſuccis adaucti aſſurgunt, radicula ſub Terra relicta.

Succus hic nutritius Plantarum non pura aqua eſt, ſed aqua ſale nitroſo permiſta. Qui ſuccus licet homogeneus diverſos in Plantis odores, & ſapores producit pro diverſitate pororum plantarum, quibus configurari debet. Atque hinc eſt, quod ſurculus ſativus agreſti trunco inſitus dulces fructus gignat; ſuccus enim nutritius ex agreſti trunco veniens, & ſurculi poros ſubiens, partium figuram, & ſic indolem mutare cogitur.

Succus autem hic nutritius radicibus communicatus per Plantæ fibras ſurſum ad truncum, ramos, frondes, &c. aſcendit pro eorum nutritione, & auctione; quod autem reſiduum à nutritione eſt, per alias fibras ad radices iterum deſcendit, ut novam ibi perfectionem acquirat, & ſic iterum præparatum aſcendat: itaut continua quadam *Circulatione* (non ſecus ac ſanguis in corporibus animalium per arterias è corde fluit, ac per venas iterum ad cor refluit, ut perfectior ibi redditus ad corporis membra iterum redeat) aſcendat per fibras illas, quæ arteriarum loco ſtare videntur; per alias verò deſcendat, quæ venarum officio funguntur. Quæ omnes Plantarum fibræ non immeritò *Vaſa Circulatoria* appellantur. Pars verò illa in qua radices cum trunco in Terræ ſuperficie junguntur, Plantarum Cor dici poſſet. Quibus poſitis, omnium de Plantis Phænomenon ratio redditur. Cauſſa verò ſuccum hunc è terra attollens, eadem plane eſt, ac quæ vapores ſublevat; Solis ſcil. calor, ipſius partes agitans; ad id quoque concurrentibus fermentationibus in Terræ ſuperficie continuis, potiſſimum verò poſt pluviam.

Plantarum *Propagatio* omnis fit per ſemen ejuſdem generis, vel radicum, virgarumque tranſplantationem, quæ pro ſemine ſunt, & ſine ſemine nulla dari poteſt Plantarum productio: quod probatur ex Geneſ. 1. Omnia igitur Plantarum genera, quæ nunc ſunt, initio Mundi fuere, ac talia à Deo creata fuiſſe exiſtimatur.

Animalia omnia tum Ovipara, tum Vivipara ex ovo ſemina, maris ſe-

mine

mine fœcundato, naſcuntur. Neque alia eſt Ovipara inter, & Vivipara differentia, quàm modus excubandi ova; Ovipara enim ova extra ſe excubant; Vivipara verò propria ova intra uterum excludunt, ac deinde vivos fœtus pariunt. Ex quo nulla datur *Generatio ex putri*, ut putarunt veteres, aſſerentes, Inſectorum, quæ Animalia imperfecta vocabant, generationem ſine ullo ſemine ex ſola putredine fieri poſſe. Enimvero putredo nonniſi aptum locum, ac veluti nidum ad inſectorum ova excludenda ob ſuum calorem, & fermentationem idoneum præſtat. Qua de re optime, quàm cæteri, ſcripſit eruditiſſimus Franciſcus Redi. Nec rationi conſonum putatur, quod ait Henricus Regius, poſſe quidem animalia ex fortuito partium terreſtrium concurſu ſine ſemine generari.

Bruta Animalia nullam prorſus Animam habere, ſed eſſe mera Automata, ſive Machinas quaſdam à Deo ita affabre conſtructas, ut ſine ullo Animæ regimine, ſed ſola organorum, ac partium ſimilarium connexione, & correſpondentia, omnes animales motus, & operationes, etſi miras, ex mechanica tantum efficiant neceſſitate, affirmat, multiſque probare nititur argumentis Carteſius, & poſt ipſum Carteſiani. Quorum præcipuum eſt: Hæc *Anima Senſitiva*, quam Brutis tribuunt, vel Spiritus eſt, vel Corpus. Si Spiritus, cùm hujus eſſentia in cogitatione conſiſtat, dicendum eſſet, animalia cogitare, quod abſurdum eſt. Si Corpus, vel Anima Corporea, dummodo nomine Animæ Corporeæ Intelligantur ſpiritus animales, qui omnium motuum, & actionum cauſſa proxima ſunt, in id etiam Machiniſtæ conſentiunt; tantùm enim negant, hos ſpiritus à ſubſtantia ab ipſis diſtincta gubernari. Si enim ſubſtantia hæc à Brutorum corpore diſtincta admitteretur, etiam poſt emortua Brutorum corpora ſubſiſteret, cùm ſubſtantiæ proprium ſit, ut independenter ab aliis exiſtat; ac proinde æterna erit; quod rationi æque ac Religioni repugnat. Vanum etiam, inquiunt, eſt effugium, quod ſit Subſtantia Incompleta; nam neque relate ad ſe, neque relate ad totum dici poſſet Incompleta, ut patet.

Brutis hanc Animam tribuendi, ajunt Machiniſtæ, nulla neceſſitas eſt, cùm omnes Brutorum functiones per ſolas Mechanicæ leges fieri poſſe, facile explicetur. Omnes enim ſive motus, ſive ſenſationes à ſolis ſpiritibus animalibus, varie ab objectis externis effectis, & in has, vel illas corporis partes influentibus oriuntur. Ut autem ſpiritus animales, qui Phyſica, ſive, ut alii dicunt, Materialis motuum, & ſenſationum cauſſa ſunt, ad hos potius, quàm illos muſculos ad motum edendum influant, non debent neceſſariò ab Animæ voluntate determinari, ut præter alios putat Sylvanus Regis Phyſ. lib. 7. part. 2. c. 11. ſed ſufficit, ſi ab objectis externis determinentur. Quæ cauſſæ externæ quatuor eſſe poſſunt, Locus in quo eſt objectum; Qualitas ſuæ actionis; Diſpoſitio fibrarum cerebri; & Diverſa externorum membrorum aptitudo. Pari etiam modo Brutorum Paſſiones, Memoriam, Indolem, Docilitatem, &c. explicant per varium ſpirituum, & ſanguinis motum, prout ſcil. varie ab objectis externis determinentur, & moveantur.

Hac autem in re apud antiquos, & recentiores Philoſophos tam controverſa non abs re mihi videtur referre hic, quod habet alias laudatus P. Malebranche de Inquir. Verit. loc. cit. qui, poſtquam fuſius probavit rationibus ſupra adductis, nullum corpus poſſe aut ſeipſum, aut aliud movere; neque ſpiritum creatum eſſe cauſſam motus, ſed ſolum Deum eſſe primam, & veram cauſſam omnium motuum, reliquas verò tantum Naturales, ſive Occaſionales; aſſerit, Deum ad occaſionem, ſive determinationem voluntatis in corpore, cui Rationalis Anima præeſt, motus Voluntarios efficere; Involunta-

luntarios verò, ſivè neceſſarios, ſecundùm Mechanicæ leges, quas ſemel ſibi propoſuit, producere ad occaſionem alterius corporis. Sic pariter occaſione hujus, vel illius corporis, quod canis, exempli cauſſa ſpiritus in cerebro per nervos ita afficit, Deus ſpiritibus animalibus ad hæc, vel illa corporis membra movenda motum communicat. Deus igitur, qui omnia intime penetrat, cunctis motum tribuit per ſolam ſuam voluntatem, occaſione quidem voluntatis humanæ in motibus Voluntariis; alterius verò corporis, & ſecundum Mechanicæ leges, in motibus Involuntariis, qui hominibus cum Brutis communes ſunt, & omnes æque Neceſſarii. Neque vero hinc Deus eſſet cauſſa peccati, ficut & autor motus Voluntarii; peccatum enim non in actu Phyſico, ſed in voluntatis determinatione conſiſtit. Secundum quam ſententiam deinde explicatur, quomodo Bruta tot mira efficiant, quibus Homines etiam ſapientia ſuperare videntur: Sapientia enim Creatoris eſt, non Brutorum.

Hæc tamen ſententia, omnem prorſus Animam Brutis denegans, longe ante Carteſium propugnata fuit à celeberrimo ſui ævi Philoſopho Gomitio Pereira, Medico Methinæ Duelli, qui an. 1554. librum, noſtro ævo rariſſimum, edidit, cui ex Patris, & Matris nomine titulum fecit: *Antoniana Margarita*; in quo omnem Brutis ſenſum, & Animam ut adimeret, variis argumentis uſus eſt; quorum hoc unum: Si Bruta ut homines ſentirent, jam ut homines etiam externa cognoſcerent, & mentaliter conciperent. Si autem mentaliter res tales cognoſcerent, quales in ſe ſunt, jam inter eas diſtinguerent. Sed hoc fieri nequit ſine Rationis opere præcipuo. Ratio enim ex Auguſt. lib 2. de Ordine, eſt vis animi diſtinguendi, & connectendi potens. Ergo Bruta dicenda eſſent Rationalia; quod eſt abſurdum, &c. Inter alia denique argumenta, quibus varii autores Brutorum Animam reprobare contendunt, illud etiam eſt Divi Auguſt. qui ait, Bruta nec voluptatem, nec dolorem, nec aliam ullam ſenſationem habere poſſe. Si enim, inquit, Bruta dolorem ſentirent, Deus injuſtus videretur; dolor enim in pœnam peccati eſt. Sed Bruta nullum peccatum nec Originale, nec Actuale habent, nec repromiſſionem expectant. Ergo dolorem injuſte ſentire non debent. Videatur, præter cit. Autores, doctiſſimus P. Malebranche in Apologia contra Mr. de la Ville; Antonius le Grand in Tract. de Carentia Senſus, & Cognitionis in Brutis; Anonymus Gallus in Tract de l'Ame dell'Homme; atque alii de Anima Brutorum tractantes, inter quos P. Pardies Jeſuita, qui animam Brutis ſatagit vindicare.

Sed à Brutis ad *Hominem*, qui Carteſianæ Philoſophiæ Epitomen claudat, tranſeamus. Animæ Sedes principalis eſt *Glandula* illa, quæ in cerebri medio ſita, à Græcis Κωνάριον, Latinis *Pinealis* à figura vocatur. Idque ex eo potiſſimum deducit Renatus, quia una in corpore eſt, & in eam nervi omnes, ſenſuum, & motuum organa terminantur. In hac autem Glandula Pineali Anima immediate ita ſuas functiones exercet, ut per variam Glandulæ inclinationem varie ſpiritus animales, veluti tot radios per corpus diffundat, corpuſque moveat, & afficiat; contrà verò ſpiritus ab variis cauſſis varie moti, & affecti, varie Glandulam inclinent, & Animam afficiant. Neque obſtat, quod multi cum Bartholino opponunt, quod Glandula hæc ſit exilis; quod excrementis, & Capillis referta, aut in lapidem mutata reperta quandoque ſit. Quibus Carteſiani apprime reſpondent.

Prætermiſſis iis, quæ de Cerebri, ejuſque Ventriculorum, Nervorum, & Spirituum Animalium natura docet Carteſius (quæ ex Medicis libris melius peti poſſent) quid ſit *Memoria* ex ejus doctrina adnotabo. Ait igitur, filamenta, quæ cerebri ſubſtantiam componunt, non levia, & teretia eſſe, ſed parvos ramulos, ſeu pilos hac illac eminentes habere; itaut ſi nullus foret ſpi-

ſpirituum animalium per cerebrum curſus, conſiderari poſſet cerebrum tanquam denſa ſylva, herbis, fruticibus, & arboribus refertiſſima, per quam nemo unquam tranſivit. Si per hanc Sylvam viator, fera, aut torrens tranſiens viam vi ſibi fecerit, plantarum ramuſculis versùs unam partem inclinatis, hujus viæ veſtigium remanebit, donec per eam contrario motu quiſpiam tranſierit, vel longa tranſitus intermiſſione fuerit obliterata. Eodem plane modo per influxum ſpirituum animalium per hos, vel illos cerebri meatus, fibrillarum, ſeu filamentorum ramuſculi, ſive pili verſus contrariam partem inclinantur: cujus viæ veſtigia tandiu remanebunt, quandiu à contrario ſpirituum incurſu libera erunt. In hoc igitur Memoria reponitur; ut ſpiritus animales facile per eaſdem cerebri vias tranſire poſſint, quas ſibi vi prius excavarunt. Hæc autem veſtigia obliterantur, ſi per longum temporis ſpatium eaſdem vias non percurrerint, vel contrario per eos motu ferantur; ſic enim ramuſculis, ſeu pilis in contrariam partem inclinatis, vel invicem implicatis, Memoria deperditur.

Motus, *& Senſus omnes* à nervis, & ſpiritibus animalibus per nervos toti corpori communicatis, fieri, ait. Cauſſæ verò, Glandulam ad has, vel illas nervorum fibrillas inclinantes, præter Animæ voluntatem, plures aliæ ſunt, ut objectorum exterrorum in ſenſuum organa actio, atque eæ omnes tum internæ, tum externæ, quæ ſpirituum motum varie determinare poſſunt. Senſus igitur eſt facultas Animæ percipiendi objecta externa, quæ ſuo contactu immediate corporis organa afficiunt: ſive hæc objectorum actio per ſpiritus animales in nervorum fibris contentos, ſive per filamenta nervea in nervorum tubulis poſita, à ſenſuum organis ad cerebrum uſque communicetur. In Anima itaque ſecundum leges unionis cum corpore ex vario modo, quo filamenta hæc nervoſa, ſive ſpiritus animales, Glandulam afficiant, varia ſenſationis idea excitabitur. *Species* verò, ſive *Qualitates Senſibiles* dictæ non corporibus inhærent, ſed Animæ. Si filamenta hæc nervea in debito, & naturali tono non ſint, ſed relaxentur, tunc motus ille ab objectis ſenſuum organis impreſſus, ob fibrarum flacciditatem cerebro non communicatur, & ſic *Somnus* inducitur. Contrà verò iiſdem filamentis in debitum, ac naturalem tonum redeuntibus, ac motibus uſque ad cerebrum tranſmiſſis, animal dicitur *evigilare*.

Tactus Senſuum omnium univerſaliſſimus eſt: unde ad hunc ſolum omnes Senſus, quos Externos vocant, reduci poſſe, multi contenderunt. Et quidem aër à corpore ſonoro percuſſus, aurium organa tangens, Auditum producit: halitus è corpore odoro emanantes, narium nervos tangentes, Odoratum efficiunt; & ita de reliquis. Tactus organa ſunt fibræ nerveæ à cerebro ad univerſum corpus diffuſæ, quæ in cuti terminantes, in ipſa papillulas quaſdam pyramidales efformant, quæ motus ſibi ab objectis impreſſos, per filamenta in tubulis nerveis incluſa ad Glandulam uſque tranſmittunt: qui motus, ſecundum legem unionis Animæ cum corpore, varias qualitatum tangibilium ideas in mente excitabunt. Si enim nervoſa hæc filamenta ab objectis leniter afficiantur, ſalvaque corporis conſtitutio remaneat, voluptatis ſenſatio fiet; contra verò doloris. Sic etiam levia eſſe corpora mens judicat, ſi ex eorum tactu plura filamenta æqualiter trahantur; aſpera verò ſi inæqualiter. Par de reliquis ratio habenda.

Guſtus organum immediatum lingua eſt, ac præcipue ejus papillæ nerveæ per univerſam linguæ ſuperficiem diſſeminatæ: quæ vel nudis oculis obſervantur in lingua felis, è qua veluti tot cornua aſſurgentes, eam aſperam reddunt. Varii autem ſapores à vario motu papillulis iſtis impreſſo à ſalibus varia figura præditis, dependent; nec non à varia organarum diſpoſitione, & textura.

Odo-

Digitized by Google

Odoratus fit per extrema filamenta nervorum olfactoriorum, quæ lamellas quaſdam oſſeas in fundo narium ſitas veſtiunt; ut communis opinio eſt: quamvis non deſint, qui Odoratum in proceſſibus mammillaribus, intra os Cribriforme ſitis conſtituant. Halitus igitur à corporibus, quæ odora vocamus, exhalantes, & nervos olfactorios cum impetu in aëris reſpiratione ferientes, odorum ſenſationes in Anima excitabunt. Quare pro varietate motuum dictis nervis impreſſorum, & varia organorum diſpoſitione, variæ odorum ſenſationes habentur. Notandum, particulas odoras ſubtiliores eſſe particulis fœtidis: hinc corpus odorum eas eminus, fœtidum cominus emittit.

Nervi ad internas aurium partes, Labyrinthum ſcil. & Cochleam è cerebro protenſi, ſi ab aëris tremulo motu, ſive undatim facto, à corporibus ſonoris dictis producto, feriantur; hi motum illum uſque ad Animæ ſedem communicantes, *Auditum* producent, varias ſoni ideas in ea excitando. Tremulus hic motus ſimilis ei eſt, qui in chordis altera tantum extremitate pulſatis obſervatur. Contrà tamen alii putant, motum aëris, per quem ſonus communicatur, non tremulum, & undatim fieri, ſed propagari per lineas rectas, ductas à puncto ictus quaquaverſum ſphærice ſecundum omnes dimenſiones; hoc eſt, primis aëris particulis ſecundas, ſecundis tertias ſibi contiguas, & ſic deinceps per lineas rectas impellentibus.

Lumen eſt motus quidam, ſeu potius conatus, preſſio, vel prima præparatio ad motum: qui conatus materiæ cœleſti circumjacenti à corpore luminoſo impreſſus, & quaquaverſum diffuſus, ad intimam oculorum membranam, Retinam dictam, ab extremitatibus nervorum opticorum contextam, perveniens, ſenſationem, quam Luminis appellamus, in mente excitat. Semper igitur ac materia primi Elementi ſimul unita vim habet materiam cœleſtem circumſitam propellendi, luminis ſenſum producet; ut in Sole, aliiſque luminoſis corporibus obſervatur. Per quam propenſionem ad motum, facile explicari ait Renatus, cur Lumen ad maximam etiam diſtantiam momento temporis perveniat; propter perfectam enim globulorum contiguitatem preſſio hæc remotiſſimis etiam corporibus illico communicatur: quod exemplo cæci viam tentantis ipſe confirmat. Sic etiam radii Luminis, qui per Carteſium ſunt lineæ rectæ, per quas hæc Luminis actio tendit, licet infiniti ferme à corpore luminoſo procedant, & ſeſe interſecent, & tamen alter alterius actionem non impediat. Cur Luminis actio ab aëre, & ventis non impediatur; & his ſimilia.

Colores non eſſe, ait, qualitates corporibus inhærentes, ſed varias Luminis modificationes. Lumen enim à varia objectorum ſuperficie ſecundum variam reflexionem, & refractionem modificatur; ſicque modificatum ad oculos perveniens, variorum colorum ideas producit. Non ſecus ac, Carteſius ait, cæcus baculo res obvias explorans, ex varia reſiſtentia, quam in obviis corporibus deprehendit, aquam à lapide, lapidem à pulvere, &c. diſtinguit; ita ex varia radiorum à corporibus ad oculos venientium modificatione, ſive reſiſtentia, quam in corpora impingentes habuere, reflexione, & refractione, colorum varietas depreenditur. Exiſtimat etiam, Colorum varietatem à varia proportione conatus circa proprium centrum cum proportione conatus ſecundum lineas rectas pendere. Globuli enim non ſolum ſecundum lineas rectas à corpore luminoſo productas, ſed etiam circa proprium centrum ex varia corporum occurrentium reſiſtentia, moveri conantur. Si igitur radii in corporis alicujus ſuperficiem incidentes quaquaverſum diffundantur, ut vel omnes ad oculos perveniant, tunc *Album Colorem* in ipſa repræſentabunt: contra tamen ſi corporis ſuperficies ea ſit, quæ Luminis radios veluti abſorptos ſuffocet; tunc qui pauci re-

Digitized by Google

revertuntur, illam *Nigri Coloris* indicabunt. Itaque prout Luminis radii pauciores, vel plures ad oculum à corporibus pervenient, & prout varius uterque globulorum conatus erit; vel ſub vario reflexionis, & refractionis angulo (ut de Iride dictum) radii revertuntur; obſcuriores, vel clariores Colores obſervantur.

Viſio autem (ſuppoſitis iis, quæ Carteſius cum aliis Mathematicis in Dioptrica habent; & quæ de oculorum ſtructura Anatomici docent) ita perficitur. Radii luminis ab objectis ad oculos venientes, triplicem in iis patiuntur refractionem, unam in ingreſſu humoris Aquei, ſecundam in ingreſſu Cryſtallini, tertiam in egreſſu ab eodem: deinde ſic refracti iterum uniuntur in fundo oculi, hoc eſt in Retina, in qua parvam quandam imaginem depingunt, ſimilem objecto, unde radii venerunt, ſed inverſam. Quod clarum fit experimento domus perfecte obſcuræ, ſed unum tantùm foramen habentis, per quod radii ingredientes in appoſita ad debitam diſtantiam charta, ea, qua foris ſunt depingunt, ſed inverſa: quod etiam in oculo bovis obſervatum eſt. Viſus autem ſenſatio non in hujus imaginis pictura conſiſtit, ſed in vario motu, quem radii filamentorum opticorum extremitatibus, ex quibus Retina contexta eſt, imprimunt. Ad viſionem itaque efformandam & luminis radii, & recta organorum diſpoſitio requiruntur. Etſi autem duæ imagines in Retina pinguntur, unum tamen objectum Animæ repræſentatur, quia in analogis oculorum locis pictæ ſunt; unde fit, ut in eandem cerebri partem concurrentes, eodem modo Glandulam afficiant, ac ſi ab uno objecto afficeretur; non ſecus ac una res duplici manu tacta, una per duplicem manum Animæ repræſentatur; & chordæ uniſonæ unum ſonum edunt. His de Carthesiana Phyſica adnotatis, ad Ethicam veniamus.

ETHICA.

Quamvis Carteſius perfectum, abſolutumque de Ethica Tractatum non confecerit; hujus tamen tam neceſſariæ Philoſophiæ partis veluti Principia, certaſque Regulas tum in ſua Methodo, tum in Tractatu de Paſſionibus Animæ reliquiſſe videtur. Et quidem in Meth. art. 3. has Regulas ad honeſte, beateque vivendum ſibi ſuffeciſſe, aliiſque etiam ſuffecturas, affirmat: inquiens: *Atque ut ab illo tempore vivere inciperem quàm feliciſſime fieri poſſet, Ethicam quandam mihi effinxi, quæ tribus tantum, aut quatuor Regulis continebatur; quas hic non pigebit adſcribere.*

Prima erat, ut legibus, atque inſtitutis patriæ obtemperarem, firmiterque illam Religionem retinerem, quam optimam judicabam, & in qua Dei beneficio fueram ab ineunte ætate inſtitutus; atque me in cæteris omnibus gubernarem juxta opiniones quammaxime moderatas, atque ab omni extremitate remotas, quæ communi uſu receptæ eſſent apud prudentiſſimos eorum, cum quibus mihi eſſet vivendum, &c.

Altera regula erat, ut quammaxime ſemper propoſiti conſtans, & tenax eſſem: nec minus dubitanter, atque incunctanter in iis peragendis perſeverarem, quæ ob rationes valde dubias, vel forte nullas ſuſceperam, quàm in iis, de quibus plane eram certus. Ut in hoc viatorum conſilium imitarer, qui ſi forte in media aliqua ſylva aberrarint, nec ullum iter ab aliis tritum, nec etiam verſus quam partem eundum ſit, agnoſcant; non ideo vagi, & incerti modò verſus unam, modò verſus alteram tendere debent, & multo minus uno in loco conſiſtere, ſed ſemper rectâ, quantum poſſunt, verſus unam, & eandem partem progredi; nec ab ea poſtea propter leves rationes deflectere, quamvis forte

Digitized by Google

forte initio plane nullas habuerint, propter quas illam potius, quàm aliam quamlibet eligerent. - - - - - - Atque hoc ſufficiens fuit ad me liberandum omnibus iſtis anxietatibus, & conſcientiæ morſibus, quibus infirmiores Animæ torqueri ſolent: quia multa ſæpe uno tempore ut bona ampleƈtuntur, quæ poſtmodum, vacillante judicio mala eſſe ſibi perſuadent.

Tertia regula erat, ut ſemper meipſum potius, quam Fortunam vincere ſtuderem, & cupiditates potius, quam ordinem Mundi mutare. Atque in univerſum ut mihi firmiter perſuaderem, nihil extra proprias cogitationes abſolute eſſe in noſtra poteſtate; adeout quidquid non evenit, poſt quam omne, quod in nobis erat, egimus, ut eveniret, inter ea, quæ fieri plane non poſſunt, & Philoſophi vocabulo impoſſibilia appellantur, ſit à nobis numerandum. Quod ſolum ſufficere mihi videbatur ad impediendum, ne quid in poſterum optarem, quod non adipiſcerer, atque ad me hoc pacto ſatis ſe[illegible]em reddendum. Nam cùm ea ſit voluntatis noſtræ natura, ut erga nullam rem unquam feratur, niſi quam illi noſter intelleƈtus ut aliquo modo poſſibilem repræſentat; ſi bona omnia, quæ extra nos poſita ſunt, tamquam æqualiter nobis impoſſibilia conſideremus, non magis dolebimus, quod ea forte nobis deſint, quæ natalibus noſtris deberi videntur, quam quod Sinarum, aut Mexicanorum Reges non ſimus. Et rerum neceſſitati voluntatem noſtram accuratiſſime accomodantes, ut jam non triſtamur, quod noſtra corpora non ſint tam parum corruptioni obnoxia, quam eſt adamas, vel quod alis ad volandum inſtar avium non ſimus inſtruƈti; ita neque ſanitatis deſiderio torquebimur, ſi ægrotamus, nec libertatis, ſi carcere detineamur. Sed fateor, longiſſima exercitatione, & meditatione ſæpiſſime iterata opus eſſe, ut animum noſtrum ad res omnes ita ſpeƈtandas aſſuefacere poſſimus. Atque in hoc uno, mihi perſuadeo, repoſitam fuiſſe omnem artem illorum Philoſophorum, qui olim fortunæ imperio ſe eximebant, & inter ipſos corporis cruciatus, & paupertatis incommoda de felicitate cum ſuis Diis contendebant. Nam cum aſſidue terminos poteſtatis ſibi à Natura conceſſę contemplarentur, tam plane ſibi perſuadebant, nullam rem extra ſe poſitam, ſive nihil præter ſuas cogitationes ad ſe pertinere, ut nihil etiam amplius optarent; & tam abſolutum in eas imperium iſtius meditationis uſu acquirebant, &c.

Ut autem hanc Ethicam meam concluderem, diverſas occupationes, quibus in hac vita homines vacant, aliquandiu me expendi, atque ex iis optimam eligere conatus ſum. - - - - - Ac præterea tres Regulæ mox expoſitæ ſatis reƈtæ mihi viſæ non fuiſſent, niſi in veritate per hanc Methodum inveſtiganda perſeverare decreviſſem. - - - - - Nam cum voluntas noſtra non determinetur ad aliquid vel perſequendum, vel fugiendum, niſi quatenus ei ab intelleƈtu exhibetur tanquam bonum, vel malum; ſufficiet, ſi ſemper reƈte judicemus, ut reƈte faciamus; atque ſi, quam optime poſſumus, judicemus, ut etiam, quam optime poſſumus, faciamus; hoc eſt, ut nobis virtutes omnes, ſimulque alia omnia bona, quæ ad nos poſſunt pervenire, comparemus. Si quis autem ſe illa ſibi comparaſſe confidit, non poteſt non eſſe ſuis contentus, ac beatus. Poſtquam vero me his Regulis inſtruxiſſem, illaſque ſimul cum rebus Fidei, quæ ſemper apud me potiſſimæ fuerunt, reſervaſſem; quantum ad reliqua, &c.

De Paſſionibus Animæ, & quæ in ſpecie de earum ſingulis tradidit Carteſius, non ea fert animus omnia recenſere; ſed in genere quid Animæ Paſſiones ſint, & quomodo producantur, adnotare. Carteſius *De Paſſionibus art.* 27. eas ſic definivit: *Perceptiones, aut Senſus, aut Commotiones Animæ, quæ ad eam ſpeciatim referuntur, quæque producuntur, conſervantur, & corroborantur per aliquem motum ſpirituum.* Quæ autem Paſſiones ſunt reſpeƈtu unius ſubjeƈti,

ℓti, ſemper ſunt Actiones reſpectu alterius: quare quæ Paſſiones ſunt reſpectu Animæ, Actiones erunt reſpectu corporis, vel objectorum externorum, quæ illas in Anima producunt.

Cauſſæ Paſſionum vel immediatæ, & proximæ ſunt, vel mediatæ, & remotæ. Proximæ ſunt motus quidam, ut dictum, in cerebro, & ſpiritibus animalibus introducti: Remotæ verò objecta externa, & ea omnia, quæ talem motum ſpiritibus animalibus inducere valent, per quem in Anima Paſſiones excitantur. Quod ſi idem objectum uni unam, alteri alteram, eamque quandoque contrariam excitet Paſſionem; id vel à cerebri, reliquarumque partium diſpoſitione diverſa, vel à conſuetudine ab ineunte ætate contracta, qua cerebri organa varie diſponuntur, dependet.

Paſſiones omnes eò nobis tributæ ſunt, ut per ipſas, quod nobis conveniens repræſentatur, avide proſequamur, quod verò diſconveniens, reſpuamus. Verùm quoniam ſæpe Animæ paſſiones quædam ut bona, & utilia repræſentant, quæ talia non ſunt, & contrà; ſedulò in id incumbendum, ut quid verè bonum, quid vere malum ſit, ratione duce, non voluptate ſeducente, dignoſcamus. A ſolo enim recto Paſſionum uſu omne bonum hujus vitæ, contrà verò à malo earundem regimine omne malum dependet: imò ad ſolam de Paſſionibus Animæ doctrinam omnes Ethices canones reduci poſſunt. Quare ad rectum Paſſionum regimen inſtituendum, atque etiam animi tranquillitatem acquirendam (quod unicum vitæ bonum eſt) pauca, & generalia quædam monita, ad omnes Paſſionum impetus reprimendos utilia ex Carteſio, adnotanda coronidis loco, duximus. Illud autem imprimis ſedulò animadvertendum eſt, omnes Animæ Paſſiones (hominis naturâ per peccatum corruptâ, & ad malum pronâ) ad nos decipiendos tendere; quare ab ipſis tanquam ab hoſtibus cavendum eſt. Quod omnium potiſſimum, generalius, & facilius Ἀλεξίκακον Carteſio dicitur.

Primum autem generale *Remedium* Paſſionum eſt: *Abſtinendum nobis eſt à judicio ferendo, quandiu Paſſionibus agitamur*. Quod enim tunc temporis fertur judicium à confuſa rerum cognitione procedit. Hinc ut omnes in judicando errores juxta Metaphyſices regulas devitemus, à ferendo judicio abſtinendum, cùm non ſatis clare res perſpecta eſt. Quod ſi in ipſo Paſſionum impetu judicium ferre cogamur, tunc, quantum pro viribus licet, eas rationes ſeriò meditari debemus, quæ mentem ad contrarium Paſſionis dictamini faciendum inducant.

Secundum: Cùm à nulla Paſſione agitamur, tunc & bona, & mala, quæ nobis contingere poſſunt, ſedulò præmeditemur, eorumque juſtum pretium examinemus; ut cùm fortaſſe ea nobis acciderint, mens, quæ à Paſſionibus libera ſæpius ipſa examinaverat, qualia, ac quanta ſint, facile cognoſcat, ſicque mala fugiat, bona amplexetur. Nulla ſiquidem adeo debilis Anima eſt, quæ in has veritatum Meditationes incumbere aſſueſcens, & bene ſeipſam regere, & aliquam etiam in ſuas Paſſiones poteſtatem habere non poſſit. Optimum igitur Paſſionum Remedium eſt *Sedula bonorum, malorumque futurorum Præmeditatio*.

Tertium. *Non debet noſtrum deſiderium tam libere vagari; ut ad ea etiam, quæ ab aliis dependent, optanda cum quadam ſecuritate conſecutionis ſe extendat*. Quæ enim ab aliis dependent, ita ab Anima optari debent, ut ſi ea non conſequatur, nihil turbetur; dummodo tamen cuncta ad ea conſequenda peregerit.

Quartum denique, & ultimum, idque fortiſſimum Paſſionum Remedium eſt, *Animam à dulciſſima, ac potentiſſima Divini Amoris Paſſione teneri*; ut

optime

optime advertit Carteſius in Epiſtolis. Mens enim noſtra, quæ veluti particula quædam Divinæ Naturæ eſt, quò arctius ſuo Principio per Amorem adhæret, eò magis à corporis conſortio, quo gravatur, ſejungitur, & ſic à Paſſionibus, quæ à ſua cum ipſo unione dependent, liberatur. Accedit, quod cum nemo ex ſe ipſo Paſſionum impetus frænare, naturales inclinationes, quibus ad malum proni ſumus, ad meliorem uſum ſine Dei Gratia convertere poſſit; per hanc ſolam & à malis omnibus, noxiiſque perturbationibus liberi erimus, & abſolutam in noſtras Paſſiones poteſtatem habebimus.

Atque hæc eſt totius Carteſianæ Philoſophiæ Epitome, brevis quidem, ſed exacta; quam Hiſtorico more tractantes (non ſecus ac de Platonica, Stoica, Pythagorica, Epicurea, Ariſtotelica, cæteriſque factum eſt) aliis conſiderandam proponimus, ut ex ipſa, reliquiſque quod optimum ſeligentes, Eclecticam, quæ omnium commendatiſſima, valeant efformare. Carteſii denique de Dioptrica, cæteriſque Phyſico-Mathematicis, vel pure Mathematicis Diſciplinis, ſententiam, vel ex dictis facile quis educet, vel apud ipſum fuſius, clariuſque perleget, & advertet.

Si quis tamen hujus Epitomes Epitomen deſideret, ecce eam ex Buddeo in Hiſt. Philoſ. ſuccincta Delineat. p.87. & ſeq. *Præcipua ejus doctrinæ capita ſunt. In Metaphyſicis. De omnibus dubitandum, ut per hanc dubitationem ad tempus inſtitutam, ejectis præjudiciis, quibus vel per præceptores, vel alio modo quovis imbuti eramus, facilius in primam aliquam veritatem venientes, ex ipſa gradatim in reliquarum cognitionem pervenire poſſimus: mens enim præjudiciis occupata cognoſcendæ veritatis incapax omnino erit. Senſibus non eſt fidendum, quippe qui ſæpiſſime nos deceperint. Veritatis Criterium clara, & diſtincta mentis perceptio eſt: unde educitur, non eſſe verum, niſi quod clare, & diſtincte à mente percipitur. Hoc ordine philoſophanti hæc prima occurret veritas, omnium veluti radix, & principium: Cogito, ergo ſum. Ex idea nobis innata Entis ſumme perfecti, & ex idea perfectionis, & imperfectionis, quàm certiſſime ſecunda veritas emanat, Deum, hoc eſt, Ens ſumme perfectum exiſtere. Et quia Deus fallere, & falli neſcius eſt, reliquæ inde veritates Metaphyſicæ educuntur, Subſtantiam ſcil. exiſtere, quæ in Spiritum, & Materiam dividitur. Et Spiritus quidem eſſentiam in Cogitatione, Materiæ verò in Extenſione conſiſtere, inde clarum eſt, quod in conſideratione Spiritus, qui nonniſi ut intelligens concipi poteſt, prima idea, quæ menti occurrit, & clare, ac diſtincte concipitur, Cogitatio eſt. Materiæ verò eſſentia in Extenſione reponitur, quia dum Materiam conſidero, omnium prima, & clariſſima Extenſionis idea menti ſe offert. His autem Subſtantiis proprii ſingulis modi ſunt: & Spiritus quidem velle, reminiſci, affirmare, negare, &c. Materiæ verò Diviſibilitas, Figura, Impenetrabilitas: qui modi Materiæ dicuntur Eſſentiales, quia de ejus eſſentia, ſive natura ſunt, ſicut & Extenſio, & omni Materiæ ſemper inhærent, itaut omnis Materia neceſſariò ſit diviſibilis, figurata, impenetrabilis; ipſam tamen Materiæ eſſentiam, ſive naturam non conſtituunt, ut Extenſio, quæ omnium prima, & clariſſime in Materia comprehenditur. Alii vero Materiæ modi Accidentales dicuntur, qui ad ejus naturam non ſpectant, atque eſſe, & abeſſe poſſunt, integra manente Materiæ natura, ut color, ſapor, &c.*

Phyſicæ, ſive Naturalis doctrinæ ſumma ſecundùm Carteſium hæc eſt. Deus creavit Materiam diviſibilem, cui Motum indidit, per quem actu diviſa eſt in varias quantitates, figuris variis prædita. Ex qua Materia in varias quantitates, & figuras diviſa, triplicis generis materia orta eſt, quæ tria conſtituit Elementa, materiam ſcil. primi Elementi ſubtiliſſimam, globulos ſecundi Elementi, & materiam craſſiorem, ac variæ figuræ, quæ tertium con-

ſtituit

ſtituit Elementum. Extenſio, & Quantitas idem ſunt; majorem enim, vel minorem Quantitatem corpus aliquod habere idem eſt, ac majorem, vel minorem Extenſionem, & contrà. Ex his tribus Elementis corpora cuncta componuntur. Formas Subſtantiales mera eſſe figmenta, id evincit, quod ex Materiæ diviſione, figura, & motu juxta leges Mechanicas cuncta rite derivari poſſunt. Motus eſt, &c. Regulæ Motus, &c. Materia indefinite diviſibilis eſt; omnis enim ejus pars etiam perquam minima ſemper extenſa eſt, ſemper figuram habet, ac proinde partes componentes, quæ etſi non actu dividi poſſunt, mente ſaltem diviſibiles ſunt, & invicem ſeparabiles, cùm alia ab alia ſejunctim concipi, & exiſtere poſſit, quod ſufficit ad Materiæ in indefinitum diviſibilitatem conſtituendam. Hæc Materia in indefinitum extenſa, & diviſibilis, & actu per motum diviſa, in Soles innumeros coaluit, qui propriis Vorticibus innatant, eoſque ſecum rapiunt. Ex Solibus iſtis, maculis obductis, Planetæ orti ſunt; ex quorum numero Tellus noſtra eſt; quæ circa proprium Solem à Vorticis motu ducitur per annum, dum interim ſingulis diebus circa proprium axem volvitur. Omnia animalia, excepto Homine, mera ſunt automata, hoc eſt, machinæ ſeipſas non ex arbitrio, & voluntate, ſed ſecundum ſtatas, & neceſſarias Mechanicæ leges, moventes, Deo autore, & architecto tam affabre concinnatæ, ut ad hanc, vel illam externi objecti occaſionem, hi, vel illi neceſſarii motus ab ipſis excitentur. Accedit, quod ſi brutis ſubſtantiam ab eorum corpore diſtinctam tribuere velimus, hæc vel Spiritus erit, vel corpus. Si Corpus, cùm hujus eſſentia in ſola Extenſione conſiſtat, nullas ei, niſi Corporis proprietates tribuere poſſumus; ac proinde tot mirabilium, quæ bruta efficiunt, cauſſa eſſe non poterit, quæ à ſubſtantia quadam cogitandi, cognoſcendi, judicandi veluti capace profecta videntur. Si hæc ſubſtantia Spiritus dicatur, hæc erit æterna, cùm deſtrui non poſſit, &c.

Moralis doctrinæ ex Carteſio hæc epitome. Summum hominis bonum conſiſtit in recto uſu facultatum mentis, præcipue voluntatis; hoc eſt, ut firmum, & conſtans propoſitum habeat id ſemper agendi, quod optimum eſſe cenſuerit. Virtus in eo mentis inſtituto, & vigore, per quem ad ea, quæ bona eſſe credimus, facienda ferimur. Affectus, qui Virtuti adverſantur, ſunt motus quidam corporei, quibus mens, ſpeciatim intellectus, afficitur: dicendi ideo ſunt Paſſiones Mentis. Quæ igitur de pugna rationis, & ſenſitivi appetitus dicuntur, de Mentis, & Corporeorum motuum lucta ſunt intelligenda. Ad virtutum uſum maxime conducit Generoſitas, qua homo nihil efficiat, quod ſua dignitate, &, qua ſupra bruta eminet, præſtantia indignum ſit.

Sed à Carteſio ad Carteſianos, qui ejus Sectam vel illuſtrarunt, vel per edita ſua Opera auxerunt, clarioremque reddiderunt, præcipuos tamen, & memoratu digniores, enumerandos accedamus.

HENRICUS REGIUS Ultrajectinus, publicus Philoſophiæ, ac Medicinæ in patria Profeſſor ex nova Renati des Cartes Philoſophia quædam decerpens, ſuam confecit, cui titulus: *Philoſophiæ Naturalis*; licet in quibuſdam à Carteſio diſſenſerit. Quod Opus Federico Henrico Principi Oranges inſcripſit: cujus inde gratiam, & opem eſt conſecutus. Scripſit etiam *Fundamenta Medicinæ*. Floruit ſeculo 16.

ANTONIUS ARNOLDUS nobilis Gallus, Doctor Sorbonicus, Antonii, celeberrimi Advocati Pariſienſis filius, ex quo ortus eſt Pariſiis 6. Februarii 1612. in Geometria, Philoſophia, potiſſimum verò Theologia, omnibuſque optimæ literaturæ ſtudiis eruditiſſimus fuit, ut præclara ejus Opera teſtantur, plerumque Ἀνωνύμως edita, quæ ad Volumina 135 aſcendere dicuntur à Morery in ſup. Lex.Hiſt. Hunc inter Carteſianos numerandum duximus, quamvis in-

primis

primis juventutis annis quaſdam in Carteſii Meditationes objectiones fecerit, quas Renatus omnium ſolidiſſimas, & ſolutu difficillimas, quæ ab aliis unquam ſibi fuerint oppoſitæ, exiſtimavit; nam cæteroqui in aliis ab eo non diſſentit. Cum P. Malebranche plures etiam habuit literarias contentiones ſuper materia de Ideis, & de Gratia: qua de re plura hinc inde Volumina prodierunt. Contra alios etiam ſcripſit; quod cum noſtri inſtituti non ſit, ſileotio prætetimus: ſicut etiam edita contra ipſum Opera, ac varias, eaſque graviſſimas perſecutiones, quas illum diu ſuſtinuiſſe ferunt, ex quibus diu occultus vivere coactus fuit. Obiit 8. ſive 9. Auguſti 1694. æt. circiter 82. Præter Opera Theologica, Geometrica, & Erudita; inter Philoſophica ejus ſunt *Gramatica Generalis, & Rationalis: Objectiones in Carteſii Metaphyſicas Meditationes, & in P. Malebranche; Ars cogitandi*: cujus vel unicus, vel ad maximam partem autor fuit, &c. Vide Perrault, Hommes illuſtres de France: Bayle, Lex. Hiſt. Crit. Morery Sup. &c.

JACOBUS ROHAULTIUS, natione Gallus, Mathematicis diſciplinis cumprimis addictos fuit; in quibus adeò profecit, ut eas Pariſiis docuerit, ubi Domino Clercelier, Oratori doctiſſimo, carus fuit. Hujus rogatu Rohaultius omnia Carteſii Opera perlegit: Commentariis, vel Notis illuſtravit, & docuit; potiſſimum vero in id totus incobuit, ut *Phyſicam* ad Carteſii mentem concinnaret: quod & laudabiliter perfecit; eamque antequam evulgaret, Pariſiis docuit annos decem, vel duodecim. Obiit 1675. ætatis 55.

ANTONIUS LE GRAND, quem quidam Carteſii *Compendifactorem* vocant, edidit *Hiſtoriam Naturæ per Experimenta ſecundum Principia Novæ Philoſophiæ*. Londini 1673. Librum etiam publicavit *De Carentia Senſus, & Cognitionis in Brutis*, ut Carteſii hac de re doctrinam confirmaret. *In Rohaulti Phyſicam Notas* compoſuit, quæ ſæpius editæ ſunt. Vixit ſec. 17.

PETRUS SYLVANUS REGIS, Philoſophus inter Carteſianos celeberrimus, in Galliæ provincia Aginnenſi natus an. 1632. poſt exacta humaniorum literarum, & Theologiæ ſtudia, Carteſianæ Philoſophiæ Pariſiis totum ſe devovit, in qua ad aliquod tempus Rohaultium habuit præceptorem. Toloſam inde veniens, publicas ibi de Nova Philoſophia Diſputationes tam laudabiliter habuit, ut à Toloſanis annua penſione donatus ſit. Pariſium rediens an. 1680. eadem de re Diſputationes inſtituit cum Lemery: ſed poſt ſex menſes mandatum habuit, ut ipſis ſe abdicaret. An. 1699 in Regiam Academiam Scientiarum accitus, eximium hunc honorem recuſavit, infirmum ſe eſſe cauſſatus. Mortem obiit 11. Januarii 1707. Edita ejus Opera ſunt. *Syſtema Phyloſophię, ad mentem Renati*, continens *Logicam, Metaphyſicam, Phyſicam, & Moralem*. *Reſponſum ad Cenſuram Philoſophiæ Carteſianæ D. Huetii*. *Reſponſum ad Reflexiones Criticas D. du Hamel in Syſtema Carteſianum Philoſophiæ Regis*. *Objectiones in P. Malebranche in materia de Viſione, & de Ideis*. *De uſu Rationis, & Fidei*. Vide Elogium P. S. Regis in Hiſt. Acad. Scienr. 1707.

P. NICOLAUS MALEBRANCHE, Philoſophus, Mathematicus, & Theologus inſignis, πανταχῶς admirandus, ut pleraque opera ab eo in lucem edita oſtendunt, doctrina multa, eruditione, & elegantia referta, ex Nicolao, Chriſtianiſſimo Regi à Secretis, & Catharina de Lauſon ortos eſt Pariſiis 6. Auguſti 1638. Literarum omnium ſtudiis, ac pietate eximium PP. Oratorii Cœnobium ingreſſus eſt 28. Jan. 1660. æt. ſoæ 21. Seriò, atque unice Veritati in rebus omnibus inquirendæ intentus, ann. 1673. primum Volumen ſoi Operis *De Inquirenda Veritate* edidit; quod Opus ad quatuor uſque Volumina adauxit in ultima editione; Quod magnam ſibi famam comparavit. Ejus etiam eſt *Liber de Natura, & Gratia*; in quo Theologorum hac

hac de re controverſias ſe conciliaturum pollicetur : *Tractatus de Morali*, & *Meditationibus Chriſtianis*. *Tractatus de Amore Dei*. Rogatus, ut efficacius quid ſcriberet pro Sinarum in veram Fidem converſione, *Dialogum Chriſtiani*, & *Sinenſis Philoſophi* confecit. Arnoldi, & Regis, Lamy, aliorumque Objectionibus & per editos Tractatus, & per Epiſtolas reſpondet : quæ omnia, aliaque laudabilia ejus Opera apud ipſum videre eſt. In Reformatione Academiæ Scientiarum in Sociorum numerum adſcriptus eſt. Nuper obiit valde ſenex.

JACOBUS BERNOULLI, Nicolai filius, natus Baſileæ 27. Decembris 1654. Poëta Germanus, Gallus, & Latinus, in Mathematicis diſciplinis omnibus peritiſſimus, quas furtim, & ex ſe (hæc enim ſtudia pater ei interdixerat; unde ipſe de ſe Phaëtontis illud dicere ſolebat : *Invito patre ſidera verſo*) omnium optime didicit. In ſua literaria Europæ peregrinatione in Galliam veniens, P. Malebranche, & Carteſii libros legit tanta animi voluptate, ut ex eorum lectione optimus ſtatim Carteſianus evaſerit, totuſque in Novæ tum Philoſophiæ Meditationibus ad annos plures incumbuerit. Eo tempore Cometa apparuit, cujus ipſe reditum prædixit, *Tractatumque* de eo compoſuit; atque alterum *de Aëris Gravitate* : quos Tractatus memorant Act. Erudit. Lipſ. & Pariſ. In patriam reverſus Collegium in ea inſtituit pro experimentis Phyſico-Mechanicis : ubi & Matheſeos Cathedram omnium Magiſtratuum ſuffragiis eſt conſecutus; quam ſumma laude, ac magno exterorum etiam concurſu ad annos plures exercuit. Eruditum tunc *Tractatum de Arithmetica Infinitorum* compoſuit; atque alia plura cum *Joh. Bernoulli* fratre, ac ſui in hac Cathedra ſucceſſore, nova invenit, præclaraque in Matheſi detexit. Una cum fratre ſuo Joh. Regiæ Academiæ Scientiarum Socius creatus eſt an. 1699. & Academiæ Berlini 1701. Fatis ceſſit an. 1705. 16. Auguſti, æt. 51. non expleto.

JOH. CHRISTOPHORUS STURMIUS, natione Germanus, inſignis Mathematicus, poſtquam Eccleſiæ cuidam in Germania annis 5. præfuit, apud Altorfinos Philoſophiam, & Matheſin profeſſus eſt annis 34. ibique mortuus eſt 26. Decembris 1703. ætatis 68. ut ait Morery Sup. Lex. Hiſtor. ſive 1700. ut vult laudatus Jonſ. de Script. Hiſt. Phil. lib. 3. cap. 36. 25. ubi ipſum inter Carteſianos recenſet, inquiens : *Ibi etiam excellentiſſimus ille Mathematicus Joh. Chriſtophorus Sturmius, denatus an. 1700. brevi Diſſertatione de Carteſianis, & Carteſianiſmo placita Philoſophiæ Carteſii explicavit, atque defendit. Idem de Philoſophia Sectaria, & Electiva peculiari Diſſertatione egit*. Inter Mathematica ejus Opera præcipua ſunt : *Matheſis Enucleata*, & *Matheſis Juvenilis*. Vide Act. Erud. Lipſ. an. 1704. p. 236.

Prætereo doctiſſimum LUDOVICUM DE LA FORGE, qui inſignem *Tractatum de Mente Humana* evulgavit : D. DE CORDEMOY, cujus duo exſtant Tractatus, alter *De Corporis*, & *Mentis diſtinctione*; alter *De Loquela*; alioſque : ex Medicis *Jacobum Waldſchmidium*, *Fridericum Hoffmannum*, atque alios plurimos, quos longum eſſet enumerare.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De Academiis Univerſi Orbis.

Non me præterit, eruditiſſimum *Kiddendorp* integrum Tractatum inſigni labore confectum, hac de re edidiſſe; quem hîc exſcribere animus non eſt. Verùm cùm in 2. & 3. hujus Hiſt. libro de Barbarorum, ac Græcorum Academiis, ſive Studiorum locis, verba fecerim; inſtituti mei ratio, & ordo id poſtulabat, ut brevem ſaltem notitiam, vel Indicem de Academiis reliquis darem. Academiarum itaque Indicem, atque tempus, quo erectæ ſunt, talem exhibeo ex Michaële-Antonio Baudrand Pariſino, cui aliqua pro opportunitate addere liceat.

IN ANGLIA.

Cantabrigenſis, Cambridg an. 1280. ab Eduardo I. Rege.
Oxonienſis, Oxford 896. ab Alphonſo, ut ſcribunt.

IN BELGIO.

Groningana, Groeninghen 23. Auguſti 1614.
Franecherana, Franeker 29. Jul. 1585.
Hardervicenſis, Hardervick 1648.
Lovanienſis, Lovvain 1426. à Joh. Brabantiæ Duce ſub Martino V. Papa.
Lugdunenſis Batavorum, Leyden 1575. ab Hollandiæ Ordinibus.
Namurcenſis, Namur.
Ultrajectina, Utrecht 1636.

IN BOHEMIA.

Pragenſis, Prag 1358. à Carolo IV. Imperatore.

IN DANIA.

Haphnienſis, Koppenhagen 1497.

IN GALLIA.

Andegavenſis, Angers 1346. & 1685. *Regiæ Academiæ* nomine à Rege inſignita.
Aquenſis, Aix 1409. ab Alexandro V. Papa, & ab Henrico IV. Rege reſtaurata 1603.
Arauſina, Oranges 27. Maii 1365.
Arelatenſis, Arles recens eſt.
Avenionenſis, Avignon 1303. à Bonifacio VIII. Papa.
Aurelianenſis, Orleans 1305. à Clemente V.
Bituricenſis Bourges 1465. à Ludovico XI. Rege.
Burdegalenſis, Bordeaux 1473. ab eodem Rege.

Cadomenſis, Caen 1452. à Carolo VII.
Cadurcenſis, Caors 1332. à Johanne XXII. Papa.
Dolana, Dole 1426. à Philippo Duce Burgundiæ.
Duacenſis, Dovay 1562. à Philippo II. Rege Hiſpaniæ.
Flexienſis, La Fleche, ab Henrico IV. Rege.
Monpeſſulana, Montpellier 1289. à Nicolao IV. Papa.
Montalbanenſis, Montauban, recens.
Muſſipontana, Pont à-Mouſſon, 1573. à Carolo Cardinale à Lotharingia.
Nannetenſis, Nantes, 1460.
Pariſienſis, Paris, ampliſſima 790. à Carolo Magno Francorum Rege, & Imperatore.
Perpinianenſis, Perpignan, 1349. à Petro Rege Aragoniæ.
Pictavenſis, Poict ers, 1431. à Carolo VII. Rege.
Remenſis, Reims, à Carolo Cardinale à Lotharingia 1548. ſub Henrico II. Rege.
Richeleenſis, Richelieu, 1640. à Ludovico XIII. Rege.
Sueſſonenſis, Soiſſons, recens
Toloſana, Toloſe, 1233. à Gregorio IX. Papa.
Turnonenſis, Tournon, à Franciſco Cardinale Turnonio.
Valentina, Valence, 1452. à Ludovico Delphino, poſtea Rege XI.
Veſuntina, Beſancon, 1564. à Ferdinando I. Imperatore.

IN GERMANIA.

Altorfienſis, Altorf, 1622. à Ferdinando I. Imperatore.
Argentoratenſis, Strasburg, 1538.
Chilonienſis, Kiel, 1669. ab Alberto Holſatiæ Duce.
Colonienſis, Colon, 1388. ab Urbano VI. Papa.
Dillingenſis, Dillinghen, 1549. ab Othone Cardinali Truchſeſio.
Erfordienſis, Erfurt, 1391.
Francofurtenſis ad Oderam, Francfurt am Oder, 1506. à Joachimo Electore Brandeburgico.
Friburgenſis in Briſgavia, Freiburg, 1463. ab Alberto Duce Auſtriæ.
Giſſena, Gieſſen, nova, 1607. à Ludovico Landgravio Haſſiæ.
Græcienſis, Gratz, nova.
Gripſuvaldenſis, Griphſuvaldt, 1547. à Philippo Duce Pomeraniæ.
Heidelbergenſis, Heidelbergh, 1346. à Ruperto II. Electore Palatino.
Helmeſtadienſis, Helmſtat, quæ & *Juliana*, 1576. à Julio Duce Brunſuvicenſi.
Jenenſis, Jena, 1558. à Joh. Federico Electore Saxoniæ.
Ingolſtadienſis, Ingolſtat, 1472. à Ludovico Duce Bavariæ.
Lavingenſis, Lavingen, à Wolfgango Comite Palatino ſub Ferdinando I. Imperatore.
Leodienſis, Liege, ante annum 1129.
Lipſienſis, Leipzich, ſive potius Leipſik, 1408. à Friderico I. Electore.
Marpurgenſis, Marpurgh, 1526. à Philippo Landgravio.
Moguntina, Muntz, 1482. ſub Diethero Iſemburgico Archiepiſcopo.
Paderbonenſis, Paderborn, 1592. ſub Theodoro Furſtembergio Epiſcopo.
Roſtochienſis, Roſtock, 1490
Sigenenſis, Sigen, antea *Herborna*, 1689. à Joh. Comite Naſſavio.
Trevirenſis, Trier, 1558.

Tubi-

Tubingenſis, Tubingen 1477. ab Eberhardo Comite Vittembergico.
Viennenſis, Vienne, 1365. ab Alberto III. Archiduce Auſtriæ.
Vittembergenſis, Wittemberg, 1502. à Friderico III. Electore Saxoniæ.

IN HELVETIA.

Baſilienſis, Basle, ſive Bâle, 1459.
Genevenſis, Geneve, 1365. à Carolo VI. Imperatore.

IN HIBERNIA.

Dublinenſis, Dublin, 1320. & 1392. reſtaurata ab Elizabetha Regina.

IN HISPANIA.

Abulenſis, Avila.
Batienſis, Baeca, 1538.
Cæſar Auguſtana, Zaragoça, à Carolo V. Imperatore.
Complutenſis, Alcala, 1517. à Franciſco Cardinale Ximenio.
Compoſtellana, Compoſtella.
Granatenſis, Granada, 1537. à Carolo V. Imperatore.
Hiſpalenſis, Sevilla, antiqua.
Ilerdenſis, Lerida, ante Caliſtum III. Papam.
Ognatenſis, Oñate, parva admodum, 1543.
Oſcenſis, Hueſca, antiqua.
Ovetana, Oviedo, 1536. à Ferdinando Valdes.
Palentina, Palencia, Academia parva quidem, ſed olim ante Salmaticenſem clara.
Pampelonenſis, Pompelon, ſive Pamplona, 1608.
Salmaticenſis, Salamanca, 1200 ab Alphonſo IX. Rege Legionenſi.
Seguntina, Siguenza à Franciſco Cardinali Ximenio ſub Ferdinando V. Rege.
Tarraconenſis, Tarragona ſub Philippo II. Rege.
Toletana, Toledo, antiqua.
Valentina, Valentia, 1470.
Valliſoletana, Valladolid, 1346. à Clemente VI. ſub Alphonſo XI. Rege.
Urſonenſis, Oſſuna, 1549.

IN ITALIA.

Bononienſis, Bologna, antiqua.
Calaritana, Cagliari.
Catanenſis, Catania.
Ferrarienſis, Ferrara, 1316. à Friderico Imperatore.
Florentina, Firenze, à Coſmo Medico.
Maceratènſis. Macerata, à Paulo III. Papa.
Mantuana, Mantova, noviſſima.
Mediolanenſis, Milano.
Meſſanenſis, Meſſina, à Carolo V. Imperatore.
Neapolitana, Napoli à Friderico II. Imperatore, qui mortuus eſt an. 1250.

In hac Regia Studiorum Univerſitate, omni ævo florentiſſima, cunctiſque Orbis partibus celeberrima, liberalium omnium artium Cathedræ plures ſunt, eæque pro ſingulis ſcientiis plures, quarum aliæ Primariæ, aliæ Secundariæ dictæ, quas nonniſi poſt longam docendi artem, publica, ac periculoſa replicata tentamina, hìc vulgo Concurſus, quis conſequi poteſt. Suffragia in nova cujuſque Cathedræ collatione poſt exacta concurrentium experimenta expetuntur à Magiſtratuum Primoribus, ac Primariis ſingularum ſcientiarum Profeſſoribus, quæ Suffragia ad 30. circiter aſcendunt. Regiis congiariis in annum donantur magnificis quilibet Profeſſores, qui magno indigenarum totius Regni, atque exterorum etiam concurſu docent. Plurimi in inſigni noſtra hac Academia, ex quo erecta eſt, inclaruerunt literis illuſtres Viri, viventes autem illuſtriores.

Papienſis, ſeu *Ticinenſis*, Pavia, antiqua; de qua videatur Gatti in peculiari ſuo Tractatu de Gymnaſio Ticinenſi.

Patavina, Padova, 1222. à Friderico II. Imperatore.

Peruſia, Perugia, à Clemente V. Papa.

Piſana, Piſa, 1339.

Romana, Roma, antiquiſſima.

Salernitana, Salerno, à Friderico II. Imperatore.

Senenſis, Siena, 1387.

Taurinenſis, Torino, 1405.

IN POLONIA.

Cracovienſis, Cracovv, 1364.

Elbingenſis, Elbingh, 1542. ab Alberto Pruſſiæ Duce.

Regiomontana, Konigsberg, 1544. ab eodem erecta.

Vilnenſis. Vilna 1579.

IN PORTUGALLIA.

Conimbricenſis, Coimbra, à JOH. III. Rege Luſitaniæ, qui regnare cœpit an 1521. Extitere in ea præclari ſemper liberalium artium Profeſſores, quorum unum, vel alterum adnotaſſe ſufficiat; *Gabrielem* ſcil. *Acoſta*, & *Sebaſtianum Barradas*, qui in Conimbricenſi, & Eborenſi inſignis primum Profeſſor fuit, deinde verò Orator Evangelicus celeberrimus, Luſitaniæ Apoſtolus appellatus. In hujus autem inclytæ Academiæ erectione primas contulit *Jacobus Tevius*, Luſitanus Orator, Hiſtoricus, & Poëta. Inter eximias hujus doctiſſimi, ac Religioſiſſimi Regis dotes, ea potiſſimum fuit, ut nedum ſcientias omnes, ſed etiam Chriſtianam Religionem longe lateque diffunderet: quare an. 1540. Paulum III. Pontificem per epiſtolam rogavit, ut novis Indorum gentibus Evangelii Miniſtros Jeſuitas mitteret, qui eos in Chriſti Fidem adducerent. Hinc S. Franciſcus Xaverius cum ſocio ad eximium hoc Religionis opus explendum miſſus eſt. Eo igitur tempore, quo Europæ Principes magno belli furore tenebantur; prudens, ac pius hic Rex, nihil aut Regiæ domus, aut Regni incrementum curans, totus in eo erat, ut Chriſti Fides ad recens cognitas barbaras gentes propagaretur. Apoplecticus obiit an. 1557. In hac Academia celeberrimus etiam fuit *Franciſcus Soarez*, vel *Suarez*, Hiſpanus, Doctor tamen Eborenſis, & à Philippo II. Univerſitatis Conimbricenſis Theologiæ Primarius Profeſſor factus.

Eborenſis, Evora, ab Henrico prius ejus loci Archiepiſcopo, & Cardinali

nali, poſtea Rege, inſtituta. In ea celebres ſemper fuere Profeſſores: inter quos numerari poſſunt *Joh. Baptiſta Fragoſus*, qui Ulyſſipone, & Ebore docuit; modò dictus Sebaſtianus Berradas, qui in Eborenſi etiam Profeſſor fuit; *Emmanuel Alvarez*, Jeſuita, natus in Inſula Maderæ, qui ſec. 16. floruit, &c. Nec ſilentio prætereundus *Andreas Reſendius*, Canonicus Eborenſis, ac Sereniſſimorum Principum, Alphonſi, & Henrici, Joh. III. fratrum, præceptor, ac plurium eruditorum Operum editione celeberrimus, qui ſeculo 16. vixit.

Ulyſſiponenſis, Lisbona 1290. à Nicolao IV. Papa. Nihil hic de præclara hac totius Orbis Academia dicam: ejus enim vel doctiſſimos Profeſſores, vel ex ea prodeuntes eruditos Doctores enumerare ſi vellem, nimius forem. E celebriorum Luſitaniæ Doctorum numero ſunt *Petrus Nonnus*, Luſitanus Mathematicus celeberrimus, qui ſec. 14. floruit: *Hieronymus Oleaſter*, Dominicanus Luſitanus, vir doctiſſimus, qui ſec. 16. vixit, & in Concilio Tridentino Orator pro Joh. III. fuit: *Hieronymus Oſorius*, Epiſcopus Silves, Cicero Luſitanus appellatus: *Jacobus Paiva*, Theologus inſignis, & in Concilio Tridentino clarus, ibi Orthodoxæ Fidei contra hæreticos interpres: *Arias, Emmanuel, & Auguſtinus Barboſa*, Luſitani Legiſperitiſſimi, & eruditi, qui ſec. 15. & 16. claruere: *Thomas Correa*, Conimbricenſis eruditus ſec. 16. *Rodriquez Cunha*, Archiepiſcopus Bracharenſis, deinde Ulyſſiponenſis, ſec 16. & 17. *Damianus de Goëz*, Luſitanus ſec. 16. Joh. Soarez, Epiſcopus Conimbricenſis, & Comes Argavil, qui ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini fuit, Concilio Tridentino interfuit, & Commentaria in Evangeliſtas ſcripſit: *Achilles Statio*, nobilis Luſitanus, vir eximiæ eruditionis, de quo præter alios Juſtus Lipſius Var. Lect. lib. 2. c. 12. Reliquos quis numeret?

IN SCOTIA.

Aberdonenſis, Aberden, 1240. ab Alexandro Rege.

Andreapolitana, Saint Andrevv, 1431. ab Henrico de Wardlavv ejus Archiepiſcopo.

Edimburgenſis, Edimbourg.

Glaſcuenſis, Glaſcovv, ab Epiſcopo Jurubulo.

IN SVECIÆ REGNO.

Aboënſis, Abo in Finia, 1260. à Chriſtina Regina.

Derpatenſis, Derpt in Livonia 1632. à Guſtavo Adolpho Rege.

Lundenſis, quæ & Carolina, Lunden, à Carolo IX. Rege.

Upſalenſis, Upſal, antiqua.

IN TRANSSYLVANIA.

Albæ Juliæ, Weiſſemburg, à Ragovio Principe.

IN ASIA.

Goana, Goa in Peninſula Indiæ intra Gangem, à Rege Luſitaniæ.

IN AMERICA, *SIVE* NOVO ORBE.

Guatimalenſis, Guatimala in nova Hiſpania, à Philippo IV. Rege Hiſpaniæ 1628.

Limana, Lima in Peruvia, 1614. à Philippo III. Rege Hiſpaniæ.
Mexicana, Mexico in nova Hiſpania, 1551. à Carolo V. Imperatore.
Quitoa, Quito in Peruvia, 1586. à Philippo II. Rege Hiſpaniæ.
Sancti Dominici, San Domingo, 22. Febr. 1558. ab eodem Rege.

Atque hæc de noſtri ævi præcipuis Academiis, ſive Studiorum Univerſitatibus, dixiſſe ſufficiat; iis prætermiſſis, quæ vel recentiores, vel minoris famæ ſunt. Plura qui cupit, adeat cit. Kidendorp, qui de hac materia prolixius agit.

Regia Societas Anglica Londinenſis; *Academia Gallica* Lutetiæ Pariſiorum Regio edicto an. 1635. ſtatuta; & *Regia Academia Scientiarum*, an. 1666. à Domino Colbert Pariſiis erecta, & inſigni Obſervatorio Regio ornata, hic non memorantur. Nam præterquamquod de ipſis non pauca verba, ſed magna volumina conficere opus eſſet; de Prima jam Hiſtoriam contexuit doctiſſimus Spart; de Secunda M. Peliſſon; de Tertia edita peculiaris eſt Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences. Id tamen unum mecum omnes fateantur neceſſe eſt, omnes harum Academiarum Socios ſumma induſtria, & doctrina ad Scientiarum, Phyſices potiſſimum, & Matheſeos augmentum, & perfectionem contendere: quod ex editis ferme innumeris eorum Operibus nemo eſt, qui ignoret.

Tandem ne quis miretur, nos de Italiæ Academiis, quæ tot numerari poſſent, quot Urbes, ne verbum quidem feciſſe, id ſibi ſciendum, has non proprie Academias, ſive Studiorum Univerſitates dicendas, ſed potius Literatorum Societates, ambitioſis, vel phantaſticis nominibus inſignitas: tales autem Academias noſtri inſtituti non eſt enumerare, quales Senis ſunt *Intronati*; Florentiæ *Della Cruſca*; Romæ *Humoriſti*, *Lincei*, *Fantaſtici*; Neapoli *Ardenti*, *&c.* Accedit, quod harum pleræque jam interciderunt. Vide de iis J. B. Alberti *Delle Academie, &c.*

APPENDIX ΠΑΡΑΛΕΙΠΟΜΕ'ΝΩΝ.

Cum multos Philoſophorum prætermiſerim, vel quia memoria exciderunt, vel quia in mentem non venerunt; hos in calce hujus Hiſtoriæ reliquis Philoſophis apponendos duxi ſub Appendicis Παραλειπομένων, ſive *Prætermiſſorum* titulo, ut mea in inquirendis Philoſophorum nominibus diligentia innoteſceret. Id quidem non inficior, plurimos in hac Hiſtoria tum ex Veteribus, tum maxime ex Recentioribus Philoſophis, plura etiam novæ Philoſophiæ Syſtemata deſiderari poſſe: verùm de omnibus, qui extiterunt, & adhuc in tot Mundi partibus exſtant, Philoſophis exactam notitiam habere, eorumque Philoſophiæ Syſtema, Vitam, & Facta pertractare, ne dum difficillimam, ſed ferme impoſſibilem rem eſſe exiſtimavi. Prætermiſſi igitur, & propriis hujus Hiſtoriæ locis non appoſiti Philoſophi, ſunt ex Veteribus

Leo Byzantius, Platonis diſcipulus, vixit an. ab U. C. 400. tempore Philippi Regis Macedonum. Leo ad ipſum Orator à concivibus miſſus, eum interrogavit, cur patriæ ſuæ Byzantii potiri decreverit? Cui Philippus: Quia ipſam diligo. Hinc Leo ſubdit: Sed amantes, ò Rex, non armorum ſtrepitu, ſed dulci muſicorum inſtrumentorum ſono amicitiam teſtantur. Vide Philoſtratum. Ideo Philippus territus; ne Leo ſapientia, & conſilio, optato de Byzantio triumpho adverſaretur, famam ad Byzantinos præcurrere fecit, Leonem à Philippo auro corruptum fuiſſe. Unde Leo concivium facile credentium furorem metuens, ſe voluntariæ morti dedit, ut teſtatur Suidas. Plutarchus

ait,

Digitized by Google

ait, ipſum hilarem, & mordendo jocoſum fuiſſe, quod ex ejus quoque reſponſis arguitur. Gibbo enim ipſum deridenti, quod viſus eſſet infirmi, reſpondit: Et tu reſponſum in dorſo portas. Orator etiam Athenas miſſus, ut diſciſſi populi unionem procuraret; primum ſermonem in Senatu habens, novit, Senatores ſuam nimiam pinguedinem irridere; ipſe autem imperterritus ait: Si meam uxorem, quæ me obeſior eſt, videritis, quanto magis, Senatores, vos in riſum diſſolveritis? Sed etſi ambo tam pingues ſumus, unus nobis, cum concordes vivimus, lectus ſatis eſt: contrà vero nos diſcordes nec tota Byzantii urbs capere ſatis erit. Quo ratiocinio Athenienſes ſtatim conjunxit. Hiſtoriam, & alia plura ſcripſit, quæ periere. Philoſtr. in Vit. Sophiſt. lib. 1. Plutarch. Athen. Suid. & Voſſ. de Hiſt. Græc. lib. 1. c. 8.

DION, Dux, & Philoſophus Syracuſanus, Hipparini, Principis Syracuſanorum, filius, Platonis diſcipulus fuit, Plut. in Vit. tom. 3. p. 254. Brutum cum Dione comparans, ait: *Quorum hic conſuetudinem cum Platone habuit; alter præceptis imbutus fuit Platonis. Itaque quaſi ex una ambo palęſtra ſunt ad maxima certamina progreſſi.* Et poſt pauca: *Quid ſi Dion, Brutuſque conſtantes viri, & Philoſophi neque ad ullum pręcipites, aut proclives animi motum, &c.* Hic ſororem ſuam Ariſtomachen Dionyſio ſeniori, Syracuſarum Tyranno, matrimonio junxit; cui primum ſororis cauſſa, deinde propria prudentia, & virtute carus fuit. Plut. ibidem Dionis ingenium, & mores, & ut Platonis diſcipulus ex ejus in Siciliam adventu factus ſit, deſcribens ait: *Fuit ante quoque excelſo ingenio, ingentique animo, & forti. Cæterum animus hic magis adolevit, cùm divina ſorte appuliſſet in Siciliam Plato, nullo ille quidem conſilio humano; ſed haud dubie Deus aliquis aditum procul libertatis Syracuſanis inſtituens, & tyrannidis moliens everſionem, detulit Platonem Syracuſas, Dionemque ad alloquium ejus attraxit admodum, tunc quidem juvenem, verùm diſcipulorum Platonis omnium indolis longe ſolertiſſimę, acerrimumque ad arripiendam virtutem, ut ipſe ſcripſit Plato, & facta teſtantur. - - - - Ut autem primùm doctrinam guſtavit, & Philoſophiam ad virtutem ducem, illico eſt ad eam animo incenſus, atque, &c.* Exinde Dion Platoni cariſſimus ſemper fuit; & cum à Dionyſio nautis exponendus in Italia daretur; *Id elaboravit Plato efficere, Dionemque ad Philoſophiam flexit, detinuitque in Academia. Habitavit hic in Urbe apud Callipum. Oblectamenti cauſſa prædium comparavit, quod poſt donavit, in Siciliam navigans, Speuſippo, cujus pręter cęteros amicos Athenienſes utebatur conſuetudine, & contubernio; quod vellet Plato colloquio feſtivo, & ſcitis facetiis tempeſtive condito, mores Dionis tinctos diffundere. Id præſtare poterat Speuſippus; quapropter facetum eum in ſalibus appellavit Timon.* Dionis virtutes, & Græcorum omnium in eum honores, vide apud Plut ibidem: ubi etiam refert, Platonem Dionyſii juſſu Æginæ venditum, quod ipſum tyrannidis redargueret. Sed poſtea ſervitute Dionis ope liberatus, honorifice à Dionyſio ſecundò, & tertiò ad ipſum veniens exceptus eſt. *Nam Regius currus, & ſplendide cultus præſto fuit è navi egredienti. Tyrannus autem tanquam magno bono Regnum ſuum eſſet auctum, ſacrificavit, &c.* Tandem Dionis illuſtria facta; in Dionyſium prælia; & ut ipſum Syracuſis expulerit; ejus cædem ex amici ſui Callipi proditione, & filiorum calamitoſam perditionem, lege apud cit. Plut. in Dione; Diod. Sicul. lib. 16. & Corn. Nep in Vitis c. 10.

ARISTOXENUS, Tarentinus, Ariſtotelis diſcipulus, in Magiſtrum iniquius ſe gerens, quod Theophraſtum, non ipſum in Schola ſucceſſorem feciſſet, cum in ſuis ſcriptis perpetuo conviciatus eſt. *De Philoſophia, Muſica, & Hiſtoria* ſcripſit volumina ad 453. ex Suida. Meurſius edidit ſua *Elementa*

Har-

Harmonica cum Notis. Gell. lib. 4. 11. Jambl. in Vit. Pythag. Val. Max. Div. Hieron. Plut. Laërt. Cic. Lactant. &c. Vixit Olymp. 112.

ARISTOBULUS, Peripateticus, genere Judæus, diverſa compoſuit, præcipue *Commentaria in Libros Moſis*, quæ Ptolemæo Philopatori, Ægyptiorum Regi dicavit. Clem. Alex. 1. Strom. Euſeb. Præp. Evang. 9. & Hiſt. Eccleſ. 7. 26. D. Hieron. Voſſ. &c.

ADRASTUS, Ariſtotelis diſcipulus, Philippopoli natus, ſcripſit *De Harmonia lib.* 3. qui adhuc extant in Bibl. Vatic. Theon Smyrnæus Muſices c. 6. & Porphyrius. Stanlejus in Hiſt. Phil. p. 48. refert, Adraſtum Aphrodiſiæum ſcripſiſſe *Commentarium in Categ. Ariſt.* item *de Phyſicis* ejus, & *de Methodo*, qua ille in Philoſophia uſus ſit.

ZOSIMUS Alexandrinus Philoſophus, & Rhetor Platoni maxime addictus cujus ſcripta in lucem dedit; vixitque annos poſt Platonem circiter 50. & ante Chriſtum circiter 300. Scripſit etiam plura *Opera Phyſica* libris 21. comprehenſa, quæ Theodoſiæ ſororis ſuæ nomine evulgavit, quæ doctiſſima fuit. Conrad. Geſnerus.

OCELLUS LUCANUS, Pythagoræ diſcipulus, ſcripſit librum *De Univerſi Natura*: quem librum Latine vertit *Ludovicus Nogarola* Comes Veronenſis, & Adnotationibus illuſtravit. Memorandi hic etiam eſſent DAMON, Pythagoræ diſcipulus. DEMETRIUS PHALEREUS, Peripateticus, qui tempore Alexandri Magni floruit. DICÆARCHUS Meſſenius, Ariſtotelis diſcipulus, qui Olymp. 115. vixit. DIAGORAS, Democriti diſcipulus, Olymp. 74. qui *Atheus* etiam dictus eſt. DICENEUS, Philoſophus Ægyptius, ſec. 1. tempore ſcil. Auguſti. MANDANES, Philoſopus Indus, ſapientia celebris, qui Alexandrum Magnum, ad ſe nuncios mittentem, irridebat, quod ſe Jovis filium diceret. Et APOLLONIUS Niſſenus, Philoſophus Stoicus, Panætii diſcipulus. Scripſit hic quædam, quorum meminere veteres Scriptores. Vide Strab. Geogr. lib. 14. Joh. Meurſ. Syntagm. de Apoll. Voſſ. de Hiſt. Græc. &c.

CRATIPPUS Mitylenſis Philoſophus, qui Ciceronis filium in Philoſophia inſtituit, ut ex initio de Offic. apud ipſum Ciceronem conſtat, Athenis docuit, floruitque an. ab U. C. 706. & ante Ær. Chr. 46. Hic Pompejum à Cæſare in Pharſalico bello ſuperatum ſolatus eſt, ut ex Plut. in Pompejo, ubi: *Tum ad Cratippum Philoſophum converſus (ille enim ex urbe ad eum viſendum deſcenderat) conqueſtus eſt, & cum eo diſputavit nonnihil de Providentia. Aſſenſus Cratippus eſt, traduxitque eum ad ſpem meliorem, ne acerbus, aut importunus eſſet repugnando, &c.* Incerti autem temporis Philoſophi ſunt:

HERMIPPUS Smyrnæus Philoſophus Peripateticus, ex Joſepho contra Ap. ſcripſit *Hiſtoriam Virorum Illuſtrium*, a Laërtio, aliiſque ſæpius citatam, atque alia à veteribus commendata. Licet incerti temporis, antiquiſſimus tamen fuit. SATYRUS, ſecta item Peripateticus, qui *Vitas Illuſtrium Virorum* etiam ſcripſit: quod Opus Athen. & D. Hieron. atque alii ſæpe citant. Dubium, an idem ſit cum *Satyro Comœdo* Olynthi orto, qui Hiſtoricos Tractatus compoſuit. Vide Voſſ. de Hiſt. Gr. lib. 4. ARISTOCLES, etiam Peripateticus, ex urbe Meſſenæ in Italia, teſte Suida, qui plura compoſuit, potiſſimum *de Philoſophia libros* 10. in quibus de Philoſophis, & Philoſophorum opinionibus agit: item *Uter diligentior Homerus, an Plato*: Scripſit etiam *de Arte Rhetorica*; & *de Serapide Morales libros* 9. Vide Suidam in Ariſtotele; Theodoretum; Stobæum; Voſſium, atque alios. Fuit & alter ejuſdem nominis Philoſophus Lampſacenus, ſecta Stoicus, qui ſcripſit *Expoſitionem Operum Chryſippi*; *Quomodo ſcil. ſingula nominamus, & intelligimus, lib.* 4. Ex Suida ibidem. CEBES denique Thebanus Philoſophus, Socratis diſcipulus, ſcripſit Dialogos

tres,

tres, quibus titulus *Hebdomas*, *Phrynichus*, & *Pinax*, ſive *Tabula*, in qua Ortus, Vita, & Mors hominum continentur. Quæ Tabula uſque modò imperfecta credita evulgata eſt jam perfecta ex Manuſcripto Bibliothecæ Regis Galliæ an. 1689.

Ex Recentioribus autem prætermiſſis unus eſſet M. PEYSSONEL, inſignis Philoſophus Maſſilienſis, qui depoſito Carteſiano Syſtemate, cui primùm ſe addixerat, novam philoſophandi Methodum ſe inveniſſe ait per ſolas Mechanicæ leges, quibus univerſa Mundi Phænomena ſe explicaturum pollicetur. Hic reliquas Philoſophiæ partes negligens, ſoli Phyſicæ animum omnem intendit, & induſtriam. Hinc novam ſuam *Phyſicam Mechanicam* evulgavit; in qua omnem Mundi Machinam, Horologii, ſimiliſve automati inſtar à Deo creatam ſibi fingens, in illa omnem motum, non ſecus ac in iſto, fieri à primo aliquo Motore, ſive cauſſa, aſſerit; ſicque Mundi Phænomena per motum ſimilem illi, qui in Horologio fit, explicanda ſibi proponit. Quod eſt *Primum Principium*. Mundi igitur Machinam conſiderat ut *Extenſionem*, ſive *Materiam Extenſam*, multis partibus compoſitam, quæ *Corpora* vocantur. Hanc autem Extenſionem loco *Materiæ Primæ* eſſe poſſe aſſerit; cujus Extenſionis quinque ſunt conſiderandi *Modi*, quibus ſcil. fit, ut ſic, vel ſic extenſa ſit, *Conſiſtentia*, nempe, *Magnitudo*, *Figura*, *Situs*, & *Motus*, vel *Quies ejus*. Qui Modi appellari etiam poſſunt *Formæ* Corporis. Hinc Corpus non conſideratur ut ſimplex Materia, ſive Extenſio, ſed ut Extenſio determinata per hos ſuos quinque Modos. Hanc autem cognitionem, quam habemus de Materia, & Forma Corporum, *Secundum Principium* Phyſices Mechanicæ vocat. Itaque in univerſa Mundi Machina, ut & in Horologio, ad ejus motum, & phænomena omnia explicanda, Materiam tantùm, & ſuos quinque Modos conſiderandos affirmat; quæ ſua ſunt philoſophandi Principia: eaque non Philoſophorum, ſed Machiniſtarum more accipienda; hoc eſt non ad eorum definitionem, diviſionem, & Phyſicam cognitionem attendendo; ſed ea uſurpando per evidentem, & internam cognitionem, quam de ipſis habemus, ut Machiniſtæ faciunt. Quapropter ultrò ſe neque Logicum, neque Metaphyſicum eſſe fatetur. *Tertium Principium* ſuæ Phyſices Mechanicæ eſt Cognitio, quam habemus, Mundi Machinam ex ſeptem generum Corporibus componi, quæ ſunt *Aër*, ſive Cœlum, *Aqua*, ſive Mare, *Terra*, *Aſtra*, *Plantæ*, *Animalia*, & *Ignis* per univerſum diſperſus. Reliqua verò Corpora, quæ præter hæc in Mundo obſervantur, ut Meteora, Mineralia, Gummi arborum, & Excrementa animalium, non à Deo in ipſa Mundi origine creata, ſed à Natura producta aſſerit; hoc eſt, non eſſe niſi mutationes productas in Corporibus à Deo creatis. *Quartum Principium* eſt dividere hæc ſeptem Corporum genera in *Simplicia*, & *Compoſita*. Simplicia appellantur *Ignis*, *Aër*, *Aqua*, & *Terra*: Compoſita vero *Aſtra*, *Plantæ*, & *Animalia*, quæ ex quatuor Simplicibus componuntur. Simplicia ea vocat, quia nonniſi in partes homogeneas, hoc eſt, ejuſdem generis, & ſibi ſimiles, reſolvuntur; contrà verò Compoſita. Hæc autem Simplicia Corpora vocat etiam *Elementa*, atque à Deo primum creata, ait, ex quibus omnia mixta inde ſunt conflata. Singulis Elementis ſuos tribuit *Modos Eſſentiales*; Igni ſcil. *Activitatem*, Aëri *Fluiditatem*, Aquæ *Liquiditatem*, Terræ denique *Firmitatem*: reliqui verò Modi Accidentales ab eo appellantur. *Quintum Principium*. Conſiderata ſtructura Machinæ Mundi, Motus partium ejus conſiderandus, per quem omnes Modorum Subſtantiæ mutationes accidunt. *Sextum Principium*: Omnia Naturæ Phænomena ſunt mutationes, quæ corporibus accidunt per Motum. *Septimum Principium*: Sicut in omni machina *Primus Motor* dari debet, corpus ſcil. quod ſe ipſum per proprium motum movens, reliqua

corpora ad ſui motum movet, qualis in Horologio eſt ſubtiliſſima chalybis lamina in ſpiram contorta; ita in Mundi Machina *Ignis Primus Motor* eſt, ſive conſideretur manifeſtus, & agens in qualitate luminis, & caloris, ſive occultus in ſpiritibus contentus, & vi, vel influentia agens. *Octavum Principium* eſt cognitio potentiæ, quam Ignis habet penetrandi omnia corpora; & variæ corporum reſiſtentiæ, ſive conſiſtentiæ. Hæc autem vis agendi in Igne, & reſiſtendi in corporibus, vera *Lex*, & *Regula Motus* eſt. *Nonum Principium*. Ut Machinæ partes moveantur, neceſſe eſt, ut *Primus Motor* reliquis partibus alligetur, & hæ ut invicem connectantur. Hinc educit, nullum dari poſſe Vacuum; ſed cunctas Mundi Machinæ partes ſe mutuo tangi oportere, ut Motus fiat. *Decimum Principium*. Sicut hæc ſpiralis lamina chalybis niſi per vim conſtricta, & compreſſa, cauſſa motus eſſe nequit; ita Ignis nonniſi in veſiculis quibuſdam violenter contentus, & in miſtorum partibus incluſus, naturæ motuum, ſive naturalium phænomenon cauſſa erit. *Undecimum Principium*. Uti hæc ſpiralis lamina chalybis etſi plicata, & conſtricta, nullum motum in Horario ederet, niſi paullatim ſe extenderet, & explicaret; ita hic Ignis ſi ſemper in veſiculis conſtrictus, & compreſſus maneret, motus in Mundi corporibus producere nequiret: quare neceſſe eſt, ut è veſiculis prodeat, & in miſti partes agat: in veſiculis enim contentus, circulari motu ſecundum ſuas partes in ipſis movetur, eaſque urget ad exitum. Egreditur autem Ignis è miſtis, & in alia corpora irruit vel inſtar granorum, ſive ſeminum ſpirituoſorum, vel inſtar ſimplicium veſicularum, ſive ſpirituum, vel inſtar nudarum particularum Ignis. *Duodecimum Principium*. Pro varia Ignis è miſtorum corporibus egredientis, & in alia corpora irruentis, vi, & pro varia horum corporum reſiſtentia, mole, figura, ſitu, motu, vel quiete, variæ in Mundi Machina mutationes, & apparentiæ fiunt. *Decimumtertium Principium*. Sicut in omni Machina vis primi moventis lenteſcit, niſi per vices, & intervalla conſtringatur, & comprimatur, & veluti nutriatur ad novam vim acquirendam; ita in miſtorum corporibus nutritio neceſſaria eſt, quam ex Igne in veſiculis intra eorum partes incluſo habent. *Decimumquartum Principium*. Non ſecus ac in Horologio, cæteriſque Machinis Regula inventa eſt, per quam celerior, vel tardior motus primo moventi tribuitur; in miſtorum machinis ſcit Natura Ignis vim temperare. *Decimumquintum*, *& ultimum Principium* Phyſices Mechanicæ. In Mundi Machina, non ſecus ac in artificialibus, Phænomenorum Ordo Succeſſionis, & Dependentiæ conſiderandus, qui dici etiam ſolet Curſus Naturæ, ſive Effectus motûs ipſius Machinæ. Atque hæc eſt nova Philoſophia à Peyſſonel excogitata: cujus ideam hîc tantum dedimus, excerptam ex ejus Epiſtolis ad M. Grenet, Philnſophum Pariſienſem, Carteſianum inſignem, datis an. 1705. in quibus veras etiam Motûs Leges, & Regulas ipſi Grenet ſe tradere dicit; quas vide una cum Epiſtola, qua Grenet ei reſpondet, & ſuam ac doctiſſimi P. Lamy de hoc Syſtemate ἐπίκρισιν exhibet.

Inter Recentiores Philoſophos recenſendi etiam meritò eſſent doctiſſimi MUYS, qui ſua edidit Principia Philoſophiæ: HARTSOECKR: FRANCISCUS VALLESIUS: THOMAS ILLYRICUS: STEPHANUS PIGNATELLI: LEO ISAURIANUS: ANTONIUS STUDITA: DEIPNIZ: & noſter denique THOMAS CORNELIUS, omnes in hac Hiſtoria prætermiſſi. Ipſam tamen claudat maxima, æternaque laude dignus, & qui neſcio quomodo ex Philoſophorum Indice mihi exciderit,

P. EMMANUEL MAGNANUS, Ordinis Minimorum decus ingens, inſignis ſec. 17. Philoſophus, Toloſæ natus ex nobili, veterique familia 17. Julii 1601. De Magnani, ſive Maignani Parentibus, & ſtirpis claritate ita P. Saguens etiam

Digitized by Google

etiam Minimus, Magnani diſcipulus, & Præceptoris Philoſophiæ plures annos Profeſſor; in Vita Magnani, Toloſæ edita 1697. *Pater ei fuit Petrus Magnanus, Conſiliarius Regius, Referendarius, & Decanus in Cancellaria Toloſana, vir æquitatem ſervans, & conſpicuus ſplendidiſſimi generis, antiqua nobilitate indubitata. Siquidem, ut omnes novimus, Maignani Toloſates iſti ſtirpem ſuam trahunt ex illis, quos Eluza, urbs nunc obſcura, ſed antiquitate celeberrima ad Geliſam amnem ſita in Comitatu Arminiaco, Barones ſuos ſtrenuos, opulentos, magnificos per non interruptarum generationum ſucceſſiones reverenter, ac peramanter complexa eſt. Matrem habuit Gaudioſam de Alvarez, caram filiam celeberrimi illius Medici Emanuelis de Alvarez, quem Toloſa, urbs literarum omnium amantiſſima, precibus, ac pollicitationibus multis ex Luſitania advocavit perfuncturum munere Regii Profeſſoris. Hic originem ſuam ducebat ex antiquiſſima familia Alvareziorum de Buhendya in Regno Luſitaniæ, & fuit Parens illuſtris Emanuelis noſtri, qui ex illo nomen Emanuelis obtinuit.* A primis pueritiæ annis non vulgaria pietatis, & literarum amoris ſigna dedit; fuitque ſemper illecebrarum, voluptatumque oſor, in id totus intentus, ut literis, ac pietati ſolum vacaret. Quare exactis Grammaticæ, & Rhetoricæ ſtudiis apud PP. Soc. Jeſu, ut innocentiam tutius conſervaret, Minimorum præclarum Ordinem, quorum conventus frequentabat, & conſuetudine à pueritia delectabatur, ingreſſus, publica vota emiſit an. æt. 18. Ariſtotelicæ Philoſophiæ, & Theologiæ curſum apud ſuos exegit: ſed dipari exitu; nam in Theologia & Fidei, & Præceptoribus acquievit; in Philoſophia tamen non ſic. Enimvero etſi neque Carteſii, neque Gaſſendi Philoſophiæ addictus eſſet, tamen non ſecus, ac iſti, contra Scholaſticam Philoſophiam fuit, & ejus *Accidentia*, *Qualitates*, *Formas Subſtantiales*, & ſimilia oppugnavit; totumque ſe *Experimentali Phyſicæ* dedit; Mathematicarum enim diſciplinarum callentiſſimus erat, & quod maxime mirum, αὐτοδίδακτος, à ſe ſcil. doctus in re tam difficili. Honorum tum apud ſuos, tum apud alios contemtor fuit; ſemel enim vel invitus Provincialis in Aquitaniæ Provincia creatus eſt an. 1650. & honores à Galliarum Rege ſibi oblatos ann. 1660. modeſtiſſime recuſavit. Quod tum accidit, cùm Rex in itinere Toloſam divertiſſet, & in Magnani cellula innumeras pene Machinas, & curioſa Mathematica inventa plura vidiſſet; ut ex cit. Saguens in Vita p.31. 32. ubi: *Properabat Rex ad celebrandas nuptias ſuas . . . . . . Sed caſu Toloſæ parumper conſiſtit; nec inter res, quæ oculis Regiis dignæ cenſebantur, infima fuit cellula cœnobitica P. Maignani, quæ intra Religioſæ egeſtatis anguſtias, ſi quid Matheſis pulcrum coluit, includebat; tubos omnis generis, Teleſcopicos, Microſcopicos, Polioptricos, Hygroſcopicos, Thermometricos, ut non adjiciam Machinamenta Pneumatica, Hydraulica, Magnetica multa: ſileamque de Planiſphæriis, Tabellis Opticis, fabrefactis tum ad figurati torni induſtrias, tum ad vires ſtaticas attinentibus ingenioſiſſimis plurimis: ſpeculiſque uſtoriis, &c.* Imo & dormiens nonniſi Mathematica ſomniabat; & repente ex gaudio inventæ in ſomnio alicujus demonſtrationis evigilans, illam ſcribebat, vel ut poterat exarabat. Inſignis morum probitas, ſingularis omnigena doctrina, & pietas eximia, ipſum Philoſophis, Literatis ſui ævi omnibus, & Principibus cariſſimum reddiderunt. Tandem placidam mortem obiit Toloſæ 29. Octobris 1676. æt. 75.

Quod ad ejus Philoſophiam, & Scripta attinet, Magnanus *Elementaris Philoſophiæ*, ejus ſcil. quæ per quatuor Elementa philoſophatur, ſi non *Inventor*, ſaltem *Reſtaurator* dicendus eſt, modò inventionis gloria Empedocli tribuatur. Ut enim Gaſſendus Atomorum doctrinam emendando, ejus Reſtaurator, & novæ Sectæ Caput factus eſt; ita Magnanus, ſepoſitis Scholarum

opinionibus, quibus in adoleſcentia imbutus fuerat, Empedoclis Elementarem doctrinam corrigendo, & experimentorum, Matheſeoſq; auxilio meliorem reddendo, novæ *Magnaniſtarum Sectæ* Princeps extitit, ex qua omnes Minimi PP. numerantur. Hanc Elementarem Philoſophiam (nec non Theologiam) annos 14. Romæ, alibique ſuos docuit plauſu quidem magno; quam deinde edidit primum Toloſæ 1652. 4. vol. in 8. ſub tit. *Curſus Philoſophiæ, &c.* atque iterum Lugduni in fol. 1673. priori magis auctam; in hac enim editione *Tractatum Criticum de Verticibus Carteſii* inſeruit; & *Diſſertationem de Tuba loquente, &c.* ab Equite Morlando inventa. Hinc, ut Carteſio ſe opponeret, Machinam etiam confecit, qua Carteſianam Mundi fabricam falſam oſtenderet, & conatum recedendi à centro motus per tangentem circuli. Feliciori etiam modo, ex Bælii judicio in Lex. Hiſt. Crit. Magnanus, quam Carteſius explicat, quomodo accidentia ſine ſubſtantia in admirabili Euchariſtiæ Sacramento conſerventur; dicendo ſcil. quod Deus, panis, & vini ſubſtantia ſublata, eaſdem coloris, ſaporis, &c. ſenſationes in noſtros ſenſus producere pergat. Contra hanc Magnani ſententiam vide Rohaultium Entretiens ſur la Philoſophie pag. 48. Magnani etiam eſt *Perſpectiva Horaria*, Romæ impreſſa 1648. fol. impenſis Cardinalis Spadæ, cui ipſam dicaverat; quod *Opus verè eximium, & ad illa uſque tempora intentatum* vocat cit. Saguens p. 17. & Opus Theologico-Philoſophicum, cui tit. *Philoſophia Entis Sacri*, cujus Tomus primus editus eſt an. 1662. alter 1672. etſi enim minori tempore opus fuiſſet ad ſecundi poſt primum editionem; quia tamen objectionibus ſibi factis reſpondere debuit, ſecundum edere poſthabuit. Primus, ac maximus ſuus Antagoniſta fuit P. Lalouvere Jeſuvita Collegii Toloſani, qui in ſuo *Cicloide* errores plures Magnano objecit circa ſtructuram, & gravitatem corporum, celeritatem motus, æqualitatem angulorum incidentiæ, & reflexionis, &c. Cui Magnanus pluribus reſpondit argumentis, quibus hunc Phyſices Geometricæ Aphoriſmum ſubdit: *Plus proderit in rebus Phyſicis peritiſſimus Phyſicus mediocriter in Geometricis verſatus, quam peritiſſimus Geometra parum Phyſicus.* Tum addit: *At ſi utroque genere excellat, nihil prorſus optabilius eſſe poteſt.* Atque hæc Magnani reſponſio ſub *Appendicis* nomine evulgata: Cui *Secundam* addidit *Appendicem*, qua ſuum hunc Antagoniſtam replicantem confutare ſtuduit; in eaque obſervationes habuit de Propagatione ſucceſſiva luminis; de Scintillatione Fixarum; deque Lacrymis in Hollandia factis. *Tertia Appendice* Magnanus reſpondet Dom. Ducaſſe Diſſertationi factæ contra ſuam de his Lacrymis explicationem. *Quarta Appendice*, edita an. 1667. reſpondet noſter Magnanus P. Courboulez ejuſdem Societatis, & Collegii Toloſani, qui P. Lalouvere jam mortuo in literaria contentione ſucceſſerat defendenda. *Quinta* denique *Appendix* Apologia Autoris eſt contra P. Theophilum Raynaudum, qui ſcripſerat contra Magnanum circa accidentia Sacramenti Euchariſtiæ: nec non contra P. Vincentium Baronem, & P. Nicolaum Arnu, Jacobitas, ſuos etiam adverſarios. Inter Magnani Opera recenſenda etiam eſt ejus *Diſſertatio Theologica de Uſu licito pecuniæ*, edita an. 1673. in 12. quæ tamen quorundam Epiſcoporum cenſuram habuit.

Notandum hìc, Magnanum, poſt evulgata bina ſua Opera Mathematica, quorum alterum *Opticum*, ſive Perſpectiva, cujus deſcriptio eſt in *Thaumaturgo Optico Minimi Niceronis*; alterum verò *Catoptricum*, quod repræſentabat integram Cœli faciem, ſuis omnibus ad rem Aſtronomicam ſpectantibus circulis interſtinctam; Magnanum, inquam, & Kircherum inter, magnam fuiſſe de inventionis gloria contentionem; unoquoque ipſorum hac in re ſuos fautores habente. Verùm *Eruditorum Romanorum cohors ſuam utrique palmam contu-*

lit;

lit; protulitque paria eſſe in gignendis fortunatiſſimi ingeniis Viri Germaniæ, Galliæque Imperia Saguens p. 16. & ex eo Bælius loc. cit.

Denique notandum ex Baillet, & aliis, P. Magnanum non confundendum cum *Joh. Chryſoſtomo Magnenio*, Ticinenſi Medicinæ Profeſſore, Luxoriiſ in Burgundia orto, cujus eſt *Democritus Reviviſcens*, editus 1648. *Tractatus de Manna*; & alter *de Tabaco*. Atque hæc de Magnano, omnique Philoſophiæ, Philoſophorumque Hiſtoria Synoptica, dicta ſint ſatis.

Θ

A——Ω

Μούνῳ δόξα Θεῷ, ὅσγ' Ἄλφα, ϗ Ὤμεγα πάντων.

F I N I S.

IN-

INDEX
LIBRORUM, ET CAPITUM.

LIBER I.

De Ortu Philoſophiæ, & de Primis Sapientibus.

CAP. 1. *De Philoſophiæ Definitione, & Diviſione.*
2. *De Philoſophiæ Etymo, Origine, & Fine.*
3. *De Philoſophiæ Inventoribus, ſeu de Primis Sapientibus.*
4. *De Philoſophiæ ab Adam uſque ad Abraham Progreſſu.*
5. *De Abraham, ejuſque Philoſophia, aliiſque uſque ad Moſen.*
6. *De Moſe, Salomone, eorumque Philoſophia.*

LIBER II.

De Philoſophia Barbarica, ejuſque Sectis.

CAP. 1. *De Hebræis, eorumque Sectis.*
2. *De Chaldæis, eorumque Sectis.*
3. *De Perſarum Philoſophia, & Sectis: & de Sabæis.*
4. *De Sectis Indorum.*
5. *De Sinenſium Sectis; & primò de Confutio, & Xaca.*
6. *De Phœnicum Philoſophia.*
7. *De Ægyptiorum Philoſophia.*
8. *De Philoſophia Æthiopica, & Libyca.*
9. *De Philoſophia Scytharum, Thracum, & Gallorum.*

LIBER III.

De Philoſophia Græcanica.

CAP. 1. *De Philoſophia Mythica.*
2. *De iis, qui Sapientes dicebantur.*
3. *De Secta Jonica.*
4. *De Academia Veteri.*
5. *De Academia Media.*
6. *De Academia Nova.*
7. *De Reliquis Academiis, & Academicis.*
8. *De Philoſophis Peripateticis.*
9. *De Philoſophis Cynicis.*

10. De

10. *De Philoſophis Stoicis.*
11. *De Secta Italica.*
12. *De Secta Heraclitea.*
13. *De Secta Eleatica.*
14. *De Secta Sceptica.*
15. *De Secta Epicurea.*
16. *De Secta Eclectica.*

LIBER IV.

De Philoſophis Recentioribus.

CAP. 1. *De Philoſophis Romanorum.*
2. *De Pythagoricis Recentioribus.*
3. *De Platonicis, & Academicis.*
4. *De Philoſophis Cynicis.*
5. *De Philoſophis Stoicis.*
6. *De Philoſophis Peripateticis. Ubi de Scholaſticis omnis ætatis.*
7. *De Antiſcholaſticis, & Antiperipateticis.*
8. *De Philoſophis Eclecticis.*
9. *De Philoſophis Chymicis. Ubi de Chymia.*
10. *De Philoſophis Mathematicis.*
11. *De Philoſophis Incertæ Sectæ, vel Novæ Sectæ non conſpicuæ Auctoribus.*
12. *De Epicureis Emendatis, ſive Gaſſendiſtis.*
13. *De Philoſophis Carteſianis. Ubi Philoſophiæ Carteſianæ Epitome.*

Appendix Παραλειπομένων, *ſive Philoſophorum Prætermiſſorum.*

IN-

Digitized by Google

INDEX PHILOSOPHORUM.

A

Abraham. Ejus Philoſophia, & Virtutes pag. 10
Abumaron 293
Academia Gallica; & Academia Regia Scient. Pariſienſes 454
Academiæ univerſi Orbis 449
Achilles Statio, Luſit. 453
Adam 7
Adraſtus, Peripat. 456
Ædeſia 168
Ædeſius ib.
Ægidius Columna, Romanus 304
Ægyptiorum Philoſophia. Sapientes, ſeu Sacerdotes 50
Æneas Gaza 271
Æſchines 82
Æſopus, Philoſophus Phryx 61
Æthiopica, & Libyca Philoſophia 54
Agapius 169
Albertus Magnus 298
Albumazar, ſive Alboaſar 294
Alcmæon 138
Alexander de Ales 298
Alexander Ægæus, & Aphrodiſienſis 230
Alexander Achillinus 322
Alexander Piccolomineus 333
Alexander Trallianus 355
Alexandrini; & aliæ Sectæ minoris notæ 28
Alexinus 87
Alfraganius 294
Alfred 305
Alphabarius, Magnus dictus 294
Algazel 293
S. Ambroſius 267
Ammonius, Hermiæ filius 168
Ammonius Saccas 169
Anatolius 288
Anaxagoras 74
Anaximenes ib.
Anaximander 73
Anaxilaus 182
Anaxarchus 151
Andreas Adamus Hochſtetterus 345
Andreas Reſendius, Luſit. 453
Andronicus Rhodius 229
Angelus Ceſi, Dux Aquæ Spartæ 335
Angelus Politianus, ſive Baſſus 315
Annæus Cornutus Leptites 220
Anicius Manlius Torquatus Severinus Boëthius 321
Anniceris 85
Antiochus 100
Antiochus Aſcalonita 189
Antipater 124
Antiſthenes 111
Antonius Andreas 308
Antonius Arnoldus 446
Antonius Galateus 389
Antonius Goveanus, Luſit. 328
Antonius le Grand 447
Antonius Mizaldus, ſive Mizault 393
Antonius Montecatinus 341
Antonius Studita 458
Antoninus, Soſipatræ filius 168
Apollonius, Sen. Rom. & Apollonius Chalcidenſis 199
Apollonius Cronus 88
Apollonius, Niſſenus. 456
Apollonius Tyaneus 260
Archelaus 76
Architas 138

Arce-

Arceſilaus 97
Ardenti, Acad. Neap. 454
Arias, Auguſtinus, & Emmanuel Barboſa, Luſit. 453
Ariſtides 198
Ariſtippus 83
Ariſto 110
Ariſtobulus, Peripat. 456
Ariſtocles, Perip. & Ariſtocles Lampſacenus ib.
Ariſtoteles 101
Ariſtoxenus, Ariſtotelis diſcip. 455
Arrianus 219
Arnoldus Villanovanus 364
Artephius 377
Arzabel, Hiſpanus 294
Aſclepiodotus 168
Aſclepius Trallianus 354
Athanaſius Kircherus 384
Athenagoras 199
Athenæus 219
Athenodorus Tarſenſis 204
Averrhoës 292
S. Auguſtinus 266
Auguſtinus Niphus 320
Avicenna 291
Aureolus—Philippus—Theophraſtus--Bombaſt--Paracelſus. 365

B

Althaſar Beckerus 395
Barbari, & Barbarica Philoſophia 19
Bartholomæus Maſtrio 310
Baſilides Scythopolita 227
S. Baſilius Magnus 388
Baſilius Valentinus 371
Belus, ſecundus Chaldæorum Philoſophus 30
Benchora 294
Benedictus Pererius 336
Benedictus de Spinoza 394
Beribitar 293
Bernardinus Teleſius 348
Bernardinus Tomitanus 330
Beroſus, Chaldaicæ Philoſophiæ Scriptor 30
Beroſi filia, Babylonica Sibylla dicta, Cumis habitans ib.
Beſſarion Cardinalis 274
Bias 63
Bion 86
Boëthus Sidonius 288
S. Bonaventura 304
Bonaventura Belluto 310
Bonifacius de Marinis 306
Bonzii, Taoſſi 45
Brachmanes; & eorum doctrina 38
Buddes; & Manes 39
Burckhard. Gotthelff. Struvius 334

C

Æſar Cremonini 339
Cain, Jabel, Jubal, Tubalcain 8
C. Aurelius Cotta 184
C. Caſſius 241
C. Memmius ib.
C. Muſonius Rufus 221
C. Sergius Orata 241
C. Vellejus 234
Calid 377
Calixtus Andronicus 320
Callani, Indorum Philoſophi 40
Carneades, Cyrenæus 99
Carneades, Cynicus 283
Caſpar Zeumerus 344
Caſpar Mauritius 341
Catius 234
Cato Uticenſis 205
Cebes, Thebanus, Socratis diſcip. 456
Celſus 241
Chaldæi. Eorum Secta, Doctrina, &c. 29
Chæremon 284
Chius 241
Chilo 67
Choſroës, Perſarum Rex 272
Chriſtophorus Drejerus 341
Chriſtophorus Schradenus 344
Chriſtophorus Wolfius 346
Chryſanthius Sardianus 168
Chryſippus 123
Chymia. Origo, Doctrina, &c. 360
Claudius Galenus 197
Claudius Perraultius; ejuſque Fratres 386
Cleanthes 122
Clemens Alexandrinus 169
Cleobulus 66
Chimitonus-Langley 378
Clitomachus 100
Comes Treviſanus 377

Confutius, Sinenſium Philoſophorum Princeps 41
Conradus Aslacus 341
Conradus Samuel Schurtzfleiſchius 345
Cordemoy 448
Cornelius Celſus 342
Cornelius Martini 341
Coſmopolita 377
Crates, Athenienſis 96
Crates, Thebanus 115
Cratippus 456
Crito 82
Critolaus 110
della Cruſca, Acad. Florent. 454
Cyriacus Strozza. 341

D

Damaſcius Damaſcenus 169. & 286
Damianus de Goëz, Luſit. 453
Damon, Pythagoræ diſcip. 456
Daniel ex Secta Rechabitarum 23
Daniel Heinſius 359
Daniel Omeiſius 345
Daniel Sennertus 384
David de Dinanto 395
David Gregorius 388
Deipniz 458
Demetrius, & Iſidorus, Cynici. 204
Demetrius Phalereus 456
Democritus 146
Demonax 345
Diagoras, Democriti diſcip. 456
Dicæarchus Meſſenius, Ariſtotelis diſcipulus ib.
Diceneus, Philoſopus Ægyptius ib.
Didymus Alexandrinus 288
Dio Chryſoſtomus 258
Diodorus 88
Diodotus 110
Diogenes, Cynicus 112
Diogenes junior 204
Diogenes Laërtius 399
Diogenes, Stoicus 124
Dion, Syracuſanus 455
S. Dionyſius Areopagita 262
Dominicus Sotus 320
Domninus, Syrus 168
Druidæ, Gallorum Philoſophi 56
Durandus à S. Porciano 310

E

Edmundus Dickinſonus 341
Emmanuel Alvarez, Luſit. 453
Emmanuel Magnanus 458
Empedocles 136
Enoch 8
Epicharmus 138
Epictetus 218
Epicurus 152
Epimenides 68
Erneſtus Salomon Cyprianus 345. & 392
Erneſtus Sonerus 341
Eſſæi, ſive Eſſeni 33
Evaphenus 259
Eubulides 87
Euclides ib.
Eudoxus 139
Eulalius 169
Eunapius 168
Euphantus 88
Euphrates 285
Euſebius Myndius 168
Euſtathius ib.

F

Fabius Pacius 337
F. Fantaſtici. Acad. Rom. 454
Favorinus 228
Flaccus Albinus Alcuinus 289
Franciſcus Baconus à Verulamio 383
Franciſcus Bernier 402
Franciſcus Gregorius Venetus 341
Franciſcus de Maironis 309
Franc. Mercurius van Helmont, J. B. filius 374
Franciſcus Pavoni 338
Franciſcus Philelphus 314
Franciſcus Patricius 280
Franciſcus Piccolomineus 333
Franciſcus Piccolomineus Soc. J. ib.
Franciſcus Soarez, ſive Suarez, Luſit. 452
Franciſcus Toletus, Card. Soc. J. 332
Franciſcus Valleſius 458
Fratres Roſeæ Crucis 375
Federicus Bonaventuri 390

G

Gabriel Biel 312
Gabriel à Coſta, Luſit. 452
Gabriel Naudæus 345

Gali-

Digitized by Google

Galilæus Galilæi 381
Gebber 294
Georgius Agricola 326
Georgius Ariminenſis 341
Georgius Gemiſtus 275
Georgius Paſchius 345
Georgius Riplajus 372
Georgius Scholarius, Gennadius 323
Georgius Trapezuntius 233
Gerardus Joh. Voſſius 334
Germanes, & Hylobii, Indorum Philoſophi. 38
Gilbertus, dictus Porreta 296
Glauco 83
Gomitius Pereira 439
Gottfrid. Olearius 344
Gottlibius Fridericus Jenichenius ib.
Gottofridius Arnoldus 346
G. J. 's Graveſande. 387
S. Gregorius Nazianzenus 389
S. Gregorius Niſſenus 357
S. Gregorius Thaumaturgus 171
Grenet 458
Gualtherus Burley 311
Gulielmus Gilbertus 382
Gulielmus Occam 310
Gulielmus Xylander 331
Gymnoſophiſtæ, Indorum Philoſophi 38

H

Haly 294
Hartſoëckr 458
Hebræi, qui etiam Judæi, & Iſraëlitæ dicti 19
Hegeſianax, Polyzenus, Themneſtus, & Xanthippus 284
Hegeſias, & Hegeſiaci 85
Hegeſias, Marino in Schola ſucceſſor 169
Heliodorus, Hermiæ filius 168
Helleniſtæ 28
Helvidius Priſcus 210
Henricus Cornelius Agrippa 373
Henricus Gandavenſis 306
Henricus Julius Scheurlius 345
Henricus Morus 341
Henricus Regius 446
Heraclitus 140
Heraclitus, Cynicus 283
Heraclitus, Tyrius 262
Herennius 167
Hermes Triſmegiſtus 12
Hermias 267
Hermias, Alexandrinus 168
Hermannus Conringius 341
Hermippus Smyrnæus 416
Hermolaus Barbarus 318
Herodiani 28
Heſiodus 60
Hierius, Plutarchi filius 168
Hierocles ib.
Hierocles, tres 271
S. Hieronymus 355
Hieronymus Cardanus 323
Hieronymus Oleaſter, Luſit. 453
Hieronymus Oſorius, Luſit. ib.
Hieronymus Savanarola 319
Hipparchia 116
Hippaſus 139
Hoffmannus 448
Homerus, Mythicæ Philoſophiæ primus Doctor 60
Horus Ægyptius. Horus Ægypti Rex. pag. 283
Humoriſti, Acad. Rom. 454
Hyſtaſpes 34

I

Jacob 12
Jacobus Baiva, Luſit. 453
Jacobus, & Joh. Bernoulli, fratres 448
Jacobus Bohmius 371
Jacobus Faber 321
Jacobus Hermannus 388
Jacobus Mazzonus 318
Jacobus Rohaultius 447
Jacobus Skekius 340
Jacobus Tevius, Luſit. 452
Jacobus Thomaſius 340
Jacobus, & Julius Zabarella 330
Jamblicus 167 & 255
Japonii, & Tapujani; & eorum doctrina 47
Indorum Sectæ, & Philoſophi 38
Intronati, Acad. Sen. 454
Joachimus Pertonius 334
Job, Arabs, vel Idumæus 13
Joh. Albertus Fabricius 345
Joh. Alphonſus Borellus 385
Joh. Amos Comenius 341
Joh. Andreas Schmidius 345
Joh. Argyrophilus 315

Digitized by Google

Joh. Auguſtinus Pantheus, *Venetus* pag. 377
Joh. Aurelius Augurellus 372
Joh. Baconthorpius 312
Joh. Baptiſta Fragoſus, *Luſit.* 453
Joh. Baptiſta à Porta 382
Joh. Baptiſta van Helmont 373
Joh. Bayerus 341
Joh. Bocbardus 313
Joh. Burckhardus Menckenius 344
JOH. V. Luſitaniæ Rex, &c. 388
JOH. III. Luſitaniæ Rex, &c. 452
JOH. XXI. Luſit. Pont. Max. 303
Joh. Camillus Glorioſus 381
Joh. Caſe, *ſive Caſæus* 327
Joh. Chryſoſtomus Magnenius, *Profeſſor Papienſis* 461
Joh. Chriſtophorus Sturmius 448
Joh. Clericus 394
Joh. Crellius 341
S. Joh. Damaſcenus 296
Joh. Duns Scotus 307
Joh. à Felden 341
Joh. Franciſcus Buddeus 343
Joh. Franciſcus Picus Mirandulanus pag. 280
Joh. Freitagius 374
Joh. Fridericus Mayerus 346
Joh. Fridericus Schopfius 345
Joh. Garnier 339
Joh. Georgius Niemejerus 345
Joh. Jacobus Mullerus 344
Joh. Jacobus Syrbius ib.
Joh. Iſaacus Hollandus 371
Joh. Keill 387
Joh. Ludovicus Vives 346
Joh. Mauritius Schrammius 344
Joh. Meſue 294
Joh. Philoponus 169
Joh. Picus Mirandulanus 277
Joh. Reuchlinus 341
Joh. de Rupeſciſſa 371
Joh. Serapion 294
Joh. Scotus Erigena 290
Joh. Setonus 240
Joh. Schilterus 345
Joh. Sperlingius 375
Joh. Stobæus 355
Joh. Zeiſoldus 341. & 375
Jordanus Brunus 377
Joſeph, *Jacobi filius* 12
Joſue, & *Samuel ex 70. Senibus Iſraël* 17
Iſaac 12
Iſaac Narbonenſis 293
Iſaacus Newton 387
Julianus Apoſtata 168. & 256
Julius-Cæſar Lagalla 393
Julius Cæſar Scaliger 325
Julius Pacius 336
Julius-Caſpar Sebaſtianus, *aliàs Vaninus* 344
S. Juſtinus Martyr 201
Juſtus Lipſius 286

L

Lactantius Firmianus 171
Lacydes 98
Lambertus Danæus 341
Lanfrancus 296
Laurentius Valla 347
Leucippus 146
Leo Allatius 388
Leo Byzantius, *Platonis diſcip.* 454
Leo Iſaurianus 458
Leonardus Brunus 321
Libertus Fromondus 341
Lincei, *Acad. Rom.* 454
L. Annæus Seneca 211
L. Apulejus 263
L. Ceſtius Smyrnæus 239
L. Licinius Lucullus 190
L. Manlius Torquatus 242
L. Saufejus 211
L. Thorius Balbus Lanuinus 241
Lucianus 237
Ludovicus de Beaufort 341
Ludovicus Buccaferrei 322
Ludovicus de la Forge 448
Ludovicus Septala 329
Ludovicus Leſclache 393
Ludovicus Regius, *ſive Roy* 389
Lycius 168
Lycon 110

M

Macrobius 268
Machometes Aratenſis, *ſive Albategnius Arabs* 294
Mahumet Toletinus ib.
Magi. Eorum munus, *doctrina*, *honos*, &c. 33

Man-

Mandanes Indus 456
Marcion 285
Marcus Antoninus Imper. & Philoſophus 222
Marcus Brutus 193
Marcus, Epheſi Epiſcopus 323
Marcus Gottlieb Stollius 344
Marcus Job. Gottlieb Olearius ib.
Marcus Muſurus 274
Marcus Piſo 228
Marcus Valerius Martialis 242
Marcus Tullius Cicero 185
Marcus Terentius Varro 183
Maria, Moſis Uxor 16
Marinus 168
Marſilius Ficinus 276
Martinus Lutherus 341
Martinus Rulandus Pater, & Filius pag. 377
Maximus 168
Maximus Tyrius 200
Melchior Zeidlerus 341
Meliſſus 145
Menedemus, Eretricæ Sectæ Caput 89
Menedemus, Cynicus 117
Menippus ib.
Metrocles 116
Metrodorus 150
Michaël Piccartus 341
Michaël Pſellus 290
Monimus 115
Morienus Romanus 372
Moſes, Melchi antea dictus 14
Moyſes Ægyptius 293
Muys 458
Myſon 67

N

Nazaræi 28
Nearchus 259
Nemeſius 389
Nicolaus - Claudius - Fabricius Peireſcius 401
Nicolaus Copernicus 378
Nicolaus Cyrillus 388
Nicolaus Damaſcenus 229
Nicolaus Malebranche 447
Noë 8
Numa 175
Numenius 262

O

Obertus Giſanius 336
Ocellus Lucanus, Pythagoræ diſcip. 456
Odington 378
Oenomaus 284
Olaus Borrichius 377
Olympiodorus 168
Oneſicritus 115
Origenes 167
Origenes Adamantius 270
Orpheus. Orphica Secta 61
Oſthanes 34
Otto Heurnius 390

P

Pætus Thraſea 210
Paganinus Gaudentius 391
Panætius 124
Panſa 241
Papirius Poetus ib.
Parmenides 144
Peregrinus 283
Periander 68
Petronius Arbiter 239
Petrus Abelardus 296
Petrus Fonſeca, Luſit. 338
Petrus Gaſſendus 399
Petrus Joh. Nunneſius 341
Petrus Lombardus 297
Petrus Nonnus, Luſit. 453
Petrus Nunnez, ſive Nonnius 332
Petrus Petitus 339
Petrus Poiret 377
Petrus Ramus 349
Petrus Sylvanus Regis 447
Petrus Victorius 341
Peyſſonel 457
Phædo 89
Phariſæi, & eorum doctrina 25
Pherecydes 69
Phidamus 239
Philalethes 377
Philippus Melanchthon 341
Philippus Scherbius ib.
Philo 110
Philo Judæus 202
Philodemus Gadarenſis 238
Philolaus 139
Philoſophia Cabbaliſtica Græcanica 341
59

Mo-

Moſaica, & Chriſtiana 341
Mythica, ſeu Fabuloſa 59
Perſarum, eorumq; Secta 33
Phœnicum 50
Scytharum, Thracum, & Gallorum 55
Ægyptiaca, Æthiopica, Chaldaica, Barbarica, Libyca, Sinica, &c. vide ſuis literis.
Philoſophiæ Definitiones variæ 2
Diviſiones plures 3
Etymologia 4
Origo ib.
Finis 6
Inventores, ſeu Primi Sapientes ib.
Progreſſus 7. & ſeq.
Philacteria quid? Quid Fimbria 25
Pittacus 62
Plato 91
Plato Sardianus 239
Pliſtanus 89
Plotinus 167. & 252
Plutarchus 196
Polemo 96
Pompilius Andronicus 238
Porphyrius 167. & 254
Poſidonius 124
Potamon 166
Priſcus Theſprotius 168
Proclus ib.
Protagoras 150
Pub. Egnatius 221
Pub. Nigidius Figulus 181
Pub. Virgilius Maro 244
Pyrrho 151
Pythagoras 125

Q

Quintus Ennius 180
Quintus Horatius Flaccus 250
Quiricus Kuhlmannus, ejuſque diſcipuli 371
Quiricus Strozzi 330

R

Rabanus Maurus 289
Rabini 20
Raymundus Lullius 363
Rechabitæ, dicti à Rechab 22
Regia Societas Londinenſis 414
Renatus des Cartes 406
Rhazes, vulgò Rhaſis, Alubeter, & Almanſor 294
Rhodoam. ib.
Robertus Boyle 285
Robertus Flud 376
Robertus Groſteſt 305
Robertus Inquiſitor 365
Robertus Vallenſis 377
Rochius Bailliſicus 372
Rodericus à S. Cruce 321
Rodulphus Agricola 317
Rodriquez Cunha, Luſit. 453
Rogerus Bacon 312. & 371
Rogerus Herefordenſis 389
Rubellius Plautus 220

S

Sabæi 37
Sadducæi; Bajethuſæi; & Karræi 26
Salomon. Ejus ſcripta Philoſophiæ plena 17
Saluſtius 283
Samaritani 27
Satyrus, Peripateticus 456
Scammai, & Hillelis Scholæ Scribarum præcipuæ 21
Diſcipuli à Talmid fiebant Rabbi 22
Scipio Capycius 391
Scribæ 20
Sebaſtianus Barradas, Luſit. 452
Sebaſtianus Dupaſquier 310
Sebaſtianus Echinus 282
Sebaſtianus Foxius Morzillus 334
Sephora, Moſis Uxor 16
Septem Græciæ Sapientes. 62
Severianus 168
Sextus Empiricus 243
Sextus Propertius 242
Siſac 293
Simmias 83
Simon 82
Simon Grynæus 390
Simplicius 169
Simplicius Phrygius 289
Sinenſium Philoſophia, Sectæ, Mores, Literæ, &c. 41. & ſeq.
Socrates 76
Solon 64

Sopater

Sopater 355
Sopater Syrus, Jamblichi diſcip. 168
Soſipatra ib.
Speuſippus 95
Stallto 241
Stephanus Langtonus 305
Stephanus Pignatelli 458
Stilpo 88
Strabo 209
Strato 109
Suarez; Sanchez; Vaſquez 333
Syneſius 269
Syrianus 168

T

Tatianus 202
Taurus Berytius 265
Thales 70
Thebitius 294
Themiſtius 230
Theodatus, Gothorum Rex 273
Theodorus 85
Theodorus Aſinenſis 167
Theodorus Gaza 316
Theodorus Zwingerus 353
Theophraſtus 109
S. Thomas Aquinas 300
Thomas Bradwardinus 309
Thomas Burnetus 341
Thomas Campanella 391
Thomas Cantipratenſis 303
Thomas Cornelius 458
Thomas Correa, Luſit. 453
Thomas Hobbes 402
Thomas Illyricus 458
Thomas de Vio, Cajetanus dictus 328
Thraſyllus 198
Timon 152
Titus Lucretius Carus 236
Titus Pomponius Atticus 234
Tycho Brahe 379
Tyrrheni Philoſophi 58

V

Valentinus 265
Valentinus Weiſelius cum ſuis Sectatoribus 371
Valentinus Veltbemius 344
Ulpianus Gazæus 168
Ulrichus Obrechtus 345
Ulyſſes Aldrovandus 327
Waldſchmid 448

X

Xaca, Philoſophus Sina 42
Xenarchus 229
Xenocrates 95
Xenophanes 143
Xenophilus 259
Xenophon 80

Z

Zamolxis Thraces Philoſophiam docuit 55
Zelotæ, ſeu Gaulonitæ 27
Zeno 117
Zeno Eleates 145
Zenodotus 168
Zoar 293
Zoroaſtres, Chaldaicæ Philoſophiæ inventor 30
Zoroaſtres, Perſicæ, ſive Magicæ Philoſophiæ reſtaurator 34
Zoſimus, Platonicus 456

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA			CORRRIGE.
Pag.	ver.		
50	29	Deo Hebræorum	Dei Hebræorum
64	32	à Laërt.I 84.	à Laërt. I. 84.
81	35	De Vor. Script.	De Ver. Script.
88	30	auctus homo	acutus homo
99	2	percipi noſſe	percipi poſſe
101	31	Epiſcopi Syneſii	Epiſcopi Cyrilli
110	29	appellans	appellabat
121	41	Epiſt.	Epict.
134	9	falſis	fabis
135	24	tenacioribus	teneribus
136	19	Invenit	Invenio
181	32	Cenſorino	Cenſorio
188	47	anno Romæ 511.	anno Romæ 512.
190	13	aſſenſus Lucullo	aſſenſus Antiocho
Ib.	25	Siſenna	Siſenam
195	13	eſſent	eſſet
203	36	Helleniſmi	Hebraiſmi
236	36	Tullii . . . eſt	Tullii . . . eſſe
240	8	alioqui	alloqui
246	9	vocatet	vacaret
285	10	Covil.	Coecil.

ERRATA			CORRIGE.
Pag.	ver.		
303	7	Lonii	Lovanii
311	36	ſaniſſima	inſaniſſima
319	35	motu	motus
ib.	44	ætate	ætatem
345	41	tum Ethicorum Chriſtianorum	tum Ethnicorum, tum Chriſtianorum.
346	35	ipſi	ipſe
350	5	omnes	omnem
351	33	Romæa	Ramæa
352	37	in Buddeus	ita Buddeus
359	3	incubit	incubuit
361	20	Firmicio	Firmico
365	46	Comingius	Conringius
380	17	incubit	incubuit
386	32	penderabiſeſque	ponderabileſque
409	1	Soccia	Svecia
415	36	mentibus	motibus
418	47	Nomina	Nomine
432	44	exiguam	exiguum
435	21	fit	ſint
438	33	effectis	affectis

Digitized by Google

C056632781

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google